
R. P. FERDINANDI
DE
CASTRO-PALAO,
LEGIONENSIS SOC. JESU,
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS,
Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris;

OPERIS MORALIS,
DE VIRTUTIBUS, ET VITIIS CONTRARIIS,
In Varios Tractatus, & Disputationes Theologicas distributi,

PARS QUINTA,
CONTINENS TRACTATUM SERIE
VIGESIMUM-OCTAVUM DE MATRIMONIIS,
ET SPONSALIBUS.

RECENTIOR ET ACCURATIOR EDITIO;
CUI ACCESSIT INDEX LOCUPLETISSIMUS RERUM OMNIUM
quæ in toto opere continentur, collocatus in fine TOMI QUARTI.

Operâ & studio N. J. B. DANTOINE Lugdunensis, J. V. Doctoris & in Parlamentî Curiâ Advocati.



LUGDUNI,
Sumptibus ANISSON, & JOANNIS POSUEL.

M. DCC.
CUM PERMISSU SUPERIORUM.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI,

F. LUCÆ VVADDINGO MENAPIENSI:

GENTIS HYBERNICÆ LUMINI:

Minorum de Obſervantia nuncupatorum Commiſſario Generali: Collegii Hybernorum S. Iſidori in Urbe Antiſtiti: S. Theologiæ olim Profeſſori: Trium Ordinum S. Franciſci Chronographo illuſtri: In ſupremo Tribunali Inquiſitionis Romanæ Cenſori: Et in ſacra Congregatione INDICIS, aliiſque Conſeſſibus Conſultori: Viro Religioſiſſimo, Pietate & Doctrinâ conſpicuo, ac de Republica Chriſtiana tum libris editis, tum rebus geſtis benè merito,

S. P.

APPELLAMUS Nomen, tum publicè notum, tum privatim, quod noſtris cuſum recuſúmque Typis, per Europam totam celebratur. Nam cui ignotus Scriptor S. Franciſci notiſſimus? Qui inuſitato ab omni ævo miraculo, lucem matri, quam ipſa largitur liberis, reddidit. Ita ſanè, PATER REVERENDISSIME, Tu de ſanctiſſimo Patriarcha tuo meritus optimè, quam illi Deus numeroſiſſimam ſubjecit ſobolem, mortalem tamen, & oblivionis telo crudelius interituram quàm mortis; eam, inquam, ſic à tumulo vindicas, ſic à morte, ſic in vitam reſtituis, ſic ab omni fati periculo ſancis, ut in omnium mentibus viva & vegeta, ſit futura orbi coæva. Quo beneficio Deum, quantùm homini fas eſt, aſſequeris; quas enim Animas immortalitate donavit, earum Tu memoriam, perituram aliàs, æternaſti. Opus incomparabile, quo res dignitate ſummas, majeſtate amplas, varietate jucundas, numero immenſas, ſanctitate mirabiles, ita complexus es; ut æquale ar-

gumento tanto ingenium, nec varietate distractum, nec numero obrutum, nec majestate præstrictum, sanctitati totum se applicuerit, quam in legentes deinde transfunderet. Id nempe est, ad tui Franciſci saporem scribere, pietatem & amorem Christi inserere, narrare ita ut doceas, docere ut moveas. Sed nec unis scriptis de tuo Ordine totáque Ecclesia summè meritus es; quales scribis viros, voce & exemplo talem te exhibes; cùm Doctrina clarus & pietate, quod docuisti verbo, id & vitâ doces; nec efficaciùs profligas vitia, quàm virtutum usu & amore. Nam tua illa Doctrina in scholis, in Tribunalibus Inquisitorum, in Religiosis confessibus explorata, hostes Ecclesiæ domat, triumphat, & in pœnas vocat: at summa Pietas, morúmque probitas singularis, virtutis hostes suaviter vincit, & à vitiis transfugas ad se abducit; ut Religioni non minus sanctis artibus quàm aperto Marte, non minus pacis studiis quàm districto ferro inservias. Quæ cùm omnibus Romæ tam pateant, quàm scripta tua toti Europæ; temerarium fortasse esset appellare te nostro nomine, nisi & pro tua humanitate & pro Animo nostro, quem gratum in Te cupimus summoperè, in spem venissemus, hanc tibi nostram non molestam fore voluntatem, quæ nos cùm jubeat obstrictissimos Tibi profiteri, id etiam speramus à Te impetrabit, ut si quid in eo peccavimus, condones, ac nos habeas Tibi in perpetuum Addictissimos.



INDEX

INDEX

Tractatuum, Disputationum, Punctorum, & Paragraphorum

HUJUS QUINTÆ PARTIS OPERIS MORALIS, de Virtutibus, & vitiis contrariis.

TRACTATUS XXVIII.

De Sponsalibus, & matrimoniis.

DISPUTATIO I.

De Sponsalibus.

DE natura sponsaliorum. *punct.* 1
Qualis debeat esse promissio cujusvis contrahentis ut sponsalia constituat. *punct.* 2
De acceptatione requisita ut promissio sponsalia constituens vim obligandi habeat. *punct.* 3
Quibus verbis vel signis sponsalia contrahantur. *punct.* 4
Qualiter obligentur qui pro aliis sponsalia promittunt. *punct.* 5
De his qui sponsalia contrahere possunt. *punct.* 6
De effectu quem sponsalia valida habent. *punct.* 7
Qualiter compellendus est qui renuit implere sponsalia. *punct.* 8
De pœna in sponsalibus seu matrimoniis adjecta pro firmiori eorum obligatione. *punct.* 9
An pœna consistens in lucro acquirendo reiiciatur ab sponsalibus. *punct.* 10
An pœna lucri non acquirendi retrahens à nuptiis validè donationi, & legato imponi possit. *punct.* 11
De arrhis in contractu sponsalium appositis. *punct.* 12
Qualiter arrhæ in signum seu pignus matrimonii contrahendi concedi ab sponsis possint. §. 1
Cui competant arrhæ pignora matrimonii contrahendi. §. 2
De arrhis in remunerationem pudicitiæ, nobilitatis, & dotis sponsæ traditis ab sponso, vel à viro uxori. §. 3
In qua quantitate & ex quibus bonis hæ arrhæ concedi possint. §. 4
An valida sit arrharum donatio ultra decimam, præcipuè accedente juramento. §. 5
Cui incumbat onus probandi promissionem seu donationem arrharum, & idem est de sponsalitia largitate non excedere taxam à lege præscriptam. §. 6
Quis arrhas promittere potest. §. 7
Qualiter sponsæ seu uxori acquirantur arrhæ. §. 8
Qualiter uxor arrhas vel sponsalitiam largitatem obtinens distribuere possit. §. 9
De sponsalitia largitate quæ in sponsalibus intervenire solet. *punct.* 13
Quæ dona facta ab sponso sponsæ vel contra, aut ab eorum consanguineis vel extraneis censeantur sponsalitia largitas. §. 1
In qua quantitate & ex quibus bonis sponsalitia largitas præstari possit. §. 2
Quo tempore sponsalitia largitas concedenda sit. §. 3
Qualiter sponsalitia largitas acquiratur seu amittatur. §. 4
An fidejussores & pignora ob securitatem sponsalium apponi possint. *punct.* 14
De pacto sponsalibus adjecto permanendi in aliquo loco. *punct.* 15
Quam obligationem habeat uxor sequendi maritum vel maritus uxorem. §. 1
An valeat punctum sponsalibus adjectum quòd vir teneatur in certo loco commorari. §. 2
Sponsalia conditionata qualem obligationem inducant. *punct.* 16
Qualiter sponsalia mutuo consensu dissolvi possint. *punct.* 17
Qualiter religionis ingressu sponsalia dissolvantur. *punct.* 18
Qualiter Ordinis sacri susceptione sponsalia dirimantur. *punct.* 19
Qualiter voto Religionis, Ordinisve sacri suscipiendi, vel continentiæ dissolvantur sponsalia. *punct.* 20
Qualiter matrimonio sponsalia dirimantur. *punct.* 21
Qualiter secundis sponsalibus priora solvantur. *punct.* 22
Qualiter sponsalia dissolvantur ob sponsi absentiam. *punct.* 23
Qualiter dissolvantur sponsalia ob lapsum termini præfixi. *punct.* 24.
Qualiter ex causa fornicationis sponsalia dissolvantur. *punct.* 25
Qualiter sponsalia dissolvantur ob superveniens juris impedimentum. *punct.* 26
Qualiter solvantur sponsalia ob defectum corporis & animi. *punct.* 27
Qualiter ob fortunarum defectum, aliásve causas supervenientes solvantur sponsalia. *punct.* 28
An si prædictæ causæ præcesserint sponsalia, & ignorentur, sponsalia dissolvant, ac si postmodum supervenissent. *punct.* 29

An laborans occulto impedimento quod compartem ab sponsalibus contrahendis averteret, possit eo tacito sponsalia contrahere, & ad executionem compartem compellere. *punct.* 30
Utrum ad sponsalia dissolvenda judicis authoritas necessaria sit. *punct.* 31
Quæ probatio requiratur pro sponsalium dissolutione. *punct.* 32
An pars justè ab sponsalibus resiliens ob ingressum religionis, vel ob aliud impedimentum inculpabile teneatur comparti solvere expensas, si quas in parandis nuptiis fecit. *punct.* 33
Qualiter puella in loco tuto constituenda sit, cùm ab alio exigitur pro sponsa. *punct.* 34

DISPUTATIO II.

De Matrimonii essentia.

UNde dicatur Matrimonium: Et quid sit. *punct.* 1
Quæ Matrimonia sint Sacramentum. *punct.* 2
Quæ sit materia & forma Sacramenti Matrimonii. *punct.* 3
Quis sit Sacramenti Matrimonii minister. *punct.* 4
De consensu ad Matrimonium requisito. *punct.* 5
Debeátne prædictus consensus utriusque contrahentis simul existere. *punct.* 6
Qualiter consensus contrahentis exprimendus sit. *punct.* 7.
Quibus verbis, & signis hic consensus censeatur expressus. *punct.* 8
Qualiter per procuratorem Matrimonium contrahatur. *punct.* 9
Quo fine Matrimonium contrahi debeat. *punct.* 10
De Matrimonio sub conditione contracto. *punct.* 11
De conditione honesta temporis præsentis, vel præteriti. §. 1
De Matrimonio sub conditione honesta futuri temporis. §. 2
De Matrimonio sub conditione impossibili contracto. §. 3
De Matrimonio sub conditione turpi contracto. §. 4
An tempus, causa, & modus matrimonio appositus obstet illius valori. §. 5
De Matrimonio ob metum inito. *punct.* 12
De Matrimonio clandestino. *punct.* 13
Quid sit Matrimonium legibus civilibus, Ecclesiasticisque punitum. §. 1
Qualiter potuerit Ecclesia Matrimonia absque parocho, & testibus celebrata irritare. §. 2
Qualiter denuntiationes matrimonio contrahendo præmittendæ sint. §. 3
Qui possint in denuntiationibus dispensare, & quæ sit causa legitima dispensationis. §. 4
An teneatur Ordinarius aliqua ex supradictis causis concurrente dispensare, contrahentesque possint negata dispensatione contrahere. §. 5
An ex prædictis denunciationibus teneatur qui impedimentum agnovit, etiamsi parochus sit, denunciare. §. 6
Qua ratione parochus, & Ordinarius se gerere debeant, cùm opponitur impedimentum Matrimonio contrahendo, aut ipsi norunt. §. 7
De præsentia parochi, & testium pro Matrimonio contrahendo à Concilio requisita. §. 8
An debeat ad valorem Matrimonii, & licitum illius contractum parochus utriusque contrahentis, & in propria parochia assistere. §. 9
Quæ conditiones requirantur in parocho, vel ejus delegato, ut matrimonio assistat. §. 10
Quis sit Ordinarius valens assistere Matrimonio, & assistendi licentiam concedere. §. 11
Qualiter parochus & ordinarius licentiam assistendi Matrimonio concedere possint, & debeant. §. 12
De testibus pro matrimonio contrahendo à sacro Concilio requisitis. §. 13
De pœnis Matrimonii clandestini. §. 14.

DISPUTATIO III.

De bono conjugii, illiusque ratificatione.

DE unitate Matrimonii. *punct.* 1
De Matrimonii indissolubilitate. *punct.* 2
Quale sit Matrimonium legitimum, ratum & consummatum, & quo jure sit indissolubile. §. 1
An ex dispensatione Pontificis Matrimonium dissolvi possit. §. 2
Qualiter Matrimonium infidelium solvi possit. §. 3
Qualiter Matrimonium fidelium solvi possit. §. 4
De tempore concesso conjugibus ad deliberandum de religionis ingressu. §. 5
De probationibus requisitis, ut Matrimonium contractum nullum esse judicetur. §. 6
De filiis gignendis, concupiscentiaque sedanda. *punct.* 3
De potestate petendi debitum, & obligatione reddendi, quam conjuges habent. *punct.* 4
Qualiter conjuges petere debitum possint, & teneantur reddere. §. 1
Qualiter conjugibus & sponsis liceant amplexus, oscula, & tactus impudici. §. 2
Qualiter conjuges uti matrimonio debent, ut à culpa immunes sint. §. 3
An ratione loci, & temporis impediantur conjuges à debiti petitione, & redditione. §. 4
An ratione cognationis spiritualis priventur conjuges debiti petitione, & redditione. §. 5
An ob affinitatem Matrimonio supervenientem impediantur conjuges à debiti petitione & redditione. §. 6
Qualiter voto castitatis emisso ante, vel post matrimonium impediantur conjuges à petitione redditioneque debiti. §. 7
Qualiter vorum non contrahendi Matrimonium, sacros Ordines suscipiendi, religionémve ingrediendi, impediat debiti petitionem & redditionem. §. 8
An certitudo, opinio, vel dubium de Matrimonii contracti nullitate impediat ejus usum. §. 9
Quibus in eventibus excuseris à debiti redditione. §. 10
An debitum iniquè petenti possis concedere. §. 11
De mutua conjugum habitatione & effectibus inde subsecutis. *punct.* 5
Obligantur conjuges ad mutuam habitationem. §. 1
Qualiter conjuges sibi invicem alimenta submini-strare debeant. §. 2
Obligantur conjuges se invicem corrigere. §. 3
De dissolutione Matrimonii quoad thorum & habitationem. *punct.* 6
An ex causa fornicationis dissolutio conjugalis habitationis fieri possit. §. 1
Quibus in eventibus non liceat conjugi ob adulterium commissum celebrare divortium. §. 2
An uxorem in adulterio persistentem teneatur innocens dimittere. §. 3
An propria authoritate possit innocens à conjuge adultero

adultero divertere, vel neceſſariò ſententia judicis requiratur. §. 4
Qualiter conjux innocens procedere debeat divortium judicialiter intentans. §. 5
Qualiter facto divortio propria authoritate, vel per ſententiam ſe gerere poſſit innocens. §. 6
An latâ ſententiâ divortii teneatur conjux dimittens reconciliari innocenti, quandocumque ipſe velit, ut liberum ſit illi Ordines ſuſcipere, vel religionem ingredi. §. 7
Qualiter ob hæreſim liceat Catholico conjugi divertere. §. 8
Qualiter ob alias cauſas, maximè ob ſævitiam, liceat facere divortium. §. 9
Facto divortio, an dos uxori reſtituenda ſit? & an apud ipſam ejuſque expenſis filii ſint educandi. §. 10
Qualiter religionis ingreſſu, vel Ordinis ſacri aſſumptione divortium inter conjuges fieri poſſit. §. 11
De ratificatione Matrimonii quod nullum fuit. *punct. 7*
Qualiter matrimonium nullum ex defectu veri conſenſus ſit ratificandum. §. 1
Qualiter revalidandum ſit matrimonium, nullum ob impedimentum dirimens. §. 2
An Matrimonium coram Parocho, & teſtibus celebratum, invalidum tamen ob occultum impedimentum, ſit iterum coram Parocho, & teſtibus celebrandum. §. 3

DISPUTATIO IV.

De Matrimonii impedimentis, eorúmque diſpenſatione.

PEnes quem ſit poteſtas ſtatuendi impedimenta tum impedientia, tum dirimentia. *punct. 1*
Quæ ſint impedimenta impedientia tantùm. *punct. 2*
Explicantur impedimenta impedientia non orta ex crimine. §. 1.
Expenduntur impedimenta impedientia ex crimine orta. §. 2
Quæ ſint impedimenta dirimentia, & quam obligationem inducant. *punct. 3*
Qualiter error perſonæ impedimentum præſtet Matrimonio contrahendo. *punct. 4*
De impedimento conditionis ſervilis. *punct. 5*
Qualiter conditio ſervilis Matrimonium impediat. §. 1
Qualiter ſervi invitis dominis Matrimonium contrahere poſſint. §. 2
Quibus in eventibus ſervus Matrimonium contrahendo libertatem conſequatur. §. 3
An filii conditionem patris, vel matris ſequantur. §. 4
Qualiter votum, & Ordo Matrimonium dirimant. *punct. 6*
De impedimento conſanguinitatis. *punct. 7*
De impedimento affinitatis. *punct. 8*
De impedimento cognationis ſpiritualis & legalis. *punct. 9*
De impedimento publicæ honeſtatis. *punct. 10*
De impedimento diſparis cultus. *punct. 11*
De impedimento criminis. *punct. 12*
De impedimento ligaminis. *punct. 13*
Qualiter conſtare debet de conjugis obitu, ut poſſit ſuperſtes aliud Matrimonium inire. §. 1
Qualiter pœnæ jure civili ſtatutæ fœminis, intra annum luctus ſecundò nubentibus, Jure Canonico correctæ ſint. §. 2
Quæ ſint pœnæ jure civili ſtatutæ in favorem filiorum prioris Matrimonii, & an hæ Jure Canonico abrogatæ cenſeantur. §. 3
Qualiter ſecundum Matrimonium contrahens teneatur reſervare filiis prioris Matrimonii bona, quæ à primo Matrimonio proceſſerunt. §. 4
Expenduntur caſus, in quibus conjux tranſiens ad ſecunda vota non tenetur reſervare filiis prioris Marrimonii bona, quæ ex conjugis prædefuncti ſubſtantia proceſſerunt. §. 5
An vidua fornicationem committens incidat in pœnas ſecundò nubentibus ſtatutas. §. 6
An pœnæ à teſtatore impoſitæ ſecundis nuptiis ſint jure Canonico correctæ, locumque habeant in conjuge fornicante. §. 7
De impedimenro impotentiæ. *punct. 14*
Quid, & qualis ſit impotentia ad Matrimonium. §. 1
Quæ impotentia impedimentum ſit Matrimonii contrahendi. §. 2
An impotentia reſpectiva impedimentum ſit Matrimonii contrahendi. §. 3
An impotentia ex defectu ætatis impedimentum ſit Matrimonii contrahendi. §. 4
An hermaphroditus impotens ſit Matrimonio contrahendo. §. 5
Qualiter impotentia perpetua impedimentum ſit Matrimonii contrahendi. §. 6
Qualiter dubia impotentia impedimentum ſit Matrimonii contrahendi, vel ſaltem illius uſus. §. 7
Qualiter conjugi tam potenti, quàm impotenti liceat adverſus Matrimonium proclamare. §. 8
Quæ probatio requiratur ut Matrimonium diſſolvi poſſit ob impotentiam. §. 9
A quo tempore triennium computandum ſit, & quales debeant eſſe matronæ de virginitate depoſituræ. §. 10
An conjux propria authoritate recedens ob alterius impotentiam ſit ſtatim reſtituendus. §. 11
Qualiter prius Matrimonium ob impotentiam diſſolutum reſtaurandum ſit. §. 12
De diſpenſatione impedimentorum Matrimonii. *punct. ult.*
Qui poſſint diſpenſare in impedimentis Matrimonii dirimentibus. §. 1
Quæ ſint cauſæ ob quas Pontifex in impedimentis Matrimonium dirimentibus diſpenſare licitè poſſit. §. 2
Quæ expreſſio falſitatis, vel veritatis ſuppreſſio vitiet diſpenſationem in Matrimonii impedimentis. §. 3

APPROBATIO.

NOs infra ſcripti Societatis JESU Theologi fidem facimus legiſſe hanc Quintam *Operis Moralis partem à R. P. Ferdinando de Caſtro-Palao, de eadem Societate noſtra Theologo elaboratam*; atque nihil in eâ comperiſſe, quod à Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ ſenſis, & à ſanâ ſanctorum Patrum doctrinâ foret alienum. Proinde dignam teſtamur, quæ in communem utilitatem typis mandetur. Lugduni, 27. Octobris, 1646.

CAROLUS DU-LIEU.

JOANNES FERRAND.

Facultas R. P. Provincialis Societatis JESU, *in Provincia Lugdunenſi.*

CLAUDIUS MAUCLER, Provincialis Societatis JESU, in Provincia Lugdunenſi, juxta Privilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maii 1583. Henrico IV. 20. Decemb. 1606. & Ludovico XIII. 14. Febr. 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab ejuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant: permittit Claudio Proſt, & Joanni Baptiſtæ Devenet, ut Librum cui inſcriptio eſt *Operis Moralis de Virtutibus & Vitiis contrariis in varios Tractatus & Diſputationes Theologicas diſtributi Pars quinta de Matrimoniis & Sponſalibus, authore P. Ferdinando de Caſtro-Palao, Legionenſi Societatis* JESU, Sacræ Theologiæ Profeſſore & ſanctæ Inquiſit. Qualificatore, & Conſultore, ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè divendere poſſint. Datum Lugduni 5. Novemb. 1646.

CLAUDIUS MAUCLER.

SUMMA PRIVILEGII REGIS.

CAutum eſt auctoritate Regis, ne quis in Regno ſuo aliiſve locis ſuæ ditioni ſubjectis intra decem proximos annos imprimat aut divendat Librum cui titulus eſt, R. P. FERDINANDI DE CASTRO-PALAO OPUS MORALE, ſeptem Tomis comprehenſum abſque GULIELMI BARBIER conſenſu mulctâ indictâ qui ſecus fecerit; prout fuſius in diplomate Regio continetur. Datum Pariſiis, die 18. Junii 1682.

De mandato Regis.

LE PETIT.

OPUS



OPUS MORALE
DE VIRTUTIBUS,
ET VITIIS CONTRARIIS,
QUINTA PARS,
De virtute Religionis, eíque annexis.

TRACTATUS XXVIII.
DE SPONSALIBUS
ET
MATRIMONIIS.

PROOEMIUM.

NE Opus hoc de Sacramentis mutilum, & imperfectum videatur, Matrimonii Sacramentum explicandum ſuſcipio, ſin minus ab eo abſtinerem contentus explicatione latiſſima & accuratiſſima edita à Thoma Sanchez; cùm vix ulla difficultas excogitari poſſit, quam ipſe ſatis prudenter, doctè, & ſecurè non diſſolverit; ejus tamen veſtigiis inhærens in quatuor Diſputationes hunc tractatum dividam. Prima erit de Sponſalibus. Secunda de Matrimonii eſſentia, & natura. Tertia de illius proprietatibus. Quarta de impedimentis, déque illorum diſpenſatione.

DISPUTATIO I.

De Sponſalibus.

PUNCTUM I.

De natura Sponſaliorum.

1 *A quo dicta ſint Sponſalia.*
2 *Triplicem habent ſignificationem ſponſalia?*
3 *Explicantur nomina conjugis, uxoris, & mariti, &c.*
4 *Qualiter ſub nomine mariti, uxoris, ſponſi intelligantur, vel è contra.*
5 *Definiuntur ſponſalia.*

1. SPONSALIA dicta ſunt à ſpondendo: nam moris fuit veteribus ſtipulari, & ſpondere ſibi futuras uxores teſte Juvenali Satyr. 6. *Conventum Eerd. de Caſtro Sum. Mor.* Pars V. *tamen pactum, & ſponſalia noſtra Tempeſtate paras.* Et tradit Ulp. *leg.* 2. *&* 3. *ff. de Sponſalib. & leg. ſponſio ff. de verborum ſignificat.*

2. Triplicem ſponſalia ſignificationem habent. Primò & minus uſitatè ſignificant munera ab ſponſo ſponſæ collata juxta *leg.* 1. *Cod. ſi nuptiæ ex reſcripto &* 1. *Reg.* 18. Non habet Rex ſponſalia neceſſe. Secundò & frequentiùs ſumuntur pro matrimonio de præſenti contracto copula non conſummato. *cap. tertio loco de præſumpt. cap.* 2. *& cap. fin. de ſponſa duorum, & cap. conjuges, cap. qui deſponſatam* 27. *quæſt.* 2. & Matthæi 1. *Cùm eſſet deſponſata Mater Jeſu, Maria Joſeph.* Tertiò communiter, & frequentiſſimè accipiuntur ſponſalia pro futuri matrimonii promiſſione *cap. noſtrates* 30. *q.* 5. *& leg.* 1. *de ſponſalib.* Unde qui matrimonium contrahere ſponderunt ſponſi propriiſſimè vocantur, plerumque tamen ſic nuncupantur qui matrimonio copulati ſunt, illudque non conſummaverint, quia illius conſummationem ſpondere cenſentur.

3. Prædictis ſponſis matrimonium de præſenti contrahentibus nomen conjugis, uxoris, & mariti adaptatur: tametſi hæc nomina propriiſſimè ſupponant pro iis qui matrimonium conſummarunt, uti latè probat Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *quæſtione ſecunda, articulo primo,* & Cobarub. *prima parte, de ſponſalib. capite primo, numero tertio,* (etenim cùm nuptias non concubitus, ſed conſenſus faciat) *leg. nuptias, ff. de Regul. juris*, meritò qui matrimonium contraxerunt, etſi illud non conſummaverint, nuncupari poſſunt vir, ſive maritus, uxor, & conjux, *cap. ſufficit, cap. omnes & aliis* 27. *quæſtione ſecunda, cap. conſultationi, cap. conjuges, De ſponſalib.* & expreſſiùs Matth. 1. *Jacob genuit Joſeph virum Mariæ.* Et ibi: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Sed an ſponſis de futuro prædicta nomina competant? Affirmant aliquando ſed rarò competere Thom. Sanchez *libro primo, de matrim. diſput prima, numero ſecundo.* Coninch. *diſput. vigeſima prima, dub* 1. & alii Moventur ex illo Geneſ. 29. ubi Jacob, Rachel ſibi promiſſam uxorem appellavit. *Da mihi* (inquit) *uxorem meam*: favetque textus *in cap juvenis, De Sponſalib. juncta gloſſa verbo conjux*, id eſt ſponſa, & textus *in leg. non ſine, Cod. de bonis quæ liberis* ubi ſub nomine uxoris ſponſa intelligitur. Sed hæc, ut rectè tradit Cobarub. *prima parte, de matrim. capite primo, numero quarto.* Gabr. Vaſquez *diſputatione quarta, de matrim.* Baſil. Ponce *libro duodecimo, capite primo, numero ſecundo*, non convincunt. Non enim Jacob uxorem appellavit Rachel pro eo tempore, quo nondum contractum erat conjugium, ſed pro futuro, in quo contrahendum erat, quaſi diceret, da mihi uxorem meam futuram. Textus verò *cap. juvenis* appellat puellam illam conjugem, & uxorem non ob conjugium, quod verè contractum ſit, quippe nullùm fuit, ſed quia fuit attentatum. Denique textus *in leg. non ſine* ad ſummum probat ad ſponſam contrahentem matrimonium per verba de præſenti nomen uxoris extendi, ſed non ad ſponſam de futuro, quinimo expreſsè ibi diſtinguitur uxor ab ſponſa de futuro, tametſi ſponſæ de futuro concedatur ex æquitate, quod uxori ibidem conceditur.

4. Ex hac doctrina etſi Sanchez *libro primo, ſponſal. diſputatione prima, numero ſecundo*, Coninch. *diſputatione vigeſima prima, dub.* 1. Gutierr. *libro tertio, canon. qq. de matrim. capite primo, à numero quinto*, & alii communiter inferant in favorabilibus ſub nomine uxoris, & mariti ſponſos etiam de futuro comprehendi poſſe juxta *leg. non ſine Cod. de bonis quæ liberis*, ubi ſtatutum diſponens, ut ea quæ uxor à marito quoad proprietatem acquirit ſibi, & non patri ſuo acquirat, extendatur ad ſponſos de futuro, non poteſt eſſe univerſaliter verum, ut apertè convincitur *ex cap. ſi vero de ſentent. excommunicat.* ubi ſecundùm communem ſententiam ab excommunicatione canonis, *Si quis ſuadente diabolo*, excuſatur verberans clericum turpiter agentem cum matre, ſorore, uxore, & filia; quæ tamen diſpoſitio etſi favorabilis ſit ad verberantem clericum turpiter agentem cum ſponſa de futuro non extenditur, ut ipſe Sanchez Gutierr. & Coninch. affirmant. Secùs ſi ſponſa de præſenti fuerit, tametſi à marito non cognita. Neque prædictus textus *in leg. non ſine*, contrarium probat, cum non ad ſponſam futuri conjugii, ſed præſentis extendenda eſt. Quocirca (ut rectè tradit Cobarub. *de matrim. 1. p. cap. 1. num. 4.*) quoties aliqua diſpoſitio dubia eſt, qualiter nomen ſponſi, viri, mariti, uxoris, & conjugis ſumendum ſit, præſumi debet, niſi contrarium colligatur, ſumptum eſſe ſecundum communem, & frequentiorem uſum, ita ut nomen ſponſi ad ſponſos de futuro conjugio, & nomen mariti, & uxoris ad conjuges de præſenti referatur, quia verba ſtatuti, legis, & diſpoſitionis ſemper quoad fieri poteſt intelligenda ſunt propriè, *leg. 3. §. hæc verba ff. de negotiis geſtis cap. in noſtra. De injuriis.*

5. Igitur ſponſalia in tertia illa ſignificatione ſumpta definiuntur à Doctoribus futurarum nuptiarum mutua promiſſio, *cap. noſtrates 30. quæſt. 5.* Et licèt in hoc textu particula *mutua* non inveniatur, omnino tamen addenda eſt, ut colligitur *ex leg. de ſponſalib.* ubi ſponſalia vocantur futurarum nuptiarum repromiſſio, & ſatis inſinuatur *in cap. præterea, cap. de illis, cap. ſponſam, De ſponſalib. & alibi ſæpè*, & fortè ob hanc cauſam ſponſalia in numero plurali dicuntur, quia continent duplicem promiſſionem. Debet inſuper hæc mutua promiſſio utrique contrahenti innoteſcere; aliàs non poterit unus alteri repromittere. Tandem eſt promiſſio futurarum nuptiarum, quia ex promiſſione non celebrantur nuptiæ, ſed promittuntur celebrari, ideoque promittentes, quia ſe invicem promittunt, promiſſi dicuntur. Quæ omnia Valen. *diſputatione decima, generali quæſtione ſecunda, parte prima*, & Toletan. *libro ſeptimo ſumm. capite ſecundo*, ſua definitione comprehenderunt dicentes, ſponſalia ſunt mutua promiſſio futuri matrimonii ſigno aliquo ſenſibili expreſſa, uti in ſequentibus declarabimus.

PUNCTUM II.

Qualis debeat eſſe promiſſo cujuſvis contrahentis ut ſponſalia conſtituat?

1 *Debet eſſe promiſſio directa de matrimonio contrahendo.*
2 *Qualiter promiſſio vera, non ſimulata requiratur.*
3 *Deciditur quæſtio, an deflorans virginem ſpe fictæ promiſſionis teneatur ducere.*
4 *Libera debet eſſe promiſſio nuptiarum.*
5 *In ſomno, furore, amentia, & ebrietate contrahi non poſſunt ſponſalia.*
6 *Sponſalia metu cadente in conſtantem virum qualiter valida ſint. Reſpondetur remiſſivè.*
7 *Item ſponſalia debent eſſe circa perſonam determinatam.*
8 *Item promiſſio verbis, vel ſignis exprimi debet. Et quæ verba, vel ſigna requirantur.*
9 *Item debet eſſe promiſſio mutua.*
10 *An obligari poſſis ad ducendam puellam illa non te obligante? Negant aliqui.*
11 *Verius eſt oppoſitum.*
12 *Satisfit oppoſito fundamento.*
13 *Quid ſi puellæ promittas nullam aliam ducturus præter ipſam. Examinatur, an ſint ſponſalia.*
14 *Deciditur an ex promiſſione gratuita obligeris ſub mortali adimplere.*
15 *Aliqui ad validam promiſſionem ſponſaliorum requirunt, ne clandeſtinè fiat: Sed contrarium eſt verius.*

1. CONſtat ex præcedenti Puncto, debere eſſe promiſſionem directam de matrimonio contrahendo. Sed qualis debeat eſſe promiſſio, ut ſponſalia conſtituat, & obligationem inducat, variant Doctores.

2. Primò requiritur promiſſio vera non ſimulata. Simulata promiſſio tripliciter eſſe poteſt. Primò ſi careas animo promiſſum exequendi. Secundò ſi nolis ea promiſſione ullam tibi obligationem imponere. Tertiò ſi nolis promittere, ſed promiſſionem diſſimulare. Et quidem omnes Doctores conveniunt ob voluntatem non adimplendi promiſſum ab obligatione promiſſionis te non excuſari, ſi animum habeas promittendi & te obligandi, quia hæc obligatio non ex voluntate exequendi promiſſionem, ſed ex natura promiſſionis naſcitur, quæ ſicut obligat promiſſum exequi, obligat illius exequendi voluntatem habere. Secundum autem, & tertium in idem coincidunt. Nam cum de eſſentia promiſſionis ſit obligare promittentem, ut promiſſum præſtet, ne infidelis exiſtat, nequis habere animum promittendi abſque animo te obligandi, vel è contra nequis carere animo te obligandi, & retinere animum promittendi.

promittendi. Quæstio igitur est, an si verbo tenus promittas puellæ matrimonium carens animo te obligandi, vel promittendi maneas obligatus ? Affirmant Petrus de Ledesm. *de matr. q.43. art.1. dub.2.* Vasq. *disp.6. de matr. cap.3. n.27.* Basil. *lib.12. cap.2.* Gutierr. *lib.3. canon. qq. de matrim. cap.9. in princ.* Moventur, quia quantumcumque simules promissionem ab ea animum promittendi, aut te obligandi excludens, verè, & in rigore offers fidem de matrimonio contrahendo, quippe hæc obligatio solis verbis constituitur. Ergo manes obligatus saltem ex fidelitate promissis stare. Quòd autem etiam ex justitia obligeris, inde convinci potest, quia sub ea fide data accipis à contrahente veram, & absolutam promissionem, quam nullatenus ipse præstaret, si jus justitiæ non obtineret ad repromissionem sibi factam.

Contrarium aliis relatis defendit Thom. Sanchez *lib.1. de matr. disp.9. num.2.* Lessius *de justit. cap.18. dub.1. n.5. & cap.40. dub.1. n.6.* Coninch. *disp.21. dub.2. concl.1.* Laym. *lib.5. tract.10. p.1. cap.1. n.10.* Præterea quod nulla lex obligare potest, nisi legislator velit, cùm autem promissio sit quædam privata lex, quam sibi promittens imponit, si ipse nolit sibi obligationem imponere, nulla erit obligatio. Deinde conditio contraria matrimonii contractui reddit contractum nullum, uti constat ex *cap. ultim. de conditionibus appositis.* Sed nolle se obligare ad promissa implenda, est conditio sponsalibus contraria. Ergo reddit sponsalia nulla.

Cæterùm utramque sententiam conciliare potes, si affirmes priorem veram esse de obligatione fidelitatis, secundam de obligatione justitiæ, ac proinde sponsalia contracta animo non promittendi, vel non se obligandi vera sponsalia non esse, utpotè quæ obligationem justitiæ non indicunt. Et quidem illam externam promissionem obligationem fidelitatis promittenti indicere, manifestè convincit ratio superius adducta, quippe hæc obligatio jure ipso naturali nascitur ex fide alteri data de re sibi utili præstanda, quia jus ipsum naturale obligat, ut verum facias, quod facturum esse alteri promisisti. Est enim latum discrimen inter propositum, & promissionem de matrimonio contrahendo, nam propositum nullam obligationem in futurum inducit, sed contentum est veritate præsenti. At promissio non solùm exigit præsentem voluntatem exequendi promissum, sed ad ipsam executionem obligat promittentem, aliàs reputabitur infidelis. Quare in nullius potestate est verbis externis promittere & nolle se obligare ex fidelitatis virtute ad promissa exequenda, sicuti nemini conceditur affirmare exterius aliquam propositionem, quin obligetur ad veritatem dicendam. Quod verò ex illa simula promissione non oriatur obligatio ex justitia sic probo, quia jus justitiæ non confers solis verbis, sed præcipuè voluntate, & intentione, qua jus quod habes intendis à te abdicare, & alteri concedere. At cùm promittis matrimonium absque intentione te obligandi, ad minus intendis non transferre in promissarium jus quod à tua voluntate pendet. Ergo non manes ex justitia obligatus. Neque obstat quod alius verè, & absque fictione promittat : quia eam promissionem tu non acceptas, esto simules acceptare.

3. Hinc decidenda est quæstio. An deflorans virginem spe fictæ promissionis tenearis eam ducere ? Non est dubium te obligatum esse ad damnum illatum satisfaciendum, quando ipsa deceptionem non percipit. Etenim si probabiliter præsumi potest ipsam cognovisse deceptionem, nulla nec justitiæ, nec fidelitatis obligatione astringeris, ut benè notavit Sanch. *libro primo, disputatione decima, numero quinto.* Vasquez *disputatione sexta.* Basil. Ponce *libro duodecimo, de sponsalibus, capite secundo, numero vigesimo sexto* ; quia eo casu nulla est deceptio, nec promissio. Stante verò deceptione obligatus es dotem ita augere, ut æquè bene nubere possit, ac si defiorata non esset, quia injustè hoc damnum intulisti : Quod si nec dotis augmento, nec alia via quàm matrimonio damnum illatum reparare potes, teneris sanè eam ducere, ut rectè notavit Coninch. *disputatione vigesima secunda, dubit.6. concl.* 5. Layman. *libro quinto, tractatu decimo, capite primo, numero decimo.* Difficultas autem est, an ad matrimonium contrahendum determinatè astringaris ? Negat Bartholom. de Ledesm. *dub.19.* te astringi, quia solùm astringi poteras vel ex promissione, vel ex damno illato. Ex promissione autem non teneris, quia ea non intendis jus aliquod in promissarium transferre ; ex damno illato, solùm ad illius compensationem obligaris. Ergo si hæc compensatio alia via quàm matrimonio fieri potest, ad matrimonium obligandus non es.

Omnino dicendum existimo, quoties mulier occasionem non habuit percipiendæ deceptionis (ex solo enim excessu nobilitatis, aut divitiarum percipi satis non potest, cum multi viri fœminis infimæ notæ inæqualisque conditionis copulentur, uti benè notavit Basil. Ponce *libro duodecimo, de sponsalib. capite secundo, circa finem numero decimo quinto*) te obligatum esse ad matrimonium, tametsi damnum alia via compensare possis, quia acceptasti copulam, quæ tibi sub conditione matrimonii contrahendi, & non aliter concessa fuit. Ergo ex ratione copulæ acceptatæ teneris matrimonium contrahere, sicuti obligatus esses domum tradere pro qua pretium accepisti, & consumpsisti. Atque ita docent ex communi sententia Sylvest. *verbo luxuria quæstione quinta.* Armilla *numero secundo* Rodrig. *tom.2. Sum. capite* 108. *conclus.8.* Molin. *tractatu tertio, disputatione* 106. *numero* 4. Lessius *libro 2. capite decimo, dubit.3.* Sanch. *lib.1. disput.10. num.3.* Vasq. *disp.6. de Matrim.* Basil. Ponce *libro 12. capit 12. circa finem.* Neque ab hac obligatione excusari potes ex eo quod protestationem feceris (ignorante puella) te solum ob illam decipiendam, non autem ob contrahendum matrimonium promittere : quia ipsa copulæ acceptatione hanc protestationem elidis, vel saltem eam elidere teneris, siquidem copulam tanquam pretium obligationis contrahendæ acceptasti, à qua acceptatione resilire non potes, ac proinde nequis resilire ab obligatione contrahendi matrimonii, ob quam data, & accepta est. Adde in foro externo non obstante protestatione compelleris stare promissis : ergo etiam in foro conscientiæ compellendus es, cùm forum internum semper externo conformetur, quoties falsæ præsumptioni nititur, ut aliis relatis docet Sanch. *lib.1. disp.5. n.20. post med.*

4. Secundò requiritur, ut promissio nuptiarum vera sponsalia constituat, libera sit libertate sufficiente ad meritum, & demeritum, quia est actus humanus humanam obligationem inducens. Quare si furor, ebrietas, aut iracundia non adimunt prædictam plenam libertatem, obligationem sponsalium non impedient, uti benè docent Navarr. *capite decimo octavo, numero septimo.* Sanch. *libro primo, de Matrim. disput.8.* Vasq. *disp.5. cap.1.* Coninch. *disp.21. dub.2. num.18. concl.6.* Molin. *de justit. disp.267. in princ.* Gutierr. *de matr. cap.7. à n.5.* & alii plures. Neque his obstat reg. juris *quidquid calore iracundiæ ff. de Regul. juris, leg.3. ff. de divortiis cap. divortium de pœnitent. dist.1. cap. si quis iratus, 2. q.3.* Quibus cavetur factum calore iracundiæ non prius ratum esse, quam si perseverantia secuta apparuerit judicium animi fuisse. Non inquam obstant, quia hæc de foro externo, & in specialibus casibus loquuntur, in quo factum calore iracundiæ ratum non est judicandum ob dubium, & ambiguitatem, nisi ex ipsamet perseverentia colligatur judicium animi fuisse, cùm factum fuit. Neque item obstat lex *licitatio ff. de Publican. & Vectigalib.* ubi locatio vectigalium,

quam licitator calore iracundiæ ultra modum auxit rata non cenſetur, quouſque ſedata iracundia paratus ſit fidejuſſores dare. Quia in hoc caſu ſpecialiter eſt ſtatutum, ne ſic pollicitantes advertentes poſtmodum non lucrum, ſed grave damnum ex locatione illis proventurum cum publica pecunia aufugiant, ut benè notavit Coninch. *diſput.21. dub.2. concl.3. num.14.*

5. Ex his infertur in ſomno, furore, amentia, & ebrietate, quæ plenum uſum rationis impediant, nullatenus ſponſalia contrahi poſſe, ut colligitur ex can. *Neque furioſus* 32. *q.7. cap. dilectus de ſponſalib. & leg.3. tit.2. part.4.* Quod adeò verum eſt, ut etiamſi ante eam amentiam, vel ebrietatem conſenſeris, adhuc nequis in amentia ſponſalitium contractum celebrare, quia nequis celebrare contractum, qui in ſe liber ſit; at cùm obligatio ſponſaliorum ex ipſomet contractu oriatur, & non ex voluntate illum celebrandi, neceſſariò exigit contractum in ſe liberum. Neque obeſt, quod ad recipienda Sacramenta intentio virtualis ſufficiat, quia id ex benignitate Chriſti factum eſt ob fidelium utilitatem. Præterquam quod minus requiritur ad recipiendum, quàm ad agendum. Neque item prædictis adverſatur, quòd extra amentiam contrahere ſponſalia poſſis ſub aliqua conditione in amentia contingenti, quia eo caſu non contrahuntur ſponſalia in amentia, ſed extra, tametſi conditio contingens in amentia requiratur, ut ſponſalia antea contracta obligationem abſolutam, & perfectam habeant, ut benè notavit Coninch. *diſputatione 21. dub.2. concl.6. num.19.*

6. Solùm eſt difficultas de ſponſalibus metu cadente in conſtantem virum celebratis, an valida ſint? Sed de his egi *tract.2. de peccatis, diſp.1. p.9. num.3.* Nam eſto jure poſitivo per ſe, & immediate non irritentur, ex irritatione tamen matrimonii coacti irrita videntur, quippe obligari non potes per coactionem ad contrahendum matrimonium: ſi autem ſponſalia coacta te obligarent, obligatus ex coactione eſſes ad matrimonium. Non igitur ſponſalia per coactionem celebrata valida eſſe poſſunt.

7. Tertiò debet eſſe promiſſio circa perſonam determinatam, uti ex communi ſententia tradunt Sanch. *lib.1. diſp.26. num.2.* Coninch. *diſp.21. dub.2. concl.4.* Baſil. Ponce *lib.12. cap.5. num.5.* Nam cùm matrimonium contrahi neceſſariò debeat cum unica tantùm perſona determinata, nequis ad contrahendum matrimonium obligari, quouſque obligeris ad contrahendum cum perſona determinata. Quapropter ſi promittas cum una ex filiabus Petri matrimonium contrahere, ipſæque tibi repromittant, ex hac promiſſione ſponſalia non conſurgunt, quia non es obligatus unam potiùs, quàm aliam eligere, ſed ſunt ſponſalia conditionata, pendentia inquam à tua electione tanquam à conditione.

8. Quartò, requiritur promiſſio verbis, vel aliis ſignis ſufficienter expreſſa. Nam cùm hæc promiſſio ſit, virtute cujus alius repromittere debet, neceſſariò ei debet innoteſcere; aliàs moveri nequit ad repromittendum. Quinimo exiſtimo veriſſimum tam jure poſitivo, quàm naturali promiſſionem alteri ignotam obligatoriam non eſſe, quia comparatione illius non eſt promiſſio, cùm non ſit locutio, ac proinde obligationem fidelitatis in promittente inducere non poteſt: ſicuti docet Sanch. *lib.1. diſp.3.* Vazq. *diſp.4. num.34.* Coninch. *dub.2. concl.17.*

Quod ſi roges quæ verba, vel ſigna requirantur ad ſponſalia contrahenda? Facilè reſpondetur nulla eſſe determinata, ſed ea ſufficere, quæ conſenſum internum ſatis expreſſerint. Conſenſus autem internus exprimi poteſt quinque modis, uti notavit Gutierr. *de matrim. cap.3. num.1.* de quibus infrà.

9. Quintò promiſſio mutua debet eſſe, ut ſponſalia conſtituat, quia eſt utriuſque obligatio, uti conſtat ex *leg.1. ff. de Sponſalib.* & tradunt omnes. Quare ſi promittas puellæ matrimonium animo contrahendi ſponſalia, ipſa verò non repromittat, neque ipſa, ne tu contrahis ullam obligationem, ſicuti docent ex communi Navarr. *cap.22. num.25.* Henriq. *lib.11. cap.23. num.2.* Molin. *tit.2. diſp.263. verſ.quarto.* Vazq. *de matrim. diſp.4. capite 3.* Sanch. *lib.1. diſp.5.* Et quidem puellam non contrahere ullam obligationem apertum eſt, cùm ipſa noluerit ſe obligare, & actus non operantur ultra agentium intentionem argum. *cap.ult. de præbendis.* Tu verò noluiſti obligari niſi obligatione ſponſalitia, quæ eſt mutua, & reciproca. Ergo hac obligatione ſublata, quia puella obligationem non contraxit, tu ab obligatione liber exiſtis.

10. Difficultas ergo eſt, an poſſis gratis, & liberaliter obligari ad contrahendum cum puella, quæ viciſſim ſe tibi non obligat, ſed ſolùm promiſſionem tuam acceptat; Negant Vazq. *diſp.4. cap.3.* & Baſil. Ponce *lib.12. cap.4. num.2.* Moventur, quia hæc obligatio non eſt ad donàndum tuum corpus alteri, ſed ad mutuandum cum corpore alterius. Ergo puella acceptans tuam obligationem, acceptat mutuationem, ac proinde tacitè ſe obligat ad ſuum corpus tibi tradendum. Et confirmo nequis puellæ te tradere, quin ipſa ſe tibi tradat, ergo nequis obligari ad te illi tradendum, quin ipſa obligetur ſe tibi tradere, quia obligatio unius videtur ex alterius obligatione pendere.

11. Nihilominus verius exiſtimo te obligari poſſe puellæ ad illam ducendam, quin ipſa obligata ſit, ſic docuit Sanc. *lib.1. diſp.5. num.12.* Layman. *lib.5. tract.10. 1.p. cap.1. n.2.* Gutierr. *de matr. cap.5. à n.1.* Moveor, quia nulla in hac obligatione videtur implicatio, nam eſto contractus matrimonii ſit contractus mutuus, ita ut non poſſis te alteri tradere, quin ipſe ſe tibi tradat, ſicuti non potes venditionem equi celebrare, quin emptor pretium concedat; at optimè potes obligari ad matrimonium contrahendum, quin ipſa puella ſe tibi obliget, quia obligaris contrahere, ſi puellæ placuerit, ſicuti poteſt obligari ad vendendum equum, ſi emptor voluerit, quamvis emptor nullam emendi obligationem habeat.

12. Hincque ſolutum manet fundamentum oppoſitum: fateor namque tuam obligationem non eſſe ad donandum tuum corpus, ſed ad mutuandum, puellamque acceptantem obligationem, acceptare mutuationem, ſed quia illam acceptat non imponendo ſibi obligationem, ſed libertatem retinendo, ut mutuationem præſtet, & matrimonium celebret quando ſibi placuerit, ea de cauſa obligata non eſt, tametſi tu obligatus exiſtas. Ad confirmationem dico te poſſe obligari, quin puella obligetur, quia ex puellæ obligatione tua non pendet.

03. Sed quid dicendum, ſi puellæ promittas nullam aliam ducturus præter ipſam, ipſaque promiſſionem acceptet? Plures Doctores apud Gutierr. *lib.1. canon. quæſt. cap.21. num.13.* & Sanch. *diſp.19. num.5.* cenſent ſponſalia conſtitui, ſi puella eandem promiſſionem præſtiterit, eo quòd exceptio ab illa negatione ſit affirmatio, ita ut faciat hunc ſenſum, te ducam, & nullam aliam; juxta illud Luc.11. *Signum non dabitur ei niſi ſignum Jonæ Prophetæ*, id eſt, ſignum Jonæ Prophetæ dabitur ei, ſed nullum aliud. Cæterum verius cenſeo prædictis verbis ſponſalia non conſtitui, quia ſecundùm communem acceptionem, niſi contrarium conſtet, non præſtant ſenſum abſolutum affirmativum, ſed conditionalem, hoc eſt, ſi aliquam ducturus ſim, te ducam, & non aliam, ex qua promiſſione abſolutè non aſtringor ad tecum matrimonium contrahendum, ſed ſolùm ex ſuppoſitione quod matrimonium velim contrahere, ſicuti cùm promitto non alienaturum fundum extra familiam, non venditurum domum niſi tibi, non obligor ad alienandum, vel vendendum abſolutè, ſed obligor

caſu

casu quo alienare, vel vendere velim, ne extra familiam alienem, & ne alteri vendam quàm tibi, uti probat res *in leg. si sterilis, §. si tibi, ff. de actionib. empt.* ibi si ita fundum tibi vendidero, ut nulli alii quàm mihi venderes, actio eo nomine ex vendito est, si aliis vendideris. Atque ita tradunt Cobarub. *2.part. epit. cap.4. §.1. num.8.* Navarr. *conf.7. de sponsal. edit.2.* Gutierr. *lib.1. canon. qq. cap.21. n.13. & de matr. cap.3. à n.13.* Henriq. *lib.11. cap.12. num.7.* Sanch. *lib.1. disp.19. num.5.* Coninch. *disp.21. dub.3. num.29.* Laym. *tract.10. cap.1. num.2.*

14. Superest tamen difficultas, an ex prædicta obligatione gratuita absoluta obligaris sub mortali ad ducendam puellam, si ipsa velit, & ex obligatione illa conditionali non ducendi aliam nisi Floram, obligatus sis sub mortali ad Floram ducendam, casu quo matrimonium celebrare intendis?

Qua in re est triplex sententia. Prima negat te sub mortali esse obligatum: sic docet generaliter de qualibet promissione simplici acceptata Caiet. 2. 2. *q.113. art.1. dub.4. & in sum. verbo perfidia, ubi* Armilla *num. unico.* Sotus *in 4. dist.20. quæst.2. art.2. ante §. at verum.* Franc. Garcia *de contractib. 1.p. cap.3.* Henriq. *lib 11. de matr. cap.15. n.2. & lib.13. de excommunicat. cap.17. num.5. & 6.* & probabilem reputat Ledesma *de matr. quæst.47. art.5. dub.2. concl.1. & in sum. ubi de matrim. cap.3. fol.32.* Moventur, quia ex promissione simplici acceptata comparatione hominum nulla alia obligatio nascitur, quàm fidelitatis, & veracitatis, sed hæc solùm obligat sub veniali, quia solùm obligat, ut tua facta dictis, & promissis conformes, ne hominem cui fidem dedisti decipias, in qua deceptione seclusis aliis circunstantiis extrinsecis non videtur gravis deformitas, sicuti non est in enuntiatione mendosa proximo non præjudicante. Notanter dictum est comparatione hominum, quippe comparatione Dei promissio simplex quæ votum est, non te obligat ad promissorum executionem ex fidelitate, & veracitate tantùm, siquidem Deum decipere non potes, sed te obligat ex religionis virtute, utpote qui in Dei cultum, & honorem promissionem fecisti. Negare autem honorem, & reverentiam gravem Deo debitam, gravis est irreverentia, & quasi Dei contemptus, ideoque mortale constituit, secus est in promissione simplici homini facta, quæ non est facta in ejus cultum, & honorem, tametsi in ejus utilitatem facta sit.

Secunda sententia, quam verissimam existimo, affirmat ex simplici promissione acceptata materiæ gravis, qualis est matrimonii contrahendi obligationem sub mortali nasci. Sic docent Navarr. *cap.18. num.6.* Cobarub. *de pactis 2.p. §.4. num.13.* Navarra *lib.2. de restit. cap.2. num.7. edit.2.* Thom. Sanch. innumeros referens *lib.1. disp.5. num.20.* Gutierr. *de matr. cap.5. num.9.* Vasq. *disp.5. num.13.* Basil. Ponce *lib.12. cap.4.* Ratio præcipua est, quia ex vi prædictæ promissionis conceditur promissario jus exigendi promissum. Ergo signum est non ex fidelitate, sed ex justitia promittentem esse obligatum; quippe fidelitas nullum jus promissario concedit, sed promittentem arctat ob honestatem quæ reperitur in eo quod facta dictis conformia sint, Quod verò ex simplici promissione acceptata jus concedatur promissario exigendi quod sibi promissum est probat tex. *in cap.1. & cap. qualiter de Pactis, & leg.2. regia tit.16. lib.5. novæ collect.*

Hæc sententia procedit casu quo promittens promissionem præstiterit secundùm illius naturam; secùs si promissionem restrinxerit intendens solùm ex honestate, & fidelitate obligari. Et ob eandem causam dixit lex regia. 2. pareciendo que alguno sequiso obligar: uti notavit Sanch. *d. disp.5. num.21.* Gutierr. *cap.5. num.10.* Sed dubium est, quando censearis promissionem restringere, ne ex ea ultra fidelitatem obligeris. Cui dubitationi respondeo. In foro conscien-

tiæ tuæ declarationi standum est. Si enim nullam restrictionem feceris censendus es promisisse secundùm naturam promissionis, quæ ex se jus justitiæ promissario concedit, uti colligitur ex Sylvest. *sum. verbo pactum quæst.4.* Navarr. *cap.18. num.6.* Matienzo *lib.5. collect. tit.16. l.2. gloss.1. num.11.* Sanch. *disp.5. n.22.* Gutierr. *cap.5. de matr. num.12.* At in foro externo quoties promissionis gratuitæ causam non exprimis, præsumeris ex errore promisisse, dum contrarium non constat, ideoque esto promissio subsistat, promissario tamen non concedit jus exigendi promissum, sed exceptione doli excipi potest, ut habetur, *leg.2. §. circa, ff. de doli mali, & metus except. & ibi gloss.*, & pluribus exornat Gutierr. *de juram. confirmat. 1.part. c.47. num 1.* Thom. Sanch. *disp.5. num.22.*

15. Tandem aliqui ad validam promissionem sponsalia constituentem, requirunt, ne clandestinè fiat, sic Joann. de Segura *in director. judic. Ecclesiast. 2.part. cap.15. n.6. & seqq.* Albornoz *de arte contractus lib.4. tit.1.* Matien. *in rub tit.1. gloss.1. num.15. in princ. & num.50. in fine, lib.5. novæ collect.* Alii prædictam conditionem requirunt ut licitè fiant. Sylvest. *verb. matr.6. quæst.7. dicto 5. & 6.* Armilla *verb. sponsal. n.14.* Caiet. *eodem.* Moventur primò, *ex leg. oratio, ff. de sponsalib. & leg si quis tutor. vers. quamvis, ff. de ritu nuptiarum.* In quibus facta prohibitione matrimonii sponsalia prohibita censentur. Sed matrimonium prohibetur fieri clandestinè à Trident. *sess.24. de reform. matrim. cap.1.* Ergo & sponsalia. Secundò prohibita aliqua re prohibentur ea quæ fuerint media ad illius consecutionem, ergo prohibito matrimonio prohibentur sponsalia. Tertiò ex sponsalibus clandestinis solent lites, copulæ incestuosæ, aliaque inconvenientia oriri, ob quæ matrimonia clandestina fuerunt à Concilio annullata. Ergo censenda sunt annullata sponsalia.

Cæterùm omnino tenendum est ad validam, & licitam promissionem sponsaliorum nullam publicitatem requiri. Sic plures referens Sanch. *lib.1. disp.13.* Gutierr. *de juram. confirm.1. cap.51. & de matr. cap.4. à n.1.* Coninch. *disp.21. dub.1. concl.6.* Basil. Ponce *lib.12. cap.5. num.6.* sæpeque declaratum est à sacra Congregatione teste Farinac. & Barbos. *in prædicto loco Concilii.* Ratio est manifesta, quia nec jure naturali, ut de se constat, nec positivo prædicta sponsaliorum promissio clandestinè celebrata est invalida, aut illicita. Nam omnes has nuptias clandestinas prohibentes non de nuptiis futuris, sed præsentibus, atque adeo de matrimonio loquuntur. Ex prædicta autem irritatione, aut prohibitione non infertur sponsalia prohibita esse, utpote quæ sunt omnino distincta, & in quibus non adsunt inconvenientia, quæ ex matrimonio clandestino, voluit Trident. vitare. Ex quibus illud erat præcipuum, relicta propria uxore qua cum quis clandestinè contraxit, in perpetuo adulterio cum alia perseveret. Quod verò aliquando ex sponsalibus clandestinis oriatur aliquod inconveniens, id solum probat dissuadenda esse, non tamen quod sint per se illicita.

Neque fundamenta contrariæ sententiæ sunt alicujus momenti. Ad primum dico prohibito matrimonio clandestino prohiberi sponsalia de celebrando matrimonio sub ea conditione, secus de celebrando matrimonio non clandestinè: sed publicè. Nunquam autem ex vi prædictæ prohibitionis censentur sponsalia clandestina prohibita, quia clandestina sponsalia non inferunt matrimonium clandestinum, neque ad illius consecutionem sunt media, per quæ solutum est secundum argumentum. Ad tertium constat ex probatione nostræ sententiæ.

Punctum III.

De acceptatione requiſita, ut promiſſio ſponſalia conſtituens vim obligandi habeat.

1 *Negant aliqui requiri acceptationem.*
2 *Verius eſt oppoſitum.*
3 *Aliqui limitant in promiſſione infanti facta. Sed rejiciuntur.*
4 *Qualiter promiſſio abſenti facta intimari debet, ut acceptari intelligatur?*
5 *An acceptatio promiſſarii innoteſcere debeat promittenti? Sub diſtinctione reſpondetur.*
6 *Examinatur an poſſit ſtipulari qui non habet ſpeciale mandatum? ſub diſtinctione reſpondetur.*
7 *Cenſeatur ne puella repromittere, ſi tuam promiſſionem de matrimonio acceptet. Affirmant aliqui.*
8 *Verius eſt oppoſitum.*

1. ALiqui Doctores cenſent, ut promiſſio matrimonii valida ſit, & obligatoria non indigere acceptatione promiſſarii. Sic docuit Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 18.* Armilla *ſponſalia, num. 3.* Tabiena, *quæſt. 3. num. 4. fine.* Moventur, quia promiſſio ad ſui valorem non requirit acceptationem jure naturali, ſiquidem ſecluſa acceptatione promittens implere promiſſum debet, ut fidelis exiſtat, & ſuis verbis facta conformet, neque etiam jure poſitivo, nam eſto jure communi acceptatio neceſſaria videatur ad promiſſionis firmitatem, *leg. abſenti, ff. de Donationib.* At jure canonico cui in hac parte ſtandum eſt, non videtur neceſſaria. Nam in text. *in cap. veniens. Qui clerici, vel voventes*, promiſſio abſenti facta ſtatuitur valida, cùm tamen ibi nullius acceptationis mentio fiat. Cui deciſioni favet lex regia Caſtellæ *2. titul. 16. lib. 5. recop.* ibi: pariçundo que alguno le quiſo obligar à otro por promiſion, o por algum contrato, o en otra maneta ſea tenido de cumplir, y no pueda poner excepçion, que nofve echa eſtipulaçion, oque fue ecbo el contrato entre abſentes, &c.

2. Nihilominus acceptationem ita neceſſariam eſſe, ut illa ſecluſa promiſſio matrimonii alteri facta nullam firmitatem habeat, ſed revocari pro libito promittentis poſſit, docent communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Sanch. *lib. 1. diſp. 6. num. 24.* Vaſq. *diſp 4. num. 42.* Coninch. *diſp. 22. num. 39.* Baſil. Ponce *lib. 12. de matr. cap. 4.* & alii communiter. Colligiturque *ex leg. 1. ff. de Pactis, & §. in his inſtit. de empt. & vendi.. leg. contractus Cod. de fide inſtrumentor. leg. 2. ff. de actionib. & obligat.* & aliis: quibus juribus cavetur ex nullo contractu obligationem oriri poſſe, niſi mutuus duorum conſenſus accedat, ac proinde quin promiſſarius promiſſionem ſibi factam acceptet, & gratam habeat. Ratio verò eſt, quia ex vi prædictæ promiſſionis neque obligari potes ex fidelitate, neque ex juſtitia, ex quibus ſolis obligatio oriri poteſt: non ex fidelitate, nam hæc obligat promittentem exequi promiſſum, ſi promiſſarius velit, dum autem promiſſarius non acceptat, voluntatem non habet, ut ibi promiſſum concedatur. Ergo ex fidelitate nulla eſt obligatio. Deinde nullus ex fidelitate tenetur promiſſum exequi, ſi promiſſarius promiſſionem remittat, vel nihili æſtimet; at dum promiſſarius non acceptat, promiſſarius cenſetur nihil promiſſum æſtimare, ergo, &c. Quod autem ex juſtitia non obligeris inde conſtat, quia hæc obligatio naſci non poteſt niſi ex jure in promiſſarium tranſlato: at jus nemini acquiri poteſt illo ignorante; & forte renuente. Ergo ſecluſa acceptatione obligatio ex juſtitia eſſe non poteſt.

Quæ omnia procedunt tametſi promiſſio juramento firmetur, quia juramentum cùm acceſſorium ſit ſequitur naturam principalis cui adhæret, atque adeò imbibit conditionem, donec fuerit à promiſſario promiſſio acceptata, ſicuti docent Sanch. *diſp. 7. de ſponſalib. num. 24. 25. & 39.* Gutierr. *de matr. cap. 6. num. 26.* Ex quibus ſolutum eſt fundamentum oppoſitum.

Ad textum *in cap. veniens* reſpondeo cum gloſſa *ibi verbo promiſit*, Joann. Andr. *num. 1.* Hoſtienſ. & Ancharran. factam fuiſſe acceptationem per interpoſitam perſonam, quæ mandatum habebat, aliàs nihil eſſet. Ad legem noſtri regni reſpondeo ibi non excludi acceptationem, ſed formam ſtipulationis antiquæ, quâ non obſtante ſi acceptatio interceſſit, obligationem promiſſio parit.

3. Prædictam ſententiam alios referens reſtringit Sanch. *dicta diſp. 6. num. 27.* Gutierr. *de matrim. cap. 6. num. 11.* ne locum habeat in promiſſione infanti facta, hæc enim favore infantis revocari non poteſt, quouſque ipſe aptitudinem habeat acceptandi, vel rejiciendi quod ſibi promiſſum eſt argum. *leg. jubemus. Cod. de emancipat. liberorum* ibi, *niſi infantes ſint.* Sed nullatenus eſt admittenda hæc reſtrictio, neque ullo modo colligitur ex *dicta leg. jubemus*, quæ loquitur in emancipatione, quæ cùm à jure poſitivo inducta ſit, potuit abſque conſenſu ejus cui facta eſt induci. Secùs eſt in promiſſione matrimonii, cujus eſſentia acceptationem promiſſarii poſtulat, ut benè Coninch. *diſput. 22. dub. 6. num. 36.*

4. Sed rogabis qualiter promiſſio abſenti facta intimari debeat, ut acceptare tuam promiſſionem poſſit? Reſpondeo jure communi ſpectato neceſſario intimandam eſſe per epiſtolam, vel nuncium ad id ſpecialiter deſtinatum, neque ſufficere, ſi alius tertius tuam promiſſionem promiſſario declaret, quia non cenſetur tua voluntas promiſſarii voluntati unita, niſi per medium à te deſtinatum, ubi habetur *leg 4. titul. 4. p. 5.* ibi menſajero cietto que le imbie à diçir ſenaladamente lo que le da, & *leg. 3. tit. 11. part. 5.* ibi embiando à decir, o prometer por ſu carta firmada, o por ſu menſajero cierto: & tradit pluribus relatis Sanch. *lib. 1. de ſponſalib. diſp. 6. num. 3.* Noviſſimo tamen jure regni Caſtellæ plures Doctores, quos refert, & ſequitur Gutierr. *de matr. cap. 6. n. 12. & 13.* exiſtimant non deſiderari epiſtolam, vel nuncium ad promiſſarium miſſum, ſed quemcunque qui tuam promiſſionem declaret ſufficere, ut acceptare eam poſſit, & tu maneas obligatus irrevocabiliter. Moventur *ex leg. 2. titul. 16. lib. 5. recopil.* ibi pareçiendo que ſe quiſo obligar, &c. Cæterùm verius cenſeo cum Sanch. *dicto lib. 1. diſp. 6. num. 19.* requiri nuncium, vel epiſtolam, qui non cenſetur promittentem promiſſario loqui, niſi loquatur per medium à ſe, & in eum finem aſſumptum. Quare etſi prædicta lex 2. corrigat ſtipulationes, & alias ſolemnitates à jure patitas, nequaquam hanc conditionem corrigit, quia hæc non ad ſolemnitatem, ſed ad naturam promiſſionis, & contractus eſſentiam neceſſaria eſt.

5. An autem acceptatio promiſſarii promittenti innoteſcere debeat, ut promiſſio firmitatem habeat? Diſtinguendum cenſeo, ſi promiſſio matrimonii gratis fiat, animo inquam non contrahendi ſponſalia, ſed fidem alteri præſtando independenter ab ejus repromiſſione, opus non eſt acceptationem promiſſarii notam eſſe promittenti. At ſi promiſſio facta ſit ſub onere, quod promiſſarius repromiſſionem faciat, quod in promiſſione ſponſalium requiſitum eſt, neceſſariò promittenti repromiſſio nota eſſe debet, aliàs quomodo repromiſſio aceeptari poterit, ut benè tradit Sanch. *lib. 1. diſp. 7. num. 35.* quidquid in contrarium dicat Gutierr. *de matr. cap. 6. num. 14.*

6. Duplex tamen ſupereſt difficultas: prima an alius qui ad acceptandum non habet ſpeciale mandatum poſſit nomine puellæ abſentis ſtipulari, ita ut ex hac ſtipulatione tu obligatus exiſtas, ac ſi ipſa puella acceptaſſet.

acceptaſſet. Gloſſa *in cap. ubi non eſt , verbo nihil* 30. *quæſt.* 2. Alexand. de Nevo *cap. ſicut de ſponſalibus* , exiſtimant validam eſſe promiſſionem , ita ut licitum ſibi non ſit reſilire. Moveri poſſunt ex *cap. ſicut de ſponſalib.* ubi quidam juravit patri ſe ejus filiam ducturum, quod juramentum cenſetur validum & conſequenter valida erit promiſſio, cui innititur.

Cæterùm omnino dicendum eſt , ſi matrimonium promittas puellæ abſenti animo contrahendi ſponſalia (ut ſemper præſumendum eſt) promiſſio firmitatem non habere ante puellæ acceptationem, ſed reſilire poteſt, quia antequam puella acceptet tuam promiſſionem , ipſaque repromittat ; contractus perfectus non eſt , cum perficiendus neceſſariò ſit puellæ conſenſu, ergo potes tu interim , dum puella non acceptat , reſilire. Item tu promittis puellæ matrimonium cum ipſa contrahere, ſi ipſa tibi viciſſim repromittat. Ergo ante ipſius repromiſſionem tua promiſſio obligationem parere non poteſt. Denique puella cui tu matrimonium promittis non eſt obligata ad repromittendum , ſed poteſt nolle repromittere. Ergo tu obligatus eſſe non potes promiſſis ſtare, aliàs contractus oneroſus claudicaret ex una parte firmitatem habens , ex alia contra *leg. Julianus* 14. §. *Si quis à colludente ff. de action. empt.* Atque ita docet Sanch. *lib.* 1. *de matr. diſp.* 7. *n.* 32. *junctо n.* 12.

Si vero promittas matrimonium puellæ abſenti animo liberalem promiſſionem conſtituendi , Sanch. *dicta diſp.* 7. *n.* 36. exiſtimat , ſi hæc promiſſio facta eſt ſub hac forma. Promitto tibi (ſcilicet parenti , tutori vel curatori , nullus enim alius eſt qui pro abſente ſtipulari poſſit matrimonium contrahere cum Maria, vel : Promitto matrimonium cum Maria contrahere , quod idem eſt , nullatenus te reſilire poſſe , quouſque Maria obligationem remittat. Nam eſto directè obligationem ejus patri præſtiteris , facta tamen eſt in ejus filiæ favorem , filiæque jus eſt acquiſitum. Cæterùm hæc ſententia mihi difficilis eſt , veriuſque crederem ex vi prædictæ promiſſionis te nullam obligationem nec fidelitatis , nec juſtitiæ habere comparatione puellæ. Quia eſto pater , tutor : & curator poſſit pro filiis ſtipulari. At ſi factum perſonæ filii cohæret , neque patri intereſt ea ſtipulatio ſolùm quoad filium valet, non quoad patrem , ut ex Bart. & aliis *ex leg. quod dicitur, ff. de verbor. obligation.* tradit Sanch. *dicta diſp.* 7. *numer.* 6. Matrimonium verò quod promittis cum puella contrahendum puellæ adhærere debet , nec ejus patri , neque alteri intereſt , quippe eſt factum perſonale , non reale : comparatione autem puellæ ante illius acceptionem valere non poteſt , utpote quæ fortè exiſtimat tuam promiſſionem ſibi non eſſe utilem, ergo quouſque ipſa declaret ſibi utilem eſſe , neque ex fidelitate , neque ex juſtitia obligatus exiſtes. Neque contrarium colligitur *ex cap. ſicut de ſponſalib.* Nam ibi parentibus puellæ facta eſt obligatio , ipſique ſe viciſſim obligarunt. Qualiter autem hæc obligatio intelligenda ſit, poſtea dicemus.

7. Secunda difficultas eſt , quamque ſupra tetigimus , an ex eo præcisè quod puella acceptet tuam promiſſionem de matrimonio cum illa celebrando, cenſeatur repromittere , & ſponſalia celebrare? Affirmant Paludan. *in* 4. *diſt.* 27. *quæſtione prima* , Vaſquez *diſputatione quarta , capite tertio.* Baſil. Ponce *libro duodecimo , capite quarto , numero ſecundo.* Moventur ex eo quod puella acceptare non poteſt tuam promiſſionem de matrimonio cum illa celebrando , niſi volens in futurum tecum matrimonium contrahere, quippe tua promiſſio non eſt matrimonii præſentis , ſed futuri : Ergo acceptans tuam promiſſionem acceptat matrimonium futurum. Ergo vult matrimonium futurum. Ergo repromittit matrimonium , promiſſio enim eſt affirmatio alteri facta rei in ejus gratiam futuræ. Deinde cum matrimonium puellæ promittis, promittis te illi futuro tempore tradere. Sed hæc traditio eſſe non poteſt , quin ipſa puella ſe tibi viciſſim tradat. Ergo ipſa conſentire non poteſt in hac tua traditione futura , quin in ſui traditionem conſentiat, ac proinde quin repromittat.

8. Cæterùm veriùs cenſeo cum Navarr. *cap.* 22. *num.* 28. Sanch. *diſp.* 5. *num.* 12. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *cap.* 1. *num.* 2. Gutierr. *de matr. cap.* 5. *à n.* 1. poſſe puellam acceptare tuam promiſſionem , quin repromittat, in ea acceptatione puella non acceptat ex ſua parte matrimonium abſolutè contrahendum , ſed acceptat fidem , quam tu illi præſtas de matrimonio contrahendo , ſi ipſa voluerit. Ergo ex vi hujus acceptationis non repromittit , quippe ad repromiſſionem neceſſarium erat , quod ipſa abſolutè matrimonium acceptaret : at ex vi prædictæ acceptationis non acceptat abſolutè matrimonium futurum , ſed acceptat abſolutè datam fidem de matrimonio futuro , non quidem abſolutè futuro , ſed futuro ſi tibi placuerit. Et per hæc ſatisfactum eſt oppoſito fundamento. Ad confirmationem reſpondeo te non poſſe puellæ in matrimonium tradi , quin ipſa ſe tibi tradat , & conſequenter non poſſe velle tuam traditionem abſolutè , quin ſuam abſolutè velit : at acceptans tuam promiſſionem de matrimonio contrahendo , non cogitur velle abſolutè matrimonium contrahendum , ſed contrahendum ſi ſibi placuerit , tametſi velit abſolutè promiſſionem ſibi eſſe factam, & fidem datam.

Punctum IV.

Quibus verbis . vel ſignis ſponſalia contrahantur ?

1 *Nulla ſunt determinata.*
2 *Quid de contractu matrimonii inter impuberes ? Proponitur dubitandi ratio.*
3 *Affirmativè reſpondetur.*
4 *Extenditur etiamſi clandeſtinum ſit.*
5 *Satisfit rationi dubitandi , num.* 1. *poſitæ.*
6 *Negat communior ſententia matrimonium contractum clandeſtine inter puberes non habere vim ſponſalium.*
7 *Extenditur prædicta doctrina , etiamſi juramento contractus firmatus ſit.*
8 *Contrarium ſpectato juris rigore probabilius cenſerem.*
9 *Quid dicendum, ſi juramento firmatus ſit.*
10 *Qualiter ſubarrhatio annuli ſignum ſit matrimonii , vel ſponſalium.*
11 *Taciturnitas præcisè non eſt ſignum ſufficiens interioris conſenſus.*
12 *Si pater tuo nomine contrahat , tu verò præſens taceas, nec contradicas, conſentire cenſeris.*
13 *Negant plures, ſi parentes abſentibus filiis contraxerint.*
14 *Verius eſt oppoſitum.*
15 *Ut taciturnitas filii ſit ſignum conſenſus, debet filius moneri de contractu facto per nuntium , aut epiſtolam.*
16 *Plures extendunt hanc doctrinam, eſto quilibet alius tertius pro te contrahat.*
17 *Sed verius eſt prædictum jus ſolùm in parentibus habere locum.*
18 *Infertur nullum alium præter parentem poſſe pro filio ſponſalia contrahere.*

1. COnſtat nulla eſſe verba determinata , ſed illa ſufficere , quæ ſufficienter conſenſum internum ipſis contrahentibus exprimant , tametſi aliis non ſignificent. Nam cùm inter ipſos contrahentes tantùm ſponſalia celebrari poſſint , opus non eſt verba quibus celebrantur eſſe aliis perſonis ſignificativa ; ſatis enim eſt ſi ipſis contrahentibus qui obligandi ſunt ſignificativa exiſtant , ut benè notavit Coninch. *diſp.* 21. *dub.* 3. *num.* 23. In foro tamen externo non intentioni contrahentium , ſed communi verborum intelligentiæ ſtandum eſt , ut conſtat *ex cap. ex litt.*

El.1. de ſponſalib. & tradunt omnes *teſte* Sanch. *lib 1. diſput.8. num.4.* ubi *num.5.* optimè probat in caſu dubio ſemper ſententiam ferendam eſſe in matrimonii, ſponſaliumque favorem. Quod intelligendum eſt, quando eſt dubium de intentione, & conſenſu. Secùs ſi non ſolùm de intentione, ſed etiam de verbis ſeu ſignis dubium oriatur, ita ut ſpectatis circumſtantiis apertè decidi non poſſit verba illa ſeu ſigna eſſe ſponſaliorum ſignificativa : in hoc enim caſu non eſt judicandum ſponſalia eſſe, quia non adeſt externum ſignum ſufficienter expreſſivum interioris conſenſus, quod æquè neceſſarium eſt ad contractus obligationem, ſicuti eſt interior conſenſus, uti docuit Coninch. *diſput.21. dub.3. num.26.*

2. Quæſtio igitur prima eſt, an contractus matrimonii inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem habeat vim ſponſalium? Ratio dubitandi ſumitur ex doctrina Bart. *in leg.1. §. ſi quis ita num.5. ff. de verbor. ſignificat.* ubi probat, quoties de contrahenda obligatione agitur, ſi actus non valeat eo modo quo fit, nullatenus valere eo modo quo fieri poteſt, & meritò quia actus agentium non debent ultra eorum intentionem operari, *leg. Non omnis ff. ſi certum petatur.* Præcipuè cùm in obligationibus inducendis interpretatio non lata, ſed reſtricta facienda ſit. At impuberes matrimonium contrahentes matrimonium contrahere voluerunt, non autem ſponſalia quæ contrahere poterant. Ergo ſi ille contractus non valuit ut matrimonium, neque ut ſponſalia valere debet. Atque ita docet Petrus de Ledeſm. *de matr. q.45. art.5. punct.2. poſt dub.4.* & alii antiquiores relati à Cobarub. *4.decret. 1 p. cap.3. num.3.*

3. Nihilominùs communis, & vera ſententia eſt matrimonium contractum inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem vim ſponſaliorum habere, uti pluribus relatis firmat Thom. Sanch. *lib.1. diſp.21. n.2.* & tradit Coninch. *diſput.21. dub.4. n.46.* Baſil. Ponce *lib.12. cap.5. num.4.* & deciditur expreſsè *in cap. fin. de deſponſat. impuber. & cap.unico §.idem quoque eodem tit. in 6.* Ratio ea eſt, quia contrahentes matrimonium etiam ſecluſa omni lege, & conſtitutione eſto expreſsè ſolùm velint alteri tradere ſuum corpus ad matrimonii uſum, virtualiter tamen intendunt, ſi ex aliquo capite ea traditio effectum non habet tradere jus ad traditionem, quia hæc juris traditio in matrimonii contractu imbibitur, & continetur, ideoque meritò Eccleſia præſumit ſic contrahentes velle ſponſalia contrahere caſu quo matrimonium contrahere non poſſint. Unde ut hanc præſumptionem elidant, & ab ſponſalibus deobligentur, tam in foro conſcientiæ, quàm externo, debent expreſſam voluntatem habere eaque declarare, ſe tantùm velle matrimonium, & non ſponſalia contrahere. Tum quia cenſeri debent velle contrahere juxta juris formam, & illius diſpoſitionem, ſicuti jure antiquo cenſebantur velle matrimonium contrahere qui poſt ſponſalia copulam habebant, *cap. is qui fidem. De ſponſalib.* Tum quia verè, & in rigore eam voluntatem habent in matrimonii contractu incluſam.

4. Quod adeò verum eſt, ut etiamſi matrimonium inter impuberes contractum clandeſtinum ſit : non obſtinde impedit ſponſalium obligationem. Quia ut rectè inquit Navarr. *cap.22. num.57.* Ludovic. Lop. *2.part. inſtruct. cap.37.* & Sanch. *lib.1. diſp.21. num.5.* Trident. *ſeſſ.24. cap.1. de reformat.* ea matrimonia irritavit, ab illiſque omnem obligationem ſuſtulit, quæ verè matrimonia jure antiquo erant, at matrimonium clandeſtinum inter impuberes nunquam vim matrimonii, ſed ſponſalium habuit, ac proinde hujuſmodi matrimonium quoad vim ſponſalium incorrectum permanſit.

5. Ad rationem dubitandi reſpondeo doctrinam illam veram eſſe de obligatione quæ contrahi poterat, ſi nullo modo clauditur in obligatione contracta, ſecùs ſi ſub obligatione nulliter contracta comprehendatur obligatio illa, quæ contrahi poterat. Cùm ergo ſub matrimonii obligatione ſponſalium obligatio utpote præambula contineatur, efficitur ſanè intendentem contrahere matrimonium, à fortiori ſponſalium contractum velle, ut latiùs Cobarub. *decret. 1.part. cap.3. num.3.* vel dic actum qui nullus eſt non eſſe validum ſub eo modo quo fieri poteſt, quando eſt nullus ex defectu formæ, ſecùs ſi nullus ſit ex defectu tantùm cauſæ efficientis, cui jus non reſiſtit, uti contingit in matrimonio impuberum, cujus nullitas provenit non ex defectu formæ, ſed ex defectu contrahentium non habentium legitimam ad contrahendum ætatem.

6. Quæſtio ſecunda; an matrimonium inter puberes contractum clandeſtinè habeat vim ſponſalium? Negat communior ſententia apud Sanch. *lib.1. de ſponſal. diſp.10. n.3. & 4.* Zevallos *commun. contra commun. quæſt.604. n.79.* Gutierr. *de juram. confirm. cap.51. à n.28. & de matrim. cap.11.* Moventur primò, quia Trident. *ſeſſ.24. cap.1. de reformat.* ad ſic contrahendum eos omnino inhabiles reddit. Si autem ille contractus valeret, ut ſponſalia, non omnino eſſent redditi inhabiles ad contrahendum, ſed aliquo modo habiles. Ideò enim *in c.unic. de Deſponſat. impuber. in 6.* non aſſeritur impuberes inhabiles eſſe ad contrahendum, quia eorum contractus valet ut ſponſalia. Et confirmatur, quia Trident. decernit contractum illum nullum eſſe, ergo non valet ut ſponſalia, aliàs non eſſet nullus, ſed aliquo modo validus. Secundò quoties jus reſiſtit contractui, nulla ex illo naſcitur obligatio nec naturalis, nec civilis, uti probat Sanchez *lib.1. de matr. diſp.7. num.16.* Sed Trident. reſiſtit non ſolùm prohibendo, ſed annullando prædictum matrimonii contractum. Ergo ex illo nulla oritur obligatio. Tertiò contractus qui non valet, ut fit, ut valeat eo modo quo valere poteſt, non debet habere defectum in forma, uti probat *Bart. in leg.1. §. ſi quis ita ff. de verb.obligat.* Sed prædictus contractus habet defectum in forma, ſiquidem deficit ſolemnitas requiſita. Ergo. Quartò ſic contrahentes puniendi ſunt ob prædictum contractum, neque unus alterum obligare poterit ad perſeverandum in prædicto contractu, aut ad denuò celebrandum, ergo ex illo nulla fuit contracta obligatio. Aliàs audiretur in foro externo, & cogeretur promiſsis ſtare.

7. Prædictam ſententiam extendunt Sanch. Gutierr. & alii etiamſi juramento prædictus contractus matrimonialis firmatus ſit; quia juramentum confirmare non poteſt contractum omni jure nullum. Quinimo eſto ſub ea ſpe virginem defloraſſes, affirmat Sanchez aliis relatis te non eſſe obligatum ad illam ducendam, quia non es obligatus ratione contractus, cùm nullus ſit, neque ratione damni illati, quia nullum præſumitur virgini factum, utpote quæ ſciebat, vel debebat ſcire jus hoc clariſsimum, & manifeſtiſsimum, ex prædicto contractu nullam oriri obligationem.

8. Cæterùm ſpectato juris rigore & contrarium probabilius cenſerem *cum* Veracruz. *Append. ad ſpeculum dub.9. concluſ.2.* Henriq. *lib.11. de matrim. cap.5. num.4.* Cordub. *in Sum. quæſt.52. in fine.* Bartholom. à Ledeſm. *de matr. dub.28.* Ortiz. *Sum. cap.17. de matr. fine.* Vega *lib.6. Sum. caſu 120. & lib 4. caſu 164.* Coninch. *diſp.24. dub.4. n.47.* Laym. *lib.5. Sum. tract.10. cap.1. in fine.* Moveor, quia ut conſtat ex ſuperiori quæſtione, conſentiens in matrimonium præſens, eo ipſo conſentit in matrimonium futurum, ſi præſens contrahi non poteſt, ratione cujus inter impuberes contrahuntur ſponſalia ex matrimonio ab ipſis celebrato. Sed Trident. hunc conſenſum in matrimonium futurum non irritavit, tametſi conſenſum in matrimonium præſens annullárit. Ergo prædictus conſenſus validus eſt, & ſponſalia conſtituit. Minorem probo, quia

Trident.

Trident. solum eum contractum irritavit, ad quem contrahentes inhabiles reddit, at solùm ad matrimonium clandestinum inhabiles reddit contrahentes non ad sponsalia. Et quidem sponsalia clandestinè contracta valida sunt. Ergo solùm irritavit matrimonii contractum, & non contractum sponsalium. Quod si dicas ex irritatione matrimonii sponsalia quæ ibi clauduntur irrita esse, obstat: quia jus antiquum matrimonii contractum inter impuberes annullavit, cùm tamen jure naturæ validus esset, & nihilominus ex irritatione non censentur sponsalia reddi irrita. Ergo esto Concilium Trident. irritaverit matrimonium, non infertur sponsalia irritasse. Sunt enim contractus distincti, & separabiles Argumenta verò quæ pro contraria parte adducta sunt, solùm probant matrimonii contractum irritum esse, & nullum, sed non contractum sponsalium, qui ab eo separabilis est, & cui jus non resistit.

Dixi spectato juris rigore: nam spectata praxi, & consuetudine recepta verius censeo sponsalia in matrimonio clandestino contenta irrita esse forte ut Ecclesia ostendat contractum clandestinum se omnino detestari. Moveor tum ex communi Doctorum sententia id affirmante. Tum quia non video ex prædicto matrimonio actionem ullam concedi; qua contrahentes cogantur contrahere, sicuti coguntur impuberes matrimonium contrahentes.

9. Ex his deducitur quid dicendum sit, si juramento prædictus contractus firmetur; spectato inquam juris rigore validum esse juramentum, quo jurares puellam in conjugem perpetuo habiturum, non quia illam habiturus sis ex vi illius matrimonii, sed ex matrimonio denuò celebrando, & virtualiter promissò in illo matrimonii clandestini contractu. At spectata praxi juramentum illud nullum est, utpote adhærens promissioni omnino invalidæ. Si autem puellam credentem invincibiliter prædictum matrimonium esse, vel saltem promissionem illius de futuro valere, sub ea ignorantia deflorasses, censetem certè te obligatum esse ad illam ducendam, quia acceptasti ejus corporis usum sub matrimonii spe aliàs non concedendum. Sed hæc ignorantia rarò vel nunquam præsumi potest, utpote juris manifestissimi, ideóque censendum est, & judicandum ac si liberè, & secluso contractu consensisset.

10. Quæstio tertia est de subarrhatione annulli, qua ratione signum sit matrimonii, vel sponsaliorum? Breviter respondeo per se signum non esse nec matrimonii, neque sponsaliorum, quia in signum amoris honesti, vel turpis concedi potest absque ulla matrimonii, vel sponsaliorum intentione. At si spectata consuetudine alicujus loci concessio annulli matrimonium, vel sponsalia significet, illius concessione matrimonium, vel sponsalia censebuntur contracta, ut per se patet. Et idem est, si ex circunstantiis consensus in sponsalia significatur, uti significatur cùm de sponsalibus agitur, & annulus porrigitur, & acceptatur, quia censetur porrigi, & acceptari in signum matrimonii contrahendi; & à fortiori si præcedente prædicto tractatu manum, vel fidem dederis, satis enim significas consentire. Neque opus est, ut præcedens tractatus inter te & sponsam præcedat, sufficit si præcedat inter amicos, & tu illius conscius mittas ad sponsam conscium ejusdem tractatus arrhas, vel iocalia, ipsaque acceptet. Quod si pater annulum sponsæ mittat, distinguendum est, si miserit ex consensu filii sunt sponsalia, secus si absque illius consensu. Quæ omnia latius prosequitur Cobarub. *de sponsalib. 1 p. cap. 4. in princ.* Menoch. *de præsump. lib. 3. præsumpt. 2. à n. 1.* Mascard. *de probat. conl. 1024.* Thom. Sanch. *lib. 1. disp. 22.* Gutierr. *de matr. cap. 12.*

11. Quæstio quarta de taciturnitate, an sit signum sufficiens interioris consensus? Qua in re aliqua sunt omnino certa. Etenim certum est taciturnitatem præcisè non esse signum sufficiens interioris consensus, non enim puella censenda est consentire in matrimonii repromissionem ex eo quod tu illi matrimonium promittas, ipsa verò taceat. Nam esto in iis, quæ alicui utilia sunt, censeatur tacendo consentire, secus in iis quæ præjudicabilia esse possunt. Uti docet *Gloss. leg. filius familiàs verbo non probatur ff. de procuratorib.* Dinus *reg. is qui tacet 44. de Reg. juris in 6. num. 3.* Bald. *leg. si sine num. 4. Cod. ad Senatus Consultum Velleian.* Fulvius Pacian. *lib. 1. de probat. cap. 29. num. 15.* Vide Cobarub. *pract. cap. 15.* Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 42. num. 4.*

12. Secundò est certum si tuus pater nomine tuo cum puella contrahat sponsalia, tu verò præsens taceas, nec contradicas eo ipso censeris consentire. Est expressa decisio text. *in cap. unic. §. fin. de desponsat. impuber. lib. 6.* ibi Porrò ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii si expressè consenserint, vel *tacitè ut si præsentes fuerint, nec contradixerint obligantur.* Et est idem si filii tempore sponsalium absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia post scientes ratificaverunt tacitè, vel expressè. & tradunt omnes Doctores. Neque curandum est, an pater sit vel mater quæ prædicta sponsalia contrahit. Quicunque enim sive pater, sive mater sponsalia nomine filii, vel filiæ eo præsente contraxerit, filius tacens nec contradicens obligatus existit, quia in hac dispositione non patria potestas, sed naturalis amor parentum in filios, & illorum in parentes debitus honor, & reverentia spectatur, ut benè notarunt Sanch. *lib. 1. de sponsalib. disp. 23. num. 9.* Gutierr. *de matr. num. 5.* & colligitur ex ipso textu, cùm sub numero plurali loquatur de parentibus; aliàs si mater excludenda esset, nomine singulari parentis usus esset. Neque item opus est, ut filius sub patria potestate existat, nam esto emancipatus sit, ejus taciturnitas patre pro filio contrahente sponsalia constituit. Non enim textus distinguit de filiis extra patriam potestatem, vel sub patria potestate, neque ejus decisio patriæ potestati, sed amori naturali innititur, ut benè aliis relatis docent Sanch. *disp. 28. num. 10.* Gutierr. *num. 8.* Nec denique opus est filium legitimum esse, aut naturalem, nam esto spurius sit, & ex coitu damnato, si taceat patre pro ipso contrahente obligabitur, quippe prædictus textus voce naturali filiorum absolutè usus est, sub qua non est dubium spurios comprehendi, ut tradit Bart. *leg. 2. num. 4. ff. de accusationib.* tametsi jure civili spurii appellari filii non debeant. Authent. *ex complexu, Cod. de incest. nupt.* sicuti notavit alios referens Sanch. *dicta disp. 23. numer. 11.* Gutierr. *num. 8.* Hæc certa.

13. Dubia sunt. Primum. An cùm parentes pro filiis ignorantibus, vel absentibus contrahunt, si filii præcedentis contractus certiores facti non contradixerint censeantur consentire? Negant Joan. Andr. Henric. Brunell. Dominic. Butrio Cardinal. & alii quos referunt, & sequuntur Sanch. *dicta disp. 23. num. 17.* Gutier. *cap. 13. de matr. num. 11.* Moventur ex eo quod textus in dicto cap. *unic. de sponsa. in 6.* diversimodè loquatur de filiis præsentibus, ac de filiis absentibus, & ignorantibus. Nam cum filii contractui à parentibus celebrato præsentes sunt, nihil aliud requirit, ut consentire præsumat, quàm quod taceant, nec contradicant: at cùm absentes sunt requirit, ut ratum habeant tacitè vel expressè. Debent ergo ultrà taciturnitatem aliquo alio signo ratificare. Subdúntque prædicti Doctores congruentiam hujus sententiæ. Nam filius præsens si contractui dissentiat præsumitur reclamaturus, secùs in absentia, vel quia obliviscitur, vel quia existimat postmodum posse reclamare, cùm consensum non præstiterit.

14. Sed verius existimo taciturnitatem esse signum sufficiens consensus eodem modo, ac quando sponsalia in præsentia contracta sunt: sicuti docent D. Thom. *in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 1.* Paludan. *ibi quæst. 1. art. 1. concl. 1. n. 4.* Sotus, *quæst. 2. art. 2 ad 1.* Henriq. *lib. 11. c. 13. num. 5.*

num. 5. & alii plures relati à Sanch. *dicta disp.* 28. *quæst.* 3. *num.* 16. Fundamentum est, quia si attente textus inspiciatur eandem tacitam ratificationem pro utroque contractu statuit : nam si filius præsens est, censet textus factum à parentibus ratificare, si sciens expressè consenserit, vel tacitè, ut si præsens fuerit, & non contradixerit : Subditque. Et idem est si filii tempore sponsalium absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia post scientes ratificaverunt tacitè, vel expressè : expressè inquam consentiendo ; tacitè tacendo, nec contradicendo, cùm possint.

15. Ut autem hæc taciturnitas, seu non contradictio consensum exprimat, debet filius à parentibus per se, vel per nuntium, aut epistolam de contractu ab ipsis facto moneri. Non enim satis est quod casu, vel ab aliquo tertio contractum intelligat, quia ut benè inquit Coninch. *disput.* 21. *dub.* 3. *num.* 39. prædicto nuncio respondere non tenetur. At si à parentibus moneatur, reverentia illis debita expostulat ut respondeat reclamando, si contractus displicet, tacendo si placet. Insuperque debet hæc notificatio filio fieri coram parte, aliàs sponsalia non erunt, quousque pars conscia acceptet, & repromittat, siquidem inter ipsos, & non inter parentes sponsalia celebrantur, sicuti docuit Coninch. *d. disp.* 21. *dub.* 3. *in fine.*

16. Secundum est, an quod dictum est de parentibus pro filiis contrahentibus locum habeat, si quilibet alius tertius pro te contrahat ? Affirmant Victor. *in sum. num.* 205. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 6. Ludov. Lop. 2. *part. instruct. cap.* 39. Petr. de Ledesm. *de matr. quæst.* 45. *art.* 2. *dub.* 3. & alij relati à Sanch. *disp.* 23. *quæst.* 2. *num.* 6. Moventur, quia matrimonii contractus favorabilis est ; in causa autem favorabili tacens consentire videtur ex reg. *is qui tacet de Regul. juris in* 6. Deinde quia in textu *in cap.* 1. *de matrim. contrah. contra interdicit Ecclesiæ* judicantur valida fuisse sponsalia, quæ frater pro sorore præsente, & consentiente tacitè contraxerat, uti videtur constare ex signis taciti consensus, quæ ibidem ponderantur. Ob quem textum fortè Thom. Sanch. *dicta disp.* 28. *quæst.* 2. *num.* 7. quamvis neget taciturnitatem sufficere aliis à parentibus contrahentibus, in contractu tamen fratris pro sorore id admittit. Alii affirmant dicta de parentibus procedere in tutore, & curatore, & aliis, quorum curæ filii commissæ sunt, sic expressè docuit Coninch. *disp.* 21. *dub.* 3. Eo quod ad hos æquè ac ad parentes pertinet bono filiorum consulere, & ad filios pertinet eos revereri, quam reverentiam non exhiberent, si cùm contractus displicet, non contradicerent. Ergo non contradicentes cùm possunt, consentire censentur.

17. Nihilominus verius est hoc jus speciale esse in parentibus. Unde si alii contrahant, & tu taceas, neque contradicas, non obinde consentire censeris, tenent post alios plures, quos referunt Cobarub. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 4. *initio n.* 4. Gregor. Lop. *leg.* 10. *verbo no las puede, tit.* 1. *par.* 4. Mattien. *lib. recopil.* Rub. *gloss.* 1. *n.* 26. Sanch. *lib.* 1. *de sponsal. disp.* 25. *num.* 7. Gutierr. *de matr. cap.* 13. *a n.* 2. Ratio ea est, quia contractus matrimonii, & sponsalium ita personalis est jure naturæ, ut nemo etiam pater eum præstare possit pro filio, nisi speciale ab eo mandatum habeat. Unde parente secluſa lege positiva pro filiis præsentibus contrahente, filii non remanerent obligati, quia consensus parentis non est suorum consensuum signum, cùm non sit ex eorum mandato ; neque eorum taciturnitas est contractus à parente facti approbatio, utpotè qui non est nomine eorum factus, & fortè est illis præjudiciabilis, & quia ex aliis causis quam ex approbatione contractus ea taciturnitas oriri potest, scilicet ne parenti displiceant, maximè cùm videant se non obligari ad contrahendum, quousque signo aliquo manifesto exprimant se consentire. Ergo taciturnitas filiorum, cùm pater in eorum præsentia contrahit jure naturæ sponsalia non infert. Infertur ergo solo jure positivo, & ex ejus dispositione prædictam taciturnitatem sponsalia constituere, quia jure positivo dispositum est prædictam taciturnitatem esse sufficiens signum consensus filiorum approbantium contractum à parentibus celebratum. Cùm ergo jus positivum de solo contractu parentum disponat, affirmandum est, solùm contractum prædictum, cui filii non contradicunt, sponsalia pro filiis constituere, non alium.

18. Hinc infertur neque tutores, aut curatores pro filiis contrahentes, neque fratrem pro sorore sponsalia efficere, quia de nulla alia persona, quàm de parentibus id jure positivo est dispositum, & dispositum in uno, non debet dispositum in alio censeri, maximè cùm non sit æqua ratio, quippe parentes ob nimium amorem filiorum eorum bono maximè consulunt, ipsique filii quia ab eis vivere acceperunt specialem reverentiam, & honorem exhibere tenentur, quæ in tutore, aut curatore, neque in fratre comparatione sororis æquè procedunt, ac proinde meritò jus dispositit, ut filius contrahentibus parentibus pro ipso, si displiceat contractus, reclamet, sin minus approbare contractum censeatur. Tradit Gregor. Lop. & Gutierr. *loc. allegg.*

Punctum V.

Qualiter obligentur qui pro aliis sponsalia promittunt ?

1 *Spectato juris civilis rigore nullam inducit hæc promissio obligationem.*
2 *Excipiuntur aliqui casus.*
3 *Jure canonico promissio facti alieni valida est.*
4 *Si ultra promissionem facti alieni pœnam adjicias, & omnem diligentiam adhibuisti, non teneris pœnâ solvere.*
5 *Satisfit objectioni.*

1. Pendet decisio hujus puncti ex illa quæstione, an ex promissione alieni facti obligatio aliqua oriatur ? Et quidem si alieni facti propriè, & in rigore promissio esset, nulla esset promissio, utpote de re, quæ sub promittentis dominio, & potestate non est. Solus enim Deus alienam voluntatem cogere potest, aut illam ita disponere, ut de facto amplectatur quod ei placitum fuerit. Et ob hanc causam jure communi, & antiquo regio Castellæ promissio alieni facti nullam inducit obligationem. §. *si quis alteri*, & §. *si quis aliam. Et* §. *versa vice instit. de inutilib. stipulat. & leg. stipulatio*, §. *ista habere in princ. & §. si quis promittit*, *ff. de Verbor. obligat. & leg.* 11. *tit.* 11. *part.* 5. & tradunt aliis relatis. Ant. Gomez 2. *Var. cap.* 10. *num.* 23. Cobarub. *de pact.* 2. *part.* §. 5. *num.* 1. Gutierr. *de juram.* 1. *par. c.* 44. Molin. *de justit. tract.* 2. *disp.* 258. Sanch. *lib.* 1. *disp.* 24. *numero* 2.

2. Verùm esto jure communi regulariter promissio alieni facti nulla sit, quia accipitur prout verba sonant, attamen aliquos casus jus commune exigit, in quibus non eo rigore promissio sumitur, sed quatenus proprium factum significat, ut videre est in triplici casu, quem prædicta lex regia expressit, & in promissione alieni facti pœna adjecta, vel juramento firmata : itemque in promissione matrimonii, in quibus omnibus valida est, & firma alicui facti promissio etiam communi jure spectato, ut notarunt Cobarub. Gutierr. Molin. Sanchez & alii apud ipsos.

3. Jure tamen canonico, & regio noviſſimo Castellæ promissio facti alieni valida est, & firma non quatenus est alieni facti, sed quatenus proprii facti promissio. Sonus enim verborum alieni est facti, at sensus non alieni, sed proprii facti promissio est, quippe promittens alienum factum non ipsum, sed curam, & diligentiam, ut efficiatur promittit, uti pluribus firmant Doctores

suprà relati. Hinc fit, si promittas Titio unam ex tuis filiabus in matrimonium, ipséque promissionem acceptet, te obligatum esse seriò, & diligenter procurare alicujus filiæ consensum, neque satisfacies si fictè, & simulatè, & ut vulgò dicitur *por complimento* procures, quia ea non est procuratio, sed est procurationis simulatio, ut benè notarunt aliis relatis Sanch. *lib.* 1. *disp.* 24. *num.* 12. Gutierr. *de matr. cap.* 14. *num.* 5. & *de juram.* 1. *par. cap.* 44. *sub. num.* 3.

4. Quod si ultra promissionem facti alieni scilicet matrimonii ab alio tertio contrahendi pœnam adjicias, etsi aliqui Doctores censeant, quorum meminit Sanch. *lib.* 1. *de Sponsal. disp.* 25. *num.* 1. & 2. te obligatum esse pœnam solvere effectu non secuto, tametsi omnem diligentiam, ut sequeretur apposueris, verius, & communius est nulla te solvendæ pœnæ obligatione astringi, argum. *leg fin. idem juris, ff. ad leg. Rhod. de jactu.* ibi. Nec per eum staret quominus id faceret, si remissam sibi esse pœnam speraret. Quippe non est justum pœna affici eum qui nullius culpæ reus est. Atque ita tradunt Gregor. Lopez. *leg.* 84. *tit.* 18. *part.* 3. & *leg.* 11. *tit.* 11. *par.* 5. *verbo.* Matien. *lib.* 5. *recop. tit.* 16. *leg.* 2. *Gloss.* 6. *num.* 6. Gutier. *de juram* 1. *par. cap.* 44. *num.* 3. & *de matrim. cap.* 14. *num.* 6. Sanch. *lib.* 1. *de matr. disp.* 25. *num.* 3. Molin. Jesuita. *tract.* 2. *de justit. disp.* 268. §. *quod si is*, & alii apud ipsos.

5. Neque his obstat lex regia 11. *tit.* 12. *par.* 5. ibi, Y si el otro nolo cumpliere, tenudo sera el de lo cumplir, o de lo pechar con los daños, y menos cabos. Quia id intelligitur, quando promissor debitam diligentiam non apposuit, ut benè aliis relatis probant Gutier. & Sanch. *loc. alleg.* vel quando promisit fraudulenter sciens, vel debens scire alienum factum obventurum non esse, nam eo casu promissarium decepit, ideoque merito obligandus est æstimationem rei promissæ solvere, aliàs deceptioni factæ non satisfaceret, ut benè notarunt Molin. *supra* Sanch. *num.* 5. Gutierr. *de matr. dicto cap.* 14. *num.* 7. vel denique intelligenda est prædicta lex casu quo promissor intenderit se ad solutionem pœnæ obligare, in eventu quo effectus non sequatur, tametsi ut sequatur omnem diligentiam apponat, quia eo casu non obligatur ad solutionem illam quatenus pœna est, sed quatenus est alieni facti compensatio, ut benè Cobarub. *de pactis* 2. *part.* §. 5. *num.* 5. *in fine.* Marant. *in practic. quæst. q.* 7. *num.* 23. Anton. Gabriel. *tom.* 3. *commun. lib.* 3. *de pact. concl.* 2. *n.* 9. Gutierr. *de matrim. cap.* 14. *num.* 8. & 9. Sanch. *disp.* 25. *num.* 6.

Punctum VI.

De his qui sponsalia contrahere possunt.

1 *Nemo contrahere potest sponsalia qui matrimonio contrahendo perpetuò impeditus est.*
2 *Non possunt contrahi absque perfecto rationis usu.*
3 *Ante septenniũ jure canonico non possunt cõtrahi sponsalia.*
4 *Septennium hoc moraliter completum esse affirmant plures sufficere. Verius est completum esse debere computatione physica.*
5 *Cui computationi obstat diem incœptum esse, etsi aliqui contrarium censeant.*
6 *Si ante septennium constet aliquem perfecto rationis usu pollere. Affirmant plures valida esse sponsalia.*
7 *Verius est oppositum.*
8 *Satisfit opposito fundamento.*
9 *Sponsalia inter septennium contracta adveniente septennio ex mutua habitatione ratificantur.*
10 *Qualiter sit peccatum contrahere sponsalia invalida.*
11 *Negant plures peccare mortaliter impuberes contrahentes matrimonium per verba de præsenti.*
12 *Probabilius censeo oppositum.*

1. CErtum est neminem contrahere posse sponsalia qui matrimonio contrahendo impeditus perpetuo existat, quia esset promissio rei iniquæ. Quod si aliqui consanguinei, vel affines, alióve impedimento ligati sibi mutuo matrimonium promittant impetrata dispensatione, ea promissio sponsalia non constituit, quousque dispensatio impedimenti impetretur, quia ante eam dispensationem nullus ex contrahentibus jus in alterum obtinet ad matrimonii celebrationem. Secùs dicendum est, si impedimentum temporale sit, ut contingit in impuberibus, quia eo casu contrahentes se mutuò obligant, & jus ad matrimonium tempore habili celebrandum concedunt.

2. Secundò, sponsalia contrahi non possunt absque perfecto rationis usu, nam cùm ex illis obligatio ad rem gravissimam, quale est matrimonium oriatur, oportebat radicem illius obligationis voluntariè, & liberè adhibere. Censeberis autem pollere eo rationis usu, si ad meritum, vel demeritum vitæ æternæ aptus existas, ut communiter Doctores tradunt teste Sanch. *lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 16. *num.* 15. *juncto num.* 9. tametsi D. Thom. Petr. de Ledesm. Henriq. Ludovic. Lopes quos refert; & sequitur Gutier. *de matrim. cap.* 2. *num.* 12. insuper requirant discretionem ut de futuris provideat, sed est absque fundamento requisitum, cùm solùm septennium ad contrahenda sponsalia jura expostulent, eo quod eo tempore præsumatur contrahentes usum rationis sufficienter habere, uti dicitur in *leg.* 6. *regia titul.* 1. *part.* 4. ibi: Porque entonçes comiençan a aver entendimiento, e son de edad que les plaçe las desposadas. Neque ullibi mentio fit de discretione, & providentia futurorum. Aliàs rarò vel nunquam septennes sponsalia valida contraherent, siquidem in ea ætate vix ullus est qui præsentium providentiam habeat, quomodo futurorum habere poterit?

3. Tertiò. Jure canonico ante septennium contrahi sponsalia nequeunt, benè tamen septennio completo, quia eo tempore, & non antea discretio præsumitur. *cap. litteras, cap. accessit, cap. ad dissolvendum de Desponsat. impuber. & leg.* 6. *regia tit.* 1. *par.* 4. Neque his obstat lex *in sponsalibus*, 14. *ff. de sponsalib.* ibi: in sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, sicut in matrimonio quia ut benè inquit ibi glossa, & alii quos sequitur Sanch. *disput.* 16. *num.* 3. Gutierr. *cap.* 2 *de matrim. num.* 3. non est in sponsalibus ætas contrahentium sic definita, quin sæpè contingat deficere ob rationis defectum, secùs in matrimonio, ubi ætas præscripta à jure semper sufficit.

4. Sed est difficultas, an hoc septennium sufficiat moraliter completum esse, an requiratur mathematicè compleri? Affirmant plures sufficere moraliter completum esse, ut videre est apud Didac. Perez *in leg.* 5. *lib.* 5. *ordinam. pag.* 6. *vers. secunda opinio.* Candelab. Aureum. 1. *part. de sponsal. cap.* 2. *num.* 15. & Guttier. *de matr. cap.* 2. *num.* 7. & 8. & traditur leg. *regia fin. tit.* 1. *part.* 1. ibi: siete años o poco menos, quia quod parum distat nihil distare videtur teste Philosopho 2. *Physic.* & habetur *leg. penult ff. de milit. testam.* Moventur, quia jura solum expostulant compleri septennium, quod cùm physicè, & moraliter compleri possit, non est cur physicum complementum expostulemus. Deinde septennium jura exigunt, ut rationis usus præsumatur: at ob defectum duorum, vel trium dierum cessare hæc præsumptio non potest. Non enim tam brevi tempore usus rationis perfici poterat, si antea perfectus non erat. Ergo septennium non physicum, sed morale requiritur. Quorum autem dierum defectus morale complementum impediat, non conveniunt Doctores. Nam Ioan. Ard. *cap. litteras, n.* 2. *de Desponsat. impuber.* Henriq. *cap. accessit eodem num.* 3. & Vega. *lib.* 6. *sum. casu* 101. asserunt ob defectum duorum, vel trium dierum non impediri. Man. Rodriq. 1. *tit. sum. cap.* 244. *num.* 2. censet neque unius hebdomadæ defectum. Sotus verò *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 3. Vivald.

vald. Candelab. 1. *part. de ſponſalib. cap.* 2. *num.* 15. rem amplius extendunt. Quinimo Gutier. *dicto cap* 2. *num.* 8. audet affirmare dimidii anni defectum impedimentum non eſſe, quin ſeptennium completum eſſe dicatur, ut ſponſalia valida ſint, & præſumantur.

Cæterùm longè verius eſt ſeptennium completum eſſe debere non alia computatione, quàm phyſica, uti probat Thom. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſput.* 16. *num.* 4. Baſil. Ponce *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 3. Coninch. *diſp.* 21. *dub.* 5. *num.* 51. Ratio eſt, quia menſis per dies, & annus per menſes computatur, in qua computatione ſi unus dies menſi deficiat, non erit menſis completus, & conſequenter neque annus erit completus, qui ex menſibus completus coaleſcit. Et confirmo quoties à jure deſignatur aliquod tempus phyſicè compleri debet, ita ut neque unus dies deficiat, uti videre eſt in bimeſtri conceſſo ad deliberandum de religionis ingreſſu, *cap. ex publico de converſione conjugat.* Et in profeſſione Religionis, ad quam Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de regularib.* exigit 16. annum completum, & in ætate ad ordinem Presbyteratus, qui debet eſſe 24. completus, & ad Epiſcopatum, pro quo 30. completus requiritur, & aliis pluribus. Aliàs cuilibet libèrum eſſet reſtringere, vel ampliare tempus ſeptennii, quod jura illud præſcribentia, & determinantia vitare intendunt.

5. Huic tamen computationi, & determinationi affirmant plures non obſtare diem ultimum ſeptennii incœptum eſſe, quia favore matrimonii dies incœptus ex juris diſpoſitione pro completo habetur. *Argum. leg. qua ætate ff. de teſtament.* ubi favore teſtamenti permittitur, ut ultimus dies anni 14. incœptus reputetur, ut in eo condi teſtamentum poſſit, quod ante 14. annum completum concedi non poterat. Sic Cobarub. *in* 4. *decret.* 1. *p. cap.* 2. *num.* 2. Henriq. Mandos, Ludovic. Lopez, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 1. *de ſponſalib. diſp.* 26. *num.* 2. & 4. Gutierr. *de matrim. cap.* 2. *num.* 5. Baſil. Ponce *lib.* 12. *de ſponſalib. cap.* 5. *num.* 5. Coninch. *diſp.* 21. *dub.* 5. *num.* 51. Sed ſalva pace tantorum Doctorum verius, crederem ſpectato juris rigore diem incœptum non ſufficere, ſed neceſſariò completum eſſe debere, quia uſquequo completus ſit, non eſt integer dies, & conſequenter neque integer, & completus menſis, qui ex integris, & completis diebus coaleſcit. Deinde quia quoties tempus eſt à jure determinatum, currit de momento ad momentum, *Argum. leg.* 3. §. *minorem ff. de minorib.* & ibi gloſſa & Doctores *leg. pater.* §. *ſexaginta ff. de adulteriis* & ibi Bart. *leg. eos* §. *fin. autem, eod. de appellationib.* & ibi Baldus *leg.* 2. §. *dies ff. quando appellandum ſit*, & ibi gloſſa, & probari poteſt ex bimeſtri conceſſo ad deliberandum de religionis ingreſſu, *cap. ex publico de converſione conjugat.* & ex ætate ad profeſſionem requiſita *cap.* 15. *ſeſſ.* 25 *de regularib.* in quibus dies incœptus non habetur pro completo, uti probat Thom. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 24. *num.* 22. Ergo idem eſt dicendum in ſeptennio pro ſponſalibus requiſito. Neque obſtat textus in *lege qua ætate*, quia ibi eſt ſpecialis diſpoſitio, quæ ad alios caſus extendi non debet, præcipuè cum non ſit eadem ratio, quippe teſtamentum teſtatori favorabile eſt, & nullatenus onerоſum. At ſponſalia, ſicut & religionis profeſſio partim favorabilia ſunt contrahentibus, partim onerоſa: meritò ergo in teſtamento dies incœptus pro completo reputatur, ſecus in ſponſalibus, & religionis profeſſione.

6. Major difficultas eſt, an ſi ante ſeptennium conſtet aliquem rationis uſu perfecto pollere (quod à jure non præſumitur) habilis exiſtat ad ſponſalia contrahenda? Affirmant graviſſimi Doctores, Cobarub. 4. *decret.* 1. *p. cap.* 2. *n.* 1. Greg. Lopez *leg.* 6. *verbo, ſi ete, tit.* 1. *part.* 4. Gutierr. *Authent. ſacram. puber. n.* 5. *& de matrim. cap.* 2. *num.* 10. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 16. *num.* 9. Ægid. de Coninch. *diſp.* 21. *dub.* 5. *num.* 51. Baſil. Ponce *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 5. Rebel. *de obligat. juſtit. lib.* 4. *quæſt.* 5. Moventur: ſeptennium præſcribitur, quia ante illud tempus uſus rationis perfectus non præſumitur. Si ergo de uſu rationis præſumptio fuerit, vel potius certitudo, ceſſat finis legis, & conſequenter illius diſpoſitio. Et fortè ob hanc cauſam dixit Juris-Conſultus *in leg. in ſponſalibus la* 1. *ff. de ſponſalib.* ad ſponſalia ſatis eſſe quòd ſponſi quid agant intelligant. Et confirmatur exemplo matrimonii, pro quo contrahendo, eſto à jure requiſitus ſit in fœminis 12. annus completus, & in viris 14. At ſi malitia, hoc eſt potentia generandi, & diſcretio ante illam ætatem alicui adveniat, validum matrimonium contrahet. *cap. de illis el* 2. *de deſponſat. impuber.* quia in eo ceſſat ratio, ob quam illa ætas 12. & 14. annorum præſcripta eſt: at eodem modo ceſſat in habente ante ſeptennium perfectum uſum rationis. Ergo ſponſalia ab eo contracta valida eſſe debent.

7. Nihilominus verius exiſtimo prædicta ſponſalia ante ſeptennium contracta invalida eſſe, tametſi perfecto rationis uſu gaudeant, ſic docuit Abbas *in cap. juvenes. num.* 5. *& cap. gemma de ſponſalib. n.* 6. Marian. Socin. *conſ.* 3. *volum.* 1. Roſella *de imped. impedim.* 13. *num.* 9. Angel. *verbo ſponſalia num.* 5. *& verbo matrimonium* 13. *impedimento* 14. *num.* 2. Motius *de contractib. tit. de nuptiis in rub. qui poſſunt contrahere ſponſalia num.* 3. *&* 4. *fol.* 68. Andr. Taquin. *lib.* 3. *controv. c.* 26. & alii relati à Sanch. *lib.* 1. *de ſponſalib. diſp.* 16. *num.* 8. Moveor primò, quia textus *in cap. litteras, cap. acceſſit, c. ad diſſolvendum*, & alii *de deſponſat. impuber.* non ſolùm decidunt ante ſeptennium completum ſponſalia valida non debere præſumi, ſed de facto invalida eſſe, ut expendenti textus conſtare poteſt. Si igitur ante ſeptennium validè ſponſalia contrahi poſſunt, non deberent textus decidere ante ſeptennium ſponſalia nulla eſſe, ſed nulla eſſe præſumi. Secundò ex oppoſita ſententia infertur fruſtra ſeptennium à jure præſcriptum eſſe pro ſponſalibus contrahendis, ſi ſolus uſus rationis pro eorum valore ſpectatur. Nam ſtante uſu rationis valent ſponſalia ante ſeptennium; illo verò deficiente etiam poſt ſeptennium nulla ſunt, ut quid ergo ſeptennium pro valore ſponſalium deſignatur: potius enim uſus rationis deſignari deberet. Quòd ſi dicas deſignari ſeptennium, ut rationis uſus præſumatur, obſtat; quia textus non præſumptionem, ſed ex præſumptione ſponſalium valorem decidunt. Unde præſumptio non eſt materia deciſionis, ſed finis illius.

8. Neque oppoſitæ ſententiæ fundamentum urget. Fateor ſeptennium præſcriptum eſſe, quia ante illud non præſumitur regulariter uſus rationis, qui finis perſeverat, tametſi aliqui ante ſeptennium uſu rationis polleant, quia ſemper verum eſt regulariter uſum rationis ante ſeptennium non adeſſe. Lex verò in ſponſalibus probat ſpectato jure naturæ ſolùm requiri, ut ſponſi intelligant quid agant. Vel dic ſtante ſeptennio ſolùm id requiri, ſecus ante illud. Ad confirmationem reſpondeo, ideo matrimonium ante ætatem puberem contractum validum eſſe malitia ſupplente ætatem, quia ſic eſt jure deciſum, & à regula generali exceptum, cùm autem in ſponſalibus exceptum non ſit; abſque fundamento ea exceptio conſtituitur. Neque ex eo quòd facta ſit exceptio in matrimonio infertur fieri debere in ſponſalibus, nam eſto ſponſalia via ſint ad matrimonium, non quidquid in matrimonio diſpoſitum eſt, cenſeri debet in ſponſalibus diſpoſitum, præterquàm quòd eſt longè diverſa ratio, nam matrimonio præſcribitur tempus pubertatis, quia ante illud non præſumuntur contrahentes potentiam generandi habere, tametſi habeant diſcretionem. Quod ſi poſt pubertatem potentia generandi expedita non ſit, non obinde à matrimonio contrahendo impediuntur, at in ſponſalibus ſi poſt ſeptennium uſus rationis non eluceat, incapaces exiſtunt ea contrahendi.

9. Illud verò eſt certum, ſi ante ſeptennium ſponſalia contracta ſint, adveniente ſeptennio ratificantur

ex

ex mutua habitatione juxta *cap. de desponsat. impuber. in 6.* Quod si habitatio deficiat, ratificare debent verbo, vel facto quibus se tanquàm sponsos gerant. Necessarium tamen est, quod ipsi sponsi sciant sponsalia ante septennium nulla esse, & velint ea rata præstare; aliàs stante ignorantia ratificatio esse non potest: uti tradit Sanch. *lib. 1. disp. 16. numer. 8. & 9.* Gutier. *de matr. c. 2. num. 13.* Basil. Ponce *lib. 12. cap. 5. num. 5.*

10. Tandem inquires, an contrahere sponsalia invalida sit peccatum? Et quidem si invalida sunt ob impedimentum, quòd matrimonio contrahendo obstet, non est dubium, esse grave peccatum; quippe est voluntas contrahendi matrimonium invalidum, cujus contractus peccatum mortale est. Si autem ob defectum ætatis, vel usus rationis nulla sint sponsalia Navarr. *cap. 22. numero 12.* Sylvest. *verb. matrim. 5. numero 6.* Rosella *eodem 2. numero. 6.* Petr. de Ledesm, *de matrim. quæst. 43. art. 2. dub. 3.* affirmant grave peccatum committi ea contrahendo: Moventur ex *cap. 2. de desponsat. impuberum.* ibi: districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem à canonibus determinatam non pervenerint conjungantur, nisi fortè aliqua urgentissima necessitate interveniente, ut pote pro bono pacis talis conjunctio toleretur. Ergo qui ante septennium sponsalia contrahunt absque urgentissima necessitate graviter delinquunt, utpote qui ante ætatem à canonibus determinatam conjunguntur. Cæterùm verius est vel nullum, vel levissimum peccatum esse sponsalia ante perfectum usum rationis, vel ante septennium contrahere. Sic docet aliis relatis Sanchez *lib. 1. disp. 17. numero 4.* Gutierr. *de matrimonio cap. 2. numero 14.* Coninch. *disp. 21. dub. 5. in fine.* Basil. Ponce *lib. 12. cap. 5. numero 4.* Ratio videtur manifesta, nam si contrahuntur ante perfectum usum rationis, non est subjectum capax mortalis culpæ. Si verò ante septennium perfectus usus rationis eluxitin sententia plurium Doctorum non sunt sponsalia irrita, sed valida, ac proinde quæstioni præsenti locus non est. Si verò invalida sunt (uti probabilius defendimus) cum nulla irreverentia sacramento fiat, siquidem sponsalia sacramenta non sunt, sed via ad sacramentum, neque aliqui tertio præjudicium, cùm nullus ex contrahentibus obligatus existat. Non est unde peccatum præcipui grave oriri possit, ad summum erit quidem actus otiosus, & inutilis, ac proinde veniale peccatum. Neque oppositum colligitur ex *capite 2. de desponsat. impub.* loquitur enim de matrimonio; non de sponsalibus, ut colligitur ex illo verbo conjungantur, quod conjunctionem matrimonialem denotat, sponsalibus namque non conjunguntur sponsi, sed promittuntur conjungi.

11. Gravior dubitatio est, an impuberes contrahentes matrimonium per verba de præsenti malitia non supplente ætatem peccent mortaliter? Negat peccare Sanch. *lib. 1. disp. 17. num. 6.* Basil. Ponce *lib. 12. de sponsalib. cap. 5. num. 4.* nisi in copulam conentur. Quia ille contractus non est matrimonij, sed sponsalium, ac proinde nulla fit sacramento irreverentia. Textus verò *in caput. ubi non 2. de desponsat. impuber.* permittens ex urgentissima causa prædictos contrahentes conjungi, de conjunctione in copulam videtur loqui, cujus conatum pro bono pacis tolerandum dicit. Quod si dicas ob nullum bonum licita est, nec permittenda copula inter eos qui vero matrimonio conjuncti non sunt, respondet Sanch. ex urgentissima causa permitti posse, cùm dubium est de matrimonij valore, sicuti est cùm dubitatur de potentia generativa.

12. Nihilominus censeo probabilius secluſa urgenti causa grave esse peccatum impuberes contrahere per verba de præsenti, tum ex *dicto cap. 2. de Desponsat. impuber.* cujus verba manifestam prohibitionem indicant; nonquidem de copula, cujus nulla est facta mentio, sed de conjunctione matrimoniali. Tum ex eo quòd attentare sacramentum nullum efficere gravis irreverentia censetur religioni facta, at contrahentes per verba de præsenti, tametsi sola sponsalia contrahant quantum in ipsis est matrimonium contrahere intendunt ad quod contrahendum sunt impediti. Ergo &c. Neque his obstat textus *in cap. fin de Desponsat. impuber. & cap. unico*, §. *idem quoque eodem tit. in 6.* & alii in quibus videtur matrimonium inter impuberes esse permissum; & vim sponsalium habere, oritique ex eo publicæ honestatis impedimentum, qui textus utpote lati post textum *in cap. ubi de Desponsat. impuber.* nequaquam derogati censeri debent. Non inquam obstat quia si benè supradicti textus; & alij plures expendantur, solum factum narrant, declarantque matrimonium non esse, sed sponsalia: at nullo modo affirmant talem modum contrahendi licitum esse. Quod si id aliquo modo fuisset indicatum, explicandum est stante urgentissima causa ab ordinario approbanda, ut sic textus textibus conformes sint. Causa enim illa urgens irreverentiam excusat, quæ in contrahendo matrimonio fortè nullo intervenire posset, quippe hic modus contrahendi assumendus non est, nisi cum est probabile sponsos generationi aptos esse: nam secluſa hac probabilitate nulla causa esse potest exigens contractum per verba de præsenti, cùm ex eo non matrimonium, sed sponsalia tantùm constitui possint.

Punctum VII.

De effectu quem sponsalia valida habent.

1 *Sponsalia inducunt obligationem matrimonij contrahendi.*
2 *Quando hæc obligatio exequenda est.*
3 *Satisfit objectioni.*
4 *Negant aliqui sponsos fornicantes peccare peccato injustitiæ.*
5 *Probabilius est oppositum.*
6 *Limitat Sanch. ne procedat in sponso, sed displicet limitatio.*
7 *Satisfit opposito fundamento.*
8 *Prædictum peccatum etsi sit contra justitiam, non est adulterium.*
9 *Satisfit objectioni.*
10 *Filij concepti ex coitu cum desponsata non sunt spurij, sed naturales.*

1. DUplex effectus ex sponsalibus oritur; Primus est obligatio matrimonij contrahendi. Secundus impedimentum publicæ honestatis, de quo effectu, cum de impedimentis matrimonij sermo fuerit agendum est. Nunc de primo effectu. Tametsi jure civili uni desponsata alteri nubere non prohibetur *leg. 1. Cod. de Sponsalib.* At jure canonico, cui standum est ferè omnes doctores testantur, uti videre est in Gutierr. *de juram. 1. part. cap. 51. num. 3. & de matr. cap. 15. numero 1.* & Thom. Sanch. *lib. 1. disput. 28.* prædictam legem correctam esse, & obligationem contrahendi matrimonij ex sponsalibus nasci ex textu *in cap. Atho. cap. desponsatas, cap. de conjugali 27. quæst. 2. cap. 2. cap. ex litteris, cap. requisivit De sponsalibus* prædictamque obligationem gravem esse, utpote quæ est de re maximè gravi scilicet matrimonio, cujus omissio parti contrahenti præjudicare non leviter potest. Hoc autem intelligendum est de sponsalibus puberum, nam ab impuberibus contracta cum non sint firmiter valida eorum obligatio adveniente pubertate dissolvi potest, *cap. de illis, cap. à nobis de Desponsat. impuber.*

2. Solùm est dubium, quo tempore hæc obligatio exequenda sit? Et quidem si est terminus præfixus, is servandus est, quia est promissus. At quando nullus dies designatur

deſignatur credit Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 28. *num.* 2. quem ſequitur Gutierr. *de matr. cap.* 15. *num.* 5. non ſtatim data opportunitate obligare, ſed cum pars contrahens requiſierit, argum. *leg. debitores præſentes Cod. de pignorib.* & ibi Gloſſa Generale enim eſt debitorem obligatum non eſſe ſolvere debitum, niſi requiſitum, cum terminus præfixus non eſt, quippe creditor non exigens debitum, cum commodè poſſit, tacitè dilationi conſentit. Secùs ſi ob nimiam verecundiam, ob debiti ignorantiam, ob timorem reverentiæ debitæ, aut alterius inconvenientis omittat exigere. Quod in ſponſalibus ex parte fœminarum ſæpè contingit, quæ licèt maximè cupiant ſponſalia perfici, petere non audent vel ob naturalem pudorem, vel ob ſponſorum timorem, ne tædio affecti deſiſtant.

Cæterùm verius crederem te eſſe obligatum implere ſponſalia, quibus nullus terminus præfixus eſt ab eo die, quo ea contraxiſti. Uti definitur *in leg. in omnibus obligationibus ff. de Regulis juris.* ibi: in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur, *& leg. eum qui* §. *quoties ff. de verborum obligationibus*, ibi: quod ſine termino præfixo debetur, & ſtatim debetur. Probatur, quia non eſt aliqua ſpecialis ratio, ob quam poſt menſem, & non poſt diem impleri ſponſalia debeant, cùm eorum præſentanea executio utilis contrahentibus eſſe poſſit. Deinde contracta non ſunt ſub conditione, quod pars exigat, ſed abſolutè. Ergo nulla eſt ratio, quare expectare debeas partis poſtulationem. Secùs dicendum eſt in mutuo, & precario, quæ non ſtatim ac contrahuntur, debentur reddi, ſed arbitrio prudentis, aliàs melius eſſent utilitatis. Fateor te regulariter ab ſponſalibus, alteriúſve debiti ſolutione excuſatum eſſe, dum creditor non exigit, quia tacitè cenſetur dilationi conſentire, niſi exigere omittat ob gravem verecundiam, ob debiti ignorantiam, ob metum reverentialem, vel aliam ſimilem cauſam, ſed hæc excuſatio eſt per accidens: quia debitum excepto mutuo, & precario per ſe debetur à die quo contractum eſt, ſic Bartholom. à Ledeſm. *de matr. dub.* 13. *initio.* Coninch. *diſp.* 22. *dub.* 1. *concl.* 2. Baſil. Ponce *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 1.

3. Neque adverſus hanc doctrinam obſtat *lex debitores præſentes Cod. de Pignorib.* quia ibi non tam de ſolutione debiti, quàm de diſtractione pignoris ſermo eſt, quod propria authoritate diſtrahi non poteſt, quinimo ad ejus diſtractionem non ſufficit, quod creditor retinens pignus à debitore debitum exigat, minetúrque pignoris diſtractionem ſed inſuper officium judicis implorari debet, & ex ejus juſſu ſolemniter, & coram teſtibus diſtractionem pignoris debitori nî ſolvat denunciari, uti habetur §. *is in fine inſtit. de actionib.* & *leg.* 4. *ff. de pignorat. actione*, ibi: eo moram faciente pignus juſſu judicis vendi poteſt. Ex qua doctrina colligi non poteſt, an ſponſalia, quibus terminus præfixus non eſt debeant ſtatim impleri; vel debeant impleri, poſtquam à parte fuerint requiſita.

Ex prædicto affectu, ſeu obligatione contrahendi matrimonium orta ex ſponſalibus oritur obligatio abſtinendi ab omni eo, quod eorum executionem juſtè impedire poſſit, religionis ingreſſu excepto, uti advertit Coninch. *diſp.* 22. *dub.* 1. *concluſ.* 2. quippe obligatus ad conſecutionem finis, tacitè obligatur, ne conſecutioni impedimenta præſtet.

4. Hinc oritur gravis dubitatio, an ſponſi cum aliis fornicantes non ſolùm peccato intemperantiæ, ſed injuſtitiæ peccent, debeantque hanc circunſtantiam in confeſſione manifeſtare. Negant Cobarub. 4. *decret.* 1. *part. cap.* 1. *numer.* 14. Vivald. *Candelab. ſacram.* 1. *part. materia de ſponſal. num.* 10. Baſil. Ponce *lib.* 12. *de ſponſal. capit.* 6. *num.* 8. Henriq. *lib.* 11. *capit.* 18. *num.* 4. & probabilem reputat Petr. de Ledeſm. *de matrim. quæſt.* 43. *artic.* 1. *dub. ultim.* Moventur, quia prædicta fornicatio ſolùm habet malitiam intemperantiæ, non autem infidelitatis, aut injuſtitiæ, ergo non conſtituit circunſtantiam neceſſariò in confeſſione exprimendam. Antecedens probo, & primò non eſſe infidelitatem, quia non violatur fides in ſponſalibus data, quippe hæc fides ſolùm data eſt de contrahendo inter ſe matrimonio, & non cum aliis, non autem de non fornicando cum aliis, ſicuti ſi promiſiſſes religionem ingredi, & fornicatus eſſes, non obinde peccares contra fidelitatem debitam promiſſioni. Quod autem neque injuſtitiam committas inde probatur, quia dum ſponſalia ſunt, corpus tuum non eſt alterius, ac proinde non tradis alienum. Deinde ſi ob factam fornicationem corpus tuum quod in matrimonio tradere debes, graviter vitiaretur, ſicuti ſi ab equo vendito, neque adhuc tradito oculum erueres, deberes emptori in traditione manifeſtare, ut æqualitas in mutatione ſervetur: at nullus hanc obligationem ſponſis imponit. Ergo ſignum eſt illorum corpus aliena fornicatione non vitiari graviter.

5. Nihilominus probabiliorem exiſtimo ſententiam affirmantem eſſe peccatum mortale, non ſolum contra temperantiam, ſed etiam contra fidelitatem & juſtitiam ſponſos fornicari cum alio. Sic docuit Sarmiento *lib.* 1. *ſelect. cap.* 5. *num.* 3. Ludovic. Lopez, 1. *p. inſtruct. capit.* 29. §. *Ad hæc* Petr. de Ledeſ. *de matr. quæſt.* 43. *art.* 1. *dub. ult.* Sanch. *lib.* 1. *de ſponſal. diſp.* 2. *num.* 5. *&* 6. Ægid. de Coninch. *diſp.* 22. *dub.* 1. *num.* 6. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10 *cap.* 1. *num.* 6. Molin. *tom.* 3. *diſp.* 73. *num.* 6. Gutier. *de matr. capite* 1. *circa finem.* Ratio eſt, quia ſponſi ſibi invicem fidem tradunt de corpore nemini alteri tradendo, niſi ſibimet: at cum alteri extra matrimonium copulantur alteri corpus tradunt, cujus uſus ſponſo erat reſervatus, ergo violant fidem datam. Deinde violant juſtitiam: hæc enim violari poteſt ex eo quod unus ſponſus jus per ſponſalia acquirat, ut ſibimet, & non alteri corpus alterius ſponſi tradatur, tametſi de facto traditio non ſit. Neque valet dicere eſſe acquiſitum jus, ne alteri corpus per matrimonium contractum tradatur, ſed non per copulam fornicariam; quia id falſum eſt; cùm traditio per copulam fornicariam deteſtabilior ſit, quam matrimonialis traditio. Deinde ſponſus obligatus tradere ſuum corpus in matrimonium alteri ſponſo, conſequenter obligatur ei, & non alteri uſum corporis concedere. Cùm ergo alteri per fornicationem concedit, hanc obligationem juſtitiæ violat, cujus violatio grave peccatum conſtituere debet; quia ejus materia gravis eſt. Et confirmatur, ideò conjuges cum aliis fornicantes injuſtitiam committunt; quia ſibimet corpus tradiderunt ad conjugalem uſum; quippe ex hac traditione naſcitur obligatio, ne aliis ſuum corpus tradant non ſolum in conjugalem uſum, quod eſt impoſſibile, ſed neque in uſum fornicarium. At in contractu ſponſalitio hæc corporis traditio promittitur. Ergo promittitur non tradi aliis corpus, neque conjugium, neque in fornicationem. Ergo fornicatio prædictam promiſſionem lædit, & cùm ſit de objecto gravi, grave peccatum conſtituit.

6. Hanc ſententiam limitat Sanch. *dicta diſp.* 2. *n.* 6. Phileucius. *tract.* 10. *cap.* 7. ne procedat in ſponſo cum aliis fornicante, ſed ſolum in ſponſalia. Et quoad ſponſam præter rationem ſuperius factam probari poteſt, quia ea fornicatio eſt ſponſo per ſe graviter injurioſa non ſolùm ob periculum prolis concipiendæ, ſed ob infamiam, quam contrahit ſponſus eam ducens; hæc enim infamia ita gravis eſt, ut vix eſt ullus tam infimæ ſortis qui ſciens ſponſam ab alio eſſe corruptam ducere velit. Quod verò fornicatio occulta ſit, & ſponſo, aliiſque ignota; cum id ſit per accidens non tollit injuriam, & injuſtitiam; ſiquidem per ſe nata eſt prædicta damna cauſare. Cæterùm ex parte ſponſi fornicationem non eſſe gravem injuſtitiam inde probat Sanch. quia communi æſtimatione nulla ſponſæ irrogatur infamia,

infamia,ex eo quod ſponſus cum alia fuerit fornicatus, neque ſponſa eam injuſtitiam magni ducit, cum videat id ſponſis ob hominum malitiam frequens eſſe.

Mihi tamen hæc limitatio non probatur, ſed probabilius exſtimo non ſolùm ex parte ſponſæ, ſed etiam ex parte ſponſi fornicationem grave peccatum injuſtitiæ eſſe, uti docuit Gutier. *de matr. cap.* 1. *nu.* 10. Coninch. *diſp.* 22. *dub.* 1. *circa finem.* Baſil. Ponce, *lib.* 12. *de ſponſalib. cap.* 6. *num.* 8. & probatur tum rationibus adductis pro noſtra ſententia, quæ communes ſunt tam ſponſo quam ſponſæ, nituntur enim juri ex promiſſione acquiſito, quod utique æquale eſt. Tum exeo quod fornicatio tam ex parte ſponſi, quàm ſponſæ præſtat parti innocenti ſufficientem occaſionem, ut delinquentem repudiet; & ſponſalia diſſolvat. *c. quemadmodum de jejurando.* At diſſolutio ſponſalium, & delinquentis repudiatio quid grave eſt, & repulſo non leviter nocivum. Ergo injuſtitia ex qua oritur, gravis cenſeri debet. Tum quia ex prædicta fornicatione naſci filius poteſt ſumptibus ſponſi alendus, quod in ſponſæ præjudicium cedit. Tum denique, quia per ſe datur ſponſæ occaſio gravis triſtitiæ videns aliam fœminam pluris ab ſponſo diligi, timeréque juſtè poteſt etiam poſt contractum matrimonium id ipſum faciendum eſſe. Quod verò nulla ex fornicatione ſponſi, ſponſæ infamia irrogetur, non impedit juris læſionem, in quo injuſtitia conſiſtit, aliàs injuſtitia non eſſet adulterium ex parte viri commiſſum, cum rarò ex illo infamia uxori proveniat.

7. Neque obſtant rationes *num.* 6. adductæ. Ad primam dico ſponſos ſibimet promittere nemini alteri corpus traducturos eo utendum, ac proinde promittunt cum aliis non fornicari. Secùs eſt in promiſſione religionis, ex qua ſolus Deus, non religio jus acquirit, ut religioni vovens ſe tradat, præterquam quod illa promiſſio non eſt de tradendo corpore religioni ad uſum, ſed ad obſequium, ac proinde uſus illius fornicarius non eſt adverſus prædictam promiſſionem, tametſi ex illa jus religioni eſſet acquiſitum. Ad ſecundum reſpondeo injuſtitiam non conſiſtere in eo quod corpus fornicatione vitietur eo vitio, quod obligatus ſit delinquens in matrimonij contractu manifeſtare; ſatis enim eſt quod jus innocentis lædatur traditione alteri facta de corpore ſibi promiſſo, tametſi ex hac traditione non maneat corpus taliter vitiatum, ut delinquens manifeſtare innocenti debeat.

8. Porrò prædictum peccatum etſi contra juſtitiam ſit ſpeciem tamen adulterij non conſtituit, quia adulterium eſt alieni tori violatio, *cap. lex illa* 36. *quæſt.* 1. *leg. inter* §. 1. *ff. ad leg. Iuliam de adult. l.* 1. *in princ. tit.* 17. *part.* 7. At dum corpus ſponſo promiſſum eſt, & non traditum, non eſt illius torum, ſiquidem eo uti non poteſt, ergo illius uſus in fornicatione non eſt violatio alieni tori, ac proinde neque adulterium. Secundò adulterium definit Conſultus *in leg inter* 6. *ff. ad leg. Juliam de adulter.* ut ſit acceſſus ad nuptam, ſponſa autem de futuro nupta non eſt, ſed nuptui promiſſa. Tertiò *ex leg.* 81. *Tauri*, quæ eſt *leg* 4. *titul.* 20. *lib.* 8. *compilat.* ubi dicitur. Si alguna mujer estando casada, o desposada por palabras de presente cometrire adulterio. In quibus judicatur desponsatam per verba de futuro adulterium committere non posse. Atque ita ex communi ſententiam tradunt Cobarub. *decret.* 1. *part. n.* 8. Henriq. *lib.* 11. *c.* 13. *n* 4. Coninch. *diſp* 22. *dub.* 1. *n.* 4. Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 2. *num.* 2. Gutierr. *de matr. cap.* 1. *num.* 16. & alij innumeri apud ipſos.

9. Neque obſtat lex, *ſi uxor* 13. *verſ. divus*, *ff. Ad leg. Iul. de adulter.* ibi, etiam in ſponſa hoc idem (ſcilicet crimen) vindicandum, quia neque matrimonium qualecunque, neque ſpem matrimonij violari permittitur, ubi clarè loquitur Conſultus de ſponſa de futuro, cujus coitus eſt ſicut in uxore vindicandus. Quod verò talis coitus appelletur à Conſulto adulterium, probatur ex illis verbis *hoc idem*, quæ cum præcedentibus jungi debent, præcedentia autem erant. Sed in eam uxorem poteſt maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit. Cùm ergo ſtatim ſubjungat lex, *& hoc idem* vindicantem intelligi debet, de quo antea ſermo erat. Cùm autem de adulterio uxoris mentionem fecerit, apertè ſub nomine adulterij coitum ſponſæ de futuro intelligit, uti tradit Sarmient. *lib.* 1. *ſelect. interpretat. capit.* 5. *à numero* 1. Rifuentes *in leg.* 81. *Tauri*, & Gregor. Lopez, *leg.* 1. *tit.* 17. *part.* 7. *verbo deſpoſadæ.* Non inquam obſtat, nam ut rectè Cobarub. Sanch. Gutierr. *loc. alleg.* aſſerunt verba *hoc idem* non debent totum quod in præcedenti clauſula continetur implicare; ſatis enim eſt, quod illius rationem communem implicent, præſtentque hunc ſenſum, hoc idem injuſtitiæ crimen, ſive adulterium appelletur, ſive non; in ſponſa de futuro vindicandum eſt, licet non eo rigore vindicetur, ac vindicatur adulterium.

10. Advertunt tamen Ægid. de Coninch. *dicta diſp.* 22. *dub.* 1. *num.* 7. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 2. *nu.* 8. Gutierr. *de matr. cap.* 1. *num.* 22. & nos diximus *tract. de benefic. diſp.* 4. *part.* 1. §. 1. *n.* 3. filios conceptos ex coitu cum deſponſata de futuro non eſſe ſpurios, ſed naturales; quia validè, eſto illicitè matrimonium inter ipſos contrahi poteſt.

PUNCTUM VIII.

Qualiter compellendus qui renuit implere ſponſalia?

1 *Compelli poteſt tum in foro conſcientiæ, tum in foro externo, & judiciali.*
2 *Prius monendus eſt, & poſtea compellendus cenſuris, carcere, aliiſque pœnis.*
3 *Compulſio debet eſſe moderata.*
4 *Fit ſatis objectionibus.*
5 *Si cauſa ſubeſt diſſolvendi ſponſalia non eſt cogendus, debet autem cauſa judicialiter cognoſci.*
6 *Judex Eccleſiaſticus, & ſæcularis compellere reſilientem poſſunt.*

1. DUpliciter reſiliens ab ſponſalibus compelli poteſt, primò in foro conſcientiæ, ſecundò in foro externo, & judiciali. In foro conſcientiæ injuſtè ab ſponſalibus reſiliens compellitur negatione Sacramentorum, utpotè qui à peccato mortali non vult deſiſtere: de qua coactione vide dicta de Sacramentis in genere, quia hæc communis eſt omnibus in peccato exiſtentibus. De coactione verò in foro externo, & judiciali per carcerem, per excommunicationem, aliáſve cenſuras, doctores in varias ſententias diviſi ſunt, ut videre eſt apud Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 29. Gutierr. *de juram. capit.* 51. *numero* 4. *& lib.* 1. *canon. quæſt.* 18. *numero* 10. *& de matrim. capit.* 15. *num.* 2. Alij negant reſilientem prædictis pœnis eſſe cogendum, ſed tantùm monendum ex *capit. requiſivit de ſponſalib.* Alij affirmant eſſe cogendum, ſi monitis non acquieverit *ex capit. ex literis el.* 2. *de ſponſalib.* Alij utramque ſententiam conciliant, ut ſententia negans eſſe cogendum intelligatur in ſponſalibus non juratis: ſententia verò affirmans cogendum eſſe, intelligatur de ſponſalibus juratis.

2. Cæterùm ſive ſponſalia jurata ſint, ſive non, ſponſus abſque legitima cauſa de ſponſalibus recedens monendus prius eſt per judicium, ut deſiſtat à receſſu, & promiſſis ſatisfaciat, ſin minus compellendus eſt carcere, excommunicatione, aliiſque pœnis, uti colligitur expreſsè *ex cap. ex litteris el* 2. *de ſponſal.* ibi quia contra juramentum venire periculoſum eſt, mandamus ut eum moneas, & ſi monitis non acquieverit, cenſura compellas, ut in uxorem recipiat, & tradunt Cobarub *decret.* 1. *part. cap.* 4. *num.* 3. Henriq. *lib.* 11. *capit.* 13. *num.* 4. Coninch. *diſput.* 22. *dub.* 2. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *capit.* 1. *numero* 4. Baſil. Ponce. *lib.* 12.

c. 4. *num.* 2. Sanch. Gutierr. *loc. allegat.* ubi innumeros referunt. Ratio ea eſt, quia judex ex officio tenetur procurare, ne ſubditi injuriam patiantur, neve jus eis debitum denegetur. Unde ſi à ſubditis injuriam patientibus requiſitus fuerit, ut injuriantem compellat, ne ſic in injuria facienda proſequatur obligatus eſt ea compulſione uti, quam prudenter judicaverit neceſſariam eſſe ad prædictæ injuriæ remotionem. At ab ſponſalibus reſiliens ſine cauſa gravem irrogat parti quacum contraxit; poteſt ergo à judice compelli, ut ab ea injuria deſiſtat, & ſponſalia impleat. Quod æquè procedat ſive ſponſalia jurata ſint, ſive non, nam in omnibus obligantur ſponſi jus ſibi invicem conceſſum non denegare, & licet textus in *cap. ex litteris* juramentum ponderare videatur; deciſio tamen non juramento nititur, ſed ſponſalium, quæ de facto jurata fuerunt obligationi, tametſi ſtrictiùs cogendi ſunt ſponſi, cum ſponſalia jurata ſunt, & ſtrictiſſimè, ſi puella ſub ea fide deflorata eſt. Neque hæc coactio libertati matrimonij obeſt, quia voluntariè ſe illi ſubiecit, cum matrimonium promiſit, ac proinde non eſt coactio injuſta, & ab extrinſeco, quæ matrimonium impedit, ſed coactio juſta, & ab intrinſeco provenieus, quæ libertatem matrimonij non minuit.

3. Monent tamen pluribus relatis Sanch. *diſp.* 29. *n.* 7. Gutier. *de juram. cap.* 51. *num.* 4. *& de matr. cap.* 1. *num.* 2 Cobarub. *decret.* 1. *part. cap.* 4. *initio, num.* 5. Coninch. *diſp.* 22. *dub.* 1. *num.* 10. judicem procedere debere non præciſa compulſione, ſed moderata, *argum. cap. requiſivit de ſponſalib.* ibi, cùm matrimonia libera eſſe debeant, monenda eſt potius, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles ſoleant exitus habere. Quinimo ſi judex intelligat nihil profuturum excommunicatione, ab illa imponenda abſtinere debet. Quod ſi ea impoſita videat nihil cenſuram prodeſſe, ſed ſponſum pertinacem eſſe, ab ea abſolvere delinquentem debet, ne ea coactus conſenſum fingat, & ſponſâ defloratâ diſcedat.

4. Neque adverſus ſupradicta obſtat textus *in leg ſtipulationes. §. Celſus, ff. de verber. oblig.* decidens in obligationibus facti neminem compelli; ſed ſoluto intereſſe liberari. Nam prædicta lex intelligi debet de factis, quæ æſtimationem recipiunt: Horum enim obligatio ex tacita voluntate contrahentium non eſt ad factum præcisè, quia factum ab invito non rectè præſtatur, ſed eſt obligatio ad factum, vel ad illius intereſſe. Secùs eſt de factis, quæ nullo pretio compenſari poſſunt, uti ſunt ſponſalia, & matrimonium, horum enim obligatio ad factum præcisè eſt, non ad factum, vel intereſſe, cum nullo intereſſe æquari poſſunt.

Neque item obſtat textus *in cap.* 2. *de ſponſalib.* aſſerens reſilientes inducendos eſſe, & omnibus modis inducendos, ut ſponſalia exequantur. Cùm ergo nullum verbum de coactione fecerit, videtur inferri coactione non eſſe utendum. Non inquam obſtat, quia in prædicto caſu veriſſimum eſt nullam coactionem adhibendam eſſe; quia prædicta ſponſalia ex mutuo conſenſu diſſolventur, ut colligitur ex illis verbis: *Si autem ſe adinvicem admittere noluerint.* Ad ſponſalia autem quæ ex mutuo conſenſu diſſolvuntur non coactione, ſed monitione ne diſſolvantur, utendum eſt. Quod ſi monitis non acquieverint ſponſi, patienter toleranda eſt eorum inconſtantia non tanquam malum, ſed tanquam minus bonum, ut benè Cobarub. 4. *decret.* 1. *part. cap.* 5. §. 1. *in principio.* Nec denique obſtat textus *in cap. requiſivit, de ſponſalib.* ubi ne matrimonia coacta ſint, néve difficiles exitus habeant, monitione potius quàm coactione utendum eſſe decidit. Nam ex prædicto textu non colligitur utendum coactione non eſſe, potius contrarium manifeſtè colligitur, utendum inquam eſſe coactione, ſecundariò tamen, & minus principaliter; nam præcipuè monitione utendum eſt. Quod ſi monitio non profuerit, uti potuerit judex coactione, moderata tamen; & ad aliquod breve tempus, non abſoluta, & in perpetuum.

5. Illud verò exiſtimo certum, ſi cauſa rationabilis adeſt diſſolvendi ſponſalia, nullatenus reſilientem cogendum eſſe, uti definitur in *cap. ex litteris de ſponſalib.* ibi: niſi rationabilis cauſa obtenderit, quia eo caſu non recedit injuſtè: ſed juſtè. Quam cauſam etſi Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 29. *num.* 6. exiſtimet non eſſe opus judicialiter cognoſci, ſed ſatis eſſe, ſi judex ex iis quæ præ oculis habet, eam intelligat; verius exiſtimo cognitionem judicialem neceſſariam eſſe, nam cùm ex officio obligatus ſit compellere recedentem abſque cauſa, nequit ab hac obligatione publica liberari, niſi ex cauſa authenticè probata. Præterquam quod nolens compellere cùm ſit à parte requiſitus, manifeſtè indicat vel recedentem ita in malo propoſito pertinacem eſſe, ut nullo modo credatur curandum, vel ſufficientem cauſam recedendi habere, vel ipſum judicem nolle ſuæ obligationi ſatisfacere. Debet ergo cauſam commiſſæ compulſionis publicè conſtare, ſicuti conſtat compulſionis commiſſio. Atque ita docent Petr. de Ledeſm. *de matr. quæſtion.* 43. *art.* 1. *dub.* 3. Gutierr. *de matr. cap.* 15. *num.* 2. *circa finem.* Baſil. Ponce, *lib.* 12. *capit. numer.* 5. *in fine.*

6. Iudex autem compulſionis eſt tam Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis, uterque enim compellere poteſt reſilientem, ut contractum obſervet tametſi contractus juramento firmatus ſit. Excipe tamen niſi de valore ſponſalium, aut de cauſa diſſolvendi illa lis moveatur; quippe eo caſu ſolus Eccleſiaſticus procedere poteſt: quia non de facto ſcilicet ſponſalium executione, ſed de jure illorum, quod eſt ſpirituale agitur, & quia regulariter contingit, ideò lex regia 7. *tit.* 1. *part.* 4. inquit. Eſta à premia debe ſer fecha por la ſanta Egleſia. Uti tradunt Abbas *cap. ex litteris el* 2. *de ſponſalib. num.* 4. Roſella *verb. ſponſalia n.* 3. Brunelle. *de ſponſalib. concl.* 16. *num.* 6. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 29. *num.* 9. Baſil. *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 5. *fine.* Gutierr. *de matr. cap.* 35. *num.* 8.

Punctum IX.

De pœna in ſponſalibus, ſeu matrimoniis adjecta pro firmiori eorum obligatione.

1 *Nemo obligari poteſt ſub pœna ſolvenda.*
2 *Hanc prohibitionem habere locum in reſiliente injuſtè communis ſententia affirmat.*
3 *Sed oppoſitum cenſeo verius.*
4 *Affirmant plures pœnam appoſitam ſponſalibus juramento firmari.*
5 *Alij cenſent obligare juramentum, ſed non firmari promiſſionem.*
6 *Verius eſt nec juramentum firmare promiſſionem, nec eſſe obligatorium.*
7 *Solvuntur oppoſita fundamenta.*
8 *Affirmat Sanch. pœnam ſolutam retineri poſſe, dum non petitur.*
9 *Diſtinctione reſpondetur.*
10 *Refertur triplex opinio, an contrahentes poſſint tranſigere de ſatisfactione damni ex receſſu provenientis.*

1. CErtum eſt apud omnes neminem obligari poſſe ad matrimonium ſub aliqua pœna ſolvenda, id enim pactum prohibitum, & annullatum eſt *in cap. Gemma mulier.* 29. *de ſponſalib.* ibi, Cùm itaque matrimonia libera eſſe debeant, & ideo talis ſtipulatio propter pœnæ interpoſitionem ſit meritò improbanda, mandamus, quatenus ſi eſt ita, eundem B. ut ab extorſione prædictæ pœnæ deſiſtat, Eccleſiaſtica cenſura compellas. Idem traditur, *in leg. Titia* 134. *ff. de verbor. obligation. & leg. fin. Cod. de ſponſalib. lib.* 1. *titul.* 11. *part.* 4. *& leg.* 39. *titul.* 11. *part.* 5. Quod adeò verum eſt, ut quælibet pœnæ appoſitio inter ſponſorum cognatos, & amicos, tutores, vel dominos niſi

matrimonium

matrimonium contrahatur irrita sit, quia horum damnum sponsorum damnum est, sponsosque movere potest ad contrahendum. Secùs si inter extraneos motu proprio (& non ex mandato sponsorum, aut illorum parentum) pœna apposita esset ob contrariam rationem, uti pluribus firmat Sanch. *lib.1. de Sponsalibus, disp.30. à n.2.* Gutierr. *de Matr. cap.17. à num.2.* Neque hanc prohibitionem & irritationem impedit quod pœna apposita levis sit, quia jura indistinctè prohibent pœnam in sponsalibus apponi, & quælibet pœna quantumvis minima ex se libertatem ad matrimonium requisitam diminuit. Quod si in aliquo casu ea libertas non minuatur, per accidens est quod jura non attendunt, seu ea quæ frequenter contingunt spectant, uti benè tradit Abbas *dicto cap. gemma num.8.* Cobarub. *4.decret. 2.part. cap.3. §.7. num.5.* Gregor. Lop. *leg.39. tit.11. part.5. verf. la pena.* Sanch. *disp.30. num.11.* Gutierr. *de Matr. cap.17. num.5.*

2. Triplex tamen est difficultas, an prohibitio prædicta pœna locum habeat in resiliente ab sponsalibus injustè, & perfidè? Communis sententia affirmat, quia relati textus præcipuè in *capit. Gemma* indistinctè prohibent pœnæ interpositionem, ne matrimonii libertas minuatur.

3. Oppositum tamen probabilius existimo cum Ægid. de Coninch. *disput.22. dub.5. concl.2. numero 29.* Suar. *tom.2. de relig. lib.2. de juram. cap.23. num.5.* Cab. Vasq. *opusc. de testam. cap.3. dub.2. num.28.* Layman. *lib.5. tract.10. cap.1. num.8.* Basil. Ponce *lib.12. de sponsalib. cap.19. n.8.* Gotofr. *in leg. Titia ff. de verbor. obligation. verbo, quia inhonestum.*

Ratio est, quia nec jure naturali, nec positivo prohibetur pœnam apponi injustè resilienti. Quod sic probo: Et quidem de prohibitione à jure naturali facta certum est, cum hæc pœna matrimonii libertatem non impediat, utpote quæ non ab alio, sed ab ipsismet contrahentibus ortum habeat, cujus solutioni se voluntariè subjecerunt. Positivo autem jure solùm prohibetur apponi justè resilienti, uti constat *ex dicta leg. Titia de verbor. obligat. & ex dicta leg. fin. Cod. de sponsalib.* Antiquo enim jure Romanorum concessum erat non solùm ab sponsalibus resilire, sed etiam matrimonio contracto renunciare, seu divortium instituere, modo resiliens vellet pœnam legibus statutam subire, scilicet amissionem arrhæ, dotis, & donationis propter nuptias, ut habetur *leg.1. Cod. de sponsalib. & toto titul. ff. de divortiis, & leg. neque ab initio Cod. de divortiis* ubi ne matrimonia ad necessitatem transferrentur, statutum erat, ne alia pœna contrahentes astringerentur, ut habetur *leg. si stipulatio, ff. de verbor. obligationibus.* Cæterùm cùm lege Evangelica hæc libertas recedendi ab sponsalibus, & matrimonio sublata sit, meritò sublata est prohibitio apponendi pœnam injustè resilienti, uti statutum est in Novella 18. Leonis Imperatoris, in qua teste Gotofredo abrogatur dispositio leg. *Titiæ 134. ff. de verbor. obligat.* in ea namque Novella inquit Imperatorum: At sanè ne ut fieri assolet, sponsalia sursum, deorsumque ferantur. Hoc mihi quemadmodum dixi majorem obtinere vim videtur: solius enim arrhæ perditio, quæ in eum qui dedit, ac proinde sponsalibus non acquiescit constituta est, ejusque in duplum restitutio, quam mulctam is qui arrham accepit, deindeque in pacto convento non persistit; sustinet, ut propter pœnæ levitatem ad pactorum rescissionem qui id facere cogitant facilius ferantur, facit. At ex pacto definitæ pœnæ gravius damnum sibi obvenire videns inconstans ille traditor omnino ad divellenda sponsalia fiet. Quod sanè nos etiam nuptialibus contractibus magis conducibile fore animadvertentes quod ex consuetudine fieri solet, in legitimam constitutionem traducimus. Ex arrhæ siquidem perditione faciles sponsalium eversiones video, ex pœnæ persolutione non item. Nam gravius dispendium (pacto enim constitutæ pœnæ arrha major prorsus, atque gravior est) vel invitum inhibens animi inconstantiam acquiescere illis, quæ antea de sponsalibus placuerunt compellet. Hactenus Imperator. Id ipsum constat ex *capite gemma de sponsalibus.* Ubi sponsalia contracta erant ante septennium a quibus licitè poterat contrahens resilire, ideoque justum non erat pœnæ solutione obligari ad perseverandum in sponsalibus. Nullus ergo textus est, quo prohibeatur pœnam imponi in justè resilienti, sed solùm resilienti justè. Neque item ex ratione decidendi textus *in capite gemma de sponsalibus.* Colligi potest pœnam imponi non posse injuste resilienti; quippe textus movetur ad prohibendum pœnam, ne matrimonio contrahendo libertas adimatur, vel aliqualiter minuatur; at ex eo quod injustè resiliens pœnæ solutione moveatur matrimonium celebrare, non minuitur ejus libertas, sicuti minuitur ex eo quod excommunicatione, carceris reclusione, pœnæ pecuniariæ exactione compellatur. Tum quia compellitur ad id quod jure naturali; & divino astrictus est. Tum quia jure ipso nullam habet potestatem, seu libertatem à matrimonio abstinendi. Ergo nulla est libertas licita, & honesta, quæ prædicta solutione pœnæ minuatur. Præterea conventio de solvendis arrhis duplum, vel quadruplum statuta jure civili injustè resilienti non corrigitur ex dicto *capite gemma*, uti tradunt omnes ex communi sententia. Sed hæc est quædam pœna, & gravior fortè quàm ea quæ sæpè ex conventione partium imponitur, ergo pœnæ appositio injustè resilienti nec minuit matrimonii libertatem, neque ullo modo prohibita est. Deinde licitum est teste Sanch. *lib.1. disput.30. num.9. & 10.* Gutierr. *de matrimon. cap.17. num.7. & 8.* Pœnam apponere, ne conjux concubinam habeat, neve absque causa legitima divortium faciat, quia hæc in favorem matrimonii cedit, ergo etiam licita erit pœnæ conventio, ne ab sponsalibus sine causa divertat, siquidem hæc conventio in matrimonii promissi favorem cedit.

4. Secunda difficultas est, an pœna apposita justè resilienti, & secundùm communem sententiam resilienti injustè firmetur juramento, vel saltem debeatur eo juramento appositio? Plures relati à Sanch. *lib. primo, disp.32. num.20.* quos sequitur Coninch. *disp.22. dub.5. n.25.* Affirmant non solùm juramentum de solvenda pœna obligare ad illius solutionem, sed promissionem factam firmare: quia hæc promissio non videtur primariò prohibita ob bonum publicum, sed ob bonum privatum, ne resiliens pœnæ solutione ductus matrimonium minus liberè contrahat. At quoties ob bonum privatum primariò actus prohibetur, juramento confirmari potest, uti pluribus firmat Sanchez *lib.1. disp.32. num.8.* Secundò hæc promissio solvendi pœnam, esto sit contra bonos mores civiles, non tamen contra bonos mores naturales, non enim jure naturæ prohibita est, ergo firmari juramento potest. Tertiò promissio solvendi pecuniam ludo vetito amissam irrita est jure positivo, & tamen juramento firmatur, quia nullam turpitudinem continet, ergo similiter firmari poterit promissio pœnæ sponsalibus appositæ.

5. Alii verò, scilicet Alexand. de Nevo, *dicto cap. gemma de sponsal. n.10.* Humbertus de Bonveco *repert. Auth. Sacram. puberum numero 1,3. Codice si adversus.* Molin. Jesuita *tom.2. de institut. tract.2. disputatione 151. pagin.863.* Lessius *lib.2. capite 17. dub.7. numero 56.* Sentiunt prædictum juramentum obligare, tametsi promissionem non firmet. Moventur quia esto promissio de solvenda pœna in sponsalibus appositæ peccatum sit ut pote prohibita in *dicto capite gemma*, at solutio illius prohibita est. Ergo juramentum de illa solvenda validum erit, & obligatorium, sicuti quia solutio pecuniæ ob homicidium factum licita est, juramentum de illa solvenda validum existit.

6. Nihil

8. Nihilominus verius exiſtimo juramentum non ſolùm non firmare promiſſionem alias invalidam, & prohibitam de pœna in ſponſalibus appoſita ſolvenda, ſed neque obligatorium eſſe. Sic docent pluribus relatis Cobarub. *Rub. de teſtament. 2. part. num. 17.* Anton. Gomez 2. *var. capite 14. numero 24.* Thom. Sanchez *libro 1. diſp. 32. numero 21.* Gutierr. *de matrim. cap. 7. num. 21.* Baſil. Ponce *lib. 12. cap. 19. numero 7.* Et quidem non firmari juramento prædictam promiſſionem conſtat ex his quæ diximus *tractat. de jurament. punct. 9.* præcipuè § 3. Ad firmandum namque contractum aliàs nullum & prohibitum, neceſſe eſt quod jure ſic diſponente vitium purgetur, uti ibidem probavimus, eo quòd juramentum de non retractando contractu nullo, & prohibito iniquum ſit, niſi jus ipſum nullitatem, & prohibitionem tollat. At nullibi ſtante juramento invenitur ſublata nullitas, & prohibitio apponendi pœnam ſponſalibus, ergo juramentum non poteſt confirmare prædictam promiſſionem nullam. Quod verò juramentum de ſolvenda pœna obligatorium non ſit, inde probo. Quia jus interdicens promiſſionem pœnæ in ſponſalibus, non tam promiſſionem, quàm ſolutionem illius interdicit, quia pœna non tam promiſſa, quàm ſoluta libertatem matrimonij diminuit. Ergo juramentum de illa ſolvenda obligare non poteſt, ut pote de re illicita, & prohibita. Et confirmo. Solutio pœnæ etſi per ſe mala non ſit, at quatenus in ſponſalibus promiſſa eſt, iniqua eſt ejus ſolutio, quia eſt promiſſionis iniquæ approbatio. Secùs verò eſt, in ſolutione uſurarum, & pecuniæ per metum extortæ, quia earum promiſſio ob redemptionem vexationis licita eſt. Et idem eſt de ſolutione pecuniæ ob homicidium patratum, cujus promiſſio non per ſe, ſed ex accidenti ſcilicet ex motione ad peccatum iniqua eſt, ac proinde ſublata iniquitate obligat ad ſui executionem. Secùs eſt in pœna ſponſalibus appoſita, quæ ratione ſui prohibetur, ac proinde neque ejus promiſſio, nec ſolutio honeſtari ulla ratione poteſt.

7. Et ex his ſoluta ſunt oppoſita fundamenta. Ad primum primæ ſententiæ nego prædictam prohibitionem non ſpectare bonum publicum, quippe ſpectat libertatem matrimonij. *cap. gemma, cap. requiſivit de ſponſalib. & leg. fin. Cod. eodem tit.* quæ ſine dubio bonum publicum eſt. Adde eſto bonum privatum reſpiceret; confirmare contractum non poſſet juramentum, niſi à jure ſublata eſſet nullitas, & prohibitio, quod in præſenti factum non eſt. Ad ſecundum; ſufficit eſſe contra bonos mores civiles, ut nequeat juramento contractus firmari, dum vitium non purgatur. Ad tertium, admiſſo promiſſionem ſolvendæ pecuniæ ludo vetito amiſſæ eſſe nullam; & prohibitam, conſequenter dicendum eſt illius ſolutionem illicitam eſſe, neque confirmari juramento poſſe. Fundamentum verò ſecundæ ſententiæ ex probatione noſtræ concluſionis ſolutum eſt.

8. Tertia difficultas, an ſtante promiſſione ſolvendi pœnam in ſponſalibus appoſitam nulla, ſi de facto eam ſolvas, poſſit recipiens eam retinere, quouſque à judice compellatur reſtituere? Affirmant Sanch *lib. 2. diſp. 31. num. 2.* Leſſius *lib. 2. de juſtit. cap. 17. dub. 7. num. 56.* Coninch. *diſp. 22. dub. 5. numero 26.* Moventur, quia jura ſolùm annullant promiſſionem, non tamen ſolutionem irritant, neque recipientem inhabilem reddunt. Et confirmatur ex eo quod plures Doctores relati à Sanch. cenſent recipientem pecuniam ludo vetito acquiſitam obligatum non eſſe reſtituere, tametſi ſolvens nullam ſolvendi obligationem haberet, quia leges ſolùm liberant perdentem ab obligatione ſolvendi, at recipientem non reddunt inhabilem ad pecuniæ ſolutæ retentionem. Alij è contra exiſtimant obligatum eſſe recipientem nulla expectata ſententia reſtituere pœnam ſolutam, ſicuti tenetur recipiens lucrum pecunia credita comparatum in regno Caſtellæ, ubi, hi contractus irritantur. Hi ſunt, Sotus, *lib. 4. de juſt. q. 5. art. 2. fine ante ſolut. arg.* Alcozer. *lib. de ludo, c. 30.* Medin. *lib. 1. ſum. c. 14. §. 29.* Gutier. *de juram. 1. part. cap. 53. num. 1.* Ludovic. Lop. *lib. 2. de contractib. cap. 22. fol. 387.* Probant primò, quia promiſſio ſolvendi pœnam in ſponſalibus irrita eſt, & nulla, ut conſtat *ex leg. fin. Cod. de ſponſalibus.* & tradunt omnes. Ergo ſolutio virtute illius promiſſionis factæ nulla eſt, quippe promiſſio non tam propter ſe, quam ob ſolutionem irritatur. Secundò ſolvens pecuniam metu cadente in conſtantem virum promiſſam, eo quod credit ad illius ſolutionem obligari, ſolutio nulla eſt, nec transfert dominium in recipientem, uti probat Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 267.* illa enim pecunia cùm debita non ſit, non poteſt titulo debiti concedi. Ergo ſolvens pœnam ſponſaliorum, credens debitam eſſe quæ debita non eſt, dominium in recipientem non transfert.

9. In hac difficultate diſtinguendum cenſeo cum Joann. Gutierr. *cap. 17. de matrim. num. 15. & ſeqq.* ſi ſolvas pœnam ut promiſſis etiam nullis ſtes, ſciens indebitam eſſe, poterit recipiens eam retinere, quouſque ad reſtitutionem compellatur; quia eo caſu non ſolvis pœnam promiſſam, quatenus virtute promiſſionis debita eſt, ſed donas pœnam promiſſam, eo quod promiſſa fuit; jura autem non donationem, ſed ſolutionem virtute promiſſionis prohibent, & annullant. At ſi ſolvas pœnam ſponſalium, eo quod credas te obligatum eſſe, cùm tamen non ſis, nullo modo poterit recipiens eam retinere; quia non habet titulum, ratione cujus eam retinere poſſit: quippe ſolo titulo debiti, qui nullus eſt, ei fuit conceſſa. Quod verò inquit Sanch. *diſp. 31. num. 3.* hanc pœnam aliquo modo debitam eſſe, verum non eſt: quia ſolùm deberi potuit virtute promiſſionis, quæ prorſus nulla fuit jure ſic diſponente. Ea verò quæ pro aliis ſententiis adduximus ex probatione noſtræ ſententiæ ſoluta manent.

10. Quarta difficultas. An eſto pœna ſponſalibus adiecta minimè debeatur, poſſint nihilominus contrahentes tranſigere, ut reſiliens injuſtè alteri contrahenti compenſet damnum, quod innocenti provenit ex receſſu? In qua difficultate triplicem recenſet Sanch. *lib. 1. diſp. 30. num. 15.* Primam affirmantem obligari contrahentes poſſe eam ad compenſationem damni emergentis, quàm lucri ceſſantis; quia hæc compenſatio non videtur conſtitui in pœnam, ſed in pactum conditionale. Secundam negantem quodlibet pactum de prædicto damno, aut lucro; quia omnis alia ſtipulatio præter arrharum promiſſionem nulla eſt. *leg fin. Cod. de ſponſalib. & leg. Titia ff. de verbor. obligationibus* & libertatem matrimonij diminuit. Tertiam, quam ipſe Sanch. *dicta diſp. 30. num. 15.* & Gutierr. *de matrim. cap. 17. num. 14.* veriorem exiſtimant diſtinguentem inter lucrum ceſſans, & damnum emergens: affirmant namque damnum emergens innocenti ex eo quod reſiliens promiſſis non ſteterit, poſſe in pactum compenſandum deduci. Secùs verò lucrum ceſſans: quæ ſententia mihi maximè probatur, etenim reſiliens injuſtè ab ſponſalibus injuſtitiam committit adverſus innocentem. Ergo damnum quod innocenti provenit ex prædicto receſſu, quale eſſet, ſi aliquas expenſas fecit in ſponſalibus contrahendis, vel ob eam cauſam alia ſponſalia ſibi non leviter utilia amiſit, tenetur injuſtè reſiliens compenſare etiam ſecluſa omni pactione. Poterit ergo hoc damnum deduci in pactum, quia non ex pacto, ſed ex injuſtitia violatæ fidei debetur, jus autem poſitivum irritat compenſationem aliàs non debitam, ſecùs verò quæ jure naturali debita eſt. Nullatenus verò deduci in pactum poteſt lucrum, quod innocenti proveniret ex matrimonio cujus erat promiſſio. Ponamus ergo ſponſum recedentem locupletiſſimum eſſe, neque alium æquè locupletem ab innocente inveniri, quo caſu non eſt dubium innocenti maximum lucrum ceſſare ex receſſu delinquentis. Ad hoc igitur lucrum compenſandum

dum nequeunt contrahentes se mutuò obligare, quia obligarentur ad solvendam pœnam aliàs indebitam, cùm ad illud lucrum non habeant jus nisi post matrimonium contractum. Hac distinctione facili solvuntur, quæ ex aliis sententiis adduximus, ita ut sigillatim non sit necesse ea explicare.

Punctum X.

An pœna consistens in lucro non acquirendo rejiciatur ab sponsalibus?

1 *Qualiter hæc pœna constitui possit?*
2 *Ex rationabili causa hæc promissio valida est.*
3 *Promissio facta à viro uxori propter nuptias tenet nuptiis sequutis.*
4 *Donatio, seu promissio contrahentibus facta ab alio tertio firmitatem habet.*
5 *Neque infirmatur dicta promissio, esto contrahentes sint consanguinei.*
6 *Reiicitur prædicta conditio, si legitimè opponatur.*
7 *Legatum virgini relictum sub conditione, ut Titio nubat, non efficitur caducum, si alteri nubat ex paterno jussu.*
8 *Examinatur, an legatum relictum sub conditione ut nobilem ducas, possis obtinere, si prima vice nobilem ducas, tametsi secunda ignobilem.*
9 *Gravatus aliquam ducere in uxorem amittátne legatum, si requisitus renuat, etiam si postmodum velit.*
10 *An gravatus Mariam ducere, amittat legatum ducta alia, si viduus effectus Mariam ducere velit.*
11 *Quid si Maria recusavit, & postea velit.*
12 *An astrictus ducere Mariam, si ipsa renuat, perdat hæreditatem? Negat communis sententia.*
13 *Apponitur quædam limitatio.*
14 *Quid de testatore relinquente legatum Mariæ, si Titius cum ea contraxerit, & Titius recusaverit.*
15 *Perdátne legatarius legatum relictum sub conditione, si conditio casu deficiat.*
16 *Apponuntur variæ limitationes.*
17 *An legatum relictum puellis maritandis concedi possit religionem ingredientibus? Proponitur ratio dubitandi.*
18 *Sub distinctione respondetur.*
19 *Excipitur ab hac distinctione legatum relictum puellis consanguineis testatoris.*
20 *Quare jus præsumit testatorem legatum certæ personæ relictum velle concedere, si religionem ingrediatur, non autem relictum personis incertis.*

1. Hæc pœna constitui potest tum à contrahentibus tum ab alio tertio; à contrahentibus constituitur, si vir promittat fœminæ, vel è contra certam quantitatem, si ipsi nupserit. Ab aliis verò constituitur, ut si eam quantitatem promittant viro, vel fœminæ, si matrimonium contrahant, & non aliter. Qua in re communis est sententia eam promissionem factam ab aliquo ex contrahentibus nullam esse, nisi ex aliqua rationabili causa fiat, quia præsumitur facta affectu libidinis, & ob eam causam reprobatur in leg. *si ita stipulatus fuero. §. si tibi nupsero, ff. de verbor. obligat.* ibi: *si tibi nupsero decem dare spondes*, causa cognita denegandam actionem puto, nec rarò probabilis causa hujusmodi stipulationis est. Idem si vir à muliere eodem modo non in dotem stipulatus est, & tradit ibi Bart. Cobarub. 4. *decret.* 2. *par. cap.* 3. §. 3. *num.* 1. Sanch. *lib.* 1. *disput.* 33. *num.* 3. Gutierr. *de matr. cap.* 20. *num.* 2. & alij apud ipsos.

2. Verùm si ex rationabili causa prædicta promissio à contrahentibus fiat; valida est, ut deciditur expressè *cap. de illis de conditionib. appositis.* Censetur autem ex rationabili causa promissio fieri, si fiat à fœmina viro, quia præsumitur facta in dotem. Deinde si fiat à viro sene, vel ignobiliore puellæ nobiliori, quia censenda est in compensationem juventutis, & nobilitatis fieri, ut docent relati Doctores.

3. Illud verò est certum promissionem factam à viro uxori causa donationis propter nuptias validam esse, & sequutis nuptiis confirmari, quia non est donatio gratuita, sed remuneratoria dotis receptæ. Et habetur *leg. si constante Cod. de donationib. ante nuptias*, & tradit Bart. *in leg. si ita stipulatus fuero. §. si tibi nupsero num. unico ff. de verb. obligationib.* Cobarub. *decret.* 1. *part. cap.* 3. §. 3. *n.* 2. & 3. Sanch. *disput.* 33. *num.* 5. Gutierr. *capite* 20. *numero* 3.

4. Si autem ab alienis donatio, seu promissio fiat contrahentibus de lucro acquirendo, si matrimonium contrahant valida est donatio, seu promissio; quia hæc non est pœna, sed præmium matrimonij contrahentibus propositum, uti docet Molin. *l.* 2. *de prim. cap.* 13. *à num.* 1. Mantic. *de conjectur. ultim. volunt.* 11. *tit.* 18. *num.* 1. Cobarub. *dicto §.* 3. *numero* 6. Sanch. *dicta disput.* 33. *numer.* 6. Gutierr. *cap.* 20. *numer.* 4. Quod adeò verum est, ut si dones, vel leges Mariæ hæreditatem ea conditione, ut Titio nubat alias amittendam, valida sit dispositio, quia non privas Mariam hæreditate absolutè acquisita, sed acquirenda sub ea conditione, ut Titio nubat, ut benè aliis relatis Sanch. *num.* 7. Gutierr. *num.* 5. Quinimo si instituas Mariam hæredem sub eo modo, ut Titio nubat, sin minus eam hæreditate privas, tenet institutio; quia non privas hæreditate plenè acquisita, sed acquisita sub eo modo, sicuti notavit Sanch. *num.* 8. Gutierr. *num.* 5.

5. Neque hanc institutionem infirmat, tametsi Titius cui Maria nuptura est sit illius consanguineus intra quartum gradum, quia esto Pontificis dispensatio requiratur, ea dispensatio non est impossibilis, sed possibilis, & facilis, cùm passim obtineatur, ergo non debet ut impossibilis reiici. Hoc autem intelligendum censet Thom. Sanch. aliis relatis *lib.* 8. *disp.* 3. *num.* 19. & 26. ut procedat, si testator, vel donans dispensationem expresserit, secùs si ea omissa institutionem fecerit. Movetur *ex leg. regia* 14 *in fine tit.* 4. *part.* 6. ibi: fueras ende si aquelcon quien la mandaba que casa se fuese pariente della. Sed rectius Molin. *lib.* 2. *de Hispanor. primog. cap.* 13. *num.* 1. Gutierr. *de matr. cap.* 26. *num.* 6. credunt dispositionem subsistere, tametsi dispensationis Pontificiæ non meminerit; quia præsumendus est illam velle. Non enim est credendum, velle testatorem, ut Maria nubat Titio contra juris ordinem, vel ejus institutionem caducam fieri. Unde lex regia intelligi debet, nisi is quocum Maria nuptura est talis sit, quocum Pontifex rarè, difficillimèque dispenset, ut si esset in secundo gradu consanguinitatis; quia eo casu reiicienda est ea conditio, nisi testator dispensationis Pontificiæ obtinendæ meminerit.

Quod si dispensationis meminit, variant Doctores an sit reiicienda? Affirmant Molin. *lib.* 2. *de primogen. cap.* 13. *num.* 12. & 13. & Henriq. *lib.* 12. *de matr. cap.* 10. *num.* 4. reiiciendam esse prædictam conditionem utpote fermè impossibilem, & legatum purum subsistere. Sed rectius Acosta *lib.* 1. *select. interpret. capite* 8. *num.* 14. Mol. *in annotat. appositis ad finem libri num.* 21. Sanchez *libro* 5. *de matr. disput.* 5. *numero* 20 Gutierr. *de matr. cap.* 20. *num.* 7. Negant prædictam conditionem reiici debere, quia esto difficillimè dispensatio impetretur, absolutè impossibilis non est, cum sæpè videamus concedi. Non igitur reiici debet ea conditio, ut impossibilis.

6. Conveniunt tamen Doctores reiici prædictam conditionem, si legitimæ, vel aliàs debitæ hæreditati apponatur, quia nequit gravari quod liberè debitum est, ut benè Cobarub. 4. *decret.* 2. *part. capite* 3. §. 3. *numero* 7. Mantica *de conjectur. ultimarum volunt. tit.* 18. *num.* 12. Molin. *libro* 2. *de primogen. capite* 13. *num.* 4. Sanch. *disp.* 33. *num.* 10. Gutierr. *cap.* 29. *numero* 8 *ex leg. quoniam in prioribus Cod. de inofficioso testam.* Secundò reiicitur, si nuptiæ indignæ sint hærede, vel legatario. Nam

ob difficultatem gravem, quam paſſurus eſſet legatarius in ea conditione implenda, jus eam conditionem ut impoſſibilem rejicit, *leg. cum ita legatur ff. de condit. & demonſtrat. & leg.* 14. *tit.* 4. *part.* 6. ibi : conquien no podia, ni debia caſar ; & *leg.* 32. *tit.* 9. *parte* 9. & tradunt omnes Doctores teſte Sanchez *diſp.* 33. *num.* 11. Gutierr. *cap.* 20. *n.* 9. Hoc autem intelligendum eſt inquit Sanch. & Gutierr. modò fœmina, cui prædictum gravamen imponitur vidua non ſit, nam ſi vidua eſt, eſto non tenetur indigno nubere, tenetur tamen à nuptiis abſtinere, quia in ea diſpoſitione duo imbibuntur, primum expreſsè, nempe, ut nubat indigno quod rejicitur, ſecundum tacitè, ut nemini alteri nubat, quod in viduo & vidua ſuſtinetur, *leg. cum tale ff. de condit. & demonſtrat.* Unde ſi alteri nubat perdit legatum.

7. Ex his inferunt Mantic. *de conjectur. ult. volunt. lib.* 11. *tit.* 18. *in fine.* Molin. *lib.* 2. *de primogen. cap.* 13. *num.* 22. Cobarub. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 8. *num.* 2. Thom. Sanch. *diſp.* 33. *num.* 13. Gutierr. *cap.* 20. *n.* 11. & alii apud ipſos legatum virgini relictum ſub conditione, ut Titio nubat non effici caducum, ſi alteri nubat ex paterno juſſu, quia prædicta conditio ſubintelligenda erat, quatenus decenter, & honeſtè impleri poſſet. At non eſt decens, neque honeſtum, ut virgo alicui nubat contra patris voluntatem. Ergo eo caſu non eſt cenſenda obligata Titio nubere, & conſequenter nec legatum amittere.

8. Pro prædictorum intelligentia enodant Sanchez *diſp.* 33. *à n.* 14. & Gutierr. *de matr. cap.* 20. *à num.* 12. aliquot difficultates, quas ſuo ordine proponemus. Prima eſt, an legatum tibi relictum ſub conditione ut nobilem ducas, aliàs legatum amittas, ſatisfacias huic diſpoſitioni, ſi prima vice nobilem ducas, tametſi viduus effectus ignobilem duxeris ? Rationem dubitandi præſtat regula illa communis : Sermo ſimpliciter prolatus de prima vice eſt intelligendus, *leg. boves*, §. *hoc ſermone ff. de verbor. obligat.* quod maximè verum habere debet in iis quæ odioſa ſunt, & libertatem matrimonii aliquo modo diminuunt, ut eſt in præſenti. Atque ita docent Acoſta *in l. cum tale*, §. *ſi arbitratu ampliat.* 3. *num.* 10. *ff. de conditione & demonſtrat.* Sed omnino tenendum eſt te prædictæ diſpoſitioni non ſatisfacere, eo quod finis diſpoſitionis ne ſcilicet hæreditas ad ignobilem deveniat, æquè in ſecundo matrimonio, ac in primo procedit, cùm æquè ex utroque filii procreari poſſent. Atque ita affirmans eſſe omnium docet Peralta, *in leg. unum ex familia* §. *etſi fundum, num.* 31. *ff. de legat.* Mantica *de conject. ult. volunt. lib.* 11. *tit.* 18. *num* 3. Sanchez alios referens *lib.* 1. *diſp.* 33. *num.* 14. Gutierr. *de matr. cap.* 20. *num.* 12. Neque obſtat *lex boves* §. *hoc ſermone.* quæ intelligenda eſt, cùm non procedit eadem ratio in ſecunda vice, ac in prima. Secùs ſi eadem ratio militat, ob quam in diſpoſitione affirmativa ducendi nobilem, negativa conditio clauditur ne ignobilis ducatur.

9. Secunda difficultas ; an gravatus aliquam ducere in uxorem, ſi requiſitus renuat, amittat legatum, vel hæreditatem, ita ut pœnitentia ductus illud recuperare non poſſit ? In qua difficultate optimè diſtinguit Pelaez *de majorat.* 1. *part. quæſt.* 50. *num.* 13. quem ſequitur Sanch. *dict. diſp.* 33. *num.* 15. Gutierr. *de matr. cap.* 10. *num.* 13. Si legans, ſeu inſtituens voluit ipſo jure privare hæredem, vel legatarium nolentem diſpoſitioni acquieſcere hæreditate, vel legato, & ſucceſſori applicare, nullatenus poterit id recuperare, eſto pœniteat, quia ſucceſſor non poteſt ob novam legatarii pœnitentiam jure ſibi quæſito privari. Excipe niſi legatarius, cui conceditur beneficium reſtitutionis in integrum, quia eo caſu ſucceſſori non eſt plenè jus quæſitum. Si autem non privet ipſo jure hæreditate, vel legato, poterit optimè pœnitere, quia nemini quæſitum jus eſt, ſed omnia integra ſunt.

10. Tertia difficultas, an hæres, vel legatarius gravatus Mariam ducere amittat legatum, vel hæreditatem, ſi aliam duxerit, tametſi viduus effectus Mariam ducere velit ? Communis reſolutio eſt legatum, & hæreditatem amittere, quia non ſatisfacit diſpoſitioni, quæ de primis nuptiis, non de ſecundis intelligitur, *leg. matrimonii ff. Qui*, & *à quibus*, & *leg. quod ait.* §. *proinde ff. de Divortiis leg. hæc conditio filiæ meæ. Et leg. cum ita* §. 1. & *leg. hoc genus ff. de conditionib. & demonſtrat.* Quod intelligendum eſt, ſi tempore delatæ hæreditatis, vel legati aliam à Maria duxit. Secùs ſi hæreditas, vel legatum delatum eſt tempore viduitatis, quo Mariam ducere intendit, quia tempus delatæ hereditatis, vel legati ſemper reſpiciunt conditiones appoſitæ, uti dicitur *leg. intervenit ff. de legat. præſtandis.* Atque ita docent Acoſta *leg. cum tale* §. *ſi arbitratu limit.* 3. *num.* 2. & *ſeqq. ff. de conditionib. & demonſtrat.* Molina *lib.* 2. *de primogen. cap.* 13. *num.* 16. Sanch. *diſp.* 33. *n.* 17. Gutierr. *de matr. cap.* 20. *num.* 15. Quod ſi hoc tempore Maria cum alio nubat, hæres, vel legatarius hæreditatem, ſeu legatum non amittet, quia per ipſum non ſtetit conditionem implere. Quinimo eam viduam factam non tenetur ducere, quia conditio de primis, & immediatis nuptiis intelligi debet, ut benè tradunt Doctores nuper relati.

11. Quarta difficultas, an perdat legatum gravatus Mariam ducere, ſi ipſa nuptias primò recuſavit, & poſtmodum annuat, gravatus autem eo tempore nolit ? Qua in re Sanch. *diſp.* 33. *num.* 18. approbat diſtinctionem Manticæ *de conject. ult. volunt. lib.* 11. *tit.* 18. *à n.* 38. & Menoch. *lib.* 4. *de Præſump. præſumpt.* 183. *à n.* 2. ſi tempore quo Maria ducenda erat, & nuptias recuſavit, hæres, vel legatarius alias contraxit nuptias, vel hæreditatem, ſeu legatum adit, vel ſi non adit, eſt legatum non quantitatis, ſed ſpeciei, quod ſtatim in legatarii dominium tranſit, non amittet legatum, quia conditio habetur pro impleta, argum. *leg.* 1. *Cod. de inſtit. & ſubſtitutionib.* At ſi nullas contraxit nuptias, nec hæreditatem adit, neque hæreditas eſt ſpeciei ſcilicet domus, vel fundus ſed quantitas, nempe pecunia, vel aliquid modii tritici pendet legatum, ſi Maria denuo conſentiente ipſe renuat, quia omnia ſunt integra.

12. Quinta difficultas, an aſtrictus Mariam ducere ſub pœna privationis hæreditatis hæreditatem amittat, ſi ipſa requiſita nolit nubere ; Communis eſt ſententia, quam tradit Molin. *lib.* 2. *de Hiſpanor. primog. cap.* 13. *num* 14. Molina Jeſuita *tract.* 2. *diſp.* 206. *in fine, & diſp.* 207. *circa medium.* Mantica *de conject. ultim. volunt. lib.* 11. *tit.* 18. *num.* 37. Menoch. *de præſumpt. lib.* 4. *præſumpt.* 183. *num.* 25. Sanch. *lib.* 1. *diſput.* 33. *num.* 19. & 20. Gutierr. *de matrim. cap.* 20. *n.* 8. Negans hæreditatem amittere, eo quod videatur ad illud matrimonium gravati non abſolutè, ſed Maria conſentiente, quare illa renuente ceſſat gravamen impoſitum, & conditio reputatur impleta, *ex leg.* 1. *Cod. de inſtit & ſubſtitutionib. & leg.* 14. *titul.* 4. *part.* 6. Neque opus eſt ad liberandum gravatum à conditione ſibi impoſita ducendi Mariam, quod ipſa expreſsè recuſet nuptias. Satis enim eſt, quod virtualiter eas recuſet impedimentum malitiosè apponens, ne à gravato requiratur, ut benè tradit Molina Jeſuita, Gutierr. & Sanch. *ſuprà.* Debet tamen gravatus hanc proteſtationem ſuæ intentionis ex mandato judicis præſtare ad domum ipſius mulieris, ejuſque conſanguineis notam facere, ut mulieris malitia, & recuſatio, & gravati diligentia nota ſit, uti tradunt prædicti Doctores.

13. Prædicta limitant communiter ſcribentes teſte Gregor. Lopez *in dicta leg.* 14 *tit.* 4. *part.* 6. *verbo eno ſe le enbargara.* Eman. Acoſta *leg. cum tale* §. *ſi arbitratu limit.* 3. *num.* 18. Molin. *de primogen. cap.* 13 *num.* 19. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 33. *num.* 21. Gutierr. *de matr. cap.* 20. *num.* 19. ne procedant in contractu irrevocabili inter

vivos,

vivos, sed solùm in ultimis voluntatibus. Credunt enim favore ultimarum voluntatum introductum esse *in leg.1. Cod. de inst. & substit.* & aliis, ut dispositionis conditio censeatur impleta, quoties per gravatum non stat gravaminis executio. Quod ad contractus (inquiunt) intra vivos trahi non debet, sed necessariò conditio in specifica forma implenda est, aliàs donatum deficiet, nisi aliud à donante exprimatur. Cæterùm etsi hoc commune sit, & ut commune consulendum, probabile satis est, & æquitati non parum conforme, ut videre est apud Molin. *suprà*, donatarium cui donatum conceditur sub aliqua conditione ab alterius voluntate pendente retinere donatum posse, si per ipsum non steterit, quo minus conditio exequutioni mandetur: quia subintelligendum est donatum concedi sub conditione non impossibili, sed possibili, & rationabili, ac proinde quatenus a donatario pendet.

14. Sexta difficultas; quid sit dicendum, si testator Mariæ legatum reliquit sub hac forma: *Lego Mariæ, si Titius cum ea contraxerit*, an Titio recusante obtineat Maria legatum, si per ipsum non steterit? Variant Doctores, uti constat ex adductis ab Acosta *leg. cùm tale* §. *si arbitratu limit.6. num.27. ff. de condit. & demonst.* Menoch. *de præsumpt. lib.4. præsumpt.183. à n.32.* Mantica *de conjectur. ultim. volunt. lib.11. tit.18. num.37.* Sed rectiùs Gregor. Lopez *dicta leg.14. verbo si casare tit.4. part.6.* Quem sequitur Sanch. *disp.33. num.22.* Gutierr. *cap.20. de Matr. num.20.* asserit inspiciendum esse cujus intuitu, & favore testator matrimonium contrahi voluerit, nam si favore Mariæ legatariæ obtinebit legatum. Secùs si favore Titii.

Hinc inferunt Sanch. *num.23.* Gutierr. *num.21.* si tibi legatum, seu donatio fiat, ut facias aliquod matrimonium contrahi, eo non contracto non obtinere legatum, aut donationem, tametsi omnem diligentiam præstiteris, ut matrimonium contraheretur, quia non est pœna, sed præmium, quod non censetur oblatum, nisi effectu sequuto. Cæterùm juxta superiùs dicta, crederem legatum te retinere posse; quia in ultimis voluntatibus conditio impleta censetur, quoties in culpa non es exequendi conditionem, secùs verò donatum, quia in donationibus ex communi sententia non diligentia, sed effectus sequutus spectatur.

15. Septima difficultas, an si prædicta conditio mixta, pendens inquam à plurium voluntate casu deficiat, perdat hæres, seu legatarius hæreditatem, vel legatum, v. g. instituta est Maria hæres, vel legataria sub conditione, ut Titio nubat, antequam id potuerit præstare mortua est, vel Titius; debeturne illi legatum, seu hæreditas; Molina Jesuita *tract.2. disput.106. & disp.207.* Censet, si Titius moriatur, & ipsa supervivat, deberi hæreditatem, seu legatum; quia non est æquum privari ob defectum conditionis absque ejus culpa contingentem. Secùs verò si ipsa decedat; cùm hæreditas non fuerit ipsi radicata; ut ad successores transire posset. Communis tamen resolutio est teste Molina Jesuita *lib.2. de Hispan. primogen. cap.13. num.23. & sequentibus.* Mantica *de conjectur. ultim. volunt. leg.11. titul.18. num.37.* Menoch. *de præsumpt. lib.4. præsumpt.183. num.40. & 41.* Thom. Sanchez *lib.3. disp.33. num.24.* Gutierr. *de matr. cap.20. num.22.* In utroque casu perire hæreditatem, seu legatum: quam concessum fuit sub conditione nuptiarum, qua conditione sublata legatum perit, nisi à jure conditio suppleatur, uti contingit cùm ex malitia pars non gravata nuptias recusat. *leg.1. Cod. de inst. & substit.* Atque ita habetur expressè *leg. legatum Cod. de conditionib. insert.* ibi: *cùm mortuo filio priusquam matrimonium cum eo contraheres, conditio defecerit, nulla ratione deberi tibi existimas.* Et *leg. in testamento el.2. ff. de condit. & demonstrat. & leg. regia 14. tit.4. part.6.* Si acaeçiese que la mujer se muera, o aquelcon quien la mandaba casar antes que se cumpla la condicion no vale el est ablecimiento, o la manda que asi fuese fecha.

16 Huic doctrinæ, ut constat ex Menoch. Mantic. Molin. Sanch. Gutierr. *locis allegatis*; plures limitationes adhibentur. Prima, ne procedat in majoratus institutione, hæc enim institutio ex præsumpta testatoris voluntate subsistere videtur, casu quo institutus supervivat, tametsi moriatur is, quocum matrimonium contrahendum erat, quia non petitur matrimonium ut conditio; sed ut modus, quo deficiente non perit dispositio, uti tradit Molin. *dicto lib. . cap.13. num.25.* Sed hoc sublimitat duobus modis Molin. & bene *in annotat. ad dictum cap.13. num.13. in fine operis*, quem sequitur Gutierr. *num.24.* Primò ne procedat, quando extraneus est institutus, & persona quacum contrahere debebat ex familia institutoris. Secundò si fœmina vocata esset sub ea conditione, ut agnato nuberet; idque ob conservandam agnationem, quia in his casibus cessat præsumptio, cum manifestum sit non aliter testatorem voluisse institutionem subsistere, quàm conditione observata. Secundò limitatur, ne procedat in legato alimentorum. Quippe favore alimentorum conditio casu deficiens censetur impleta, quapropter si puellæ pauperi legatum in dotem relictum sit, ut Titio nubat, & antequam id præstare possit Titius deficiat, legatum obtinebit, quia censetur quasi in alimenta concessum, uti tradit Menoch. *dicta præsumpt.183. num.42.* Mantic. *lib.11. tit.22. num.32.* Sanchez *dicta disp.33. num.25.* Gutierr. *cap.20. n.25.* Tertò limitatur in legato libertatis, quia favore libertatis conditio casu deficiens reputatur impleta, ut bene Menoch. *num.43.* Quartò in legato ob causam piam, quæ favores libertatis obtinet. Menoch. *num.44.* Quintò in legato, cujus conditio partim impleta est; quia reputatur integrè impleta, ne dispositio pereat. Menoch. *num 45.* Sextò si matrimonium contrahendum non ut conditio, sed ut modus postulatum est, non perit legatum, si deficiat is, quocum legatarius contrahere debet, ut bene Molin. Sanchez, Gutierr. Menoch. *locis relatis* tradunt. Ex verbis autem institutionis colligendum est, an sub conditione, vel sub modo gravamen appositum fuerit. Septimò quoties conditio deficit ex legantis defectu: v. g. legavit centum Ecclesiæ testator, si ibi fuerit sepultus, mortuus est excommunicatus, obtinet Ecclesia legatum, ut optimè docent aliis relatis Menoch. *dict. præsumpt.183. num.46.* Sanch. *disp.33. num.26.* Quia æquum non erat privari Ecclesiam legato ob non concessam sepulturam, quam jure concedere non poterat. Quoties vero conditio deficit ex impedimento appositio ab aliquo tertio, quia scilicet impedit matrimonium contrahendum, conditio non reputatur impleta, sed legatarius actionem habet adversus impedientem, ut damnum, quod ex impedimento ei provenit, & lucrum; quod cessat satisfaciat. Quod intelligendum est modò ab impediente satisfactionem obtinere possit, ipseque teneatur eam præstare, neque sit ex cujus consensu conditio, ut latiùs tradunt Molin. Menoch. & Sanch. *locis sæpè alleg.*

17. Octava, & gravissima difficultas, an relictum puellis maritandis concedi possit religionem ingredientibus? Ratio difficultatis est, quia religio est quoddam spirituale matrimonium, & sub eo nomine continetur juxta illud 1. ad Timoth.5. *Cum luxuriata fuerint in Christo nubere volunt*; & colligitur ex *cap.2. & ult. de transl. prælat. cap. ex publico, de convers. conjugat.* & tradit Bart. *authent. de sanctissim. Episcop.* §. *sed & hoc præsenti collat.9. num.2.* & Bald. Cynus, Paul. de Castro *in authen. nisi rogati, Cod. ad Senatusconsult. Trebellian.*

18. Sed distinguendum est, si legatum relictum sit alicui determinatæ personæ, ut matrimonium contrahat, poterit concedi si religionem ingrediatur ex expressa

pressâ decisione textus. §. *sed & hoc præsenti Auth. de sanctissim. Episcop. collat. 9. & Authent. nisi rogati Cod. ad Senatusconsult. Trebell.* & tradunt post alios antiquiores Cobarub. 1. *Var. cap. 19. num* 10. Mantica *de conjectur. ultim. volunt. lib. 11. tit. 18. num. 26.* Menoch. *lib. 4. præsumpt. 148. ann. 13.* Gutierr. *cons. 26. num. 13. & lib. 1. can. quæst. num. 20. & de matr. cap. 20. num. 27.* Sanch. *lib. 1. disp. 33. num. 19.* Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 207. concl. 1.* Rationem aliqui Doctores reddunt, ne via statui perfectionis præcludatur. Sed est frivola ratio; nam prædicta dispositio viam perfectioni non præcludit, tametsi matrimonii statum foveat, quod bonum est. Nemo enim obligatur in opera perfectioris suas divitias expendere, sufficit, si eas expenderit in opus honestum, quale est puellas pauperes dotare, neque puella ex hac dispositione impeditur à religione, cùm possit legato relicto religionem amplecti. Quapropter fundamentum hujus decisionis est sola præsumptio à jure facta voluntatis testatoris, qui creditur in legato relicto determinatæ personæ in matrimonium collocandæ solùm spectasse quod ipsi personæ utile sit, eamque in statum decentem collocare. Cùm ergo religionem ingrediens statum decentem, & maximè utilem assumat, ex præsumpta testatoris voluntate legatum obtinebit. Secùs erit si non solùm legatum relictum sit determinatæ personæ, ut matrimonium contrahat sed ut contrahat cum persona determinata; quia ea addita satis exprimit non spirituale matrimonium, sed carnale velle. Quod si ea persona, cui puella nubere debet obiisset, antequam ipsa esset in mora, necessariò alteri nuptura est, ut possit legatum obtinere; quia non conceditur legatum ob solam vitam cœlibem, sed ob matrimonium; ei autem religionem ingredienti & legatum concederetur ex præsumpta testatoris voluntate. Cùm enim cessaverit matrimonium cum determinata persona contrahendum, & solùm relinquatur obligatio contrahendi matrimonii, recidet juris præsumptio velle testatorem ad nuptias tam carnales, quàm spirituales legatum concedere.

At si legatum relictum sit non personæ determinatæ, sed indefinitè pro puellis maritandis, nequaquam concedi poterit religionem ingredientibus, quia dispositio textus *Authent. de sanctissim. Episc. §. sed hoc præsenti collat. 9.* solùm est de legato relicto certæ personæ, ibi, *sive reliquerit suis liberis, sive alii cuicunque personæ.* Ergo trahi non debet ad legatum incertis personis relictum, quia est dispositio à jure communi exorbitans, quod exigit, ut conditiones in forma specifica, & propria, & non ficta impleantur *leg. Mevius, & leg. qui hæredi, ff. de condit. & demonstrat.* At religio solùm fictione juris matrimonium vocatur, non propriè, ergo legatum relictum sub conditione matrimonii contrahendi non poterit religionem ingredientibus concedi. Atque ita docent Gutierrez, Mantica, Cobarub. Menoch. Sanch. *num. præced.* relati.

19. Ab hac tamen doctrina excipiendum est legatum relictum pro puellis consanguineis testatoris, hæ enim obtinebunt legatum relictum pro illis maritandis, tametsi religionem ingrediantur, quia propter affectionem testatoris, latam interpretationem legatum recipit, ut dicitur *in leg. Aurelius §. Titius testamento facto, ff. de liber. legat.* censeturque ac si certæ personæ legatum factum esset: sicuti docet Sanch. *dict. disp. 33. num. 32* Mantica *lib. 8. de conjectur. ultim. volunt. tit. 5. num. 22.* Gutierr. *de matr. num. 27. in fine.*

20. Quòd si inquiras, quare jus præsumpsit testatorem velle suum legatum certæ personæ maritandæ relictum concedi, si religionem ingrediatur, non autem relictum personis incertis ea est, quia si legatum certæ relictum alteri concedatur, eo quòd ipsa religionem ingreditur, legatum in specifica forma non impletur, secùs verò incertis relictum. Nam esto hæc, vel illa religionem ingrediatur, aliis concedi potest, ut matrimonium ineant. Ob quam causam Tiraquel. *de causa cessante limit. 18. num. 4.* Sanch. *lib. 1. disp. 33. sub num. 32.* Gutierr. *de matr. cap 20. num. 28.* & alii apud ipsos affirmant legatum relictum certæ personæ, ut in matrimonium collocaretur concedi posse ipsi, tametsi tempore conditi testamenti nupta esset, ne dispositio testatoris irrita censeatur, secùs verò incertis personis, relictum, non enim dari posset nuptis, sed nubendis.

Punctum XI.

An pœna lucri non acquirendi retrahens à nuptiis validè donationi, & legato imponi possit?

1 *Pœna lucri non acquirendi à nuptiis retrahens in ultimis voluntatibus apposita ei qui unquam matrimonium contraxit, nec consummavit, nulla est.*
2 *Apposita verò in contractu irrevocabili inter vivos vitiat contractum.*
3 *Rejicitur conditio testatoris majorem quantitatem apponens fœminæ non nubenti, quàm nubenti.*
4 *Idem est si leges virgini centum, si non nupserit.*
5 *Quid de legato facto alicui tertio sub ea conditione, si virgo non nupserit.*
6 *Item rejicitur à legato conditio nubendi ex alterius consensu, & arbitrio.*
7 *Limitatur doctrina ne procedat quando legans expressit suam voluntatem verbis negativis privantibus hæreditate vel legato.*
8 *Sed rectius est prædictam conditionem esse excludendam. Et fit satis argum. oppositis.*
9 *Deinde rejicitur a dispositione ultimæ voluntatis conditio avertens à liberis procreandis.*
10 *Supradicta conditio opposita viduæ, vel viduo non rejicitur.*
11 *Plures censent æquè vitiare contractum inter vivos conditionem ab statu clericali vel religioso avertentem.*
12 *Contraria sententia verior est.*
13 *Valida est conditio ingrediendi religionem legatis apposita.*
14 *Aliqui censent debere in religione profiteri.*
15 *Verius est satisfacere, si recto animo religionem ingrediatur.*
16 *Satisfit fundam. oppositis.*
17 *Subsistit conditio sub privatione hæreditatis virgini apposita, ne nubat extra familiam, vel extra oppidum. Et satisfit rationi dubii.*
18 *Sustinetur conditio prohibens nuptias pro alio determinato tempore.*

1. Duo sunt in hoc puncto ferè ab omnibus recepta teste Sanch. *lib. 1 disp 34. à num. 2. &* Gutierr. *de matr. cap. 21. à num. 1.* Primum est pœnam lucri non acquirendi à nuptiis retrahentem in ultimis voluntatibus appositam ei, qui nunquam matrimonium contraxit, & consummavit, nullam esse, & hæreditatem, seu legatum sub ea pœna relictum purum remanere excluſa prædicta pœna, ut impossibili, nisi fortè favore libertatis fuerit apposita: habetur expressè *leg. quoties 22. leg. cum tale 71. §. Mevia, & leg. Titia si non nupserit ff. de condit. & demonst. & §. impossibilis instit. de hæredib. instituendis.*

2. Secundum æquè receptum est, prædictam pœnam appositam ei, qui nunquam matrimonium contraxit, & consummavit ex contractu irrevocabili inter vivos non excludi à contractu, sed contractum omnino vitiare, uti colligitur ex §. *si impossibilis instit. de inutilibus stipulationib.* ibi, *si conditio impossibilis obligationibus adjiciatur nihil valet stipulatio*; & ex *leg. non solùm ff. de actionib. & obligation. leg. si super impossibili ff. de fidejussorib. leg. impossibilium ff. de Reg. juris.* At prædicta

pœna

pœna ut bono Reipublicæ contraria, cui expedit filiorum procreatione ex legitimo matrimonio augeri à jure reprobatur; *leg.2. Cod. de indicta viduit. tollend.* Conditiones autem reprobatæ à jure impossibiles reputantur; *l. conditiones quæ contra bonos mores ff. de conditionib. institut.* Ergo prædicta pœna impossibilis est, & contractui per modum conditionis adjecta illum vitiat. Quod si roges quare prædicta pœna in modum conditionis apposita ab ultimis voluntatibus excludatur, non verò à contractibus, sed illos vitiat? ea est præcipuè, ne dispositio testatoris, quam ipse emendare non poterat corrueret. At cum promittens, & donans utpotè qui post contractum superstes est, emendare suum contractum possit, noluit jus prædictum contractum sustinere conditione rejecta, sed potius statuit prædictum contractum nullum esse, ut integrè à contrahente emendaretur.

Ex his infertur primò legatum, seu hæreditatem tibi in testamento relictam sub conditione ne matrimonium ineas te obtinere posse, tametsi primò, & secundò ineas matrimonium; quia esto obligari posses, ne secundas nuptias contraheres, at cum ex modo, & forma, quo prædicta conditio apponitur nuptiæ tibi interdicantur, conditio illa ut turpis, & impossibilis rejicitur, & legatum purum subsistit, uti benè adversus Acosta *in leg. cum tale §. si arbitratu limit. ult. n.5.* docet Sanch. *dicta disputat.34. num.5.* Gutierr. *cap.21. num.8.*

3. Secundò rejicienda est illa conditio, qua testator majorem quantitatem fœminæ non nubenti, legat: quam nubenti, quia ille excessus à nuptiis retrahit; estque contra expressam decisionem textus, *in leg. Titiæ si non nupserit ff. de condit. & demonst.* & tradit alios referens Cobarub. *lib.1. var. cap.19. numero 9. & 10.* Sanch. *disp.34. num.7.*

4. Tertiò si sub ea forma legatum facias, *lego virgini, centum si non nupserit, quod si nupserit, Titio restituat*, poterit virgo illa centum retinere, nec tenebitur restituere; quia est conditio retrahens à nuptiis, ac proinde à legato rejicienda, ut probat textus *in leg. quoties, ff. de condit. & demonstrat.* Sanch. *aliis relatis dicta disp.34. num.9.* Gutierr. *cap.21. num.11.*

5. Quartò si legatum factum sit alicui tertio sub ea conditione, *si virgo non nupserit.* Distinguendum est, si ille tertius sit virgini consanguinitate, affinitate, amicitia, vel alio modo conjunctus, ita ut meritò præsumi possit retrahendam esse à nuptiis, ne ille tertius legatum amittat, rejicitur conditio à legato, & illud obtinebit legatarius, tametsi virgo nupserit. Secus verò si ita extraneus sit, ut nulla ratione moveri possit, virgo ob legati amissionem. Sanch. *num.10.* Gutierr. *num.12.*

6. Quintò rejicitur à legato conditio nubendi ex alterius consensu, & arbitrio ex *leg. cum tale §. rescriptum ff. de condit. & demonstrat.* Eo quod libertas matrimonii minuitur, & legatarius à matrimonio ea conditione retrahitur, cùm possit alter suum arbitrium, & consensum denegare in eam personam quæ legatario placuit. Sic Acosta *in dicto paragr. rescriptum numero 7.* Molin. *de Hispanor. primogen. cap.13. num.35.* Sanch. *disp.34. num.19. & 20.* Secùs esset, si legatum factum esset sub obligatione petendi consilium, nam hæc petitio à propria voluntate pendet, & cum non astringatur legatarius consilium sequi, ejus libertas in matrimonio contrahendo non minuitur, ut benè plures referentes docent Molin. *lib.2. de primogen cap.13. n.37.* Cobarub. *2.part. decret. cap.3. paragr.8. num.3.* Sanch. *disp.34. num.24.* Gutierr. *de matr. cap.21. numero 25.* Quod si is à quo est petendum consilium absens sit, & periculum in mora, vel alia via nequeat commodè ab eo consilium requiri, poterit legatarius & matrimonium contrahere, & legatum obtinere consilio irrequisito, quia per ipsum non stat conditionis executio, ut bene aliis relatis docent Sanch. *num.25. & 26.* Gutierr. *cap.21. num.24.* Ex qua ratione infertur, si vivo testatore decedat is, à quo consilium est petendum, legatum obtinere, & matrimonium contrahere posse legatarium; quia cùm per legatarium non stet conditionis excutio habetur pro impleta, ut benè adversus alios tradunt Mantica *de conject. ult. volunt. l.11. t.18. n.11.* Sanch. *lib.1. disp.34. n.27.* Gutierr. *cap.21. n.30.*

7. Hanc doctrinam limitant Joan. Lupus, *cap. per vestras notab.3. parag.21. n.4. de donat. inter vir. & uxor.* Pelaez de Mieres *de major. 1.part. quæst.50. n.8.* Indicat Mantica *de conject. ultim. volunt. lib.11. titul.18. n.8.* Burgos de Paz. *cons.20. num.5.* Gutierr. *de matr. c.21. ann.18. & seqq.* Ne procedat, quando legans expressit suam voluntatem verbis negativis privantibus hæreditate, vel legato eum qui absque consensu alterius nupserit, præcipuè si is cujus est consensus requirendus, sit pater, vel mater, vel tutor, aut similis. Moventur primò, quia honestissimum est, ne filius contra parentum voluntatem matrimonium ineat, sed ex illius consensu statum eligat. Ergo non est præsumendum jura hanc honestissimam conditionem improbare. Secundò non rejicitur à legato conditio nubendi cum determinata persona, quia hæc conditio directè non retrahit à nuptiis, sed ad nuptias determinatas invitat, sicuti docent aliis relatis Cobarub. 4. *de sponsalib. 2.part. cap.3. parag.3. num.6.* Molin. *de primog. cap.13. n.3.* Pelaez *quæst.50. num.1.* Gutierr. *de matr. cap.21. n.20.* & probat lex regia 14. *titul. 4. part.6. & leg.22. titul.9. part.6.* At eadem videtur esse conditio nubendi ex consensu alterius quippe ex prædicta conditione non privatur legatarius matrimonio, sed astringitur ad matrimonium alteri gratum. Quod si dicas id verum fore, si alter necessariò suum consensum esset præstiturus, at cùm liberè negare possit, astringitur legatarius à matrimonio abstinere, vel absque alterius consensu illud inire; obstat: quia eo casu ad judicem, & superiorem recurrere legatarius debet, qui consensum iniquè denegatum suppleat, argum. *leg.1. Cod. de Nuptiis*, ibi, cum de nuptiis puellæ quæritur neque inter tutorem, & matrem, & propinquos de eligendo futuro marito convenit, arbitrium Præsulis provinciæ necessarium est. Et favet Acosta *in dicta leg. cùm tale parag. si arbitratu ampliat. ult. n.6.* Sanch. *lib.1. disp.34. num.32.* Loquens de vidua, cui talis conditio apposita est. Neque his obest textus *in leg. cùm tale, paragr. rescriptum ff. de condit. & demonstrat.* excludens à legato prædictam conditionem, quia intelligi debet excludere conditionem simpliciter oppositam, non conditionem replicatam, hoc est, quando testator ulterius processit privando hæreditate, vel legato qui conditioni positæ non paruerit.

8. Cæterùm verius censeo prædictam conditionem, etiam sub expressa privatione hæreditatis omnino à legato esse excludendam. Quia prædicta conditio ex se, & non ex addita privatione hæreditatis minuit libertatem matrimonii, & à nuptiis retrahit. Ergo si simpliciter apposita rejicitur à legato, etiam addita privatione rejici debet. Atque ita docent ex communi sententia Acosta *in dict. leg. cum tale, paragr. si arbitratu ampliat. ult. num.2. & seqq.* specialiter *num.3.* Molina *lib.2. de primog. cap.13. num.35.* alter Molin. *t.1. tract.2. disp.207.* Henriq. *lib.1. de matr. cap.12. num.6. & c.12. n.6.* Sanch. *lib.1. disp.3. ann.21.*

Argumenta verò in contrarium si aliquid probarent, convincerent conditionem requirentem parentum consensum sub verbis simplicibus oppositam rejiciendam non esse, ut consideranti facilè innotescere potest. Si igitur omnes Doctores hanc conditionem à legato rejiciunt, rejicere illam debent, tametsi ulterius testator procedat privationem legati addens. Quapropter ad primum respondeo; etsi honestissimum sit filios in matrimonio eligendo parentum voluntati, præcipuè

præcipuè cùm rationabilis eſt, conformari; at noluit jus in favorem libertatis matrimonii teſtatoribus concedere poteſtatem imponendi eam obligationem ſuis hæredibus, & legatariis. Ad ſecundum: admitto obligari hæredem, & legatarium poſſe ſub privatione hæreditatis, vel legati acquirendi ad matrimonium cum determinata perſona; nego tamen eſſe eandem rationem de obligatione ad contrahendum matrimonium ex alterius conſenſu, cùm ex vi hujus diſpoſitionis non neceſſariò alterius conſenſus ponendus ſit, tametſi officio judicis ſuppleatur.

9. Sextò rejicitur à diſpoſitione ultimæ voluntatis conditio avertens à liberis procreandis, ut ſi leges Titio, vel alteri ei conjuncto centum, ſi non habuerit filios, vel ſi ſine liberis deceſſerit; gratia namque procreandæ ſobolis rejicitur conditio à matrimonio avertens, ergo à fortiori rejicienda eſt directè avertens à ſobole procreanda. Atque ita docent relatis Socino & Acoſta, Sanch. *diſp.*34. *n.*7. Gutierr. *de matr. c.*23. *n.*9.

10. Notanter dixi rejici prædictam conditionem ab hæreditate, & legato appoſitam ei qui nunquam matrimonium contraxit, & conſummavit, nam ſi viduo, vel viduæ apponatur prædicta conditio, non rejicitur, ſed exequenda eſt attento jure novo Authenticorum, quo jus antiquum Digeſtorum corrigitur, ut conſtat ex *authent. de nup.* §. *quæ verò*, *collat.*4. & ex *Authent. cui relictum*, *Cod. de indicta viduit. tollend.* Honeſtum enim eſt à ſecundis nuptiis abſtinere *cap. fin.*30. *quæſt.*1. Tum ne videatur voluptati indulgere. Tum ne priorem conjugem minus æſtimare videatur, & tradunt aliis relatis Ant. Gomez *in leg.*16. *Tauri numero* 8. & 1. *tom. var. reſol. cap.*12. *numero* 78. Matienz. *in leg.*3. *gloſſ.*2. *numero* 14. *tit.*1. *lib.*5. *compil.* Molina Jeſuita *tract.*2. *diſp.*207. Sanch. *lib.*1. *diſp.*34. *num.*29. & *ſeqq.* Gutierr. *lib.*2. *can. quæſt. cap.*25. *num.*3. & *de matr. cap.*21. *num.*32. & *ſeqq.* Præterea dixi niſi favore libertatis prædicta pœna, ſeu conditio appoſita fuerit, ut ſi legares Mariæ centum ſub conditione ne nubat, ſi nupſerit applicentur pro libertate alicui ſervo concedenda, tenet quidem conditio, & Maria nubens amittit legatum, & libertati obtinendæ conceditur: uti colligitur ex *leg. Titio*, §. *ſervi uſusfructus*, *ff. de condit. & demonſt.* per quem textum plures, quos refert, & ſequitur Tiraquel. *de privileg. piæ cauſæ*, *privileg.*18. Mantica *de conject. ultim. volunt. lib.*11. *tit.*18. *n.*8. & *tit.*19. *num.*11. Gratian. *reg.*83. *num.*16. Sanch. *lib.*1. *diſp.*34. *num.*34. Gutierr. *de matr. cap.*21. *num.*36. cenſent conditionem nuptias prohibentem ſuſtineri favore piæ cauſæ, ut ſi legares centum Mariæ ſub conditione ne nubat, quod ſi nupſerit applicentur pauperibus, alterive loco pio; quia à libertate ad piam cauſam validum eſt argumentum teſte Everardo *in ſuis locis*, *loco à libertate ad piam cauſam.*

11. Supereſt tamen triplex quæſtio. Prima, an valida ſit conditio in ultima voluntate, vel in contractu inter vivos appoſita avertens ab ſtatu clericali, vel religioſo; v. g. ſi dones, vel leges alicui centum ea conditione, ne Clericus, vel Religioſus fiat? Plures, quorum meminit Sanch. & Gutierr. *locis allegatis* cenſent prædictam conditionem æquè vitiare contractum inter vivos, & ab ultima voluntate rejici, ſicuti rejicitur conditio à matrimonio carnali avertens. Primò valet argumentum à matrimonio carnali ad ſpirituale, ut latè probat Everard. *loco à matrimonio carnali ad ſpirituale* & colligitur ex *Authent. de ſanctiſſim. Epiſcop. parag. ſed & hoc præſenti collat.*9. Ubi legatum relictum virgini maritandæ conceditur religionem ingredienti. Secundò honeſtiſſimum, & perfectiſſimum eſt ad religionem invitare, ergo inhoneſtum, & imperfectum erit à religione avertere. Ergo conditio avertens à religione utpotè turpis à legato rejicienda eſt.

12. Nihilominus contraria ſententia verior eſt, quam defendit Cobarub. *1. var. c.*19. *n.*10. Mantica *de conject. ultim. volunt. lib.*11. *tit.*18. *num.*31. Menoch. *de præſumpt. lib.*4. *præſumpt.*83. *n.*18. & *ſeqq.* Molina Jeſuita *tract.*2. *diſp.*207. *ad finem.* Sanch. *diſp.*34. *num.*11. Gutierr. *lib.*2. *qq. can. cap.*25. *n.*3. & *de matr. c.*21. *n.*14. Ratio eſt, quia conditiones appoſitæ in contractibus, & in ultimis voluntatibus licitæ, & honeſtæ exequendæ ſunt, dum à jure non reprobantur. At prædicta conditio licita eſt, & honeſta; quia non eo fine apponitur, ut à religione, ſtatuque clericali donatarium, vel legatarium avertat, ſed ut familia conſervetur & reſpublica ſobolis procreatione augeatur. Deinde, nullibi invenitur à jure reprobata. Nam eſto in dicta *Authent. de ſanctiſſim. Epiſcop.* religio in matrimonio æquiparetur, ſolùm eſt in aliquo ſpeciali caſu, neque ad alios trahenda eſt, cùm à jure communi exorbiter. Argumentum autem à matrimonio carnali ad ſpirituale validum eſt, cùm in utroque adeſt finis legis, & nemini diſpoſitio præjudicat, quod in præſenti ceſſat; quippe finis ob quem conditio retrahens à matrimonio carnali rejicitur, eſt, ne ſoboli procreandæ impedimentum præſtetur, neve reſpublica minuatur, qui finis matrimonio ſpirituali non procedit, ſed illi contrarius eſt. Ex alia parte lex irritans contractus ſub conditione retrahente à nuptiis, prohibenſque ne ultimis voluntatibus apponatur, & appoſitam rejiciens contrahentium, & teſtantium voluntati adverſatur. Non igitur debet ad alios caſus præter expreſſos extendi; maximè cùm religio non propriè, ſed impropriè, & fictione juris matrimonium nuncupetur. Et confirmari poteſt ex praxi communiter recepta, qua primogenia, & meliorationes inſtituunt ea conditione, ne ſuccedat clericus, vel religioſus, quia non eo fine fiunt ut à religione, ſtatuque clericali poſſeſſores avertant, ſed ut familia conſervetur, ut bene notarunt Gutierr. *dicto cap.*25. *num.*6. & *de matrim. n.*16. Sanchez *dicta diſput.*34. *num.*14. Ex his inferunt prædicti Doctores adverſus plures alios validam eſſe, & obſervandam diſpoſitionem, qua pater concederet, vel legaret filiæ ducenta ſi nuberet, & centum ſi religionem ingrederetur, quia non animo avertendi à religione facta eſt diſpoſitio, ſed quia ad onera matrimonii ſuſtinenda plus indiget.

13. Secunda quæſtio, an rejici debeat conditio ingrediendi religionem legatis appoſita. Ut ſi virginem hæredem, ſeu legatarium inſtituas ea conditione, ut religionem ingrediatur? Negat Bart. *conſ.*45. Riminald. *conſ.*215. *à n.*176. Moti ea ratione, quia prædicta conditio æquivalet conditioni nuptias non contrahendi, quæ nullatenus admittitur. Ratio namque ſtatus eſt nuptias omnino excludens. Nihilominus tenendum eſt validam, & obſervandam eſſe prædictam conditionem, quia eſto religio ſit ſtatus excludens nuptias, id teſtator per ſe, & directè non intendit. Per ſe namque ſolùm intendit incitare ad ſtatum religionis perfectiſſimum. Quod verò inde contingat hæredem, ſeu legatarium à nuptiis retrahi id ſolum eſt indirectè, & conſequenter. Textus autem reprobantes conditionem à nuptiis retrahentem de retractione per ſe, & directa loquuntur, uti videre eſt *in leg. quoties*, *leg. cum tale*, *leg. Titiæ*, *leg. obtinuit*, *ff. de condit. & demonſtrat. & paragr. impoſſibilis inſtit. de hæredib. inſtit.* Atque ita docent Cobarub. 1. *var. cap.*19. *n.*10. Anton. Gomez *var. cap.*12. *n.*78. Molin. *de juſt. tract.*2. *diſp.*207. Sanch. aliis relatis, *lib.*1. *diſp.*33. *q.*15.

14. Sed an cenſeatur hæres, vel legatarius huic conditioni ſatisfacere ingrediens religionem animo perſeverandi, tametſi anno novitiatus ante profeſſionem exeat? Difficultate non caret, nam Paulus *l. ſi quis hæred. n.*3. *C. de inſtit. & ſubſtit.* & ibi Alexand. *n.*2. & *leg. in ſubſtitutione*, *n.*12. ubi Immola, *n.*4. *ff. de Vulgari*, & in ſimili. Bald. *dict. leg. ſi quis hæredem num.*7. & Salicet. *num.*3. Negant ſatisfacere prædictæ conditioni; quia teſtatoris intentio videtur eſſe, ut legatarius ſtatum religionis

ligionis assumat firmiter, & perseveranter, verusque Religiosus sit; aliàs non disponeret sub conditione absoluta religiosi status, sed sub conditione probandi illum, maximè cùm probatio religionis subsequuta dimissione nihil testatoris intentioni deserviat. Secundò adducit Sanch. *leg. reprehendenda 5. Cod. de instit. & substit.* ubi non requiritur perseverantia in divortio facta, ut mulier retineat hæreditatem sub ea conditione sibi relictam, quia ea conditio est turpis. Ergo si esset honesta, sicuti est religionis ingressus, perseverantia necessaria esset.

15. Nihilominus etsi supradicta sententia satis probabilis sit, probabilior est affirmans prædictæ conditioni hæredem, vel legatarium satisfacere, retinereque hæreditatem, vel legatum posse eo ipso quo bona fide, & animo perseverandi religionem fuerit ingressus tametsi postmodum retrocedat, eo quòd religio probata tibi non placet. Moveor, quia testator eam intentionem habeat, quod hæres vel legatarius in religione assumpta perseveret, id tamen in dispositione non expressit, sed contentus fuit assumptione habitus religiosi, quia ea assumptione & religionem ingreditur, & religiosus fit juxta communem loquendi modum, qui in legibus, & dispositionibus ultimarum voluntatum spectandus est: aliàs si ad perseverantiam, seu perpetuitatem astringere hæredem, seu legatarium vellet, id exprimeret, neque uteretur verbis universalibus, & communibus ingrediendi religionem, vel esse religiosum, sed specialibus, & expressis videlicet perseverandi in religione, esseque propriè religiosum, siquidem perseverantia ab ingressu communiter distinguitur, *ex cap. qui post votum de Regularib. in 6.* Ergo hæres, vel legatarius religionis habitum assumentes satisfaciunt prædictæ conditioni, ac proinde hæreditatem, vel legatum obtinebunt, quia ad horum consecutionem solum requiritur, quod conditio aliquo temporis momento impleatur. Argum. *leg. si quis hæredem 7. Cod. de instit. & substit.* Et confirmari potest ex Doctrina D. Thom. ab omnibus recepti, 2. 2. *quæst. ult. articulus quartus.* Asserentis voto ingrediendi religionem satisfieri, si animo perseverandi ingrediaris, tametsi postmodum exeas, modò exeas ex causa rationabili; quia subintelligitur te vovere religionis ingressum, qualis à jure est præscriptus; at à jure præscriptus est cum libertate egressus, si religio displiceat. Ergo similiter conditio de religionis ingressu à testatore petita intelligenda est de ingressu prout à jure præscribitur. Non enim præsumendum est testatorem disponere contra juris ordinem, neque verba in alia strictiori significatione sumere, quàm à jure communi sumuntur.

16. Ex his solutum est primum argumentum. Ad secundum *ex leg. reprehendenda*, Sanch. *dicta disputatione trigesima quarta, numero decimo septimo, fine.* Plures solutiones refert, ea mihi verior videtur uxori revertenti ad maritum hæreditatem concedi, non quia revertitur, sed quia conditio divortii ibidem postulata turpis erat, ideoque nulla, ac proinde esto non divertisset, hæreditatem retineret. Secùs est in conditione ingrediendi religionem, quæ utpote justa, & honesta non rejicitur, sed necessariò exequenda est; mandatur autem executioni solo ingressu bona fide facto, tametsi post modum egressus contingat.

17. Tertia difficultas: an subsistat conditio sub privatione hæreditatis à testatore virgini posita, ne nubat extra familiam, vel oppidum vel ne nubat ignobili: vel descendenti ex Judæis, Sarracenis, aliisve sanguine infectis? Alicui posset videri rejiciendam esse hanc conditionem, utpote libertati matrimonii derogantem. Si enim conditio retrahens in totum à nuptiis rejicitur, cur non ea, quæ ex parte retrahit? Sed prædicta conditio omnino sustinenda est, ut deciditur expressè *leg. cùm ita, & seq. ff. de condit. & demonstrat.* Nam ut ibidem dicitur; esto quoad personas, quibuscum matrimonium contrahendum est, restringatur potestas, absolutè tamen non restringitur; cùm liberum sit virgini, cui est facta ea prohibitio aliis nubere, & absque gravi difficultate id præstare potest, aliàs ut benè advertunt Doctores statim referendi, esset matrimonii plena, & integra prohibitio, & rejicienda. Atque ita docent Acosta *in leg. cùm tale, §. si arbitratum ampliat. 8. n. 1.* Molin. *tract. 2. disp. 207. circa finem.* Sanch. *lib. 1. disp. 34. num. 39.* Gutierr. *c. 21. num. 40. & 41.* Prædictaque conditio prohibens nuptias extra oppidum, extra familiam, vel cum ignobili, aut ex sanguine infecto non solùm de primis, sed de secundis, & reliquis nuptiis intelligenda est; quippe in omnibus eadem ratio procedit, ne scilicet testatoris bona extraneis, vel sanguine infectis deveniant: uti docuit Pelaez *de major. 1. p. q. 51. num. 36.* Sanch. *lib. 1. disp. 34. num. 42.* Gutierr. *de matr. cap. 1. n. 41.* Proceditque dummodò matrimonium validum sit, esto non fuerit consummatum: quia satis est consummari potuisse, ut notarunt prædicti Doctores.

Neque ratio dubitandi urget, nam conditio retrahens à nuptiis non jure naturali, sed positivo ab ultimis voluntatibus rejicitur. At jus positivum solùm rejicit conditionem à nuptiis absolutè retrahentem, non verò retrahentem à nuptiis singularibus, & determinatis. Ergo hæc conditio rejicienda non est. Ratio autem quare non rejiciatur conditio retrahens à nuptiis determinatis, benè tamen à nuptiis absolutè, ea est; quia ex prohibitione absoluta nuptiarum impeditur sobolis procreatio, & reipublicæ augmentum, sed non ex prohibitione aliquarum nuptiarum. Adde hanc prohibitionem specialem utilem esse testatori, secùs generalem, & absolutam.

18. Ex his infertur sustinendam esse conditionem prohibentem nuptias pro aliquo determinato tempore, modò non sit ita longum, ut eo transacto commodè matrimonium inveniri non possit, aliàs esset prohibitio perpetua, sicuti definitur *in leg. sed si hoc §. fin. ff. de condit. & demonstrat.* & tradit aliis relatis Acosta *in dicta leg. cùm tale, parag. si arbitratu limit 8. à n. 1.* Mantica *de conject. ultim. volunt. lib. 11. tit. 19. num. 9.* Henriq. *lib. 11. de matr. cap. 6. num. 6.* Sanch. *disp. 34. n. 6.* Gutierr. *cap. 21. num. 37.* Nam cùm nuptiæ non nisi consultò celebrandæ sint, meritò jus permittit pro aliquo tempore interdici, ne absque matura consideratione fiant. Quod autem tempus moderatum sit arbitrio judicis relinquitur, penès quem erit nimis latum restringere, & quod est moderatum approbare, uti benè docent Sanch. & Gutierr. *suprà.* Illud certum est, prohibitionem nuptiarum usque ad ætatem 25. annorum justam esse, quia ea dilatio à jure approbata est ut tradunt Mantic. Henriq. Sanch. & Gutierr. *loc. alleg.*

Punctum XII.

De arrhis in contractu sponsalium appositis.

Multipliciter arrhæ sumuntur, primò pro ipsismet sponsalibus, ita ut sponsalia ipsa arrhas juris Doctores appellent, *leg. 1. Cod. si nuptiæ ex rescripto petantur. Et tit. de sponsalib. in Cod. Theodosiano*, in quo hic stat titulus. Si provinciæ Rector, vel ad eum pertinentes sponsalia dederunt. Secundò & magis propriè vocatur arrha quod ab sponso sponsæ, vel è contra datur in signum, & pignus matrimonii promissi contrahendi, *leg. 3. & leg. fin. Cod. de sponsalib.* Tertiò sumitur arrha pro donatione facta ab sponso sponsæ in remunerationem pudicitiæ, nobilitatis, vel dotis sponsæ, quamque sponsa lucratur matrimonio soluto, in quo maximè differt ab antiqua donatione propter nuptias quæ dissoluto matrimonio redibat ad virum donantem, sicuti ab uxore viro tradita redeunt uxori soluto matrimonio, *c. fin. de donationib. inter vir. & uxor.* At prædictæ

ctæ donationi, quæ jam in deſuetudinem venit, teſte Anton. Gomez *leg.52. Tauri, num.11.* ſucceſſit hæc arrharum donatio, ut habetur expreſsè *leg.1. in fine, tit.11.part.4.* Ibi : Et al donaçion como eſta diçen en Eſpaña propriamente arrhas. De prima arrharum acceptione, utpote minùs propria nihil eſt dicendum. De ſecunda acceptione primò agemus, & poſtmodum de tertia.

§. I.

Qualiter arrhæ in ſignum, ſeu pignus matrimonii contrahendi concedi ab ſponſis poſſint?

1 *Explicatur natura arrharum, & quare in contractu ſponſalium permittantur.*
2 *Arrhæ neceſſariò debent tradi.*
3 *Qualiter probentur eſſe traditæ.*
4 *Negant plures conſtitui poſſe in quavis quantitate. Alii cenſent excedere non debere quantitatem dotis.*
5 *Verior eſt ſententia affirmans in quavis quantitate poſſe concedi ſpectato jure communi.*
6 *Conſtitui poſſunt in ſpecie, & non neceſſariò in quantitate numerata, etſi aliqui contrarium cenſeant.*
7 *Negant plures utrimque conſtitui arrhas poſſe.*
8 *Verius eſt oppoſitum.*

1 EA eſt natura arrharum, quæ conceduntur in ſignum, ſeu pignus matrimonii contrahendi, ut fidei violator eas amittat *leg. arrhas, & leg. fin. Cod. de ſponſalib. & leg. regia 1. tit.11. part 4 & leg.84. tit.18. part.3.* & pluribus firmat Cobarub. *de ſponſalib. 2.part. cap.7. num.6.* Congruentia autem, quare à jure permittuntur arrhæ amittendæ, non verò ſecundùm communem ſententiam pœna ſponſalibus adjecta, cùm hæc arrharum amiſſio quædam pœna ſit, ea eſt præcipua ; quia arrhæ, utpote neceſſariò ſtatim tradendæ in exigua quantitate, & matura deliberatione ſolent concedi. Secus verò pœna, quæ quia non traditur, ſed tradenda promittitur facilè, & incautè, & in magna quantitate offertur quippe faciles ſunt homines ad promittendum, difficiles ad tradendum. Accedit quod regulariter amiſſio arrharum minùs impedit libertatem, quàm pœna promiſſa, non ſolùm quia in minori quantitate conſtituitur, ſed quia minor ſubeſt timor amittendi arrhas utpote jam traditas, quàm amittendi pœnam, quæ nondum tradita eſt.

2. Ex his fit arrhas in prædicta ſignificatione ſumptas neceſſariò tradendas eſſe, aliàs à pura pœna non differrent, ut expreſsè habetur *in leg. mulier, & leg. arrhas, & leg. fin. Cod. de ſponſal. & §. item lapilli, inſtit. de rerum diviſione, & leg. regia 84. tit.18. part.3.* Ibi : los quales maravedis paſaron à ſeu poder, è otorgo que era pagado dellos, & tradit Cobarub. *de ſponſal. 2 part. cap.7. n.7. & 9.* Anton. Gom. *leg.50. Tauri.* Thomas Sanch. *lib.1. diſp.35. num.3.* Gutierr. *de matr. cap.18. num.3.* Coninch. *diſp.12. dub.3. num.13.* Poſſent autem arrhæ promitti, & loco illarum pignus æquivalens dari, ut colligitur ex his quæ tradit Sanch. *diſp.38. num.4.* Coninch. *ſuprà*, quia ratione pignoris æquivalentis cenſentur arrhæ traditæ.

3. Et licèt Immola *in leg. Titia in princ. n.7. & ibi* Angel. *num.1.* Paul *num.4. de Verbor. obligation.* ſentiant arrhas non probari recipientis confeſſione utpotè perſonæ ſuſpectæ, & de re prohibita, argum. *leg. qui teſtamentum, ff. de probationib.* Verius tamen eſt confeſſioni recipientis ſtandum eſſe, dum contrarium non probatur, argumen. *leg. Publ. §. fin. ff. depoſiti*, quia arrhæ cùm de facto traduntur prohibitæ non ſunt ; ac proinde recipiens in earum confeſſione ſuſpectus eſſe non debet, ut benè Bart. *in dicta leg. Titia, num.7.* Cobarub. *in 4 decret. 2.part. cap.3. §.7. n.10.* Matienzo *lib.5. recop. tit.2. Rubr. gloſſ.2.n.3.* Sanch. aliis relatis *diſp.35. num.5.* Gutierr. *de matr. cap.18. num 5.* Quod ſi utraque pars arrhas fateretur, affirmant Bart. & Cobarub. eſſe maximam fraudis præſumptionem, ſed meritò eos reprobat Gutierr. *dicto n.5.* eo quòd utile per inutile non vitiatur, juxta regulam juris, & quia arrhæ recipi non poſſunt, niſi tradantur. Ergo confeſſio tradentis fraudis præſumptionem inducere non poteſt. His poſitis.

4. Triplex eſt quæſtio. Prima an arrhæ conſtitui poſſint in quavis quantitate? Negant Joann. Andr. *in cap. gemma de ſponſal. num.9. & ibi* Abbas *num.8.* Henricus *in fine* Alexand. de Nevo *num.15.* Cynus *in dicta leg. Titia in princ. ff. de Verbor. oblig.* Roſella *verbo ſponſalia, num.7. & ibi* Angel. *n.12.* Sylv. *quæſt.9. dicto 2.* Brunel. *de ſponſalib. concl.16. num.4.* Moventur quia ideò conceduntur arrhæ, & reprobatur pœna ſponſalibus appoſita ; quia arrhæ non cenſentur minuere libertatem, utpote quæ plerunque in exigua quantitate conceduntur. Secùs verò pœna quæ quia promiſſa eſt, & non tradita in magna quantitate præmittitur, ac proinde libertatem contrahendi matrimonii impedit. Si autem arrhæ in quavis quantitate, permittuntur, ceſſat prædicta ratio legis, & libertatem matrimonii æquè ac pœna diminuit. Non igitur concedendæ ſunt in tam magna quantitate, ut conſiderata conditione contrahentium impediant eorum libertatem in matrimonio contrahendo.

Alii verò ſcilicet Bart. *in dicta leg. Titia in princip. num.5. & ibi* Alciat. *num.13.* Salicet. *in dicta leg. fin. num.15. Cod. de ſponſalib.* Anton. *in dicto cap. gemma num.8.* Suarez *lib.3. fori, tit. de las arrhas leg.1. initio.* Anton. Cuchus *lib.5. inſtit. major. tit.12. n.20. & ſeqq.* cenſent arrharum quantitatem excedere non debere quantitatem dotis, vel donationis propter nuptias, & iis ceſſantibus quantitatem præſcriptam à *leg. jubemus ff. de Repudiis*, ſcilicet tertiam bonorum partem. Moventur, quia diſſolvens matrimonium contractum apud Romanos tantùm amittebat dotem, ergo æquum non eſt ob diſſolutionem ſponſalium, quæ ſunt minoris momenti majorem quantitatem amitti.

5. Nihilominus verior eſt ſententia affirmans arrhas pignora matrimonii contrahendi in quavis quantitate concedi poſſe : quia leges permittentes prædictas arrhas indiſtinctè, & abſque ulla limitatione loquuntur ; quapropter etſi in eis militaret eadem ratio ac in pœna, non obinde eſſet extendenda diſpoſitio pœnæ ſponſalibus appoſitæ ad arrhas, quia leges reſtrictivæ, & odioſæ ex ſola identitate rationis ad ſimiles caſus non extenduntur, uti latiùs dixi *tract. de legib. diſp.5. punct.3. §.4.* ubi de legum interpretatione. Præterquam quòd in præſenti eſt diſpar ratio, nam arrhæ rarò conſtituuntur in magna quantitate, & plerumque in exigua. Ex alia parte arrhæ utpote traditæ faciliùs, & ſuavius amittuntur, pœnæ difficiliùs. Et ex his ſolutum eſt fundamentum primæ ſententiæ. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, nego eſſe contra æquitatem, quòd ex ſponſalium diſſolutione deperdatur major quantitas, quàm olim ex diſſolutione matrimonii, quia quantitas quæ olim ex diſſolutione matrimonii amittebatur erat pura pœna à lege præſcripta, ideoque durior : at hæc arrharum quantitas quæ ex ſponſalium violatione deperditur à propria voluntate concedentis arrhas ortum habet.

7. Secunda quæſtio : an arrhæ pignora conſtitui poſſint in ſpecie ut in fundo, vel neceſſariò conſtituenda ſunt in quantitate numerata? Affirmant neceſſariò conſtituendas eſſe in quantitate numerata Bart. *in dicta leg. Titia, in princ. cum 10.* & Anton. de Butrio in *dicto cap. gemma num. 8.* & ibi Anchar. *num. 10.* Abbas *num. 8.* Alexand. de Nevo, *n.26.* Roſella *verbo, ſponſalia num.7.* Brunell. *de ſponſal. concl. 10. num. 3.* Suarez *leg. 1. in princ. tit. de las arrahs lib. 3. fori*, eo quòd in ſpecie neque tradi convenienter poſſunt, nec duplicari ab accipiente prout ſæpè neceſſarium eſt. Oppoſitum tamen

verius

verius & receptius est constitui arrhas posse in specie. Nam esto *in leg. fin. Cod. de sponsalib.* tantùm fiat mentio arrharum in quantitate; at nulla lege arrhæ in specie constitutæ reprobantur. Quinimo *in leg.* 84. *tit.* 18 *part.* 3. permittuntur. Neque verum est tradi non posse earum possessionem, potest utique tradi vel verè, & realiter, vel etiam fictè per clausulam *constituisti*, sicuti traditur in contractu emptionis, venditionis; potest etiam duplicari si non in eadem specie, saltem in æstimatione. Atque ita tenent alios referentes Cobarub. *de sponsalib.* 2. *p. cap.* 3. §. 7. *n.* 7. Gregor. Lopez *dicta leg.* 84. *in gloss. verbo, talvena.* Anton. Cuchus *lib.* 5. *instit. moral. tit.* 12. *n.* 203. & 207 Matienzo *in Rub. tit.* 2. *gloss.* 2 *num.* 2. *lib.* 5. *compilat.* Azebedo *leg.* 2. *ejusdem tit. num.* 6. Sanch. *disp.* 35. *num.* 12. Gutierr. *de matr. cap.* 18. *num.* 7.

7. Tertia quæstio, an utrimque arrhæ pignora constitui possint. Communis sententia teste Sanch. *disp.* 35. *n.* 13. negat eo quod hæc arrharum mutua traditio videatur superflua. Superfluum enim est aliquid dare, ut tantundem recipiatur, argum. *leg. qui sic.* 55. *ff. de solutionib.* ibi: *non alienantur nummi qui sic dantur, ut recipiantur.* Atque ita docent Bart. *leg. Titia, n.* 9 *ff. de verbor. obligat.* Anton. *cap. gemma de sponsalib. num.* 8. ubi Abbas *n.* 8. Alexand. de Nevo, *n.* 35. Præpositus dicens communem *n.* 10. Rosella *verb. sponsalia n.* 7. Angel. *n.* 13. Sylvest. *quæst.* 9. *dicto* 5. Villalob. *in communibus, litt. P. n.* 8. Brunell. *de sponsalib. concl.* 26. *num.* 3. Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 2. *Rub. gloss.* 2. *num.* 3. quos omnes refert Sanch. & affirmat esse communem, & valdè probabilem sententiam.

8. Nihilominus verior, & probabilior est contraria sententia, quam defendunt aliis relatis Cobarub. *dicto* §. 7. *n.* 7. *&* 6. Gregor. Lopez *dicta leg.* 84 *tit.* 18. *verbo tal viña* per textum ibi Sanch. *dicta disp.* 35. *num.* 14. Gutierr. *de matr. cap.* 18. *num.* 8. Coninch. *disp.* 12. *dub.* 13. *num.* 15. Basil. Ponce *lib.* 12. *cap.* 19. *in princ.* Ratio est, partim quia leges mutuam arrharum traditionem non reprobant, partim quia hæc mutua arrharum traditio utilis est, siquidem violans fidem perdit arrhas datas, & restituit acceptas, alio recuperante à se datas, & retinente acceptas. Et hæc ratio probat, esto arrhæ in eadem specie, & quantitate utrimque constituantur. Neque lex *Qui sic*, contrarium probat: loquitur namque de alienatione in qua tantumdem recipitur absque obligatione reddendi illud.

§. II.

Cui competant arrhæ pignora matrimonii contrahendi?

1 *Prædicta arrhæ pignora matrimonio contracto reddendæ sunt concedenti.*
2 *Pœnam dupli, vel quadrupli adjectam arrharum traditioni aliquibus placet spectato jure communi exclusam esse.*
3 *Verius est oppositum.*
4 *Hæc pœna non debetur ante judicis sententiam.*
5 *Proponitur objectio, & solvitur.*

1. CUm prædictæ arrhæ traditæ sint in signa, & pignora matrimonii contrahendi, contracto matrimonio reddendæ necessariò sunt ei qui eas concessit ex *leg. fin. Cod. de sponsalib.* quia jam rationem pignoris, & signi matrimonii contrahendi habere non possunt. At si matrimonium ob culpam tradentis arrhas non contrahatur, eas amittit, si verò ob culpam recipientis, neque tradentis arrhas matrimonium cesset, tenetur arrhas & tantundem ac arrhæ æstimantur ex proprio patrimonio reddere ei à quo arrhas accepit, uti habetur in *dicta leg. fin.* & meritò id statutum est, ne arrhas concedens subiret periculum illas amittendi injustè resiliens, nullum subeunte qui eas recipit, nec tradidit. A qua lege, & dispositione excipiuntur minores 25. annorum qui veniam ætatis non impetrarunt; ii enim si arrhas non tradiderunt, sed receperunt, satisfaciunt, si reddant receptas, neque tenentur tantundem reddere. Et idem est si eorum nomine parentes, vel tutores reciperent promittendo matrimonium. Secùs si ipsissimet parentibus, vel tutoribus concedentibus, ipsique nomine proprio ad matrimonium obligarentur, eo namque casu obligati essent arrhas restituere, & tantumdem ac arrhæ æstimantur, si per ipsos stetit quominus matrimonium non contraheretur. Secùs si ob culpam filiorum, ut benè aliis relatis docuit Sanch. *disputat.* 36. *in fine.* Ægid. *disputat.* 22. *dub.* 3. *num.* 17. Basil. Ponce *lib.* 12. *cap.* 19. *num.* 4. Præterea in *dicta leg. fin.* permissum est contrahentibus nisi minores sint inter se convenire non solùm de restitutione arrharum, sed reddendo duplum, vel triplum ultra arrhas, & in his ferè omnes Doctores conveniunt.

2. Duplex tamen est difficultas. Prima an hæc pœna dupli, vel quadrupli adjecta arrharum traditioni, habeat locum spectato jure canonico? Ratio dubitandi est, quia *in cap. gemmas de Sponsalibus*, reprobatur obligatio de pœna solvenda sponsalibus adjecta. Ad hæc solutio dupli, vel quadrupli est pura pœna sponsalibus adjecta. Ergo Doctores asserentes reprobari pœnam sponsalibus adjectam resilienti absque causa hanc pœnam tenentur reprobare. Præterea in hujusmodi pœna eadem ratio prohibitionis videtur procedere, ac procedit in cujuslibet alterius pœnæ constitutione, cùm re ipsa tempore contractus non tradatur, & ob timorem illius matrimonii libertas minui possit. At que ità in hanc opinionem quamvis dubius inclinat Gregor. Lopez *d. leg.* 84. *tit.* 28. *part.* 3. *verbo*, *e todas.*

3. Sed verior est communis sententia jure canonico correctam non esse prædictæ pœnæ appositionem, ut pluribus firmat Sanch. *disp.* 36. *num.* 11. Gutierr. *c.* 18. *de matr. num.* 17. Duaren. *de sponsalib. ad tit. ff. soluto matrimonio* §. 4. *in fine.* Ægid. de Coninch. *disp.* 22. *dub.* 3. *num.* 14. Basil. Ponce *lib.* 12. *cap.* 19. *num.* 2. Nam correctio legum vitanda est quoad fieri possit, at jus civile expressè hanc pœnam arrhis adjectam permittit, & omnem aliam, ut matrimonia libera sint, excludit. Ergo jus canonicum reprobans pœnam sponsalibus adjici, intelligi debet de pœna per se sumpta, & propria sponsalium, quæ à jure civili reprobatur, non de pœna arrharum contractui conjuncta, & à jure civili approbata, ut sic jura juribus conformia sint. Neque verum est eandem esse rationem prohibitionis in hac pœna dupli, vel quadrupli arrharum, ac est in mera pœna sponsalibus opposita, quia hæc plerumque in magna quantitate erit, cùm nihil tempore contractus tradatur, ex quo limitationem recipiat. At pœna dupli, vel quadrupli plerumque erit in exigua quantitate, cùm ex arrhis traditis recipiat restrictionem.

4. Secunda difficultas, & gravior est, an hæc pœna dupli, vel quadrupli debeatur in foro conscientiæ ante sententiam judicis? Pendet hujus difficultatis decisio ab illa quæstione, an pœna conventionalis debeatur ante judicis sententiam saltem declaratoriam? Quam latè examinavi 1. *p. tract. de legib. disp.* 2. *pun.* 3. ubi probabiliùs censui non deberi ante judicis sententiam, nisi aliud expressis verbis conventum sit. Quapropter in præsenti idem est dicendum non deberi pœnam dupli, vel quadrupli, quousque sententia judicis accedat; neque satis esse si à patre petatur. Et quidem de pœna quam *lex fin. Cod. de sponsalib.* statuit, ut recipiens, nec tradens arrhas, si injustè resiliat, reddat arrhas, & illarum valorem, communis sententia defendit teste Sanch. *disp.* 37. *num.* 1. Gutierr. *de matr. cap.* 18 *num.* 18. non deberi antè sententiam judicis, quia non est pœna conventionalis, sed legalis. Verùm admitto non deberi ante sententiam judicis, non quia est purè pœna legalis, hoc enim non credo. Nam ut rectè notavit Coninch. *disp.* 22. *dub.* 4. *num.* 18. lex illa non statuit ultra arrhas

valorem reddere in pœnam alicujus culpæ ſed ut æqualitas in contractu ſervaretur, ne tradens arrhas illas amitteret, nihil ex propriis amittens qui illas recipiet. At contrahentes præſumi debent contrahere juxta æquitatem à jure præſcriptam, ergo recipiens arrhas cenſendus eſt obligari ex contractu ad illas, & illarum valorem reddendum, ac proinde valor illarum debitus eſt non ex lege tantùm, ſed ex conventione, ſed quia eſt conventio de pœna ſolvenda ob violatam fidem, ideò ſententiam judicis requirit.

5. Solùm objici poteſt, tradens arrhas, & injuſtè reſiliens eas amittit nulla expectata judicis ſententia, ergo recipiens, illas illarúmque valorem, & duplum, vel triplum ex conventione debitum amittere ante ſententiam debet: quia non eſt præſumendum tradentem arrhas velle ſe obligare ad illarum amiſſionem abſque judicis ſententia, & nolle ut recipiens ſe obliget ad illarum valorem, & ad duplum, vel triplum amittendum, aliàs nec ſatis ſibi proſpiceret, nec ſuam cauſam æquam, & juſtam faceret. Reſpondeo, hoc argumentum probare non ſolùm non eſſe expectandam ſententiam judicis, ut arrhæ, illarumque valor, & duplum illud, vel triplum reddatur, ſed neque partis petitionem; nam ſi abſque novo conſenſu tradentis arrhas, & injuſtè à contractu reſilientis retinentur ab eo qui eas recepit, ſic abſque nova illius petitione, illas, & earum valorem, & triplum, & quadruplum conventum reddere debet recipiens, ſi injuſtè reſiliat: hoc autem pauci ſunt qui admittant. Nam communiter petitionem partis ut neceſſariam exigunt ad obligationem jungendam, ſicuti videre eſt ultra Doctores *in eo tract. de legib.* relatos in Ægid. de Coninch. *diſp. 22. dub. 4. num.*... Leſſio *cap. 20. num. 135.* Baſil. Ponce *lib. 12. cap. 19. num. 5.* Gutierr. *cap. 18. num. 19.* Quapropter reſpondeo recipientem arrhas, & injuſtè à contractu reſilientem obligatum eſſe eas reddere nulla expectata ſententia judicis, neque partis petitione: quia hæc non eſt pœna contractui adjecta, ſed eſt ipſius contractus natura, & eſſentia; quippe natura pignoris in ſecuritatem matrimonii contrahendi conceſſi petit ipſo jure reddi ad concedentem, ſi per ipſum matrimonium non ſteterit, quia non abſolutè donavit, ſed ſub conditione, quod culpabiliter, & injuſtè committat contractus promiſſi executionem. At ultra pignus illius valorem reddere, & à fortiori duplum, & triplum accidentarium eſt contractui, & ſolùm ex mutua conventione debitum, ac proinde in pœnam, ſiquidem minores contrahere poſſunt, & arrhas pignora recipere abſque obligatione reddendi illarum valorem, vel duplum, aut triplum. Cùm igitur expediens ſit ut omnis pœna conventionalis in illius executione legalem imitetur, & hæc ſententiam judicis requirat, illa etiam pœna reddendi arrharum valorem, duplum vel triplum, quæ conventionalis eſt, judicis ſententiam requirere debet. Neque præſumendum eſt aliter contrahentes velle, niſi apertè exprimant. Satis enim ſibi proſpiciunt & ſuam cauſam æquam, & juſtam reddunt, eo ipſo quòd recipiens arrhas, & injuſtè reſiliens eas ſtatim reddere teneatur, & accedente judicis ſententiam obligetur ad reddendum illarum valorem, & duplum, & triplum.

§. III.

De arrhis in remunerationem pudicitiæ, nobilitatis, & dotis ſponſæ traditis ab ſponſo, vel à viro uxori.

1 *Explicantur hujuſmodi arrhæ.*
2 *An ſponſa retinere arrhas poſſit, ſi virgo non ſit.*
3 *Affirmativè reſpondetur.*
4 *Concedi poſſunt hæ arrhæ antè, & poſt matrimonium.*

1. HUcuſque de arrhis ſpectato jure communi locuti ſumus, nunc de arrhis ſpectato jure noſtro regio. Arrhæ igitur in Hſpania donationi propter nuptias ſucceſſerunt ut habetur *leg. 1. tit. 11. part. 4.* tametſi ab ea donatione, ut initio hujus puncti adverti longè diſtent. Hæ igitur harræ conceduntur ab ſponſo ſponſæ non in ſignum, & pignus matrimonii contrahendi, cum etiam à marito poſt contractum matrimonium dari poſſint, ſed in præmium virginitatis ſponſæ ab ſponſo lædendæ, in compenſationem, ſeu remunerationem nobilitatis ipſius, & dotis receptæ, uti colligitur *ex leg. 50. & ſeqq. Tauri.* & tradit Sanch. *lib. 6. de matr. diſp. 1. num.*...

2. Quapropter non ſolùm virgini, ſed etiam viduæ concedi poſſunt, quia non neceſſariò conceduntur in præmium virginalis pudicitiæ, ſed in præmium pudicitiæ vidualis, & remunerationem dotis receptæ concedi poterunt, ut probat *lex 1. tit. 2. lib. 3. fori*, & docent Gregor. Lopez *leg. 87. verbo ſegun fuero tit. 18. part. 3. & leg. 1. verbo en Eſpana ad finem, tit. 11. part. 4.* Anton. Gomez, *leg. 52. Tauri, num. 13.* Gutier. *de matr. cap. 19. num. 9.*

3. Ex quibus illa gravis quæſtio deciditur. An ſponſa, quam virginem eſſe ſponſus credebat, cùm tamen non ſit, retinere arrhas ſibi traditas poſſit? Et licet aliqui Doctores, ut Caſtillo *leg. 56. Tauri n. 20.* Cordub. *in ſum. quæſt. 135.* Ludovic. Lopez *1. part. inſtructor. cap. 76. §. præterea.* Vega *lib. 1. ſum. caſu 387.* Man. *1. t. ſum. cap. 208. num. 12.* negare videantur, eo quòd ipſi in præmium virginitatis fuerint conceſſæ argum. *leg. res vxoris, Cod. de donat. inter vir. & uxor.* Sublata autem virginitate ceſſat cauſa finalis conceſſionis, argum. *leg. 2. §. fin. de Donationib.* At communis ſententia contrarium firmat, ut multis comprobat Sanch. *leg. 6. de matr. diſp. 27. à n. 4.* Gutierr. *de matr. cap. 19. num. 8.* ea præcipuè ratione, quia arrhæ non tam in præmium virginitatis, quàm in remunerationem nobilitatis ſponſæ, & dotis receptæ conceduntur, ſiquidem ſuccedunt antiquæ donationi propter nuptias, quæ ob prædictas cauſas concedebatur. Quando autem cauſa finalis adæquatè non ceſſat, nullatenus ceſat diſpoſitio, uti probavi *tract. de legib. diſp. 5. pun. 1.* Neque ex eo quòd tradens arrhas non foret illas traditurus, ſi ſciret ſponſam virginem non eſſe, inferendum eſt traditionem nullam eſſe; quia eſt error ad ſummum circa cauſam minus principalem, vel ut meliùs dicam circa impulſivam, & extrinſecam, ex quo non vitiatur actus, ſicuti non vitiatur eleemoſyna data pauperi, cui non dares, ſi ſcires virum religioſum non eſſe, quia pauperis probitas non eſt cauſa finalis eleemoſynæ, ſed impulſiva. Quod adeò verum eſt, ut etiam ſi in inſtrumento donationis ſola appoſita fuerit cauſa virginitatis ad arrhas concedendas, id exiſtimandum eſt ex ſtylo imperito Tabellionum fieri, & non ex voluntate contrahentium, ac proinde donationem non immutare, uti docet Gregor. Lopez *leg. 87. tit. 18. part. 3. verbo, ſegun fuero.* Valaſcus *conſ. 2. num. 4.* & conducunt tradita per Tiraquell. *leg. 6. unquam in præfat. num. 126. Cod. de revocand. donat.* Anton. Gomez. *2. var. cap. 4. num. 22.* Gutierr. *Authent. Sacramenta puberum, n. 101.* Cobarub. *rub. de teſtam. 2. p. num. 14.*

3. Hæ arrhæ concedi poſſunt ante, & poſt initum matrimonium ex *leg. 87. tit. 18. part. 3.* ibi: arras, y donaçiones façem los maridos a ſus mujeres, *& leg. 2. tit. 11. part. 4.* dicitur, las dores, e las donaçiones que façe el marido a la muier &c. *leg. 5. Tauri*? ibi el marido dar mar arras aſu muier. Et *leg. 52.* ibi, no aviendo arras en el tal caſamiento, e matrimonio. At juxta communem uſum non niſi poſt conſummatum matrimonium maritus, & uxor appellantur, nec matrimonium dicitur, niſi quod per verba de præſenti contrahitur, ergo, &c. Deinde donatio arrharum etſi multum diſtet ab antiqua donatione propter nuptias, in illius

illius tamen locum succeſſit, ut deciditur *in leg. 1. tit. 11. par. 4.* At jure communi donatio propter nuptias conſtante matrimonio fieri poterat, *leg. inter eos ff. de donat. inter vir. & uxor. & leg. ſi conſtante, & leg. cùm à matre, Cod. de donationibus ante nupt.* Ergo donatio arrharum conſtante matrimonio fieri poterit Tertiò donatio, quæ prohibetur inter conjuges eſt liberalis,& gratuita, ut colligitur ex *leg. 3. §. ſciendum, ff. de donat. inter vir. & uxor. & ex cap. fin. eodem tit.* At hæc arrharum donatio non ſic ſe habet, cum non ex mera liberalitate procedat, ſed in remunerationem pudicitiæ,nobilitatis,& dotis ſponſæ. Ergo licita eſt: ſiquidem inter conjuges licita eſt remuneratoria donatio, uti multis comprobat Sanch. *lib. 6. de matr. diſput. à num. 2.* Atque ita tradunt aliis relatis Ant. Gomez *leg. 52. Tauri. num. 12.* Cobarub. *4. decret. 2. part. cap. 3. §. 7. num. 11.* Matien. *lib. 1. 5. recopil. tit. 2. leg. 2. gloſſ. 2. num. 2.* Gutierr. *lib. 3. pract. quæſt. 43. numero 5. de matr. cap. 19. n. 13.* Sanch. *lib. 6. de matr. diſp. 29. n. 2.* tametſi Gregor, Lopez *dicta leg. 1. verbo, en Eſpaña tit. 11. part. 4.* Molin Jeſuita *t. 2. de juſtit. diſp. 431. §. dubium*, contrarium ſentire videantur.

§. IV.

In qua quantitate, & ex quibus bonis hæ arrhæ concedi poſſint?

1 *Prædicta arrha excedere non poſſunt ſpectato jure noſtro regio decimam bonorum partem donantis.*
2 *Quæ bona qualiter computanda ſint ad hujuſmodi exceſſum.*
3 *Plures cenſent ad decimæ computationem bona quæ concedens bona fide poſſidet eſſe computanda.*
4 *Verius eſt ſola ea quæ propria ſunt computanda eſſe.*
5 *Satisfit oppoſitis.*
6 *Qualiter in poſſeſſore majoratus bona computanda ſint.*
7 *An arrhæ promiſſæ à marito habente filios prioris matrimonii extrahendæ ſint ex cumulo hæreditatis, vel ſolum de quinta bonorum parte? Aſſeritur ex ſola quinta bonorum parte.*

1. POrrò prædicta arrharum donatio excedere non poteſt ſpectato jure regio Hiſpaniæ decimam bonorum partem donantis, ne hac via conjuges ſe mutuò ſpolient, ut habetur *leg. 1. tit. 2. lib. 3. fori & leg. 50. Tauri*, quæ hodie eſt lex *2. tit. 2. lib. 5. compilat.* ubi expreſsè cavetur huic legi renunciari non poſſe. Quod intelligendum eſt, quando donans promittens arrhas eſt is qui ſponſalia, vel matrimonium contrahit,ſecùs ſi alius tertius nomine proprio promitteret, vel donaret non quidem ex bonis ſponſi, hoc enim eſſet, ac ſi ipſe ſponſus promitteret, ſed ex bonis propriis. Quia *lex tit. 2. de las arrhas lib. 3. fori*, quæque approbatur *leg. 50. Tauri* ſolùm comparatione contrahentis reſtrinxit, ne decimam excederet, ibi: todo home que caſare no puede dar mas arras a ſu mujer del diezmo. Ergo reſpectu aliorum, qui arrhas donare, vel promittere poſſunt jus commune intactum manet. At jure communi nulla eſt facta reſtrictio in arrharum conceſſione. Ergo alii ab ſponſo concedentes arrhas nomine proprio, & ex propriis bonis poſſunt in qualibet quantitate concedere, uti comprobat Sanch. *lib. 6. diſp. 29. n. 18.* Gutierr. *de matr. cap. 19. num. 25.*

2. Ut autem conſtet, an arrharum conſtitutio excedat, vel non excedat decimam bonorum partem ipſius conſtituentis, ea tantùm bona computanda ſunt, quæ donans habet tempore donationis, ſeu promiſſionis arrharum non quæ poſtmodum habiturus eſt niſi aliud fuerit expreſſum, ut rectè aliis relatis docent Gutierr. *lib. 3. pract. quæſt. 42. num. 2. & de matr. cap. 19. num. 18.* Sanch. *lib. 6. diſp. 29. num. 6.* Non enim noſtra reputanda ſunt niſi ea quæ actu poſſidemus, maximè in obligationibus inducendis *leg. ſi poſtulatus 76. §. 1. ff. de verbor. obligat. & leg. ſi mandavero, §. is cujus ff. mandati & leg. ſi ita legatum, Cod. quæ res pignori.* Neque his obſtat *leg. fin. Cod. quæ res pignori & leg. 5. tit. 13. part. 5.* ubi ſub hypotheca bonorum non ſolùm præſentia, ſed etiam futura intelliguntur. Nam ut rectè Sanch. *dicta diſp. 29. num. 7.* inquit id eſt ſpeciale in hypotheca: eo quòd ex comprehenſione bonorum futurorum non extendatur obligatio, ſed obligationis ſecuritas. Secùs verò eſt dicendum ubi ex comprehenſione futurorum bonorum obligatio eſſet extendenda, ut in præſenti contingit. Quocirca ſi tempore promiſſionis arrharum nulla bona habeas, tametſi ea habeas tempore quo arrhas concedis, nulla eſt promiſſio, nec donatio, ut rectè tradunt Sanch. & Gutierr. *ſuprà* adverſus Baeza, & Azebedo, quia non ex futuro eventu, ſed ex præſenti promiſſio regulanda eſt; ſi quidem promittis arrhas ex tuis bonis, bona autem futura non ſunt, ſed erunt. Verùm ſi expreſsè de bonis non ſolùm præſentibus, ſed futuris arrhas promitteres, ſicut facere potes *ex leg. 2. tit. 2. de las arrhas lib. 3. fori*, donatario data eſt facultas eligendi tempus, in quo bonorum computatio fiat, ne decimam partem illorum excedat, ut rectè Anton. Gomez *leg. 50. Tauri. num. 13.* Gutierr. *lib. 3. pract. quæſt. 42. num. 2. & de matr. cap. 19. num. 17.* Sanch. *diſp. 29. num. 5.* Bona autem tradentis, vel promittentis arrhas ſunt quæ remanent deducto ære alieno; quia ea quæ aliis debentur, noſtra cenſeri non debent *leg. ſubſignatum ff. de verbor. ſignificat.* & multis comprobat Gutierr. *quæſt. 42. ferè per totam.* Sanch. *diſp. 29. num. 11. & 12.* Inter hæc autem bona computari debent officia tabellionatus, rectoris urbium, & quælibei alia vendibilia, quia cum vendi poſſint, & pretio æſtimari; ut pars bonorum habenda ſunt. Item comparari debent omnia illa bona, quæ tibi debentur, & ad quæ recuperanda habes actionem, quia moraliter tua ſunt *leg. bonorum ff. de verbor. ſignific.* & tradit Sanch. *num. 13.* & Gutierr. *d. numero 17.*

3. Sed an ad decimæ computationem ſufficiat bona fide tempore promiſſionis bona tanquam propria poſſidere, tametſi poſtea evincantur, vel aliàs conſtet propria non eſſe? Gravis eſt controverſia, in qua Roderic. Suar. *leg. 1. titul. 2. lib. 3. fori verſ. nota tamen.* Anton. Gomez *leg. 51. Tauri, num 13.* Baeza *de non meliorandis filiabus ratione dotis capit. 31. numero 12.* Matien. *leg. 2. titul. 2. lib. 5. compilat.* gloſſ. *2. numero 4.* Azebedo *dicta leg. numero 23.* Molin. Jeſuita, *tom. 2. tra. 2. diſp. 431. §. illud eſt obſervandum* affirmant id ſufficiens eſſe. Ducuntur primo ex *leg bonorum appellatio 49. ff. de verbor. ſignificat.* ubi expreſsè deciditur bona noſtra eſſe quæ bona fide poſſidemus, tametſi aliena ſint, ibi *In bonis autem noſtris computari ſciendum eſt non ſolùm quæ dominii noſtri ſunt, ſed & ſi bona fide à nobis poſſideantur.* Secundò *ex leg. 1. §. ſed cùm aliquis, Cod. de teſtam.* ubi validum reputatur teſtamentum, in quo teſtis ſervus adfuit; eo quod ut liber fuerit reputatus, quia error communis vitium ſupplet, & veritati æquivalet. argum. *leg. Barbarius Philippus, ff. de officio prætoris, cap. ad probandum de re judicata, cap. fin. Qui filii ſint legitimi.* Tertio ex *cap. conſultationibus, in 1. part. de jure patronatus*, ubi inſtitutus ab eo qui jus patronatus bona fide poſſidebat non removetur, tametſi poſtea à poſſeſſione, juréque patronatus removeatur; quia non ſpectatur quid futurus eventus pariet, ſed quid præſens ſtatus poſtulet: at præſens ſtatus promittentis arrhas poſtulare videtur, ut omnia bona, quæ bona fide tanquam propria poſſidet, in comparationem veniant. Ergo ex evictione poſtmodum ſubſecuta hac comparatione immutanda non eſt.

4. Nihilominus etſi prædicta ſententia ſit ſatis probabilis, contrariam veriorem reputo, ſcilicet bona, quæ verè aliena ſunt, & alteri debita, tametſi ut propria poſſideas,

poſſideas, non venire in computationem, ſic tenet Ayora *de partitionib. 1. p. cap. 7. à n. 22.* Gutierr. *lib. 3. pract. quæſt. 42. à num. 12. & de matr. cap. 19. num. 27.* Sanch. *lib. 6. diſp. 30. num. 2.* Idémque aſſerunt intelligendum eſſe de ſponſalitia largitate, quæ octavam partem dotis ſponſæ excedere non poteſt, & conſequenter regulanda eſt juxta quantitatem dotis non evictæ. Probatur concluſio primò *ex dicta leg. 2. tit. 2. lib. 3. for.* approbata à *l. 2. tit. 2. lib. 5. compil. novæ.* ibi enim dicitur: que el marido no pueda dar mas en arrhas a ſu mujer de la deçima parte de ſus bienes. Expendendum enim eſt verbum illud *de ſus bienes.* quod in propria ſignificatione ſuſcipi debet, argum. *leg. 3. §. hæc verba ff. de negot. geſtis:* at quod alteri debes non eſt verè tuum, ſed alienum, tametſi ob ignorantiam proprium eſſe credas. Ergo illud pro bonis tuis propriis computandum non eſt maximè in computatione, quæ tibi præjudicat. Secundò lex reſtringens, ne promiſſio, vel datio arrharum decimam bonorum donantis excedat lata eſt tum in favorem ipſius promittentis, ne ob prædictam donationem pauper remaneat, tum in ejus conſanguineorum favorem, ne hæreditate obventura priventur, ob quam cauſam eis conceditur actio repetendi exceſſum *leg. 1. tit. 2. lib. 3. fori.* Sed prædicti favores ceſſant computatis bonis alienis, ac ſi propria eſſent; ponamus namque omnia bona præter illas arrhas à te ſubſtrahi, quia aliena erant, manifeſtum eſt te pauperem remanſurum, & conſanguineos omni hæreditate privari. Ergo bona quæ vere aliena ſunt non debent computari. Tertiò appellatione naturali bona alicujus ſunt, quæ ſuperſunt deducto ære alieno *leg. mulier bona, ff. de jure dotum leg. ſubſignatum §. bona ff. de verbor. obligat.* At in contractibus bona ſumuntur appellatione naturali, ut tradit Rebuff. *dicta leg. bonorum appellatio.* Ergo in hoc contractu arrharum bona ſumenda ſunt deducto ære alieno. Quartò convincitur *ex leg. 1. §. ſi hæres præcepto fundo ff. ad Trebellian.* ubi juſſus reſtituere hæreditatem retento fundo qui fuit pignori, vel hypothecæ datus, ob quam cauſam poſtmodum evincitur, retinere ex hæreditate æſtimationem fundi poteſt, quia ea æſtimatio detrahenda eſt ex hæreditate. Sic igitur in computatione bonorum pro arrhis conſtituendis deducenda ſunt quæ poſtmodum fuerint evicta.

5. Neque obſtant contraria. Ad primum *ex leg. bonorum* reſpondeo non dixiſſe legem bona noſtra eſſe, quæ bona fide poſſidemus, ſed in bonis noſtris computari, quod minus eſt; ad quem effectum ſufficit bona fides. Adde in favorabilibus, & ad civiles effectus ſcilicet ad actionem, & exceptionem, ad præſcriptionem, ad poſſidendum reipublicæ officium, quod ſtatuto, & lege cavetur, ne ullus poſſidere poſſit qui mille in bonis non habeat, bona propria cenſeri; ſecus in præjudicantibus quales ſunt promiſſiones, & obligationes. Ad ſecundum dico, ob favorem publicum, qui adeſt in teſtamentorum firmitate ſuſtinetur teſtis aliàs inhabilis, habilis reputatus. At computare bona aliena pro arrhis ſtatuendis bono communi non expedit, ſed potius contrarium. Ad tertium *ex cap. conſultationibus* admitto inſtitutum à poſſidente patronatum removendum non eſſe, quia preſentatio eſt fructus patronatus, qui bonæ fidei poſſeſſori debetur: at conſtitutio arrharum non eſt fructus bonorum, ſed illorum alienatio. Non igitur ex patronatus præſentatione deſumi poteſt argumentum bona quæ propria creduntur, & re vera aliena ſunt, ut bona propria computari debere.

6. In poſſeſſione autem vinculi; ſeu majoratus omnes Doctores conveniunt non eſſe ſpectandum majoratus valorem, ut liquidari poſſit decima, quam attingere donatio arrharum poteſt, ſed ſpectandos eſſe fructus, ſeu annuos redditus, quia iis donans gaudere debet, & de his diſponere poteſt, non verò de majoratus valore argum. *leg. hæreditatum ff. Ad leg. Falcidiam.* Et tradit Molin. Jeſuita, *tract. 2. diſp. 432. verſ. circa hoc* Sanch. *lib. 6. diſp. 31. n. 1.* Gutierr. *lib. 2. pract. quæſt. 17. num. 2. & de matr. cap. 19. num. 28.* Sed qualiter ii annui redditus, & fructus computandi ſunt, non eſt conſtans inter Doctores, cùm incertum ſit quot annis poſſeſſor majoratus victurus ſit: ideoque aliqui dicunt arbitrio prudentis computandos eſſe juxta numerum annorum qui creditur victurus. Qua computatione facta utpote legitima retractari non debet ex futuro poſtmodum eventu juxta *leg. ſancimus, Cod. de adminiſtrat. tutor. leg. nec enim, ff. de itinere, actúque privato.* Alii ſentientes hanc computationem eſſe nimis fallacem affirmant tempus mortis ſpectandum eſſe, & tunc examinandum; an donatio arrharum exceſſerit decimam partem omnium fructuum, & reddituum, quos donans in vita perceperit, & ſi excedere repertum ſit, detrahatur is exceſſus, & ad æqualitatem decimæ partis fructuum reſtituatur donatio, quæ videtur ſub hac conditione à principio facta, niſi inter partes aliud conventum fuerit, ut rectè conveniri poteſt ob incertitudinem: ſic tradit Gloſſa *in dicta leg. hæreditatem verbo, triginta.* Bart. *ibidem, verſ. quæro ſic,* Cobarub. *lib. 3. variar. cap. 9. n. 9.* Gutierr. *lib. 2. pract. q. 17. num. 8. & de matr. cap. 19. num. 29.* Sed rectior, & facilior computatio eſt, quam aſſignat Molina Juriſta *lib. 1. de primogen. cap. 19. num. 41.* Azebedo, *lib. 5. recopil. tit. 2. num. 18.* Gutier. *dicta quæſt. 17. à n. 8. & de matr. cap. 19 n. 31.* Sanch. *lib. 6. de matr. diſp. 31. n. 3. & 4.* ut fructus, & redditus majoratus æſtimationem cenſus vitalitii, quippè comparatione poſſeſſoris majoratus cujus redditus ſunt quaſi redditus cenſus vitalitii. Unde cùm cenſus vitalitius ad rationem unius pro decem juxta novam Philippi III. pragmaticam conſtitutus ſit, & perpetuus ad rationem unius pro viginti, efficitur ſanè, ſi majoratus annui redditus mille aurei perpetui ſint; ad vitam duo millia eſſe deberent, arrharumque valor duo millia excedere non poteſt.

7. Verùm arrhæ promiſſæ à marito habente filios prioris matrimonii, vel illis ceſſantibus aſcendentes legitimos, an extrahendæ ſint, ſicut & alia debita de corpore hæreditatis, vel ſolùm de ea parte, de qua liberè diſponere poteſt, ſcilicet de quinta bonorum parte, ſi deſcendentes legitimos habeat, vel tertia, ſi illis careat, & habeat aſcendentes? Non eſt levis controverſia, in qua Azebedo *leg. 2. tit. 2. num. 30. lib. 5. recopil.* & Ayora *de partitionib. 2. part. cap. 44.* affirmant ex corpore hæreditatis extrahendas eſſe, eo quòd conſtitutio arrharum non eſt gratuita, & liberalis donatio, ſed remuneratoria dotis ſponſæ, illiúſque nobilitatis, at donatio remuneratoria utpote ex honeſtate debita ex cumulo hæreditatis extrahenda eſt. Ergo ex eodem cumulo extrahi debet arrharum donatio. Sed rectiùs contrarium cenſent Spino *ſpecul. teſtament.* Gloſſ. 18. *n. 94. & 95.* Azebedo ſibi contrarius *leg. 12. num. 4. tit. 6. lib. 5. recopilat.* Angulo *de melioration. leg. 12. gloſſ. 1. num. 22.* Sanch. *lib. 6. diſp. 38. num. 15.* Gutierr. *lib. 3. pract. quæ. 43. n. 22. & ſeqq. & de matr. cap. 19. num. 39.* eo quod nullo jure conſtringitur ſponſus arrhas ſponſæ aſſignare, ſed earum aſſignatio tametſi aliquo modo remuneratoria ſit, eſt tamen voluntaria, ſed ob donationem voluntariam æquum non erat legitimam filiorum, aut aſcendentium, quæ ex rigore juſtitiæ debita eſt minuere. Ergo &c. Secus eſt dicendum, ſi tempore quo arrhas promiſiſti aſcendentibus, vel deſcendentibus careres, eo caſu ex toto cumulo hæreditatis ſunt extrahendæ, neque nativitate filiorum arrharum donatio revocatur, aut aliquo modo reſtringitur utpote quæ non eſt omnino liberalis, ſed remuneratoria & per quam eſt jus ſponſæ quæſitum, ut latè Sanch. & Gutierr. ſupra confirmant.

§. V.

§. V.

An valida sit arrharum donatio ultra decimam præcipuè accedente juramento?

1 *Valida est arrharum promissio quoad eam partem, quæ decimam attingit. Secus quoad excessum.*
2 *Examinatur, an promossio arrharum ultra decimam valeat in foro conscientiæ, ita ut accipiens non habeat obligationem restituendi.*
3 *Resolvitur in utroque foro invalidas esse promissiones, & donationes arrharum ultra decimam.*
4 *Satisfit rationi oppositæ.*
5 *Plures censent adjecto juramento validam esse promissionem, vel donationem arrharum excedentem decimam.*
6 *Contrariam opinionem docuerunt plures.*
7 *Alii censent firmari juramento sponsalitiam largitionem.*
8 *Resolvitur neque promissionem arrharum, neque sponsalitiam largitionem ultra octavam firmari juramento.*
9 *Solvuntur opposita fundamenta.*

1. SI arrhas ultra decimam bonorum, de quibus disponere potes, promiseris, vel donaveris, promissio, seu donatio invalida est quoad excessum tantum, valida tamen quoad eam partem, quæ decimam attingit. Colligitur *ex leg. 1. tit. 2. de las arrhas lib. 3. fori*, concedente, ut si donans prædictam quantitatem excesserit, ejus consanguinei repetere excessum possint, in quo tacitè indicatur donationem solùm quoad excessum vitiosam esse, alioquin omne donatum esset repetendum uti notarunt Anton. Gomez *leg. 30. Tauri num. 13.* Matien. *lib. 5. recopil. tit. 8. leg. 3. Gloss. 7. num. 3.* Molin. *t. 2. tr. 2. de justit. disp. 431. §. illud.* Sanch. *lib. 6. de matr. disp. 19. num. 14.* Gutierr. *de matr. cap. 19. num. 24.* Quod adeò verum est, ut etiamsi arrhæ in specie indivisibili v.g. in fundo excedente decimam bonorum partem constituantur, non obinde earum constitutio nulla est, quia præstat actui valorem potius, quàm nullitatem dare, sed ea valida subsistente solum quoad æstimationem excessus nullitatem habet, quam æstimationem recipiens fundum restituere debet fundo sibi retento, ut aliis relatis dixerunt Sanch. *n. 16.* Gutierr. *num. 24.*

2. Sed an promissio arrharum ultra decimam valida sit, obligationemque inducat, & earum donatio firmitatem habeat at in foro conscientiæ, ita ut recipiens restituere acceptum non teneatur? Difficultate non caret, eo quod plures, graveseque Doctores, Alexia *in taxa panis cons. 61. n. 42.* Cordub. *in sum. quæst. 124. in fine.* Henriq. *lib. 11. de matr. cap. 20. n. 4.* Ludov. Lopez *1. part. instructor. cap. 175. & de contract. lib. 2. cap. 42. in princ.* Rodrig. *tom. 2. sum. cap. 97. n. 3.* quos refert & sequitur Sanch. *lib. 6. de matr. disp. 33. n. 1. & 3.* affirmant meliorationem filiæ causa notis factam validam esse in foro conscientiæ, solumque in foro externo actionem concedi *& leg. 50. Tauri*, quæ hodie est *1. tit. 2. lib. 5. compilat.* usu quoad forum cõscientiæ esse derogatam, siquidem passim hæ meliorationes fiunt; nec tamen à Cõfessoribus ullus scrupulus injicitur nec meliorantibus, nec melioratis. Ob quam causã dixit Padilla *Authent. res quæ, num. 23. Cod. communia, de legat.* sibi renunciatum esse apud utriusque prætorii æquissimos judices, hanc legem dissimulatione quadam exoleviſſe. At eodem tenore, quo melioratio prohibetur, prohibita est in eadem lege sponsalitia largitas ultra octavam bonorum partem, & in *lege sequenti* arrharum donatio ultra decimam. Ergo omnes hæ donationes validæ erunt, quousque à judice fuerint infirmatæ.

3. Cæterùm omnino tenendum est in utroque foro invalidas esse promissiones, & donationes arrharum ultra decimam, & sponsalitiam largitatem ultra octavam, sicuti aliis relatis docet Sanch. *lib. 6. de matr. disp. 33. à numero 1. & 3.* Gutierr. *cap. 19. numero 34.* Quia prædictæ leges non solùm dictum excessum prohibent, sed in contrarium factum annullant ob multa, & gravia inconvenientia, quæ inde nasci possunt, gravéque filiorum, & hæredum præjudicium, neque ullus est Doctor, qui censeat prædictas leges quoad arrhas, sponsalitiámque largitatem usu abrogatam esse. Quinimo Thom. Sanchez qui in melioratione filiæ causa dotis censet prædictas leges in foro conscientiæ non obligare, de arrhis, sponsalitiáque largitate contrarium sentit.

4. Neque ratio in contrarium urget: nam esto leges eodem tenore meliorationem causa dotis, & constitutionem arrharum ultra decimam, sponsalitiamque largitatem ultra octavam prohibuerint, & annullaverint, potuit tamen usus, & consuetudo legem quoad meliorationem abrogare, immutatam relinquens quoad arrhas, sponsalitiámque largitatem, cùm sint res omnino distinctæ. Præterea falsum existimo legem de non meliorandis filiabus causa dotis usu, & consuetudine esse abrogatam etiam in foro conscientiæ, ut latè probat Baeza *de non meliorand. filiab. rat. dot. cap. 29. numero 1. & 2.* Tell. Fernand. *leg. 26. Tauri ad finem. vers. ultim.* Rosas *in epitom. de successionibus cap. 3. n. 41.* Angulo *de meliorat. in leg. 10. gloss. 9. numero 3.* Azebedo, *leg. 1. numero 8. tit. 2. lib. 5. novæ collect.* Gutierr. affirmans nunquam spatio 40. annorum vidisse in praxi de hoc dubitari *cap. 19. de matrimonio n. 35.* & probari potest ex stylo, quem solent parentes dotando filias observare, cavent enim maximè, ne ullo modo melioratio causa dotis insinuetur; tum ob prohibitionem legis, tum ut evitent nullitatem. Et ob eandem rationem viri matrimonium contracturi fidejussores, seu assecuratores dotium expostulant. Signum ergo est prædictam legem esse in viridi observantia. Neque confessariorum aliquorum negligentia, si aliqua est probat legis abrogationem, & minus testimonium Padillæ cum sit non de visu, sed de auditu, qui facilè decipi potuit. Adde prædictam consuetudinem casu quo vigeret sufficienter derogatam esse à Philippo II. *illa lege initio novæ collectionis posita*, qua præcipit leges in illa recopilatione contentas ab omnibus judicibus observari non obstante consuetudine contraria.

5. At si promissioni, vel donationi arrharum terminum permissum excedenti juramentum adiicias, plures Doctores gravissimi, Anton. Gomez *leg. 52. Tauri*, & *leg. 64. numero 4. & lib. 2. variar. cap. 14. num. 26.* Menchaca, *de succes. creat. lib. 3. §. 28. num. 33. & §. 26. num. 43.* Gomez Arias, *leg. 48. Tauri, numero 13.* Anton. Gabr. *tom. 1. commun. lib. 1. verbo arrha fol. 57.* Ayora *de partit. 1. part cap. 7. n. 19.* propendet Molin. *tract. 2. disp. 431. fine*, & alii relati à Sanch. *lib. 6. disputat. 34. num. 1.* censent juramento firmari. Ducuntur primò ex *leg. 12. tit. 1. lib. 4. novæ recopilat.* ubi permittitur in contractu arrharum apponi juramentum, quod supervacaneè apponeretur nisi vim haberet firmandi promissionem, & donationem alioquin invalidum. Secundò quia hoc juramentum non est contra bonos mores naturales, esto contra bonos mores civiles, ergo servandum est argum. *cap. cum conting. de jureiurando?* Tertiò contractus principaliter ob privatam utilitatem, & minus principaliter ob publicam firmatur juramento, ex doctrina Bari. communiter recepta *leg. si quis pro eo, numero 8. ff. de fidejussorib.* quam pluribus firmat Cobarub. *de pact. 2. part. §. 1. numero 5. & 6.* At promissio, & donatio arrharum ultra decimam principaliter interdicitur ob privatam utilitatem; neque enim bono publico refert, quod ex civibus hic potiùs quàm ille divitias habeat. Ergo, &c. Quartò donatio inter conjuges firmatur juramento, uti comprobat Sanch. *lib. 6. disp. 11. num. 2.* Sed ob eandem rationem hæc donatio interdicitur, ac interdicitur arrharum donatio excedens decimam, nempe ne conjuges se mutuo amore spolient. Ergo sicut una firmatur juramento, sic & alia.

6. Contrariam opinionem, scilicet promissionem,

ſeu donationem arrharum non firmari juramento docuerunt Cobarub. *de pact. 2. part paragr. 2. num. 8.* Gaſpar Baëza *de non meliorand. filiab. cap. 29. num. 6 & 12.* Matien. *lib. 5. recopil. tit. 2. leg. 2. gloſſ. 3. num. 6.* Gutier. *2. pract. quaſt. 16. & de juram. 1. part. cap. 14. num. 2.* & Authent. *ſacramenta puberum num 44. & de matrim. c. 19. n. 37.* Sanch. alios plures referens *lib. 6. diſp. 34. n. 2.* Duplici fundamento ducti. Primò in prædicto *leg. 1. titul. 2. lib. 3. fori* cavetur promiſſionem, ſeu dationem arrharum ultra decimam ita eſſe nullam, ut nulla ratione prædictæ legi renunciari poſſit, at ſi appoſitione juramenti valeret promiſſio, ſeu donatio, jam hac via legi renunciari poſſet. Secundò prohibitio arrharum ultra decimam non ſolùm cedit in favorem promittentis, & donantis arrhas, ſed illius conſanguineorum; quibus defertur jus repetendi exceſſum; at quoties lex vitare intendit tertii præjudicium, contractus adverſus eam legem factus juramento non firmatur, *c. quamvis pactum, de Pactis in 6. c. cùm contingat de jurejur.* Ergo talis promiſſio arrharum juramento non firmatur.

7. Secùs verò affirmant Sanch. *d. diſp. 34. num. 3.* & Gutier. *de juram. de matrim. locis allegat.* in ſponſalitia largitate, credunt namque ſponſalitiam largitatem ultra octavam partem dotis ſponſæ juramento firmari, eo quòd *in leg. 1. tit. 2. lib. 5. recop.* non caveatur prædictæ legi renunciari non poſſe. Secundò & præcipuè, quia hæc donatio non cedit in præjudicium alterius à donante; ſiquidem nemini defertur jus repetendi exceſſum. Quod intelligunt Gutierr. & Sanchez quando ſponſalitiam largitatem concedens non haberet hæredes neceſſarios ſive deſcendentes, ſive aſcendentes, nam eo caſu exceſſus ultra octavam partem bonorum, de quibus liberè diſponere poterat nullatenus juramento firmaretur, utpotè qui in præjudicium cederet.

8. Ego verò dicendum exiſtimo neque promiſſionem, ſeu donationem arrharum ultra decimam, neque ſponſalitiam largitatem ultra octavam partem dotis, tametſi nulli adſint hæredes neceſſarii juramento confirmari poſſe. Nam ut latiùs *tract. de juram. punctum 9. paragr. 2. & 3.* Dixi juramentum confirmatorium contractus eſt juramentum de perſeverando in contractu, ſeu de non contraveniendo illi. Ergo ſi contractus jure ipſo nullus eſt, & irritus, & juramentum perſeverandi, ſeu non contraveniendi tali contractui bonum eſſe non poteſt, ſed potiùs malum, & iniquum. Quapropter ut juramentum vim habeat firmandi contractum alioquin invalidum, oportet, ut lege diſponente purgetur nullitatis vitium. At nullibi cavetur adveniente juramento purgari vitium promiſſionis, ſeu donationis arrharum ſponſalitiæque largitatis excedentium terminum à lege præſcriptum. Ergo confirmari juramento non poſſunt.

9. Argumenta prioris ſententiæ aſſerentis promiſſionem arrharum ultra decimam juramento firmari levia ſunt. Nam primum deſumptum *ex leg. 12. tit. 1. lib. 4. recopilat.* ſolùm probat hunc contractum eſſe ex illis in quibus permittitur juramentum apponi, fortè quia annectitur matrimonio, quo ad judices Eccleſiaſticos pertinet; non quia apponi poſſit in promiſſione, ſeu donatione legis terminos excedente. Ad ſecundum dico, eo ipſo quo juramentum eſt adverſus leges, ſeu mores civiles eſſe etiam adverſus leges, ſeu mores naturales, ſi interdictum civilis legis non ceſſat. Ad tertium nego ſatis eſſe ad contractum juramento firmandum quod contractus bonum privatum reſpiciat, requiritur præterea, ne adveniente juramento prohibitus ſit, uti factum eſt in alienatione fundi dotalis, *c. cum contingat de jurejurando* & in contractu minorum *Authent. ſacramenta puberum, Cod. ſi adverſus vendit.* De quibus dicto *tract. de juram.* latè diſſeruimus. Ad quartum ob eandem rationem negandum eſt donationem inter conjuges firmari juramento poſſe ultra caſus in quibus ſecluſo juramento permiſſa eſt.

§. VI.

Cui incumbat onus probandi promiſſionem, ſeu donationem arrharum, & idem eſt de ſponſalitia largitate non excedere taxam à lege præſcriptam.

1 *Sanchez varias ſententias refert.*
2 *Certum eſt uxori arrhas poſſidenti non competere onus probandi ſub decima bonorum mariti contineri.*
3 *Maritus, vel ejus hæredes condemnantur in ea quantitate arrharum, quæ ab uxore jure petitur.*
4 *Verius cenſeo in nullo caſu uxorem, vel ejus hæredes obligari ad probandum intra limites decimæ partis bonorum mariti continere.*

1. IN hac quæſtione Sanch. *lib. 6. diſp. 35.* varias ſententias refert, cui conſonat Gutierr. *cap. 19. num. 39.* Prima aſſerit uxori, ejuſque hæredibus competere onus probandi intra partem bonorum mariti arrhas contineri, quia arrharum promiſſio, & donatio ad ſui valorem exigit contineri ſub prædicta decima. Ergo dum uxor, ejuſve hæredes hanc qualitatem non probaverint, non poſſunt ſuam intentionem fundatam habere juxta doctrinam gloſſæ communiter approbatæ *in leg. ſi verò, paragr. qui pro rei qualitate ff. quæ ſatis dare cogant. & leg. cùm de lege ff. de probationib.* & tradit Roderic. Soar. *in leg 1. num. 15. tit. de las arrhas lib. 3. fori.* Anton. Gomez *leg. 50. Tauri, num. 13.* Matien. *leg. 2.* Gloſſ. *2. num. 9. tit. 2. lib. 6. compilat.* Et eam eſſe receptam teſtatur Cobarub. *libro 2. var. capite 6. numero 7.*

Secunda cenſet prædictam ſententiam procedere, quando uxor, ejuſque hæredes petunt arrhas promiſſas, quia petere non poſſunt, niſi probent maritum tot bona habuiſſe, quot ſufficerent ad illas arrhas conſtituendas intra decimam, cùm hæc continentia ſit ſuæ petitionis fundamentum. Secùs verò quando ipſa uxor non petit arrhas, ſed ab ea poſſeſſas exigit, maritus, ejuſve hæredes, eo quòd exceſſerit decimam bonorum partem, quia eo caſu cùm ipſe maritus, vel ejus hæredes agant allegantes inopiam, eam probare debent, ut fundamentum ſuæ intentionis. Sic ultra Doctores ſuperiori ſententia relatos, qui ſolùm de petitione arrharum promiſſarum loquuntur docet Azebedo *eadem leg. 2. num. 19. titul. 2. lib. 5. compil.* Pelaez *de major. 2. part. quæſt. 52. num. 13. & 17.*

2. In hac controverſia primò certum eſt, quando uxor arrhas poſſidet, nequaquam ipſi competere onus probandi ſub decima bonorum mariti contineri, ſed id competere marito, vel ejus hæredibus utpote intendentibus infirmare uxoris jus lege, & poſſeſſione acquiſitum.

3. Secundò eſt certum maritum, vel ejus hæredes condemnari in quantitate arrharum, quæ ab uxore jure petuntur, tametſi ea non probet arrhas promiſſas intra limites partis decimæ bonorum mariti contineri, ſi præſumptiones, & conjecturæ adſint, quibus judices quodammodo ſibi perſuadent promiſſam quantitatem decimam bonorum mariti non excedere, quia ea condemnatio non ſolùm eſt in favorem uxoris, ſed etiam mariti, ne ejus promiſſio nulliter eſſe facta declaretur. Debet ergo in caſu dubio pro valore promiſſionis ſententia ferri. Atque ita defendunt Cobarub. Sanch. *loc. alleg.*

4. Deinde probabilius cenſeo cum prædictis Doctoribus, & pluribus aliis ab eiſdem relatis in nullo caſu uxorem, vel ejus hæredes arrhas promiſſas poſtulantes obligari ad probandum intra limites, decimæ partis bonorum mariti contineri, ſed eam obligationem ſubire maritum,

maritum, vel ejus hæredes renuentes solvere. Ratio videtur aperta, nam eo ipso quo maritus eam quantitatem promisit, præsumitur promittere potuisse, dum contrarium non probatur, ne præsumatur delictum. Ergo uxor petens promissionis executionem, suam habet intentionem fundatam, quia fundatur in promissione sibi facta, & à jure approbata. Et confirmari potest exemplo legatariorum, qui petentes ab hærede legata sibi facta non tenentur probare hæreditatem sufficere: id enim præsumendum est, dum ab hærede contrarium non probatur, uti decidit *lex cum lege, ff. de probationibus* sed facta arrharum promissione similiter præsumitur bona promittentis sufficientia esse, ergo promissarius non tenetur ullam de sufficientia probationem facere.

§. VII.

Quis arrhas promittere potest?

1 *Sponsus, ejus parentes, imo extraneus arrhas promittere potest.*
2 *Qualiter minor, & filius familiâs arrhas valeat promittere. De bonis immobilibus nulla est promissio, nisi fuerit authoritate judicis facta.*
3 *Filius familias pubes inconsulto patre arrhas promittere potest de bonis quorum dominium, & administrationem habet.*
4 *Qualiter bona computanda sunt, ne decimam excedat promissio.*
5 *Promittens arrhas excusatur ab obligatione illas solvendi, si dos sibi promissa culpabiliter non solvatur.*

1. ARrhas plerumque sponsus, vel ejus parentes, & consanguinei nomine ipsius sponsi promittunt, uti constat ex supradictis legibus. Aliquando tamen è contrà accidere potest ut sponsa, vel ejus parentes nomine ipsius sponso arrhas concedant in præmium nobilitatis, & divitiarum excessus, uti notavit Azebedo, *lib. 5. recopilat. titul. 1. leg. 2. numero 1.* Thom. Sanchez, *lib. 6. disputat. 29. numero 4.* Gutierr. *de matrimonio capite 19. numero 16.* Præter ipsos, & alios ipsorum nomine quilibet extraneus arrhas promittere potest, uti *superiori* §. diximus, ea tamen differentia, ut si ex propriis bonis, & nomine proprio arrhas promiserit, excedere possit decimam suorum bonorum. Secus verò si nomine sponsorum, vel ex eorum bonis.

2. Solum igitur est difficultas, qualiter minor, & filius familiâs arrhas valeant promittere? Quam difficultatem latè versat Sanchez, *d. lib. 6. disputat. 37. præcipuè quæst. 3 numero 37.* & *disputat 39. per totam*, & ex ejus doctrina breviter accipe. Si minor etiam curatore carens arrhas promittat, vel donet de bonis immobilibus, vel mobilibus, quæ servando servari possunt, nulla est ejus promissio, aut donatio, nisi fuerit authoritate judicis facta, quia prædictis minoribus horum bonorum alienatio absque judicis decreto interdicitur. *leg. non solùm leg. prædia. Cod. de Prædiis minor.* & *leg. fin. Cod. si major factus alienationem*, & *leg. quæ tutores. Cod. de administrat. tutor.* sic Roderic. Soar. *leg. 1. numero 65. titul. 2. de las arrhas, lib. 3. fori.* Gregor. Lopez *leg. 1. verbo en Espanna titul. 1. part. 4.* Anton. Gomez *leg. 52. Tauri. numero 14.* Azebedo *lib. 5. recopilat. titul. 2. leg. 2. numero 1.* Matien. *ibi. Glossa 2. numero 3.* Barbosa *leg. si ante 6. ff. soluto matrimonio n. 23.* Sanch. *dicta disputat. 38. numero 37.* At si post ætatem perfectam 25. annorum quinquennium transeat, ipso jure ratificatur, & confirmatur donatio, vel promissio arrharum, sicuti si alienaretur res immobilis titulo oneroso, uti *ex leg. fin. Cod. si major factus alienationem factam sine decreto judicis ratam habuerit.* Probant Bart. Bald. Salicet. Roderic. Soar. teste. Anton. Gomez *dicta leg. 51. numero 14.* Matien. Azebedo, & Sanch. *loc. alleg.* si verò minor 25. annorum arrhas ex rebus mobilibus, quæque servando servari non possunt, promitteret, vel donaret in ea quantitate, quam leges permittunt, valida ejus promissio, aut donatio est, nec restitui potest, quia fecit illud quod quilibet major, & prudens fecisset, uti bene notarunt Soar. Anton. Gomez, Matien. *loc. alleg.* Sanch. *numero 41.* argum. *leg. non videtur Cod. de integrum restit.* & *leg. 1. Cod. si adversus donationem leg. cum plures. §. fin. ff. de administrat. tutor.* Neque ad hanc promissionem, seu alienationem requiritur judicis decretum, benè tamen curatoris authoritas, si minor curatorem habeat, aliàs nulla erit ejus promissio, vel donatio, uti colligitur *ex leg. 2. & leg. mulier Cod. de jure dotium*, & *leg. si curatorem, Cod. de in integr. restit.* & tradunt, Anton. Gomez, Matien. Azebedo, & Sanchez *loc. alleg.* Verùm si minor prædictam promissionem, seu donationem arrharum juramento confirmet, valida est ejus promissio, aut donatio ex dispositione juris *in Authent. Sacramenta puberum Cod. si adversus vendit.* major efficitur, & vitium nullitatis purgatur, ut benè notavit Sanch. *d. disput. 38. numero 44.*

3. Filiusfamilias pubes inconsulto patre arrhas promittere potest de bonis quorum ipse dominium, & administrationem habet. Nam ut dicitur *in leg. filiusfamilias 38. ff. de actionibus & obligationibus* filiusfamilias ex omnibus causis tanquam paterfamiliâs obligatur, & ob id agi cum eo tanquam cum patrefamiliâs potest, & docuit ex omnium sententia Sanch. *lib. de matr. disp. 39. numero 11.* Dixi: *filius familiâs pubes*: nam impubes etiam ex licentia patris nec promittere, nec donare arrhas potest, neque alium celebrare contractum, uti habetur expressè *in §. pupillus, instit. de inutilib. stipulat.* ibi: *sed qui in potestate parentis est impubes, ne authore quidem patre obligatur*, & tradit Molin. *tit. 2. disp. 261. §. filiusfamiliâs.*

Dixi *de bonis, quorum ipse filius dominium, & administrationem habet.* Nam ex bonis, quorum pater habet administrationem, seu usum fructum, nequaquam potest absque parentis licentia arrhas promittere, aliúmve celebrare contractum, ut deciditur expressè *leg. fin. §. filiis autem, Cod. de bonis, quæ liberis*, ibi. Filiis autem familiâs in iis duntaxat casibus, in quibus ususfructus apud parentes constitutus est, donec parentes, vivunt, nec de his rebus testari permittimus, neque citrà voluntatem eorum, in quorum potestate sunt ulla licentia eis concedenda dominium rei ad eos pertinentis alienare, vel hypothecæ titulo dare, vel pignori assignare. Patris tamen accedente licentia optimè potest, ut benè notavit Molin *tit. 2. de justit. disp. 261.* Sanch. *d. disp. 39. numero 7.* Etenim ob solam reverentiam patris alienatio bonorum, quorum ipse pater habet usumfructum filiis familiâs interdicitur, cùm tamen reliquis omnibus concessa sit. *leg. 2. Cod. usumfructum alienari posse, proprietatem usufructuario irrequisito.* Neque hæc lex quoad contractus inter vivos correcta est in regno Castellæ, ut rectè probat Sanch. *disp. 39. numero 9.* siquidem *lex 5. Tauri* solùm permittit filiisfamiliâs vita testamenti disponere, ibi: el hiio que esta en poder de su padre pueda hacer testamento, como si estubiera fuera de su poder: neque ullam de contractu inter vivos mentionem fecit. Nam esto in *lege 6. Tauri*, quæ hodie est *lex 1. tit. 8. lib. 5. recopilat.* concessum sit ascendentibus succedere in omnia bona descendentium, ipsisque descendentibus permittatur de tertia bonorum parte in vita, & in morte disponere, hoc intelligendum est de descendentibus qui sunt sui juris, non de iis, qui sub patria potestate existunt, quia correctio legum, & juris communis derogatio in ducenda non est absque expressis verbis, manifestissimóque fundamento.

4. Bona autem computanda, ut constet an donatio arrharum

arrharum decimam excedat, affirmat Sanch. *dicta diſp. 39. num. 11.* eſſe bona, quæ filius familiâs poſſederit tempore quo uxor elegerit, ſi de bonis præſentibus, & futuris arrhas conceſſerit; at ſi ſolùm de bonis ſuis abſolutè promiſerit, computanda eſſe bona quæ actu poſſidet, & valorem adventitiorum deducto uſufructu, quem pater percepturus eſt, qui in regno Caſtellæ nullius erit conſiderationis, cum matrimonio contracto, ſuſceptiſque velationibus Eccleſiæ ſtatim extinguatur *leg. 47.* & 48. *Tauri*, quæ hodie eſt *lex 8. & 9. tit. 1. lib. 5. recop.* Verùm, eſto hæc doctrina ſuſtinenda ſit, negare tamen non poſſum computationem adventitiorum mihi difficilem eſſe, nam cùm de adventitiis inconſulto patre diſponere filius nulla ratione poſſit, non eſt cur eorum valor in computationem veniat, ſicuti nec valor vinculi, ac majoratus computatur, ſed ſolùm uſusfructus percipiendus, de quo actu diſponere poteſt. At cùm ante benedictiones Eccleſiæ filius familiâs nec de proprietate adventitiorum, nec de illorum uſufructu diſponere poſſit, efficitur adventitia computanda non eſſe.

5. Monuerim tamen promittentem arrhas ſive minor, ſive major ſit, ſive juramento promiſſionem firmaverit, ſive non, excuſatum eſſe ab obligatione illa ſolvendi, ſi dos ſibi promiſſa culpabiliter non ſolvatur, vel ſi non ſolvatur integrè excuſari ab integra arrharum ſolutione; quia prædicta promiſſio arrharum cenſetur facta in dotis remunerationem. Quod verum eſt, tametſi à principio fuerint arrhæ promiſſæ nulla facta promiſſione dotis, ſed poſtmodum ſubſecuta, quia ſemper arrhæ promittuntur in dotis remunerationem, ſi de facto fuerint promiſſæ. Præterquam quòd violanti, fidem, fides ſervanda non eſt. *Reg. fruſtra 75. de Regul. Juris in 6. cap. venit el 2. de jurejuran. leg. 28. titul. 11 part. 3.* Arrhæ enim eo caſu retinentur quaſi in pignus, & depoſitum dotis debitæ & non ſolutæ. Atque ita docent Gama *deciſ. 370. num. 2.* Valaſc. *cap. 1. conſ. 3. num. 5.* Rolandus à Valle *tit. 1. conſ. 10. à num. 1. & ſeqq.* Molina Jeſuita, *tit. 1. tract. 2. de juſtit. 431. §. dubium.* Sanch. *lib. 6. de matr. diſp. 37. num. 2.* Gutierr. *de matr. cap. 19. num. 41.*

§. VIII.

Qualiter Sponſæ, ſeu uxori acquirantur arrhæ?

1 *Ante conſummatum matrimonium arrhæ non acquiruntur ſponſæ irrevocabiliter.*
2 *Quid dicendum, ſi oſculum interceſſit? Proponitur difficultas.*
3 Sanch. & Gutier. *tuentur ſponſam non lucrari per oſculum medietatem arrharum, ſed ſolum medietatem ſponſalit. largit.*
4 *Alii cenſent per oſculum medietatem arrharum lucrari, ſponſalit. largit. non interveniente, ea verò interveniente dari ſponſæ optionem.*
5 *Quid inter has extremas ſententias eligendum ſit?*
6 *Satis ſit fundam.* Sanch.
7 *Aliorum fundam. ſit ſatis.*
8 *Conſummato matrimonio lucratur ſponſa, vel ejus hæredes totum quod ab ſponſo acceperit, niſi arrhæ interverint.*
9 *Electione facta ab uxore, vel ejus hæredibus non licet variare.*
10 *Si intra 10. dies non elegerint, purgare moram non poſſunt.*

1. ANte conſummatum matrimonium nullatenus arrhæ acquiruntur ſponſæ irrevocabiliter, quia plerunque dantur in præmium pudicitiæ violandæ, ut rectè Cobarub. 1. *decret. 2. part. cap. 3. §. 7. num. 12.* Quare diſſolutis ſponſalibus, vel matrimonio ante conſummationem per mortem, vel ingreſſum religionis, vel ob aliam cauſam abſque culpa promittentis, vel donantis arrhas, arrhæ teddendæ ſunt, ſicuti cavetur *leg. 5. titul. 2 de las ganancias lib. 3. fori.* ibi, ſi arrhas la dio, e no hubo que ver con ella, torne las, & ſupponit ut certum Cobarub. *ſuprà.* Gomez Arias *leg. 49. Tauri ad finem.* Caſtillo *leg. 51. Tauri numero 1.* Sanchez *lib. 6. diſput. 22. numero 18. in med.* Nutanter dixi *ſi abſque culpa*, nam ſi promittens, vel donans arrhas in culpa extitit ob quam matrimonium non fuerit conſummatum, ſponſa, arrhas lucrabitur eo modo ac ſi matrimonium conſummatum eſſet, quia ſponſi iniuſtitia impedire non poteſt jus ſponſæ obventurum, cùm ipſe ſponſus ratione injuſtitiæ teneatur damnum ſponſæ emergens ex matrimonio non ſequuto reparare.

2. Solùm eſt difficultas, an ſolutis ſponſalibus, vel matrimonio ante conſummationem lucretur ſponſa ſi oſculata fuit medietatem arrharum ſponſalitia largitate non interveniente. Si verò ſponſalitia largitas ſimul cum arrhis interveniat, poſſit ſponſa utriuſque medietatem lucrari, vel eligere medietatem arrharum, vel medietatem ſponſalitiæ largitatis. Punctus difficultatis conſiſtit in intellectu legis 52. *Tauri.* quæ hodie eſt lex 4. *tit. 2. lib. 5 Compilat.* quæ ſic ſe habet. Qualquiera eſpoſa ora ſea de preſente ora ſea de futuro ſuelto el matrimonio gane, ſi el eſpoſo la hubiere veſado la mitad de todo lo que el eſpoſo la hubiere dado antes de conſumado el matrimonio ora ſea precioſo o no: y ſi no la hubiere veſado, no grave nada ce lo que la hubiere dado, torna ſe a los herederos del eſpoſo: pero ſi qualquera dellos muriere deſpues de conſumado el matrimonio, que la mujer, y ſus hærederos ganen todo lo que ſiendo diſpoſados la hubiere el eſpoſo dado, no aviendo arrhas en el tal caſamiento, y matrimonio. Pero ſi arrhas hubiere, que ſea en eſcogimiento de la mujer, o de ſus herederos ella muerta tomar las arrhas, o dexarlas, y tomar todo lo que el marido la hubo dado ſiendo con ella deſpoſado, lo qual ayan de eſcoger dentro de veinte dias deſpues de requeridos por los herederos del marido. Y ſino eſcogierem dentro del dicho termino, que los dichos herederos eſcojan.

3. Sanch. *diſp. 38. num. 8.* cui adhæret Gutierr. *de matr. cap. 19. num. 94.* Validiſſimis argumentis negativam partem tuetur, ſcilicet ſponſam non lucrari per oſculum medietatem arrharum, ſed ſolùm medietatem ſponſalitiæ largitatis, ſive arrhæ intervenerint, ſive non. Moventur primò, & præcipuè, quia prædicta lex in prima ejus parte non loquitur de arrhis, ſed ſolùm de ſponſalitia largitate: In ſecunda verò, quæ incipit. Pero ſi qualquiera dellos, &c. loquitur de arrhis, & probat tum ex illa dictione *ſed* abſque copula, quæ eſt adverſativa, & inducit diverſum jus, & factum ex doctrina Bart. *leg. partis, & filii, 20. ff. de Vulgari.* Jaſon *ibi numero 6.* At in prima parte ſtatuitur lucrari per oſculum medietatem ſponſalitiæ largitatis. Ergo in ſecunda parte ubi eſt ſermo de arrhis ſtatui non poteſt arrharum medietatem per oſculum lucrari. Tum ex diverſo modo, quo lex loquitur in prima, & ſecunda parte. Nam in prima parte, cùm de lucro ſponſalitiæ largitatis loquitur vocat eos ſponſos qualquiera eſpoſa, & ibi *ſi el eſpoſo*, quaſi ſentiens dum ſponſi ſunt, lucrari poſſe per oſculum dimidiam partem ſponſalitiæ largitatis. In ſecunda verò parte ubi de arrhis meminit, maritum & uxorem eos appellat, ibi *que la mujer*, ibi *loque el marido*, quaſi apertè ſignificans arrhas non niſi poſtquam ſunt facti una caro, & ſic vir & uxor lucrari poſſe. Secundò probat, quia lex illa in prima ejus parte nihil aliud diſponit quàm quod jure communi ſtatutum erat *leg. ſi à ſponſo, Cod. de donationibus ante nupt. & leg. 11. part. 4.* & ſolùm extendit prædicta jura loquentia de ſponſis de futuro, ut intelligantur etiam

de

de sponsis de præsenti : Cùm ergo prædicta jura non loquantur de arrhis, nec per osculum earum medietatem concedant, non est dicendum nostram legem id concedere. Tertiò probat quia verba debent intelligi juxta subjectam materiam, & naturam contractus *leg. damni infecti. ff. de damnò infecto leg. si uno ff. locati, & ibi* At natura arrharum est, ut dentur in præmium pudicitiæ amissæ per matrimonium uti sæpe dictum est. Ergo ante matrimonium consummatum lucrari non possunt. Neque valet dicere id esse intelligendum de integris arrhis, secùs de medietate, quæ non in præmium pudicitiæ amissæ, sed ob aliam causam concedi potest, quia una & eadem res diverso jure censeri non debet. *leg. eum qui ædes, ff. de usucapionibus.* Si igitur arrhæ integræ non concedantur in præmium pudicitiæ amissæ per matrimonium, nec illarum medietas alio titulo concedi debet, præcipuè cùm eadem sit ratio de totis arrhis, ac de parte. *argument. leg. quæ de tota ff. de rei vindicat.* Tandem probat, quia quando lex unum disponit, & alterum præsupponit, debet prius verificari præsuppositum, ut multis comprobat Menoch. *de recuper. possess. rem. 9. numero 161.* Gutierr. *Cons. 21. numero 6. & lib. 3 pract. quæst. 22. numero 3.* Sed lex 52. *Tauri* præsupponit quando acquirantur arrhæ, de hoc enim non agit, sed agit de concedenda electione arrharum, vel sponsalitiæ largitatis. Ergo supponit arrhas eligendas acquiri posse : at hæ non acquiruntur nisi matrimonio consummato. Ergo, &c.

4. Nihilominus Gomez Arias *leg. 50. Tauri num. 29.* censet sponsam per osculum medietatem arrharum lucrari posse sponsalitia largitate non interveniente, ea verò existente dari sponsæ optionem, ut medietatem arrharum, vel sponsalitiæ largitatis quam maluerit, lucretur, sicuti consummato matrimonio conceditur vel integras arrhas vel integram sponsalitiam largitatem lucrari. Probat suam sententiam pluribus argumentis, quibus meo judicio Sanchez satisfacit. Primum argumentum desumebatur *ex leg. quæ de tota ff. de rei vindicat.* Ubi statuitur idem jus esse de toto quoad totum, ac de parte quoad partem. At consummato matrimonio potest sponsa totas arrhas eligere rejecta sponsalitia largitate. Ergo ante illius consummationem poterit eam electionem quoad medietatem arrharum, & sponsalitiæ largitatis facere. Secundò ex eo quòd leges juris communis, & regni in hoc casu disponunt in sponsæ favorem, quæ ob osculum ruborem passa est, ac proinde sunt extendendæ, ut concedant medietatis arrharum electionem, & acquisitionem per osculum. Tertiò quia una determinatio respicit plura determinabilia, eáque pariformiter determinat prout unicuique convenit. *leg. jam hoc jure ff. de vulg. & pupillari. leg. fin. Cod. de sentent. & re judic.* At in prædicta lege adest una determinatio in illis verbis pero si arrhas hubiere pueda escoger. Ergo hæc determinatio determinat duos casus in ea lege contentos, scilicet ut detur electio medietatis arrharum, si adsit osculum, & integratum si copula. Et confirmat, quia clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia. *cap. secundo requiris de appellat.* Ergo clausula, qua eligendi potestas conceditur ad omnia præcedentia referenda est, ac proinde interveniente osculo dabitur sponsæ electio medietatis arrharum, vel sponsalitiæ largitatis. Quartò si in hoc casu, quo sponsalitia largitas deficit, non lucraretur sponsa per osculum medietatem arrharum, ruborem pateretur absque ulla recompensatione. Quintò aperiretur sponsis via, ut constitutis arrhis nullam darent sponsæ sponsalitiam largitatem, ne illa per osculum aliquid lucraretur.

5. Inter has extremas sententias si aliqua eligenda est, prima Sanch. & Gutierr. eligi debet. At ego alia via procedendum existimo, credo namque per osculum lucrari sponsam medietatem omnium, quæ ab sponso illi datæ fuerunt, sive sint arrhæ, sive sponsalitia largitas absque ulla electione, consummato autem matrimonio lucrari integras arrhas, vel integram sponsalitiam largitatem, prout sibi placitum fuerit. Priorem partem hujus conclusionis, de qua est controversia mihi persuadeo, primò : ex eo quòd prædicta lex Tauri absque ulla restrictione dixerit sponsam per osculum lucrari medietatem omnium quæ ab sponso acceperat : ibi gane, si el esposo la hubiere vesado la mitad de todo loque el esposo la hubiere dado antes de consumado el matrimonio. Ponderanda enim est dictio *omnis*, quæ nihil excludit. Cùm ergo non solùm consummato matrimonio, sed plerumque ante consummationem arrhæ ab sponso sponsæ concedantur, efficitur sanè medietatem arrharum simul cum medietate sponsalitiæ largitatis, si hæc interveniat, sponsam per osculum lucrari. Secundò : consummato matrimonio inquit lex sponsam lucrari totum quod sponsus dederit, dummodò arrhæ in dicto matrimonio non fuerint. Ergo sub illis verbis *totum quod sponsus dederit*, quæ etiam in prima parte legis fuerunt apposita arrhæ continentur, aliàs frustranea esset exceptio. At dum lex sponsæ concedit per osculum medietatem omnium, quæ sponsus dederat, arrhæ non excipiuntur, ergo medietas arrharum sponsæ concedenda est. Quòd si dicas inde inferri sponsam per osculum idem, vel amplius lucrum reportare, quam ex matrimonii consummatione ; siquidem intercedente osculo acquirit medietatem arrharum, & sponsalitiæ largitatis, quorum medietas æquivalere potest integris arrhis, vel integræ sponsalitiæ largitati, quæ consummato matrimonio acquirit. Respondeo id non esse inconveniens, cùm privata sit matrimonii consummatione, cujus initium per osculum acceperat. Secundò respondeo negando idem lucrum regulariter reportare. Tum quia non semper interveniunt arrhæ, & sponsalitia largitas. Tum quia consummato matrimonio datur electio integræ sponsalitiæ largitatis, vel arrharum, quorum unum cùm sit ab sponsa eligendum præstat utriusque medietati.

6. Argumenta verò Sanch. quæ nostram sententiam oppugnant, non est difficile solvere. Ad primum concedo dictione illa adversativa *Sed* diversum factum & diversum jus constitui, ac in præcedenti clausula constitutum est sponsam interveniente osculo lucrari medietatem omnium, quæ ab sponso acceperat, osculo verò non intercedente nihil lucrari. In secunda parte statuitur consummato matrimonio integrum lucrari, si arrhæ non interceserint : si autem hæ adfuerint, electio sponsæ conceditur, quod sine dubio est diversum jus, & factum à præcedenti. Nomina item illa sponsi & sponsæ, mariti, & uxoris, ex quibus Sanchez infert in prima parte legis non esse sermonem de arrhis, benè tamen in secunda id certè non indicant. Tum quia etiam in secunda parte ; ubi est facta mentio arrharum utitur lex nomine sponsi, *ibi* : Pero si qualquiera dellos mutiere des pues de consumido el matrimonio, que la mujer, y sus herederos ganentodo lo que siendo desposados la hubo *el esposo* dabo, no aviendo arrhas en el tal casamiento. Tum & præcipuè, quia hæc nomina sponsi, & sponsæ, mariti, & uxoris non ex arrhis, quæ ab sponsis ante consummatum matrimonium conceduntur, sed ex matrimonii consummatione, vel non consummatione sumuntur. Ad secundum admitto *leg. 52. Tauri* in illa prima parte approbare quod dispositum erat jure communi. *leg. si à sponso, Cod. de donationibus.* Sed non inde infertur nihil de arrhis disponere, quinimo contrarium per se colligitur, nam arrhæ successerunt antiquæ donationi propter nuptias, quæ jam in desuetudinem abiit, ut testatur ipsemet Sanch. *lib. 6. de matr. disp. 1. num. 1.* At medietatem donati propter nuptias interveniente osculo acquirebat sponsa, ergo etiam acquirere debet medietatem arrharum, quæ locum prædictæ donationis tenent. Ad tertium concedo verba legis sumenda esse jux-

ta

ta ſubjectam materiam,& naturam contractus ; & inſuper naturam arrharum eſſe , ut concedantur in præmium pudicitiæ licitè amittendæ ſive per matrimonii conſummationem : ſive per ſponſaliorum uſum , cùm igitur per matrimonii conſummationem integrè ſponſa pudicitiam amittat,per oſculum verò inchoatè,æquum erat , ut ratione hujus amiſſionis arrha quæ in præmium pudicitiæ conceditur dimidiatè ſaltem concederetur. Adde arrhæ , ut ex ipſomet Sanch. *ſuperius* docuimus non ſolùm in præmium pudicitiæ , ſed in compenſationem nobilitatis , & divitiarum conceduntur, ideóque poſſunt ab ſponſa ſponſo donari. Non igitur ad earum acquiſitionem neceſſarium eſt matrimonium conſummari. Ad ultimum fateor legem illam 52. *Tauri* in ultima ejus parte nihil de acquiſitione arrharum agere , ſed ea acquiſitione ſuppoſita tractare qualiter inter arrhas , & ſponſalitiam largitatem ſit electio facienda. At inde non infertur in prima illius legis parte non eſſe actum de arrharum acquiſitione , ſiquidem ibi conceditur ſponſæ per oſculum medietas omnium, quæ ab ſponſo acceperat.

7. Argumenta verò adducta pro ſententia Gomez Arias , quatenus noſtræ officiunt levis ſunt conſiderationis. Ad primum omiſſaſolutione Sanchez;reſpondeo idem juris eſſe de toto quoad totum , ac de parte quoad partem , quando aliter de parte , & de toto expreſsè diſpoſitum non eſt , ſicuti contingit in præſenti , cùm per oſculum diſpoſitum ſit lucrari ſponſam arrharum, & ſponſalitiæ largitatis medietatem , per matrimonii verò conſummationem unum ex illis quod elegerit integrum. Quòd ſi urgeas , quare utrumque integrè non conceditur , cùm per oſculum utriuſque medietas concedatur , ea eſt congruentia ; ne ſponſus gravem jacturam patiatur amittens tum arrhas , tum ſponſalitiam largitatem. Secundum argumentum probat noſtram ſententiam , ſcilicet legem *illam.* 52. concedentem ſponſæ medietatem bonorum , quæ fuerunt ab ſponſo donata non ſolùm ad ſponſalitiam largitatem , ſed ad arrhas extendi debere , præcipuè cùm in legibus antecedentibus æquè de arrhis , ac de ſponſalitia largitate ſermo habitus ſit. Ad tertium nego eſſe unam determinationem in prædicta lege , ſed duas diverſas , uti probatum eſt. Ad affirmationem dimitto clauſulam poſitam in fine diſpoſitionis ad omnia in ea diſpoſitione contenta referri, at in prædicta lege non eſt una,ſed duplex diſpoſitio,& omnino diverſa, ut conſtat ex illa dictione adverſativa *ſed*:ac proinde clauſula in una diſpoſitione contenta ad aliam diſpoſitionem referri non debet. Quartum & ultimum argumentum ſunt optimæ congruentiæ in favorem noſtræ ſententiæ.

8. Illud verò eſt certum conſummato matrimonio lucrari ſponſam , vel ejus hæredes totum quod ab ſponſo acceperit , niſi arrhæ intervenerint , nam intervenientibus arrhis conceditur ſponſæ , vel ejus hæredibus intra 20. dies poſtquam fuerint requiſiti ut eligant quid retinere voluerint an integras arrhas, vel integram ſponſalitiam largitatem , & facta unius electione aliud ſponſo reddendum eſt juxta æſtimationem quam habebat tempore receptionis , aliàs non redderetur idem quod acceptum eſt. Quod ſi uſu ſponſæ deterius factum eſt , uti contingit in veſtibus, reddere tenetur uxor quanti illæ veſtes æſtimabantur tempore quo illas recepit , deductis iis quæ neceſſariò vir conſumpturus erat cum uxore durante matrimonio, niſi prædictam ſponſalitiam largitatem dediſſet , ut benè advertit Sanch. *lib. 6. diſp. 32. numero 5.* & Gutierr. *de matr. cap. 19. numero 48.*

9. Supradicta electione facta ab uxore , vel ejus hæredibus nequaquam variare licet , argum. *leg. ſervi electione in princ. ff. de legat. 1. leg. apud Anſidium 20. ff. de optione legat. leg. 25. tit. 9. part. 6.* & tradit aliis relatis Sanch. *lib. 6. diſp. 22 n. 1.* Gutierr. *cap. 19. num. 51.* Excipe niſi electio ob aliquam cauſam fuerit ſuo effectu deſtituta,quia eo caſu reputatur ac ſi facta non eſſet,*argum. capit. non præſtat. De regul. juris in 6.* & *leg. ſi aut nullam Cod. de legitim. Hæredib. leg. 4. §. condemnatum ff. de ſentent. & re judic.* & tradit Sanch. & Gutierr. *ſuprà.*

10. Quod ſi intra illos 20. dies uxor , vel ejus hæredes non elegerint purgare moram non poſſunt , quia eſt terminus a lege conſtitutus quæ ipſo jure transfert poteſtatem eligendi marito,vel ejus hæredibus,quo caſu moræ purgatio non admittitur,ne tertio præjudicium fiat.*arg.l.ſi is cui ff. de leg. 2.* & tradit Sanch.& Gut.*locis alleg.*Neque probo ſententiam Gutierr.*n.*52.reſtringentis prædictam doctrinam , ne procedat ſpectato jure canonico , ex cujus æquitate aſſerit moram purgari poſſe quoties jus alterius non eſt factum deterius & res eſt integra per ea quæ tradit *de juram.3.par.capit.* 17.*à. n.* 5. Non inquam probo,quia in præſenti caſu hæc locum habere non poſſunt ; ſiquidem ex purgatione moræ deterius redditur jus conceſſum marito ejuſque hæredibus , privarentur enim poteſtate eligendi in ipſos tranſlata.

§. IX.

Qualiter uxor arrhas vel ſponſalitiam largitatem obtinens diſtribuere poſſit.

1 *Si alteri non nubit poteſt æquè de arrhis , & ſponſalitia largitate , ac de aliis propriis bonis diſponere.*
2 *Si ad ſecundas nuptias tranſeat, negat communis ſententia poſſe de illis , ac de propriis bonis diſponere.*
3 *Probabilius eſt oppoſitum.*
4 *Secus dicendum de ſponſalitia largitate.*
5 *Satisfit oppoſitis fundam.*

1. EQuidem ſi alteri non nubit poteſt æquè de arrhis & ſponſalitia largitate diſponere ac de reliquis ſuis bonis , quia verè bona illius ſunt , neque per ullam legem eorum diſpoſitio ſpecialiter reſtricta. Nam eſto *in leg. 1. tit. 2. de las arrhas , lib. 3. Pori.* ſtatutum ſit mulierem habentem filios ſolùm de quarta parte arrharum diſponere poſſe , & reliquas filiis reſervari , cum prædictæ leges fori non obligent , niſi legibus recopilationis novæ approbentur , vel uſu confirmentur, neque prædicta lex fori quoad eum diſpoſitionis modum reperiatur alicubi approbata , uſúve confirmata, efficitur ſanè obſervandam non eſſe , ſed uxorem æquè de arrhis ſponſalitiaque largitate , ac de aliis bonis diſponere poſſe , ac proinde in regno Caſtellæ poteſt cuilibet extraneo quintam illarum partem relinquere juxta *leg. 30. Tauri* , quæ hodiè eſt 13. *tit. 6. lib. compil.* & in quinta , & tertia illarum parte meliorare quemcumque ex deſcendentibus juxta *leg. 17. & 18. Tauri* hodie *leg. 1. & 2. tit. 6. lib. 5. compil.* etſi ſolùm aſcendentes habeat , tertiam illarum partem liberè diſtribuere juxta *leg. 6. Tauri* hodie *leg. 1. tit. 18. lib. 5. compil.* Atque ita docent Molin *lib. 2. de primogen. cap. 10. num. 64.* Mol. Jeſuita, *tract. 2. diſp. 431. §. de arrhis.* Matien. *lib. 5. recopil. tit. 2. leg. 3.* Gloſſ. 1. Gutierr. 2. *pract. q. 18. n. 5.* & *lib. 3. quæ. 43. à num. 24.* & *de matr. cap. 19. à numero 43.* Sanchez *lib. 6. diſputatio 40. à numero 4. & ſeqq.* tametſi alii ab eo relati , *numero 3.* contrarium ſentiant.

2. Verùm ſi ad ſecundas nuptias tranſit , gravis eſt difficultas, an poſſit de illis , ac de propriis bonis diſponere;Negat communis ſententia ut videre eſt apud Molin. *lib. 2. de primogen. cap. 10. n.*62.Gutierr. *lib. 2. pract. quæſt. 18. in fine*, & *lib. 3. q. 43. n. 25.*& *de matr. cap. 19. n.* 44. Sanch. *lib. 6. de matrim. diſp. 41. num. 3.*ubi plures refert. Dicitur , quia arrhæ non conceduntur uxori titulo oneroſo , ſed lucrativo , quippe conceduntur in præmium pudicitiæ per matrimonium amittendæ, & ad

quam

quam amittendam, cùm obligetur matrimonio contracto, non censetur aliquod onus subire ratione cujus dicatur titulo oneroso concedi. At de bonis concessis à marito sive donatione inter vivos, sive in testamento, nullatenus disponere liberè potest uxor transiens ad secundas nuptias, si filios habeat prioris mariti, sed necessario ea illi reservare debet, retento sibi usufructu, uti expressè habetur *leg. fœminæ 3. Cod. de secund. nuptiis*, & Authen. *ex testamento, cod. eodem tit.* tenetúrque inter ipsos ea æqualiter dividere, neque potest aliquem meliorare, ut decidit Authent. *lucrum*, *cod. de secund. nup.* & §. *venient. authen. de nuptiis*, & tradit Anton. Gomez *leg. 15. num. 3.* Molin. Gutierr. & Sanhc. *loc. alleg.* ergo de arrhis nequit ac de propriis bonis disponere, sed filiis prioris matrimonii reservare debet. Secundò omnes Doctores conveniunt non posse uxorem transeuntem ad secundas nuptias, & filios prioris matrimonii habentem disponere de sponsalitia largitate, sed necessario prædictis filiis reservari solo usufructu sibi retento juxta dictam legem *fœminæ* approbatam per *leg. 26. tit. 13. part. 5.* At *leg. 52. Tauri* hodie 4. *tit. 2. lib. 5. compil.* permittitur uxori accipienti arrhas, & sponsalitiam largitatem, ut eligat quod ex illis maluerit reddito altero hæredibus mariti, censer ergo prædicta lex arrhas eodem jure, ac sponsalitiam largitatem uxor competere.

3. Cæterùm etsi hæc sententia communis sit probabiliorem censeo affirmantem arrhas, earumque dominium uxori competere, sicut & reliqua alia bona propria, esto filios habeat prioris matrimonii, sic docuit Alvar. Valasc. *cons. 16. num. 6.* Molin. Iesuita *tract. 2. de just. disp. 431. §. contrarium*, & satis probabilem reputat Sanch. *d. disp. 41. num. 2.* Moveor quia solùm ea quæ à marito titulo donationis inter vivos, vel ex testamento uxori conceduntur, reservantur filiis mariti, ut expressè cavetur *in dicta authent. hoc lucrum. Cod. de secund. nupt.* & dicta *leg. fœminæ Cod. eodem*, ibi: *donationibus factis, vel cujuslibet munificæ largitatis præmio.* At arrhæ non conceduntur donatione liberali, & munifica, quæ propriè donatio est *leg. 1. ff. de Donationib.* sed potiùs quasi permutatione conceduntur quippe conceduntur sponsæ in compensationem pudicitiæ, nobilitatis, & dotis marito traditæ, ac proinde reputatur quædam remuneratoria donatio, quæque constante matrimonio permittitur, uti larè probat Sanhc. *dicto lib. 6. per totam.* Et confirmo: arrhæ plerumque deducuntur in pactum, ita ut concedens etsi in contrahendo voluntarius, & liber extiterit at celebrato contractu non liberè, sed ex obligatione donat, sæpè namque uxor ut matrimonium contrahat axigit tot arrhas sibi concedi aliàs non contractura & sub ea conditione maritus illi arrhas concedit, ergo concedit non ex liberalitate, sed ex obligatione ob consensum uxoris in matrimonium. Quæ autem eo titulo uxori conceduntur non reservantur filiis mariti, sed de his tanquam de bonis propriis potest uxor liberè disponere, uti multis comprobat Ant. Gab. *tit. 3. commun. opin. lib. 3. de secund. nupt. concl. 1. num. 40* Valasc *tit. 1. cons. 26 numero 7.* Mol. Iesuita *tractatu 2. disp. 431. vers. contrarium.* Ergo de arrhis utpotè hoc titulo oneroso acquisitis potest mulier ad secunda vota transiens disponere. Secundò dotem concessam à marito uxori adolescentiori, & nobiliori non tenetur uxor transiens ad secundas nuptias filiis prioris matrimonii reservare, sed de ea dote tanquam de propriis bonis disponere potest uti docuit ipse Sanch. *disp 8. num. 2.* Sed eadem est ratio de arrhis in compensationem virginitatis, nobilitatis, aut divitiarum concessis, tametsi Sanch. *disp 42 infine* conetur differentiam assignare quam ego percipere non possum. Ergo. &c.

4. Secùs verò dicendum est de sponsalitia largitate, & delecto viduali, & similibus, quia hæc non titulo oneroso sed lucrativo tantùm conceduntur; quippè sponsalitia largitas non in compensationem alicujus obligationis, quam subeat sponsa conceditur à marito, sed in significationem amoris quem erga ipsam habet, & ob eandem causam eo decedente conceditur lectum, cum in signum amoris sponsi præcedentis, tum ut ipsa viduitatem facilius sustinere possit. Atque ita docent Ayora *de partit. 3. par. quæst. 15.* Anton. Gomez, *leg. Tauri. num. 3.* Matien. *lib. 5. recopil. tit. 1. leg. 3. gloss. 2. n. 4.* Mol. *tract. 2. de justit. disp. 431. §. contrarium.* Sanch. *lib. 6. disp. 41. num. 4.*

5. Argumenta verò sententiæ communis non urgent. Ad primum negare possumus arrhas concedi in præmium pudicitiæ prostituendæ; nam ut ex ipsomet Sanch. superius diximus, præcipuè in compensationem excessus nobilitatis, vel divitiarum conceduntur, ac proinde non ex pura munificentia, sed ex obligatione saltem antidotali, quæ virum probum, & honestum decet. Non ergo reservandæ sunt filiis prioris matrimonii. Admisso tamen arrhas solum concedi in compensationem pudicitiæ ab uxore prostituendæ adhuc existimo dignam esse remuneratione non quidem post matrimonii contractum celebratum, nam ut rectè ait Sanch. frustraneum esset matrimonium in quo uxor pudicitiam non prostitueret, in ipso enim contractu hæc obligatio continetur; bene tamen ante contractum matrimonium, tunc enim potest ipsa uxor nolle suam pudicitiam in matrimonium prostituere, nisi arrhis sibi designatis, & frequenter ita contingit. Quo casu manifestum est arrhas concedi non ex pura munificentia, sed ob rem maximo pretio dignam. Ad secundum respondeo ex illa lege solùm inferri arrhis, & sponsalitiam largitatem uxori competere, sed an eodem, vel diviverso jure non colligitur, id enim colligendum est ex causis ob quas uxori competunt, prædicta namque lex tantum attendit, ne uxor utrumque retineat, ideóque potestatem eligendi illi concedit; quare si arrhis rejectis sponsalitiam largitatem eligat, filiis matri reservare debet transiens ad secundas nuptias, quia per ipsam electionem natura sponsalitiæ largitatis non mutatur, sed sponsalitia largitate in suo esse perseverante, & similiter arrhis permittit lex uxori, ut eligat quid ex illis duobus velit retinere altero hæredibus mariti reddito. Adde cum Molin. *dicta disp. 431. §. contrarium* facta electione sponsalitiæ largitatis posse uxorem de sponsalitia largitate disponere, sicuti de arrhis quoad quantitatem inquam valoris, qui arrhis corresponderet, quia loco arrharum successit in ea parte.

PUNCTUM XIII.

De sponsalitia largitate, quæ in sponsalibus intervenire solet.

SPonsalitiam largitatem Doctores appellant donationem, quam mittit sponsus, vel è contra animo, & spe matrimonii contrahendi, & ob ejus causam, ut constat *ex toto tit. ff. & Cod. de donationib. ante nupt.* & optimè explicuit Matienzo, *lib. 5. compil. tit. 3. in rub. Gloss. 3.* Quamque hispanè vocamus. Las donas y ioyas que se imbiam los de posados in significationem amoris, & spem quam habent matrimonii contrahendi, éstque donatio (ut aliis placet) ante nuptias. Pro cujus explicatione examinanda sunt primò quæ dona facta ab sponso sponsæ, vel è contra, aut ab eorum consanguineis, aut extraneis censeantur sponsalitia largitas? Secundò in qua quantitate, & ex quibus bonis præstari possit? Tertiò quo tempore; Quartò qualiter acquiratur, aut amittatur?

§. I.

Quæ dona facta ab ſponſo ſponſæ, vel contrà aut ab eorum conſanguineis, vel extraneis cenſeantur ſponſalitia largitas?

1 *Utroque jure antiquo, & novo cenſet* Anton. Gomez *omnia tradita ab ſponſo ante conſummatum matrimonium eſſe ſponſalit. largit.*
2 *Contrarium docuit* Mol. Jeſuita.
3 *Diſtinctione utendum eſt in hac controverſia.*
4 *Si adſit conſuetudo, ut miſſa ab ſponſo fiant ſponſæ, illi ſtandum eſt.*
5 *Fit ſatis fundam. contrar.*
6 *Quid dicendum ſpectato jure novo reg. Caſtellæ.*
7 *Quid dicendum in muneribus à ſocero miſſis.*
8 *Quid de donatis à conſanguineis ſponſi.*
9 *Solvuntur aliquæ objectiones.*
10 *Examinatur, an donata à conſanguineis, vel amicis ſponſi ſponſæ, vel è contrà cenſeantur ſponſalitia largitas.*

1. QUando de animo donantis conſtat, nulla eſt quæſtio, tunc enim ipſi qualibet alia præſumptione excluſa ſtandum eſt, uti docuit Bart. *leg. penult. §. ſervis uxoris, num. 3. ff. ſoluto matrim.* ibi Immola, *num.* 10. Julius Clar. *lib. 4. receptar. §. donatio. quæſt.* 10. Gutierr. *lib. 2. pract. quæſt. 19. num. 5.* Sanch. aliis relatis, *lib. 6. diſp. 25. num. 2.* At quando non conſtat de prædicto animo, ſed conjecturis eſt agendum; eſt difficultas an omnia quæ ſponſus ſponſæ mittit eo ipſo cenſeantur ſponſalitia largitas? Et quæſtio procedere poteſt ſpectato jure communi, & antiquo regni Caſtellæ, vel ſpectato jure noviſſimo recopilationis. Et quidem utroque jure cenſet Anton. Gomez *leg. 52. Tauri. num. 4.* & Matien. *lib. 5. recopilat. tit. 2. leg. 4. Gloſſ. 5. num. 2.* tradita ſive ordinaria, ſive pretioſa ab ſponſo ſponſæ ante conſummatum matrimonium verè donata eſſe, efficique ſponſæ integrè matrimonio conſummato, quoad medietatem oſculo interveniente. Moventur, quia in his quæ à marito uxori traduntur ea tantum cenſentur donata quæ quotidiana ſunt, & uxori juxta ſuam qualitatem neceſſaria *Argum. leg. ex annuo, 16. ff. de donationib. inter virum, & uxor.* eo quòd vir obligatus eſt uxorem alere, *leg. ſi cùm dotem §. ſin autem ff. Soluto matrimonio*, alimenta autem non commodantur, ſed donantur. Quæ verò pretioſa ſunt, & ſolùm ad majorem ornatum conducunt, cenſentur commodata, colligitur *ex leg. hoc legatum, ff. de leg. 3. mortis ſuæ ff. de Donationib. leg. id veſtimentum ff. de peculio*, & pluribus exornat Anton. Gomez *dict. leg. 52. Tauri*, *numero* 4. Gutierr. *pract. 2. quæſt. 19. numero 2.* Sanch. *lib. 6. diſput. 25. numero* 10. eo quod de horum donatione nulla adeſt urgens conjectura; & ex alia parte ſola commodatione, & uſu conceſſo & uxori proviſum eſt, & & marito conſultum. At in his quæ ſponſus ſponſæ tradit adeſt conjectura efficax donationis ob cauſam matrimonii & in recompenſationem dotis, honeſtatis, & virginitatis, cùm ſponſa poſſit non nubere per ingreſſum religionis, aut aliàs, ergo in dubio ſic eſt præſumendum.

2. Contrarium docuit Mol *tract. 2. diſp. 290. §. quartum dubium*, referens Julium Clarum & Gamam, qui potius ſententiam (quam ſtatim referemus) cenſentur approbare. Inquit igitur Molin. ea omnia, quæ ſponſus ſive de præſenti, ſive de futuro ſponſæ mittit, cenſenda ſunt miſſa, ut ſponſa ornatior ad virum accedat, atque ad eam honorandam, animique effectum illi oſtendendum, qualiter matrimonii tempore ſit ab eo tractanda, non ut dominium earum rerum ad eam pertranſeat. Nam donatio nunquam præſumi debet quoties ex alia cauſa, quam donationis intelligi poteſt collatum, ut tradit Gloſſa *leg. cùm quid ff. ſi certum petatur* & pluribus firmat Greg. *leg. 36. verb. bienes, tit. 12. part. 5.* Maſcard. *de probat. concl. 555.* At in præſenti ex prædictis cauſis relatis præſumi poſſunt collata quæ ab ſponſo ſponſæ mittuntur. Non igitur præſumenda ſunt donata. Secundò in his quæ traduntur gratia tradentis non præſumitur donatio. *leg. ſi ut certo. §. ſi duobus ſi commodati*: at ſponſus gratia ſui mittit ſponſæ munera, tum ut ad ipſum ornatior accedat, tum ne ipſe vilis; & avarus reputetur.

3. Cæterùm diſtinguendum eſt, aut munera, quæ mittit ſponſus ſponſæ, ſunt ita exigua, ut ſi conſtante matrimonio darentur, cenſerentur donata, & non commodata, vel ſunt ita magna, & pretioſa, ut ſi darentur conſtante matrimonio non cenſerentur donari, ſed illorum uſum commodari, eo quòd non ad communem uxoris ornatum, ſed ad ſingularem, & extraordinarium deſerviant. Si munera prioris ſint generis præſumenda ſunt donata, ſecùs ſi poſterioris. Sic videtur docere Gregor. Lopez, *leg. 23. verbo panos tit. 11. part. 4.* Villalob. *in communib. opinion. litt. V. verbo, veſtes. n. 47. & 48.* Gama *1. part. deciſ. 71. num. 1. & 4. & deciſ. 123. num. 1. & 2.* Julius Clar. *lib. 4. recept. §. donatio. quæſt. 10. initio.* Sanch. aliis relatis, *lib. 6. de matrim. diſp. 25. numero* 28. Moveor, quia hæc munera mittuntur ab ſponſo ſponſæ in ſignum amoris, & teſtimonium qualiter conſtante matrimonio ab eo tractanda ſit, ut ipſe Molina fatetur. At ſi ſolum uſum, & non dominium muneris cujuſvis exigui concedit, ſignum exigui amoris præbet, & teſtimonium manifeſtum aſperè conſtante matrimonio eſſe ſponſam tractandam. Quæ ratio non procedit in muneribus pretioſis, & quorum dominium conſtante matrimonio non conceditur, ſed ſolus uſus. Et confirmo, ſi munera quæ mittuntur ab ſponſo ejus generis ſunt, ut & conſtante matrimonio neceſſaria reputantur ſponſæ ad ejus communem, & decentem ornatum, cùm hæc maritus uxori concedere teneatur, præſumendum eſt conceſſa tempore ſponſaliorum anticipatè voluiſſe concedere.

4. Monuerim tamen, ſi adſit conſuetudo in ea regione ut ea quæ ſponſus mittit eſto pretioſa ſint, non reputantur, cenſendus eſt ſponſus ea donare cùm mittit, quia præſumendus eſt mittere ſecundùm regionis conſuetudinem, cùm aliud non exprimit, ut ex doctrina Baldi *leg. 2. num. 2. Cod. de jure dotium* comprobat aliis relatis Sanch. *lib. 6. diſputat. 25. numero 16.* qui *num. 17.* idem eſſe dicendum cenſet quando mittuntur munera ab ſponſo, quorum nulla eſt conſuetudo, ut mittantur, vel mittuntur abundantiora, & pretioſiora quàm eſt conſuetudo; eo namque ipſo quo præter conſuetudinem munera ſponſus mittit, ſponte mittit, & donare cenſendus eſt argum. *l. donare ff. de Reg. juris.* Sed diſplicet hoc ultimum aſſertum utpote omnino avertens concluſionem poſitam aſſerentem munera pretioſa commodari non donari, quia in horum ſolius uſus conceſſione abundè liberalitas exercetur. Libentiùs tamen probarem quod *num. 18.* Sanch. ſubjungit munera ab ſponſo miſſa præſumi donata, ſi ſponſa ei aliqua miſit, quia adeſt præſumptio remunerationis, *argum. leg. ſi verò non remunerandi. §. inde Papinianus ff. mandat.* At deberet conſtare ſponſam animo donandi mittere, eáque ſponſum non ſatis remunerari ſolo uſu protioſorum conceſſo.

5. Fundamenta appoſitarum ſententiarum non urgent. Nam ad prioris ſententiæ fundamentum negamus in muneribus pretioſis adeſſe ſufficientem conjecturam donationis, cum non in præmium virginitatis, nobilitatis, & dotis concedantur, ſed in ſignum amoris, & ob ſpem matrimonii, ad quem finem ſatis eſt horum pretioſorum commodatio, eſto non ſit donatio. Ad ſecundæ ſententiæ primum fundamentum admitto hæc munera concedi ab ſponſo ſponſæ in ſignum ſui effectus, & ad eam honorandam, &c. Nego tamen inde inferri

inferri non præsumi donata, si munera ejus qualitatis sunt, ut nisi donentur non satis tradentis effectum exprimunt, nec satis sponsam honorant. Et eodem modo respondendum est ad secundum, donationem non præsumi in his, quæ gratia tradentis conceduntur, nisi ipsum tradentem deceat præsumi donationem, ut in præsenti contingit comparatione munerum exigui valoris.

6. Verùm spectato jure noviori regni Castellæ, etsi Gregor. Lopez *leg. 23. tit. 11. part. 4. verbo, pannos* dubius sit, an *lex 52. Tauri*, quæ hodie est à *tit. 2. lib. 5. recopilat.* jus commune correxerit, & Molina *dicta disp. 290. §. quartum dubium* absque ulla dubitatione negaverit, longè verius est, & omnino tenendum jus commune correctum esse, & quælibet tive vilia, sive pretiosa ab sponso sponsæ concessa, vel è contrà donata esse censenda, atque adeò sponsalitiam largitatem, ut manifestè probare videtur lex 52. *Tauri*. Todo loque el esposo la hubiere dado antes de consumido el matrimonio agora sea precioso, agorano, & tradit in *dicta leg.* Castillo *num. 21.* Anton. Gomez *num. 4.* Gomez Arias. *leg. 50. Tauri. num. 16.* Matien. *l. 5. compil. tit. 2. leg. 4. Gloss. 5. num. 2.* Azebedo *n. 29.* Barbosa *leg. quæ dotis 34. num. 82. ff. Soluto matrim.* Sanch. aliis relatis *lib. 6. disp. 25. num. 30.*

7. Ex his infertur quid dicendum sit in muneribus, quæ socer nurui concesserit, an inquam censeantur donata nurui, vel solùm commodata ad usum, & sponso acquisita; in qua difficultate cum nihil sit novo jure Castellæ statutum ex legibus juris communis ejus decisio sumenda est. Quapropter existimo omnia illa munera, quæ spectato jure communi crederentur sponsæ ab sponso donata, eadem censenda sunt donari à socero; quia socer contemplatione sponsi ea munera sponsæ tradit, ac proinde reputandus est, ac si ipsemet sponsus tradidisset, quæ verò sponsus commodaret, & ad usum concederet; eadem censendus est socer commodare, & eorum dominium sponso filio suo transferre, & sic translata esse in legitimam computanda, sic aliis relatis docent Gutierr. *lib. 2. pract. quæst. 10. n. 1.* Sanch. *lib. 6. disp. 25. n. 33. & seqq.*

8. Secundò infertur, an donata à consanguineis, vel amicis sponsi, vel è contrà censeantur donatario acquiri, vel potius acquirantur ei, cujus donans consanguineus, vel amicus est. Notanter conjunxi amicitiam cum sanguinitate, quia utraque causa eandem præsumptionem infert, ut manifestè probat lex *sed si plures §. in arrogato ff. de Vulgar.* ibi: *si arrogatoris amicus, vel cognatus*, & *leg. 3. tit. 9. lib. 5. compilat.* ibi: donadio de pariente o amigo, & ibi Azebedo *num. 6.* Matien. Gloss. 4. *n. 1.* & pluribus exornant Gutierr. *lib. 2. pract. quæst. 280. num. 8. & 9.* Sanch. *lib. 6. de matr. disp. 26. num. 2.* Qua in re cùm consanguineus, vel amicus sponsi utrique scilicet sponso, & sponsæ donat, non est difficultas utrique acquiri, & inter utrumque esse donatum dividendum, satis enim donans suam voluntatem expressit, aliàs si uni tantùm vellet donatum explicari non utrique conjunctum donatum concederet, ut benè advertit Gutierr. *lib. 2. pract. 9. quæst. 120. num. 9.* Anton. Gomez *leg 52. Tauri num. 67.* Molin. *tract. 2. disp. 430. concl. 1.* Sanch. *lib. 6. disp. 16. num. 3.* Similiter si donans uni tantùm ex sponsis sibique consanguineo donaret, ei tantùm acquireretur, nisi aliter de donantis mente constaret, quia tunc pro donatario adest ipsius donationis, & consanguinitatis præsumptio. Neque hanc præsumptionem infirmat, esto sit donans utriusque sponsi consanguineus in eodem gradu, satis enim est, quod sit donatarii consanguineus, ut pro illo tantum sit præsumptio, sicuti docuerunt Gutierr. *d. quæst. 120. num. 9. & 12.* Sanch. *disp. 26. num. 4. & 5.* Idem est si ex parte donatarii sint aliquæ speciales causæ, quæ ad donationem ipsi faciendam movere possint, ut amicitia specialis, obsequium aliquod donatori, vel ejus consanguineis præstitum quia eo casu esto donans non sit illius consanguineus præsumi debet ipsi in remunerationem obsequii, & amicitiæ signum donare, uti colligitur *ex leg. socium, qui in eo §. fin. ff. pro socio*, & docet plures referens Sanch. *d. disp. 26. a num. 6.*

Verùm si nulla ex supradictis causis existit, sed sola adest consanguinitas sponsi, dubitant Doctores, an eo casu donatio facta sponsæ acquiratur sponsæ, vel potiùs acquiratur sponso & sponsæ solus usus concedatur? Cui dubitationi breviter respondeo verius, & probabilius esse sponso acquiri, cujus contemplatione sponsæ donum factum est, nam cum consanguineus sponsi ob favorem, quem suo consanguineo præstare intendit ejus sponsæ donet, ea donatio potius censenda est fieri sponso quàm sponsæ. At si sponsæ non solùm usus, sed dominium donati concederetur, integrè ea donatio in favorem sponsæ fieret, & nullo modo saltem immediatè in sponsi favorem. Atque ita docent post alios antiquiores Navarr. *cap. 17. num. 166.* Anton. Gomez *leg. 52. n. 67.* Iulius Clarus, *lib. 4. recept. verbo donatio, quæst. 10. vers. sed nunquid.* Mascard. *de probat. concl. 564. à num. 5.* Joan. Gutierr. *lib. 2. pract. quæst. 120. n. 9.* Molin. *tract. 2. disp. 430. concl. 2.* plures alios referens *lib. 6. disp. 26. num. 11.* & colligitur *ex leg. aditio ff. de acquirenda hæredit.* ubi acquisita alicujus contemplatione dicuntur acquisita ex re ipsius, ac proinde ipsi cedere, & *ex leg. sed si plures, § in arrogato ff. de Vulgar.* ubi quidquid filius contemplatione arrogatoris ab aliis donatione acquirit, arrogatori acquiritur. Et ex *leg. si quid earum vers. ex quibus ff. de legat. 3.* ubi vir legat uxori quæ sui causa comparata sunt.

9. Neque his obstat lex *si servus communis, ff. de Donation. inter vir. & uxor.* ubi vir donans uxori servum qui suus & duorum fratrum erat, qua parte erat fratrum statim uxori acquiritur, quia in ea donatione satis vir expressit suam voluntatem, ut ille servus acquireretur uxori, siquidem ipsemet consentientibus fratribus donavit. Neque item obstat lex *si te in vacuam, God. de donat. inter vir. & uxorem*: ubi deciditur valere statim irrevocabiliter donationem factam à socero nurui: Et idem habetur *leg. si mater, leg. si constante, Cod. de donat. ante nuptias*, quia hæ leges non decidunt cui acquiratur donatio, sed decidunt acquisitionis modum scilicet esse diversum ab eo qui reperitur in donationibus inter virum, & uxorem ubi modus est revocabilis, cùm tamen modus acquirendi à consanguineis irrevocabilis sit. Neque item obstat *leg. fin. Cod. de usufructu*, ubi testator relinquens filio usumfructum potiùs contemplatione filii, quam patris præsumitur reliquisse; quin ibi nulla erat specialis conjectum in partis favorem, sicuti est cum consanguineus sponsi sponsæ donat. Neque item obstat doctrina Bart. *in leg. si verò §. 1. ff. soluto matrim.* decidentis donata ambasiatoribus acquiri, tametsi contemplatione mittentis concedantur, quia id, provenit ex consuetudine recepta: at esto sit consuetudo quod consanguinei sponsi sponsæ munera mittant, & è contra consanguinei sponsæ sponso: at non est regulariter consuetudo, quod donatario acquirantur, nisi dona exigui valoris sint. Neque denique obstat donatum filio sui juris effecto etsi contemplatione patris donetur, filio integro acquiri, & donatum amico Petri à Petri consanguineis non Petro sed donatario acquiri, quia filius sui juris effectus non communicat cum patre in bonis, neque amicus Petri cum Petro. Secùs est in marito, & uxore & in sponso, & sponsa in iis, quæ ipsis conceduntur sub tacita conditione matrimonii, quam conditionem imbibunt omnia donata à consanguineis sponsi sponsæ, & è contra. *Argum. leg. cùm veterum Cod. de donat. ante nupt.* & notavit ibi Cynus; Joan. Lupus, *Rub. de donat. §. 3. num. 5.* Castillo *leg. 52. Tauri*, *num. 8.* Gomez Arias *leg. 50. Tauri n. 3.* quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 6. disp. 26. num. 28.*

10. Superest

10. Supereſt dicendum, an prædicta donata à conſanguineis, vel amicis ſponſi ſponſæ, vel è contra cenſeantur ſponſalitia largitas, & more ſponſalitiæ largitatis acquirantur? Et quidem ſi vera eſt ſententia, quam plures, gravéſque Doctores relati à Sanch. *lib. 6. de matr. diſp. 26. num.* 10. docent donatario integrè acquiri, certum eſt ſponſalitiam largitatem non eſſe, cum non ſit donatio inter ſponſos, id eſt unius ſponſi alteri facta, tametſi à matrimonio contrahendo omnino pendeat, ſub ea enim conditione fit. At retenta noſtra ſententia aſſerente donata ſponſæ à conſanguineis ſponſi ſponſo acquiri, & ſponſæ ſolum uſum concedi, docent eſſe ſponſalitiam largitatem Joann. Lup. *Rub. de donat.* §. 45. *num.* 19. & *leg.* 52. *Tauri, num.* 11. ibi Caſtillo, *n.* 8. Azebedo *lib. 5. recop. tit. 2. leg.* 4. *num.* 17. Joann. Garc. *de conjugali acquiſit. num.* 107. eo quod ſponſus eam donationem ſuæ ſponſæ factam approbare videatur, ſuáque approbatione ſponſę concedere donati dominium, quod ſibi competebat. Sed rectius contrarium cenſent Gutierr. *lib. 2. pract. quæſt.* 120. *num.* 10. Molina *tract. 2. de juſtit. diſput.* 430. *concl.* 3. Sanch. *l. 9. diſp. 26. n.* 22. Quia etſi ſponſus approbet donationem ſuæ ſponſæ factam, non inde infertur ſua approbatione ſponſæ concedere quod ſibi eſt conceſſum, ſed ſolum approbare donationem juxta modum quo facta eſt, ac proinde retinere ſibi donari dominium, quippe in hoc approbationis modo ſibi conſulit. Præterea negari non poteſt ſub dubio eſſe, an ſponſus approbans donationem ſponſæ à ſuis conſanguineis, vel amicis factam velit donatum acquiri ſponſæ, vel ſibi retinere, ſed in caſu dubio nemo præſumendus eſt donare *leg. cum indebito ff. de probationibus* & pluribus exornat Maſcard. *concl.* 555. Menoch. *lib. 2. de arbit. caſu* 88. Ergo in præſenti non præſumendum ſponſum velle ſponſæ concedere dominium illorum quæ à ſuis conſanguineis ſponſæ donata ſunt. Ergo ea donata nequaquam ſunt ſponſalitia largitas, neque more ſponſalitiæ largitatis acquirenda ſunt ab ſponſa, ſed diſſoluto matrimonio ſunt ſponſo reddenda.

§. II.

In qua quantitate, & ex quibus bonis ſponſalitia largitas præſtari poſſit?

1 *Spectato jure communi nulla eſt impoſita taxa ſponſalitiæ largitatis. Secus in Caſtellæ regno.*
2 *Hac taxa fit pro ſponſalitia largitate tradita ab ſponſo ſponſæ, non autem econtrà.*
3 *Dos cujus octavæ parti ſponſalitia largitas menſuranda eſt debet eſſe ab ſponſo recepta.*
4 *Affirmant plures ſponſalitiam largitatem ab ſponſo conceſſam ſponſæ nullam dotem afferenti validam eſſe.*
5 *Oppoſitum verius exiſtimo.*
6 *Detrahenda eſt ſponſalitia largitas ex bonis de quibus quis poteſt liberè diſponere.*

1. CErtum eſt ſpectato jure communi nullam eſſe taxam ſponſalitiæ largitati impoſitam, ſed in qualibet quantitate fieri poſſe, ut videre eſt *toto tit. ff. & Cod. de donationibus ante nuptias.* At in caſtellæ regno octavam partem dotis uxoris excedere nequit, juxta *leg. 1. tit. 2. lib. 5. nova collect.* ibi: Mandamos que de aqui adelante ninguno, ni alguno dedeſtos nueſtros reynos que ſe deſpoſaren, o caſaren no pueda dar, ni de aſu eſpoſa y muger en los dichos veſtidos y joyas ni en otra coſa alguna, mas de lo que montare la octava parte de la dote que con ella reçibiere y porque con eſto, çeſen todas las fraudes mandamos que todos los contractos, pactos, y promiſſiones que ſe hiçieren en fraude delo ſuſo dicho ſean en ſi ningunos y de ningun valor, y effecto.

2. Circa quam legem primò notandum eſt hanc taxam fieri pro ſponſalitia largitate tradita ab ſponſo ſponſæ, non autem pro ea quam ſponſa ſponſo tradit, quippe ſponſa non ſolet in his donationibus excedere, præterquam quod hæc ſponſalitia largitas menſuranda eſt ex quantitate dotis. Non igitur habere poteſt locum in ipſa quæ dotem tradit. Deinde non procedit in donatis à conſanguineis ſponſi ſponſæ, hi enim non prohibentur octavam partem dotis in ſua donatione excedere, & meritò, quia ea donatio non eſt ſponſalitia largitas, neque in ea ſolet eſſe exceſſus, qui in donationibus ſpóſi propter nimium amorem reperitur, uti docuit aliis relatis Matien. *leg. 1. tit. 2. lib. 5. recopil.* gloſſ. 6. *num.* 2. Neque item procedit in ſponſalitia largitate conceſſa ab extraneis hujus regni, nam lex expreſsè lata eſt pro regnicolis, ut conſtat ex illis verbis *ninguno deſtos nueſtros reynos*, & tradit Matien. *ibi, gloſſ. 5.* Sanchez *diſputat.* 44. *numero* 5. Naturalibus enim intendit Rex hac ſua lege conſulere, ne ſua bona dilapident exceſſiva munera ſponſis conferendo. Ab hac doctrina excipit Sanch. exterum qui puellam hujus regni duceret, quem credit obligatum eſſe octavam acceptæ dotis partem non excedere. Sed verius oppoſitum cenſeo, quia in eo qualitas requiſita à lege non verificatur, ut pote qui non eſt hujus regni. Quod ſi regnicola extra Hiſpaniæ regna ſponſalia contrahat, ibique promittat, & concedat ſponſalitiam largitatem, etſi Pelaëz *de major. 1. part. quæſt. 58. num.* 58. Azebedo *dicta leg. 1. num.* 28. aſſerant aſtringi obligatione prædictæ legis. At probabilius Sanch. *dicta diſp. 24. num.* 5. cenſuit excuſatum eſſe, eo quòd leges nec Civiles, neque Eccleſiaſticæ extra territorium legiſlatoris vim obligandi non habent, ut pluribus firmavi *tract. de legib. diſp. 1. punct. 24. §. 5.* Notanter dixi ſi ſponſalitiam largitatem & promittat, & concedat, nam ſi ſolùm promiſerit non in regno exiſtens conceſſionem excedentem taxam præſtare, quia ad hanc conceſſionem nunquam vi promiſſionis ſe obligavit, aliàs obligaretur ad conceſſionem legibus adverſam, & iniquam.

3. Secundò nota dotem, cujus octavæ parti ſponſalitia largitas menſuranda eſt, debere eſſe ab ſponſo receptam, ut conſtat ex illis verbis, mas de lo que montare la octava parte de la dote que con ella recibiere. Unde ſi promiſſa ſunt in dotem octo millia aureorum, & ſolùm de quatuor millium numeratione conſtet, non valebit ſponſalitia largitas quingentos aureos excedens, ut benè advertit Matien. *dicta leg. 1. tit. 2. lib. 5. compilat.* gloſſ. 6. *numero* 3. Avend. *de exequend. mandat. 1. part. cap. 15. numero* 2. Sanchez *lib. 6. diſp. 24. numero* 3. Quod autem hinc infert Petr. Nunius de Avendamno *numero* 2. requiri dotem realiter receptam eſſe, nec ſufficit eſſe promiſſam, ut ſponſalitiam largitatem ſponſa lucrari poſſit, verum non eſt, ut rectè tradit. Matien. *dicta gloſſ. 6. numero* 4. Sanchez *diſp. 24. numero* 3. Nam eſto lex exigat dotem recipi ab ſponſo verè cenſendus eſt eam recipere ab eo puncto quo ſibi promiſſa eſt, tametſi ſolutionis dies non advenerit, uti colligitur *ex leg. cedere diem ff. de verbor. ſignificat.* Quare ſi antequam ſolutioni dies deſtinatus adveniat matrimonium diſſolvatur, ſponſalitiam largitatem ſponſa obtinebit, quia veram dotis promiſſionem fecit, nec per ipſam ſtetit quominus executioni mandaretur, ac proinde privari non debet jure ſponſalitiæ largitatis quæſito. Secùs eſſet, ſi dotis ſolutionem termino adveniente denegaret, vel jam ſoluta evinceretur, quia eo caſu effectus probat promiſſionem fictitiam fuiſſe, nullóque modo verificari poteſt dotem eſſe receptam, ut prædicta lex regia poſtulat.

Tertiò notà ſi ſponſalitia largitas octavam dotis partem excedat, non obinde tota vitiatur, ſed ſolùm quoad exceſſum, qui tamen exceſſus etiam juramento accedente firmari non poteſt, uti puncto præcedenti loquens de arrhis dixi, ubi qualiter computandus eſt valor

dotis

dotis in vinculo, & majoratu consistens, ut octava pars liquidè constare possit.

4. Dubium igitur est, an sponsalitia largitas ab sponso concessa sponsæ nullam dotem afferenti valida sit, ita ut sponsa per osculum, aut matrimonii copulam eam lucretur? Affirmant Avendan. *de exequend. mandat. 1. part. cap. 15. n. 2. & 3.* Azebedo *lib. 5. recopil. tit. 2. leg. 4. n. 13.* Sanch. *lib. 6. disp. 24. in fine, n. 6.* Moventur, quia prædicta lex regia solùm intendit modum præscribere ne excessus fiant in his muneribus concedendis, ut constat ex illis verbis. Y porque los que se desposan suelendaria sus esposas joyas y vestidos excesivos, non autem intendit sponsalitiam largitatem moderatam prohibere, siquidem tacitè eam approbat definiens, ne octavam dotis partem excedat. Quod si nulla dos assignata est, eam sponsalitiam largitatem approbat, quæ non excederet octavam dotis partem, quæ à fœminis illius qualitatis designari solet.

5. Verùm etsi hæc sententia sit satis probabilis, probabiliorem existimo, quæ negat prædictam sponsalitiam largitatem valere, sponsamque eam per osculum, aut per copulam lucrari. Moveor, quia esto finis hujus legis non fuerit sponsalitiam largitatem moderatam prohibere, sed solùm excessivam, attamen, ut finis prædictus exactè obtineretur statuit, ne sponsalitia largitas excedat octavam partem dotis, quod simul cum sponsa sponsus receperit. At ubi nullam dotem sponsus recipit probare non potest sponsalitiam largitatem intra limites octavæ partis contineri. Secundò lex prædicta non taxavit sponsalitiam largitatem per respectum ad dotem prudentis arbitrio concedendam, sed per respectum ad dotem, quæ verè ab sponso reciperetur, at ubi nulla recipitur, cessat hic respectus, ergo cessat sponsalitiæ largitatis concessio. Tertiò si scires fictè tibi dotem moderatam promitti, & juxta illius mensuram sponsalitiam largitatem concederes, ea concessio nulla esset, ut ipsemet Sanch. *disp. 14. num. 3.* ex omnium sententia fatetur. At hæc nullitas non aliunde provenit, nisi quia dictæ sponsalitiæ largitati deficit respectus ad dotem receptam à lege expostulatus. Sed idem respectus deficit, cum nulla adest promissio, ergo eodem modo sponsalitia largitas nulla est. Atque ita docet Matien. *lib. 5. recop. tit. 2. leg. 1. gloss. 6. in fine.*

6. Quoad bona ex quibus sponsalitia largitas concedi potest constat esse, de quibus potest liberè disponere in Castella, nempe de quinta bonorum parte, si filios habeat ex priori matrimonio, si verò solos ascendentes de tertia. Si autem filiis, & ascendentibus careret tempore promissionis extrahi debet de corpore hæreditatis, sicuti de arrhis prædictum est, & notavit Gutierr. *de matr. cap. 19. num. 40.* Sanch. *disp. 36. numero 17.* Qualiter verò minor judicis authoritatem vel tutoris consensum requirat, & filius familiàs patris consensum, ut sponsalitiam largitatem concedere possit *præcedenti puncto* diximus, cùm de arrhis locuti sumus, est enim eadem ratio.

§. III.

Quo tempore sponsalitia largitas concedenda sit?

1 *Concedi debet post sponsalia contracta.*
2 *Antecedere debet matrimonii consummationem, & ejus tractum spectato jure antiquo, secus regni Castellæ.*
3 *Affirmant plures concedi posse ante Ecclesiæ velationes si matrimonium consummatum sit.*
4 *Verius est oppositum.*
5 *Satisfit oppositis fundam.*
6 *Affirmant plures lucrari sponsam munera missa ab sponso, etiamsi sponsus ante receptionem matrimonium consummaverit.*
7 *Veriorem oppositam sententiam existimo. Et satisfit fundamento oppositio.*
8 *Quid dicendum de vestibus pretiosis datis sponsæ in ipso naptiarum die? Negant plures esse sponsalitiam largitatem.*
9 *Verius est oppositum.*

1. Necessariò sponsalia largitas concedi debet post sponsalia contracta, quia est concessio inter sponsos sub spe matrimonii contrahendi, & ob ejus causam. Quare si ante celebrata sponsalia ei quam speras in sponsam habere munera mitteres animo statim donandi, nequaquam ea munera sponsalitia largitas nuncupanda essent, neque ad terminum octavæ partis dotis restringi deberent, uti advertit Avendanno *de exequend. mandat. 1. p. c. 15. num. 2.* Sanch. *lib. 6. de matr. disp 24. num. 2.* Anton. Gomez. *leg. 52. Tauri nu. 3.* Matien. *leg. 4. tit. 2. lib. 5. collect. Gloss. 3. initio.*

2. Deinde spectato jure communi, & antiquo regni Castellæ antecedere debet hæc sponsalitia largitas non solùm matrimonii consummationem, sed ejus contractum quia matrimonio contracto omnis donatio inter conjuges prohibita erat, utpote facta inter virum, & uxorem. *leg si ab sponso, Cod. de donation. ante nupt. leg. inter eos ff. de donation. inter vir. & uxor.* argum. *l. 1. ff. de sponsal.* & habetur *leg. 3. tit. 11. p. 4.* At spectato jure noviori regni Castellæ traditio *leg 52. Tauri*, hodiè *4. tit. 2. lib. 5. novæ collect.* sponsalitia largitas concedi potest non solùm ante contractum matrimonium post inita sponsalia, sed etiam matrimonio ipso contracto modò consummatum non sit, ut norant omnes expositores in supradictis legibus. Quapropter his ut omnino certis statutis quæ dubia sunt veniunt examinanda.

3. Primò, an spectato hoc jure novo Castellæ possit sponsalitia largitas concedi post matrimonii copulam ante Ecclesiæ velationes, seu benedictiones! Affirmant & satis probabiliter Anton. Gomez *leg. 52. Tauri, num. 6.* Azebedo *dicta leg. 4. num. 14. tit. 2. lib. 5. compil.* Barbosa *ff. Soluto matrim. Rub. 3. p. num. 112.* Ayota *de part. 1. part. cap. 7. num. 37.* Avendan. *de exeq. mand. 1 p. cap. 15. num. 4. & 5.* Gutietr. *lib. 3. pract. q. 44. numero 2. & seqq* Moventur primò, quia sive copula præcedat munera, sive munera copulam, eadem militat ratio, ob quam hæc munera sponsæ conceduntur, scilicet in præmium pudicitiæ amissæ. Ergo eadem in utroque casu debet esse dispositio. *leg. cum pater. §. dulcissimis ff. de leg. 2. cum similibus.* Secundò censendus est sponsus cùm copulam habet animum, & voluntatem habere sponsalitiam largitatem concedendi, sed libidine incensus à copula incæpisse, & donationis executionem distulisse. Ergo illa donatio potius ante copulam, quam post copulam censeri debet facta. Tertio, & principaliter, quia prædicta lex concedit sponsæ ejúsque hæredibus consummato matrimonio lucrari omnia, quæ sponsus dedit, cum desponsati fuerunt: at juxta communem, & usitatum modum in Hispania loquendi sponsi nuncupantur ante Ecclesiæ benedictiones, tametsi matrimonium consummatum sit. Ergo concedit sponsæ lucrari per copulam quidquid ante benedictiones Ecclesiæ fuerit ab sponso concessum, quippè verba legis, & præcipuè favorem continentis secundùm communem usum, etsi non ita proprium, accipienda sunt, *Argum. leg. librorum, §. quod tamen*, Casius *ff. de leg. 3.* & *l. labeo ff. de supellect. leg.* & tradit Bart. *leg. non dubium n. 11. Cod. de legib.* Gloss. *cap. nonnulli verbo, ultra de Rescriptis.* Quartò sponsa lucratur iocalium medietatem per osculum sive subsequens, sive antecedens. Ergo lucrari ea debet integrè per copulam sive antecedentem, sive subsequentem, quia prædicta lex *Tauri* æquè concedit sponsæ lucrari omnia jocalia per copulam, ac concedit lucrari medietatem per osculum. Neque his obstat, quod *leg. 25. Tauri* dicat, qualquiera esposa ora sea de presente, ora sea de futuro fu elto

el matrimonio gane , ſi el eſpoſo la habiere veſado la mitad de todo loque el eſpoſo la hubiere dado antes de conſumido el matrimonio , quaſi poſt conſummatum matrimonium, non ſit lucro locus. Non inquam obſtat, quia de dimidiato lucro , quod per oſculum obtinetur, veriſſimum eſt poſt conſummatum matrimonium eſſe non poſſe , ſecùs verò de lucro integro , quod conſummato matrimonio obtinendum eſt : & fortè cùm de hoc lucro lex loqueretur conſummationis matrimonii pro muneribus donatis non meminit, ſed tantum dixit. Pero ſi qualquiera dellos muriere deſpues de conſumido el matrimonio que la mujer , y ſus herederos ganen todo loque ſundo deſpoſados *le hubo el eſpoſo dado.*

4. Cæterùm verius cenſeo ſponſalitiam largitatem eſſe non poſſe matrimonio conſummato , ſed donationem eo tempore factam eſſe donationem inter conjuges, & juxta illius naturam regulari debere : ſic Gregor. Lopez *leg.* 3. *tit.* 11. *part.* 4. *verbo veſado.* Joann. Lup. *leg.* 52. *Tauri num.* 2. *fine* & *num.* 14. *in fine*, ibi *num.*17. Gomez Arias , *leg.* 50. *Tauri n.* 20. Matien. *leg.* 4. *tit.* 3. *lib.* 5. *compilat. Gloſſ.* 3. *num.* 2. Azebedo ſibi contrarius ea *leg. num.* 25. *&* 26. Sanch. *lib.* 6. *diſp.* 23. *num.*4. Moveor : lex prædicta *Tauri* quatenus concedit validam eſſe donationem inter ſponſos de præſenti jus commune , & antiquum regni Caſtellæ corrigit , quibus ea donatio utpote facta inter conjuges prohibebatur , uti notarunt Cobarub. 4. *decretal.* 1. *p. cap.* 4. §. 1. *num.*14. Barboſ. *leg. quæ dotis* 34. *num.* 83. *ff. Soluto matrim.* Ant. Gomez *leg.*52.*Tauri n.*4. Caſtillo ibi *in princip.* Matienz. Gregor. Lop. Gomez Arias *ſuprà* Sanch. *num.* 1. At verba legis correctoria in ſignificatione propria, ſtrictéque, & non amplè ſumenda ſunt quia correctio juris quoad fieri poteſt vitanda eſt , *leg. præcipimus Cod. de appellat.* Ex verbis autem prædictæ legis in ſignificatione propria ſumptis nequaquam infertur ſponſam lucrari poſſe quæ ſibi data fuerint poſt matrimonium conſummatum , ſed ſolùm quæ data fuerint ante matrimonii conſummationem. Nam in priori clauſula inquit lex : qualquiera eſpoſa ora ſea de preſe te ora de futuro ſualto el matrimonio gane,ſi el eſpoſo la hubiere veſado la mitad de todo lo que el eſpoſo la ſubiere dado antes de conſumido el matrimonio , y ſino la ſubiere veſado no ganena da torneſe a los herederos de eſpoſo. Quibus verbis manifeſtum eſt non concedi ſponſæ aliquod lucrum de datis poſt matrimonium conſummatum , quinimo per argumentum à contrario tacitè indicatur nihil ſponſæ poſt matrimonium conſummatum dari poſſe , cujus lucrandi poteſtatem habeat. In ſecunda verò parte ubi inquit lex. Pero ſi qualquiera dellos muriere deſpues de conſumido el matrimonio que la muger , y ſus herederos ganen todo loque ſiendo deſpoſados le hubo el eſpoſo dado no aviendo arrhas en el tal caſamiento y matrimonio , nullo modo ſignificatur poſſe ſponſam lucrari aliquid , quod poſt conſummatum matrimonium illi datum ſit , quin potius contrarium non leviter colligitur ex illis verbis , *lo que ſi endo deſpoſados* , quaſi diceret lucretur mulier poſt matrimonium conſummatum totum id quod ei ſponſus dedit tempore quo deſponſati fuerint , diſtinguit enim tempus deſponſationis à tempore matrimonii conſummati. Præterea non abſque cauſa lex cùm lucri ab uxore , ejúſque hæredibus obtinendi ob matrimonii conſummationem meminit , utitur nomine mulieris ibi , *que la muger y ſus hærederos.* Cum autem de donatis ab ſponſo ſermonem facit, non utitur nomine viri , vel mariti , quod conjugibus poſt matrimonii conſummationem competit , ſed utitur nomine ſponſi , quod nullo modo niſi impropriè competit his qui matrimonium conſummarunt.

5. Neque argumenta prioris ſententiæ urgent. Ad primum dico , etſi munera poſt conſummatum matrimonium ob eundem finem concedantur ſponſæ , ac conceduntur ante conſummationem , non obinde infertur eandem diſpoſitionem in utraque donatione eſſe ſervandam quia ante conſummationem permittitur ea donatio, ſecùs poſt conſummationem. Aliàs datum poſt benedictiones Eccleſiæ , & matrimonii conſummationem poſſet ſponſa lucrari , ſiquidem ob eundem finem pudicitiæ amiſſæ dari poteſt. Ad ſecundum admitto ſponſum habuiſſe ante copulam animum donandi , ſed quia non donavit niſi tempore inhabili donatio non ſubſiſtit. Ad tertium concedo regulariter ante velationes Eccleſiæ ſponſos nuncupari , quia non præſumitur carnali copula commixtos eſſe. At ſi de ea copula conſtaret, non ſponſi , ſed conjuges vocarentur. Ad quartum neganda eſt conſequentia , & ad probationem dico legem *Tauri* æquè concedere ſponſæ lucrari medietatem jocalium per oſculum,ac integrè per copulam, jocalium inquam , quæ ante matrimonii conſummationem data fuerint. Neque obſtat per oſculum ſive antecedens, ſive ſubſequens donationem , prædictam medietatem lucrari , non tamen per copulam , quia oſculum non conſummat matrimonium , ſecùs verò copula , ac proinde non poteſt copula donationem præcedere. Ad ultimum ex explicatione legis ſumptum conſtat ex probatione noſtræ ſententiæ : illa enim verba , *antes de conſumido el matrimonio* cum immediatis verbis connectenda ſunt, ſcilicet cum illis *loque el eſpoſo le hubiere dado* , non cum mediatis , & retis , ſcilicet cum illis *gane ſi el eſpoſo la hubiere veſado* , quia eſt violenta litteræ permutatio , & omnino inutilis ; ſiquidem in ea lege lucrum per oſculum à lucro per conſummationem matrimonii diſtinguitur , ac proinde affirmante lege per oſculum medietatem jocalium ſponſam lucrari neceſſario intelligebatur debere fieri per oſculum conſummationem matrimonii antecedens. Non igitur neceſſarium erat exprimere illa verba , *antes de conſumido el matrimonio* , ſed omnino ſuperfluerent. Debent ergo illa verba referri, & connecti cum verbis immediatis , ita ut præſtent hunc ſenſum , lucretur ſponſa per oſculum medietatem lucri ab ſponſo ante matrimonii conſummationem recepti.

6. Secundo decidendum eſt ; an ſi ſponſus ſponſæ miſerit mundos muliebres, & antequam illos ſponſa receperit ipſe acceſſit , & matrimonium conſummavit, lucretur ſponſa munera prædicta ? Matien. *lib.* 5 *recopil. tit.* 2. *leg.* 4. *Gloſſ.* 3. *num.*4. Gutierr. *lib.* 3. *pract. q.* 44. *num.* 8. affirmant ſive ea munera miſſa ſint per nuntium ſponſi , ſive per ſponſæ nuntium utroque caſu ſponſam ea lucrari ſpectato jure noſtro regio. Moventur ex *leg.*4. *tit.* 16. *lib.* 5. *recopil.* ubi deciditur quemcunque obligatum manere alteri eo ipſo quo apparet voluiſſe ſe illi obligare ſive in præſentia ſive in abſentia , ibi pareciendo que alguno ſe quiſo obligar a otro por promiſſion o por algun contrato , o en otra manera ſea tenudo de cumplir , y no pueda poner excepçion que no fue echa eſtipulaçion , o que fue fecho el contrato entre abſentes , o que fue fecho otra perſona privada en nombre de otro entre abſentes , mandamos que toda via valan la dicha obligacion , y contrato. At conſtat ſponſum munera ſponſæ mittentem voluiſſe contractu donationis ſe illi obligare , ergo cùm hæc obligatio ante copulam, matrimoniique conſummationem contingat , poterit ſponſa realiter ſibi donatum acquirere.

7. Cæterùm longè veriorem exiſtimo ſententiam Joann. Lupi , *leg.* 52. *Tauri num.* 14. & ibi Didacii del Caſtillo, *n.* 13. *&* 14. Sanch. *lib.* 6. *diſp.* 23. *n.*7. diſtinguentium inter nuntium ſponſi , & ſponſæ. Si enim (inquiunt) ſponſus nuntio ſponſæ tradiderit jocalia ſponſæ deferenda,valida erit prædicta jocalium donatio utpote facta ſponſæ ante matrimonii conſummationem, quippe eo ipſo quo ejus nuntius ea receperit, cenſenda eſt ſponſa ea recepiſſe , ſiquidem ad illorum receptionem prædictum nuntium deſtinavit , uti ſupponendum eſt, aliàs non erit ſponſæ nomine acceptatio, ut colligitur *ex leg. ſi ſponſus in pr.*& ibi Gloſſa *ff. de donat. inter vir. & uxor.* Si autem ſponſus nuntio à ſe deſtinato jocalia tradiderit,

tradiderit, & antequam ad ſponſam nuntius pervenerit, ipſe ſponſus pervenit, & matrimonium conſummavit nulla eſt jocalium donatio, utpote matrimonii conſummationem ſubſequens. Nam cùm donatio, ut ex dictis in principio hujus tractatus liquet effectum non habeat, quouſque à donatario acceptetur, *leg. qui abſenti ff. de acquir. poſſeſſ.* & antequam nuntius ſponſi ad ſponſam perveniat, ſponſa ut pote ignara doni ſibi miſſi illud acceptare non poſſit, nequit ea donatio valida eſſe. Neque obſtat *dicta lex 2. titul. 6. lib. 5.* cui *in citato loco* ſatisfecimus, nam ex illis verbis *pareciendo que alguno ſe quiſo obligar.* Apertè colligitur acceptationem donatarii ad valorem donationis requiri, quia nemo præſumendus eſt velle beneficium alteri conferre; niſi quatenus illi gratum eſt, ac proinde quatenus illud acceptat, tametſi modus acceptationis jure communi introductus, *leg ſtipulatio, §. ſi ſtipuler. ff. de verb. obligation. & leg. multum, Cod. ſi quis alteri* correctus ſit, ita ut intervenìente acceptatione opponi non poſſit abſentia donatarii ad infirmandam donationem, vel promiſſionem, ſicuti poterat jure communi opponi.

8. Tertiùm, & difficilius, an veſtes & alia ornamenta pretioſa ante conſummationem matrimonii data ſponſæ in ipſo nuptiarum die, vel illi proximo cenſeantur ſponſalitia largitas, ac proinde ſponſa eorum medietatem per oſculum acquirat, & integrè per copulam, vel potius marito, ejuſve hæredibus diſſoluto matrimonio ſint reſtituenda? Negant ſponſalitiam largitatem eſſe cenſendam Azebedo *lib. 5. recopil. titul. 2. leg. 4. num. 17. & 32.* Gutierr. *lib. 2. pract. quæſt. 19. num. 1.* Quibus favet Gregor. Lopez *leg. 23. ad finem, tit. 11. part. 4.* Moventur, quia hæc prætumi debent donata, & collata in tempus matrimonii juxta legem *quod ſponſæ Cod. de donat. ante nupt.* Cùm enim videat ſponſus ſtatim ſubiturum eſſe obligationem alendi ſponſam, tradit illi veſtes, & ornamenta ut prædictæ obligationi ſatisfaciat, & ſponſa eo die nuptiarum honoretur, ergo horum traditio ſponſalitia largitas cenſeri non poteſt, quia non eſt facta ſponſæ ut ſponſæ, ſed potiùs ſponſæ ut uxori, ſiquidem non eſt facta ea præcipua intentione ut ſponſæ tempore ſponſalium ea munera deſerviant, ſed ut deſerviant tempore matrimonii. Unde cùm lex 52. *Tauri* inquit, gane la eſpoſa la mitad de todo lo que el eſpoſo la hubiere dado antes de conſumido el matrimonio, & infra ganen todo loque ſiendo deſpoſados le hubo el eſpoſo dado, intelligi debet de his quæ præcipuè dantur pro tempore quo ſponſalia durant, ſecùs de his quæ potius pro tempore matrimonii conferuntur, ſicuti cenſenda ſunt data eo die nuptiarum, alias antea data eſſent.

9. Nihilominus veriorem cenſeo ſententiam affirmantem prædictas veſtes, & ornamenta ſponſalitiam largitatem eſſe, eorumque medietatem lucrari ſponſam per oſculum, & per copulam integrè. Sic Anton. Gomez *leg. 52. Tauri n. 3.* Avendano *de exequend. mandat lib. 1. cap. 15. num. 5.* Matien. *leg. 4. tit. 2. lib. 5. compilat. Gloſſ. 6. n. 4.* Gutierr. ſibi contrarius *allegat. 11. num. 7.* Sanch. *lib. 6. diſp. 28. num. 9.* Ratio eſt, quia prædicta lex *Tauri 52.* expreſsè afferit ſponſam lucrari quidquid ipſi ab ſponſo datum fuerit ante conſummationem matrimonii. Ergo dum non conſtat de contraria donantis intentione credendum eſt donare juxta legis diſpoſitionem, ac proinde ea intentione ut ſponſa donatum lucretur. Secundò dum matrimonium conſummatum non eſt, verè ſunt ſponſi, & dona eo tempore facta cenſentur dona inter ſponſos, tametſi eo die nuptiarum conceſſa ſint, ut habetur expreſsè *leg. inter eos, ff. de donationib. inter vir, & ux.* ibi: *inter eos qui matrimonio conjuncti ſunt ante nuptias donatio facta jure conſiſtit, etiamſi eodem die fuerint conſequutæ.* At prædicta lex 52. *Tauri* decidit lucrari ſponſam quidquid ab ſponſo acceperit ante nuptias. Tertiò hæc lex concedit uxori, & ejus hæredibus, ut poſtquam matrimonium diſſolutum eſt, ſi in eo matrimonio arrhæ intervenerint eligant unum è duobus vel ſponſalitiam largitatem, vel arrhas, at ſponſalitia largitas, quæ arrhis digna ſit comparari regulariter ſola eſt (ut benè notavit Anton. Gomez) quæ tempore nuptiarum, & velationum conceditur, nam extra hoc tempus levia ſunt, & parvi valoris quæ ab ſponſis donantur. Ergo tradita tempore nuptiarum ſponſalitia largitas ſunt cenſenda, & ſponſam tanquam ſponſalitiam largitatem ea lucrari. Solùm ab hac doctrina excipit Caſtillo *in leg. 52. Tauri, in fine.* Sanch. *lib. 6. dict. 23. n. 10.* Annulum ſponſæ datum in Eccleſia tempore benedictionum, quia hic non ex voluntate donandi, ſed ex voluntate ſervandi Eccleſiæ ritum cenſendus eſt conferri. Ex his ſolutum eſt oppoſitum fundamentum: negamus namque ſponſum dare eas veſtes, & munera ea præcipuè intentione, ut obligationi quam ſtatim ſubiturus eſt alendi uxorem ſatisfaciat: ſi enim id intenderet, debebat exprimere, alioqui præſumitur contuliſſe animo ſignificandi ſuum amorem, & ut ipſa eo die nuptiarum honoretur.

§. IV.

Qualiter Sponſalitia largitas acquiratur, ſeu amittatur?

1 *Spectato jure antiquo irrevocabiliter acquiritur matrimonio conſummato.*
2 *Excipe niſi ſponſa ante conſummatum matrimonium oſculata ſit, nam tunc acquirit jocalium medietatem.*
3 *Oſculum debet ſubſequi ſponſalia.*
4 *Copula debet ſubſequi matrimonium.*
5 *Diſſolutis ſponſalibus, vel matrimonio ante conſummationem, ſponſus jocalia repetens obligatus eſt tantum præbare ea donatempore ſponſalium tradidiſſe.*
6 *Ad acquirendam ſponſalitiam largitatem non indigent inſinuatione.*
7 *Aliqui affirmant eodem modo ac per oſculum ſponſalitiam largitatem acquiri amplexu.*
8 *Verius cenſeo oppoſitum.*
9 *Ob tactus vel copulam ſponſalitia largitas acquiritur, etſi aliqui contrarium ſentiant.*
10 *Quando ſponſalia ſunt nulla qualiter ſponſalitia largitas retineri poſſit. Certum eſt ſi ſponſus ſciat impedimentum retinere ſponſam poſſe. Secus ſi ſponſus ignoravit, & ſponſa impedimentum ſcivit.*
11 *Quando uterque eſt ignarus impedimenti plures affirmant.*
12 *Verius cenſee oppoſitum.*
13 *Fit ſatis oppoſit. fundam.*
14 *Quid ſi uterque impedimenti conſcius fuerit? Proponitur duplex ſententia.*
15 *Probabilius eſt donatarium retinere donatum poſſe.*
16 *Si ſponſalia diſſolvuntur abſque ulla culpa non poſſunt retineri donata.*
17 *Apponitur quædam limitatio.*
18 *Secus ſi ob culpam alicujus: nam tunc retinere innocens poteſt.*

1. PRoponamus certiora, & communiter à Doctoribus approbata, ut gradum faciamus ad ea quæ difficultatem aliquam continent, & in quibus Doctores in varias ſententias ſunt diviſi. Conveniunt autem Doctores ſponſalitiam largitatem jure antiquo Digeſtorum, & Codicis ante Imperatorem Conſtantinum acquiri ſtatim donatario irrevocabiliter, eſſeque donationem ſimplicem, & puram, niſi in ea expreſſum eſſet fieri ob matrimonium contrahendum, & ob ejus cauſam, ſicuti habetur *leg. 1. verſ. igitur, ff. de Donationib. & leg. 2. leg. ſi filiæ, leg. ſi tibi, Cod. de donationib. ante empt.* At poſt Conſtantinum hæc conditionis expreſſio non requiritur, ſed ex ipſa legis diſpoſitione,

ne, & ex præſumpta partium voluntate prædicta conditio ſi matrimonium ſequitur ſubintelligitur *ex leg. cum veterum, Cod. de donationib. ante nupt.* & *leg. regia* 3. *tit.* 11. *part.* 4. Nec proinde hæc donatio refertur in tempus contracti matrimonii, aliàs eſſet donatio inter conjuges, & reprobata ; *leg. quod ſponſa* 4. *de donationib. ante nupt.* ibi : *quod ſponſæ ea lege donatur, ut tunc dominium ejus adipiſcatur, cum nuptiæ fuerint ſequutæ, ſine effectu eſt.* Quippe idem eſt rem fieri tempore inhabili, vel prohibito, & conferri in tempus inhabile, vel prohibitum, *leg. in tempus, ff. de hæred. inſt. leg. cum qui, ff de juriſdict. omn. judic.* Sed eo ipſo quo hæc donatio fit habet effectum, & quæritur donatario, ſub onere tamen ne matrimonium contrahere omittat. Quare matrimonio contracto pleno jure donatio fit donatarii, at eo non contracto diſtinguendum eſt, ſi facto, & culpa donantis contingat, donatum amittit, & reddit ſi aliquid ab alio accepit : ſi verò facto, & culpa donatarii, & donatarius quod ſibi donatum reſtituere debet, ſicuti hæc omnia habentur *in leg. cum veterum. Cod. de donation. ante nupt.*

2. Ab hac doctrina excipiendum eſt, niſi ſponſa ante conſummatum matrimonium oſculata ſit, nam eo caſu ratione oſculi dati ſponſo lucratur jocalium medietatem, ut deciditur *in leg. ſi à ſponſo Cod. de donat. ante nupt.* & ibi Gloſſ. *& leg. regia* 3. *titul.* 11. *part.* 4. ipſe verò ſponſus ob oſculum datum, vel receptum hanc jocalium medietatem non lucratur, uti expreſsè colligitur ex ſupradictis legibus, & tradunt omnes. Quod ſi roges cauſam ob quam ſponſæ hæc jocalium medietas applicetur non verò ſponſo ; triplex eſt. Prima, quia frequentiùs ſponſus jocalia donat ſponſæ, quàm è contrà, ut advertit textus *in dicta leg. ſi à ſponſo*, §. 1. *Cod. de donat. ante nupt.* Secunda, quia, ut inquit Gloſſa *in dicta leg. ſi à ſponſo* §. 1. Semper cenſetur ſponſa oſculum dare, non recipere, ac proinde ipſa eſt præmio digna, non ſponſus. Tertia, ſponſus ex oſculo ſponſæ voluntatem acquirit, & in nullo gravatur ; at ſponſa ruborem, & verecundiam ſuſtinet, & non levem honeſtatis diminutionem patitur, ideoque decedente ſponſo, à quo conſtat deoſculatam eſſe, alium ſponſum non ita facilè inveniet. Meritò ergo in recompenſationem hujus damni, quod nullatenus ſponſo accidit, lucratur ſponſa acceptorum medietatem per oſculum, non verò ſponſus.

At in copula quæ matrimonium conſummat, cùm utrique ſponſus & ſponſa æquales ſint ; & ex illa æquale jus, obligatio prodeat, jocalium lucrum æquè ſponſo, & ſponſæ competit, colligitur apertè *ex leg. ſi à ſponſo Cod. de donat. ante nupt. & leg.* 3. *tit.* 11. *part* 4. per argumentum à contrario ſenſu, quod validiſſimum eſt, cum non eſt contrarium à jure deciſum, ut bene probat Everard. *loco à contrario ſenſu, num.* 1. *ex leg.* 1. §. *hujus rei ff de officio ejus cui mandata eſt juriſdictio* : ſed præcipuè colligitur ex *leg. cum veterum Cod. de donation. ante nupt.* ibi : *quæ ſimiliter ſervari oportet, etſi ex parte ſponſæ donatio facta ſit.* Quod in his quæ data ſunt ſponſo ab ſponſa de futuro certiſſimum exiſtimo. Nam eſto regulariter fœminæ donare non præſumantur *leg. ſi à ſponſo, leg. ſi ſtipulata* §. *uxor. ff. de donation. inter vir. & uxor. leg. ſi ergo ff. ad Senat. Conſ. Vellejan. leg* 3. *tit.* 11. *part.* 4. At eo ipſo quo ſponſalium tempore ſponſo jocalia mittit, ea donare præſumitur, dum contrarium non exprimit, quia præſumitur ea ſponſo mittere juxta jocalium naturam, quæ eſt illorum dominium in donatarium transferre ſub ſpe matrimonii contrahendi, & ob illius cauſam. Atque ita docent Joann. Lupus *Rub. de donat.* §. 4. *initio, & leg.* 52. *Tauri n.* 13. ubi Caſtillo *num.* 11. *&* 12. Anton. Gomez *num.* 3. Matien. *lib.* 5. *recopil. titul.* 2. *leg.* 4. Gloſſ. 4. *num.* 4. Avendano *de exequend. mandat. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 3. *in fine.* Gutierr. 3. *lib. pract. quæſt.* 44. *in fin.* Sanch. *lib.* 6. *diſp.* 19. *n.* 8. In his verò quæ data ſunt ab ſponſa ſponſo de præſenti ante matrimonii conſummationem, verius credo ſpectato jure noſtro regio ſponſum conſummatione matrimonii ea integrè luerari, ſicut lucratur ſponſa quæ ſibi eo tempore ab ſponſo donata ſunt, ut optimè probat Sanch. *dicta diſp.* 19. *num.* 10. Et indicarunt Ant. Gomez Matien. & Gutierr. *loc. allegat.* Propterea quod in hac parte ſponſus, & ſponſa æquales ſint, æqueque ſibi corpus tradant, & obligationem æqualem ſubeant. Neque obſtat legem 52. *Tauri* hodie legem 4. *tit.* 2. *lib.* 5. *compilat.* corrigentem commune jus meminiſſe tantùm ſponſæ de præſenti, deciditſeque lucrari per conſummationem matrimonii quæ ſibi fuerint ab ſponſo donata, ut inde inferas ſponſum lucrari non poſſe quæ ab ſponſa poſt contractum matrimonium ante illius conſummationem accepit, ut deciſum erat jure communi. Non inquam obſtat, quia prædicta lex concedens ſponſam ob matrimonii conſummationem lucrari donata ſibi ab ſponſo de præſenti, eo ipſo concedit ſponſum lucrari ob matrimonii conſummationem quæ ſibi ab ſponſa de præſenti data fuerint ; ſponſus enim & ſponſa correlativo in alio cenſetur diſpoſitum, quâ ido eſt eadem ratio, ut diximus *tract. de leg. diſp.* 5. *part.* 3. §. 4. *n.* 9. Præcipuè quia lex de donatis ab ſponſo ſponſæ meminit, quia id frequentiùs accidit, non quia vellet illius diſpoſitionem ad ſola donata ſponſæ reſtringere, cùm ejus finis ſit diſpoſitum jure communi in ſponſis de futuro ad ſponſos de præſenti extendere.

3. Oſculum autem ratione cujus ſponſa acceptorum medietatem lucratur ſponſalia ſubſequi neceſſariò debet, nec enim ſufficit anteceſſiſſe, quippè requiritur eſſe oſculum ſponſi, ut colligitur apertè ex *leg. ſi à ſponſo, C. de donat. ante nupt. & leg.* 52. *Tauri* ibi : gane ſi el eſpoſo la hubiere veſado. Quod oſculum eſſe non poteſt, niſi ſponſalibus contractis, ut benè aliis relatis docuerunt Aut. Gomez *dicta leg.* 52. *Tauri num.* 6. Caſtillo *num.* 6. Gutierr. 3. *pract. quæſt.* 44. *num.* 6. Matien. *lib.* 5. *tit.* 2. *leg.* 4. *gloſſ.* 3. *num.* 3. Cobarub. 4. *decret.* 1. *part. cap.* 4. §. 1. *num.* 14. Sanch. *lib.* 6. *diſp.* 19. *num.* 6. Quod autem oſculum præcedat vel ſubſequatur donationem, parum refert, ut rectè Ant. Gom. Matien. & Sanch. notarunt, cùm ſponſa ex illo jure ſive antecedente, ſive ſubſequente donationem æquè roborem patiatur, exponaturque periculo non ita facilè alium ſimilem ſponſum inveniendi.

4. Copula autem, ob quam ſponſi integra jocalia acquirunt contractum matrimonium ſubſequi debet, illudque perficere, & conſummare, quia quò uſque ſponſi per copulam una ſint caro effecti, non cenſetur eorum matrimonium eſſe omnino perfectum, ſiquidem ingreſſu religionis diſſolvi poteſt, ideoque lex *Tauri* ad prædicta jocalia integrè acquirenda expreſſit matrimonii conſummationem ; ibi : Pero ſi qualquiera dellos murieſe deſpues de conſumido el matrimonio. Quapropter non ſufficit, ut donatarius integrè jocalia acquirat matrimonium eſſe contractum, niſi perfectum, & conſummatum fuerit, neque copulam matrimonium præcedere, quia ea copula utpote antecedens matrimonium, matrimonium perficere non poteſt. Atque ita docet ex communi ſententia Sanchez *d. diſp.* 19. *à n.* 1.

5. Hinc fit diſſolutis ſponſalibus, vel matrimonio ante conſummationem ſponſum jocalia repetentem obligatum tantùm probare ea dona tempore ſponſaliorum tradidiſſe, ſponſæ verò, vel ejus hæredibus prædicta jocalia integrè, vel ex parte ſponſo negantibus incumbit onus probandi oſculum, vel copulam poſt contractum matrimonium interveniſſe ; quia iis niti debet eorum exceptio, aliàs ſponſus obtinebit utpote cui prædicta reddenda ſunt ſecluſo oſculo, vel copula, aliave ſpeciali inter partes conventione, ſicuti docuerunt Joan. Lup. *lege* 52. *Tauri numer.* 12. Caſtillo *num.* 9. Matien. *libro quinto, compilat. titulo ſecundo, lege* 4. *gloſſa* 4.

gloſſa 4. numero prima , libro ſexto , diſputatione decima octava, num. 9.

6. Ad extremum Doctores conveniunt non eſſe neceſſarium, ut ſponſa, vel ſponſus ſponſalitiam largitatem lucretur per inſinuationem , tametſi excedat valorem quingentorum, qui abſque inſinuatione donari nequunt juxta *leg. ſancimus , Cod. di donationib.* Quia ut colligitur ex *leg. 52. Tauri* , nihil aliud expoſtulatur, niſi quod oſculum , vel copula matrimonium perficiens præceſſerit , & ne ſponſalitia largitas octavam dotis partem excedat : ſic docuit Molin. *tract. 2. de juſtit. diſp. 298. §. quintum eſt.*

7. Dubiæ autem quæſtionis eſt , an ſicut ſponſa medietatem jocalium acquirit interveniente oſculo eam acquirat interveniente amplexu ? Aliqui neque improbabiliter affirmant , eo quòd amplexus oſculo æquiparatur , ut colligitur ex Sanct. Thom. 2. 2. *quæſtione centeſima quinquageſima quarta , argument. 4.* & ex Gloſſ. *in Clemen. fin. de hæreticis* , & ex doctrina Bart. *in leg. 2. de adulter.* inferentis eandem adulterii præſumptionem ex amplexu uxoris , ac ex oſculo , ergo diſpoſitum in oſculo cenſeri debet in amplexu diſpoſitum juxta ea quæ tradunt Doctores *in leg. 1. ff. de officio ejus cui mandata eſt juriſdictio* , præcipuè cùm etiam ex amplexu ruborem ſponſa ſuſtineat , & periculo exponatur non inveniendi æqualem ſponſum , quæ eſt ratio, ob quam oſculo jocalium medietatem lucretur.

8. Cæterùm verius cenſeo oppoſitum cum Joann. Lupo , *leg. 52. Tauri num. 18.* Caſtillo *num. 23.* Azebedo *lib. 5. recopil. tit. 2. leg. 4. num. 31.* Sanch. *lib. 6. diſp. 18. num. 8.* Moveor , quia lex *ſi à ſponſo Cod. de donat. ante nupt.* & lex *52. Tauri* ſolius oſculi meminerunt : ſi autem vellent diſpoſitionem ad amplexus extendere , facilè illius meminiſſe poterant. Quinimo non leviter colligitur legem *Tauri* amplexus excludere voluiſſe , & ſoli oſculo lucrum concedere , ſiquidem per verbum negativum inquit : negade nada , ſi el eſpoſo nola hubiere veſado. Præmaximè cum ſit diverſa ratio in amplexu , ac in oſculo , nam oſculum carnem mulieris immediatè tangit , amplexus veſtes, item oſculum continet amplexum , cùm rarò quis mulierem deoſculetur, quin ſimul eam amplectatur , amplexus verò oſculum non continet. Item ex oſculo majorem ruborem ſponſa patitur , quàm ex amplexu. Ergo diſpoſitum in oſculo ad amplexus extendi non debet juxta ea quæ tradit Bald. *in leg. conventicula Cod. de Epiſc. & Cleric.* Et ex his ſolvitur oppoſitum fundamentum , nam eſto amplexus oſculo aſſimiletur , non tamen integre , & perfectè , ideoque non eſt æquè indecens ac oſculum , neque ita perfectam præſumptionem copulæ inducit.

9. Sed quid ſi non oſculum , ſed tactus impedicus & copula interveniat ? Alicui videbitur nec improbabiliter non præbere ſponſæ cauſam lucrandi jocalium medietatem. Tum quia ſoli oſculo leges concedunt. Tum quia prædicta ſunt omnino illicita ; & ob actum illicitum , & pœna dignum non eſt ſponſa præmio afficienda. Cæterùm verius credo ob prædictos tactus, & à fortiori ob copulam ſubſequentem ſponſalia , & antecedentem matrimonium lucrari ſponſam jocalium medietatem , ſicuti per oſculum. Moveor , quia ratio ob quam lex medietatem jocalium ſponſæ concedit, quæ eſt ob ruborem , quem in oſculo patitur , & ob periculum cui ſe exponit non inveniendi alium ſponſum æqualem , ſi præſens deficiat , efficaciùs procedit in tactibus impudicis , & in copula. Ergo credendum eſt diſpoſitum in oſculo eſſe in tactibus , & in copula diſpoſitum. Neque obeſt quod prædicti tactus, & copula ſint illiciti , & pœna digni coram Deo , ſecùs verò oſculum , quia lex in conceſſione jocalium non attendit an oſculum licitum , vel illicitum eſſet , ſed an ex illo gravaretur ſponſa , quæ cùm ex tactibus , & copula amplius gravetur , aſſerendum eſt conceſſum oſculo , tactibus , & copulæ concedi.

10. Secundò dubitatur , an quando ſponſalia ſunt nulla ob impedimentum aliquod affinitatis , vel conſanguinitatis lucretur ſponſa medietatem jocalium per oſculum , & integrè per copulam apparenter conjugalem ? Qua in re certum eſſe debet , ſi ſponſus ſciens impedimentum ſponſæ ignoranti dedit , ſponſa retinere poterit non in vi ſponſalitiæ largitatis , cùm verè ſponſa non ſit , ſed ob deceptionem ſponſi , & injuriam ab illo acceptam,& ob voluntatem quam abundè ſignificavit donandi. Sic Ant. Gomez *leg. 52. Tauri, num. 7.* Joann. Lup. *num. 5.* Matien. *leg. 5. compilat. tit. 2. leg 4.* Gloſſ. *2. num. 2.* Sanch. *lib 6. diſp. 20. n. 10.* Econtra verò ſi ſponſus ignarus impedimenti ſponſæ conſciæ illius dedit , nulla eſt donatio utpote ex falſa cauſa, ipſaque ſponſa acceptum reddere tenetur ; ſiquidem ob ejus culpam ſponſalia effectu carent : ſicuti notarunt Joann. Lup. Ant. Gom. Matienz.& Sanch. *locis alleg.*

11. Quapropter controverſia inter Doctores eſt, quando uterque eſt ignarus , vel conſcius impedimenti ? Et quidem quando uterque eſt ignarus ignorantia non craſſa , & ſupina (hæc enim ſcientiæ æquivalet) ſed probabili , & juſta affirmant Joann. Lup. *de donation. §. 36. n. 7. & leg. 52. Tauri , n. 4.* Matien. *dicta leg 4. gloſſ. 2. n. 2.* Azebedo *ibi , n. 10.* Sanch. *diſp. 20. n. 3.* Ducuntur primò ex *leg. 3. tit. 11. part. 4.* Ibi : pero ſiempre ſe entiende que el debe tornar aquello que recibe, ſi por culpa finca que el matrimonio no ſe ſiga. Quibus verbis indicatur ſolùm in caſu quo donatarius culpabilis exiſtit , ne matrimonium ſequatur , obligatum eſſe acceptum reddere. At quando ignarus fuit impedimenti non ſtat per ipſum quominus matrimonium ſequatur. Ergo , &c. Secundò hoc lucrum conceditur ſponſæ in præmium amiſſi pudoris : at pudorem inculpabiliter amittit , debet ergo ei lucrum concedi.

12. Cæterùm etſi prædicta ſententia probabilis ſit, probabiliorem cenſeo ſponſam nihil lucrari per oſculum , aut copulam , ſponſalitiamque largitatem nullam eſſe , uti docuerunt Salicet. *leg. ſi à ſponſo , num. 2. Cod. de donationib. ante nup.* & ibi Gloſſ. & Fulg. Anton. Gom. *leg. 25. Tauri , num. 7.* Zifuentes *ad finem.* Moveor primò, datum ob cauſam , cauſa non ſubſiſtente nullum eſt , ſed donanti reddendum , Argum. textus *in leg. cum hic ſtatus , §. fin. ff. de Donation. inter vir. & uxor. leg. ſi ex voluntate , Cod. eod. tit. leg. ea quæ , Cod. de donat. ob cauſam.* At ſponſalitiam largitatem ſibi concedunt ſub ſpe matrimonii veri , non ficti , & ob illius cauſam , ergo cùm matrimonium verum nec ſubſiſtit , nec ſubſiſtere poſſit , donatum illius cauſam non tenet , ſed reddendum eſt. Secundò , donatio jocalium habet tacitam conditionem ſi matrimonium ſequatur, ut deciditur *l. cùm veterum , C. de don. ante nupt.* & diximus *ſuprà.* Sed in præſenti matrimonium eſſe non poteſt ob juris impedimentum , ergo donationi deficit conditio ſub qua facta eſt , ac proinde ſubſiſtere non poteſt. Tertiò verba legis improprianda non ſunt , ſed in proprio ſenſu ſumenda , maximè in contractibus, ut probat lex *ſi uno , ff. locati leg. ſi ſtipulatus ff. uſuris.* At leges omnes loquentes de ſponſalitia largitate expreſsè requirunt ſponſalia adeſſe , eſſeque ſponſos , uti conſtat ex *leg. ſi à ſponſo , & dicta leg. 52. Tauri & aliis.* Ergo ſponſalia , & ſponſi non putativi , ſed veri cenſendi , ac proinde cum in præſenti ſolùm quoad exiſtimationem , & non quoad veritatem eſſe poſſint, ſponſalitia largitas locum non habet. Quartò , ut apertiùs veritas eluceat , ponamus jocalia ab ſponſa ſponſo conceſſa eſſe , quis ergo ſibi perſuadeat matrimonio invalidè celebrato , & ſponſam viro cognitam voluntatem habuiſſe , ne ſibi poſt amiſſum pudorem, & matrimonium diſſolutum jocalia redderentur? Quintò arrhæ conceſſæ ſtante prædicta ignorantia reddendæ ſunt donanti ſponſalibus , ſeu matrimonio diſſoluto, ut docuerunt

docuerunt Barboſa *leg.2. in princ. part.1. n.158. ff. ſoluto matr.* Sanch. *diſp.20. n.3.* At eadem eſt ratio de ſponſalitia largitate, nam ſicut arrharum donatio inhibit conditionem matrimonii non putativi, ſed veri, ſic donatio ſponſalitiæ largitatis, & ſicut arrhæ dantur in præmium pudicitiæ amittendæ, ſic ſponſalitia largitas. Ergo ſi arrhas fatetur Sanchez non lucrari ſponſam ex copula conjugali putativa, idem fieri debet de ſponſalitia largitate.

13. Ad primum oppoſitæ ſententiæ deſumptum, *ex leg.3. tit.11. part.4.* Reſpondeo illam deciſionem veriſimam eſſe poſito quod fuerint ſponſi, veraque ſponſalia, ſecùs cùm ſponſalia deficiunt, & non ſunt ſponſi. Ad ſecundum dico, probare æquiſſimum fore, ut nova conſtitueretur lex quæ ſponſæ putativæ, ſed non ſponſo ſponſalitiam largitatem concederet. At cum leges loquentes de ſponſalitia largitate æquè ſponſo, & ſponſæ communes ſint, nequaquam ſponſalitia largitas conceditur, niſi ob oſculum veræ ſponſæ, & ob copulam verum matrimonium perficientem, ut conſtat ex illis verbis legis 52. Tauri *Conſumido el matrimonio*, quæ non fictionem, ſed veritatem denotant.

14. Verùm ſi uterque impedimenti conſcius fuerit, graves Doctores ſcilicet Joann. Lup. *Rub. de donat. §.35. n.7.* Ant. Gomez *leg.51. Tauri, num.7.* Caſtillo *num.7.* Matienz. *lib.5. recopil. titul.2. leg.4. Gloſſ.2. num.2.* Azebedo *ibi, n.10.* exiſtimant donatarium etiam ſponſam nihil lucrari, neque donanti reddendum eſſe, ſed fiſcum vendicare. Ducuntur *ex leg. cum hic ſtatus, 33.§. fin. ff. de Donat. inter vir. & uxorem.* Ibi: *& putem etiam ſponſalia improbanda, & quaſi ab indignis ea quæ donata ſunt ablata fiſco vendicari.* Item *ex leg. qui contra, Cod. de inceſt. nupt.* & ibi Gloſſ. *& ex* Gloſſ. *in leg. cùm qui duas ff. de adulteriis.*

Alii cenſent nequaquam ſponſam retinere ſic donatum poſſe. Tum quia datum eſt ob matrimonium contrahendum, quod ſcit eſſe impoſſibile. Tum quia per ipſum ſtat, quominus matrimonium perficiatur, non tamen eſſe obligatam tradere fiſco, quouſque ſententia judicis accedat, ſed debere ſponſo donanti reddere.

15. Nihilominus etſi prædictæ ſententiæ ſint ſatis probabiles, ut rectè inquit Sanch. *lib.6. diſp.20. n.7.* probabilius eſt donatarium retinere donatum poſſe non in vi ſponſalitiæ largitatis, quæ impoſſibilis eſt, ſed in vi donationis gratuitæ, & liberalis ad ſimilitudinem ſponſalitiæ largitatis, quia ſciens matrimonium eſſe impoſſibile, ſi ob illius cauſam donet, cenſendus eſt purè donare, & ſolùm in apparentia donare ex cauſa, ac proinde nequit repetere, uti probat lex *cujus per errorem, ff. de Regul. juris.* Et *leg.1. ff. de cond. in debiti, & leg.30. tit.14. part.5.* Unde ex doctrina Bart. communiter recepti *Auth. ingreſſi, Codice de ſacroſanct. Eccleſ.* aſſenrentis, *ſi te tuaque monaſterio offeras ſciens ingredi non poſſe monaſterium te excluſo tua retinere, nec locum eſſe recuperationi.* Notanter dixi *ad ſimilitudinem ſponſalitiæ largitatis*: non enim credo putativam ſponſam, quæ antequam pudorem per oſculum, aut copulam amittat ab iniquis ſponſalibus recedit, vel aliundè diſſolvuntur retinere prædictum donatum poſſe, ſed ſicut ſponſalitia largitas diſſolutis ſponſalibus ante oſculum abſque copula donantis nihil jocalium concedit ſponſæ, & interveniente oſculo conceditur medietas, copula verò accedente conceduntur omnia, ſic in hoc donato dicendum eſt.

Neque obſtat dicta lex *cum hic ſtatus, & leg. qui contra*, quia cùm pœnales ſint judicis ſententiam requirunt, ac proinde dum ea ſententia non accedit, donatarium retinere donatum poſſe, quia non eſt datum ob cauſam, & ſpem matrimonii veram, ſed apparentem, & licèt per donatarium ſtet, quominus matrimonium perficiatur, quia æquè ſtat per donantem, ideò donanti non eſt donatum reddendum.

16. Tertiò dubitatur, quando ſponſalia diſſolvuntur ob ingreſſum religionis, ob caſtitatis votum, ob fornicationem alterius, ob abſentiam diuturnam, &c. Qualiter ſponſus, & ſponſa jocalia acquirant?

Dicendum eſt primò ſi ſponſalia diſſolvantur abſque culpa utriuſque ſponſi, ut quia ſponſus, vel ſponſa religionem ingreditur, vel votum caſtitatis emittit, ſponſus nihil acquirit ex his quæ ab ſponſa accepit, ſed integrè reddere tenetur, tametſi ſponſam oſculatus fuerit, quia prædicta conceduntur ſub ſpe matrimonii perficiendi, & ob illius cauſam, qua ceſſante ceſſat conceſſio, ut apertè colligitur *ex leg. ſi à ſponſo, Cod. de donation. ante nupt. & leg.3. tit.11. part.4.* & cùm ratione oſculi ſponſo nihil concedatur, nihil retinere poterit. Idem dicendum eſt de ſponſa ſi oſculum non conceſſit, ut conſtat ex prædictis legibus, & ex *leg. cum veterum, Cod. de donationib. ante nupt.* & ex *leg.52. Tauri*, & ex ſupradicta ratione. At ſi oſculum conceſſit, ſive ipſa, ſive ſponſus religionem ingrediatur, medietatem jocalium acquirit, ſicut ſi morte ſponſalia diſſolverentur. Nam eſto lex *ſi à ſponſo*, & lex *3. tit.11. part.4.* & lex *52. Tauri* ſolius diſſolutionis ſponſalium per mortem meminerint, id factum eſt, quia frequentiùs hac via diſſolvuntur, quia diſpoſitio ad eam tantùm diſſolutionem aſtringenda ſit, maximè cùm conceſſio medietatis jocalium oſculo ut cauſæ inhnitatur, quo intercedente quoties ſponſa non eſt in culpa, quin matrimonium perficiatur, eam medietatem pleno jure conſequitur, ut optimè tradunt Joann. Lupus *leg.52. Tauri num.3.* & ibi Zifuentes & Caſtillo *num.3.* Ant. Gomez *num.8.* Greg. Lopez, *leg.3. verbo, la mitad. tit.11. part.4.* Cobarub. *decret. 2.part. cap.7. §.4. num.12.* Matien. *leg.4. Gloſſ.2. num.1. titul.2. lib.5. compilat.* & ibi Azebedo *num.9. & 17.* Molin. *tract.2. diſp.290. §.habent verò locum.* Sanch. *lib.6. diſp.21. num.3. & 4.* & colligitur ex *c. decreta legalia, 27. quæſt.2. & leg. Deo nobis, C. de Epiſc. & Cleric.*

17. Limitant autem prædictam doctrinam Cynus Jacob. de Aret. Salicet. in leg. *cum veterum Cod. de donat. ante nupt.* Angel. *§. eſt & aliud, el.2. num.2. inſtit. de donationib.* Joann. Lup. *Rub. de donation. §.3. n.5.* Caſtillo *leg.52. Tauri num.4.* Gomez Arias *leg.50. Tauri num.4.* Quos refert, & ſequitur Sanch. *lib.6. diſput.21. num.6.* Ne procedat, quando ſponſalia mutuo utriuſque conſenſu diſſolvuntur, quia eo ipſo videntur tacitum pactum inire, ut quilibet eorum alteri accepta reſtituat Argum. *leg. ſi diverſa, Cod. de tranſactionib.* Ibi: *ſi diverſa pars contra placitum agere nititur, æquitatis ratio ſuadet refuſa pecunia* (cùm & tu hoc deſideres) *cauſam ex integro agi*, ubi Gloſſ. verbo *refuſa*, & verbo *pecunia* ait, id eſt reſtituta pecunia tranſactionis nomine data, ſed non caret ſcrupulo hæc limitatio. Nam eſto veriſſima ſit, quando diſſolvuntur ſponſalia abſque eo quod ſponſam fuerit ſponſus oſculatus, at interviente oſculo non videtur ſponſa amittere jocalium medietatem, quæ per oſculum acquiſivit. Solùm enim præſumenda eſt remittere, quæ ratione prioris contractus acquiſivit, quia in ea parte eſt æqualis cum ſponſo, & id probat prædicta lex *ſi diverſa.* Secùs verò de iis quæ alia via neque ſponſo communi acquiſita ſunt, nempe ratione amiſſi pudoris, ideoque plures ex relatis Doctoribus generaliter decidunt diſſolutis ſponſalibus ex mutuo conſenſu reddenda eſſe ex utraque parte accepta, ſed non exprimunt quando oſculum intervenit, quia tunc eſt diverſa ratio, ne teneatur ſponſa medietatem acceptorum ob oſculum acquiſitam reddere.

18. Dico ſecundò, ſi ſponſus, vel ſponſa ab ſponſalibus recedunt ob alterius culpam nempe ob fornicationem, vel ob abſentiam indebitam vel ob matrimonii repulſam innocens accepta acquirit, & à ſe donata recuperat, ut conſtat ex *leg. cum uterum, Cod. de donationib.*

tionib. ante nupt. & leg. 3. tit. 11. part. 4. & tradit Castillo leg. 52. Tauri, n. 1. Sanch. disp. 21. n. 8. Solùm est dubium, si antea quàm innocens ratam habeat prædictam dissolutionem, nocens causam dissolutionis emendet rediens ex itinere, vel denuò consentiens possit postmodum resiliens accepta acquirere, & à se donata recuperare? Negant Cynus, Jacob. de Aretio, & Gom. Arias, ducti ex leg. illud 17. ff. de peric. & commodo rei vend. & leg. si mora 10. ff. soluto matrim. Ubi cavetur moram purgari posse, quod maximè verum est, quando non est jus contrariæ parti quæsitum, uti videtur contingere in præsenti casu, cum innocens causam dissolutionis sponsalium ab alio præstitam non acceptaverit. Sed rectius oppositum docuerunt Ang. Joan. Lup. Castillo, Salicet, & Sanch. n. præcedenti relati, eo quòd uno ex contrahentibus inique resiliente, alter libertatem ipso jure obtinet, & jus acquirit tum retinendi accepta; tum recuperandi donata, ex dicta leg. cum veterum, Cod. de donat. ante nupt. & leg. 3. tit. 11. part. 4. Neque ad hujus juris acquisitionem indiget innocens acceptationem expressam repulsæ ab alio factæ, sed solùm quod prædictam repulsam expresse non remittat, quippe prædictum jus lege sic disponente conceditur innocenti. Quapropter lex illud & lex si mora, concedentes moræ purgationem locum habent, quando executio non est à lege, uti docuerunt Bart. Alex. & Aug. in leg. si insulam, ff. de Verb. obl.

Punctum XIV.

An fidejussores, & pignora ob securitatem sponsalium apponi possint?

1 *Apponi possunt fidejussores.*
2 *De pignoribus triplicem referunt sententiam* Sanchez & Gutierr.
3 *Quid sit dicendum.*

1. CErtum est fidejussores pro securitate matrimonii contrahendi apponi posse, quia nullibi contrarium cautum est, ut aliis relatis docent Sanch. lib. 1. de matr. disp. 38. num. 1. Gutierr. de matr. cap. 22. Hi autem fidejussores solùm obligari possunt ad solvendum interesse, & damnum, quod ex violatione sponsalium parti innocenti provenit, non tamen ad solvendam aliquam pœnam, quia non possunt obligari in amplius, quàm contrahentes juxta §. 1. instit. de fidejussorib. & tradunt Doctores relati.

2. Quoad pignora verò triplicem Sanch. & Gutier. suprà referunt sententiam. Prima negat concedi posse, nisi pro interesse præstando, & eo soluto restituenda esse eo quòd lex fin. Cod. de sponsalib. omnem pœnam demptis arrhis excludat. Secunda admittit pignora, id est arrhas, juxta l. 1. C. si rector provinciæ, verbo pignora, vel pro arrharum promissarum securitate, & loco illarum. Tertia, quam ipse Sanch. & Gutierr. veriorem reputant, inquit, si præcedat stipulatio pœnæ, & tradantur pignora nullam esse horum traditionem, quia reputantur tradita pro pœnæ solvendæ securitate, cujus obligatio ad pœnam cùm nulla sit, juxta cap. gemma de Sponsalib. Nulla esse debent quæ pro illius securitate traduntur. Econtrà valent pignora, si arrharum stipulatio præcedat, nam cùm hæc stipulatio permittatur, permittuntur quæ pro illius securitate convenienter apponuntur, & in casu dubio in hunc finem censenda sunt apponi, quia præsumptio quoad fieri possit sumi debet quæ delictum excludat: & actui valorem concedat.

3. Ego verò dicendum existimo pignora in sponsalibus excludi tantum pro securitate pœnæ solvendæ, admitti tamen non solum pro securitate arrharum, sed etiam pro interesse, quod innocens amitteret, & pro damno quod pateretur ex fide sibi violata. Prior pars conclusionis constat ex probatione tertiæ sententiæ; nam corruente principali, scilicet obligatione ad pœnam corruere debet accessorium, nempe pignus in illius securitatem ex reg. accessorium, 42. de Reg. Juris in 6. reg. cum principalis, 138. ff. de Reg. juris. Secunda pars ex opposita ratione constat, nam cum in contractu sponsalium obligari contrahentes possint non solum ad solvendas arrhas promissas, sed etiam ad solvendum interesse, & damnum si quod accidat ex sponsalitium violatione, fidejussoresque in hunc finem apponi possint, meritò pignora admittenda sunt.

Punctum XV.

De pacto sponsalibus adjecto permanendi in aliquo loco.

§. I.

Quam obligationem habeat uxor sequendi maritum, vel maritus uxorem?

1 *Uxor obligata est sequi maritum.*
2 *Eximitur ab hac obligatione, si probabiliter, teneat ibidem esse male tractandam.*
3 *Tametsi vir domicilium non mutet, sed aliò se transferat, animo ibi aliquantulum permanendi, tenetur uxor eum sequi.*
4 *Quod verum est etiamsi maritus ob pœnam delicti in exilium mittatur.*
5 *Secus est si maritus hinc inde vagari cupit.*
6 *Limitatur, ne procedat si tempore matrimonii solitus erat vagari.*
7 *Quando maritus teneatur uxorem sequi.*

1. PActum, quo vir astringitur habitare in aliquo loco difficultatem habet, an licitum sit ob obligationem naturalem, quam habet uxor sequendi ipsum quocunque iverit? Ideò hæc obligatio prius explicanda est, ut inde constet, qualiter ex pacto remitti possit.

Uxorem obligatam esse sub culpa lætali sequi maritum aliò domicilium transferendum docuit S. August. ab omnibus receptus, cap. unaquæque 13. q. 2. Cum enim conjuges ex matrimonii contractu teneantur ad mutuum obsequium, illudque præstare nequeant nisi simul habitent, efficitur obligatos esse simul habitare; eligere autem habitationem non mulieri, sed viro competit, utpote qui illius est caput, & penes quem est gubernatio domestica. Quod adeò verum est, ut etiamsi absque ulla speciali causa solum pro libito vellet domicilium mutare, teneatur uxor illum sequi, quia in hac mutatione vir liber est, & uxor est illi subjecta, uti tradit Gloss. cap. 1. de conjugio leprosor. verbo, sequatur, & ibi Hostiens. Ancharran. num. 6. Abbas in cap. de illis num. 4. de sponsalib. & aliis relatis Sanch. lib. 1. disp. 41. num. 5. Gutierr. de matrim. cap. 23. num. 5.

2. Ab hac tamen obligatione eximitur uxor, si probabiliter timeat ibidem esse malè tractandam, vel ad peccatum pertrahendam, vel aliud grave damnum passuram, quia prius debet se, suaque jura integra, & indemnia servare, quàm mariti, ut bene aliis relatis docuerunt Sanch. disp. 41. n. 3. & 4. Gutierr. c. 23. n. 4. & 5.

3. Quod si vir non domicilium mutet, sed aliò se transferat animo ibi aliquo tempore commorandi, & postmodum ad domicilium revertendi, si id fiat ex causa honesta (ut præsumi debet) obligata est uxor illum sequi, uti tradunt in dicto c. de illis de sponsal. Henriq. Alex. de Nevo, Abbas, & alii plures, quos sequitur Sanch. dicta disp. 41. n. 10. Gutierr. dicto cap. 23. n. 3. Quippe semper uxor in obsequio mariti, cui per matrimonium se subdidit, esse debet.

4. Solum est difficultas, an si maritus ob pœnam delicti commissi mittatur in exilium, debeat uxor illum comitari?

comitari? Et licèt plures, graveſque Doctores relati a Sanch. *lib.*1. *diſp* 41. *n.*11. & a Gutierr. *dicto c.*23. *n.*11. negent hanc obligationem, ne uxor innocens patiatur incommodum culpæ viri, & ob ejus delictum puniatur, at verius eſt, & probabilius obligatam eſſe, uti pluribus relatis ſuſtinent Sanchez & Gutierr. *ſupra*; eo quòd uxor teneatur viri infortunium ſequi, *leg. ſi cum dotem. §. fin. autem, ff. ſolut. matr.* Neque inde fit puniri uxorem ob delictum viri, ſed virum punitum obligatam eſſe ſequi ob debitam ſubjectionem, quam in illum habet, & ob debitum obſequium, quod ei præſtare tenetur.

Hinc inferunt pluribus relatis Sanch. *lib.*1. *diſp.*41. *n.*13. & Gutierr. *dicto c.*23. *n.*12. Uxorem obligatam eſſe maritum bannitum inopem alere ex bonis ſuis dotalibus, vel paraphernalibus, quia hæc bona ad ſuſtinenda matrimonii onera conferuntur, cujus obligatio ob bannum non ceſſat.

5. Verum ſi maritus neque domicilium, neque habitationem diuturnam alicubi ſtatuit, ſed hinc inde vagari cupit; nequaquam tenetur uxor illum comitari; quia duriſſimum eſt hanc obligationem fœminis imponere, & longè ab earum conditione alienam, uti aliis relatis docuerunt Cobarub. 4. *decret.* 2.*p. c.*7. *in pr. n.*5. Sanch. *d. diſp.*41. *n.*6. Gutierr. *dicto c.*23. *n.*6. Adduntque ob eandem rationem non obligari uxorem comitari virum longam peregrinationem inſtruentem, ſecus biennem.

6. Hoc autem limitant prædicti Doctores, ne procedant quando tempore contracti matrimonii ſolitus erat vir vagari, & uxor hujus conſuetudinis conſcia fuit; quia eo caſu obligata eſt eum comitari, eo quòd contrahens matrimonium, neque excipiens vagationem notam cum poſſet, tacitè ſe illi ſubjecit, debet tamen vagatio ex honeſta cauſa ſumi, non temerè, & abſque ullo delectu, aliàs eum ſequi deobligaretur, ut benè relati Doctores docent.

7. Maritus verò uxorem ſequi tenetur, illamque comitari, quando uxor neceſſitate legis, ſalutis, alteriuſve cauſæ gravis compellitur alicubi habere domicilium, quia cum ſibi invicem obſequi debeant, inſimulque habitare, tenetur maritus in locum uxoris ſe conferre; ſiquidem ipſa nequit ab eo recedere. Atque ita tradit Gloſſa *in c.*1. *verbo, ſequitur de conjugio lepr.* & ibi Hoſtienſ. Innoc. Ant. Ancharr. & alii quos ſequitur Sanch. *dict. diſp.*41. *num.*14. Gutierr. *de matr. cap.*23. *num.*13.

§. II.

An valeat pactum ſponſalibus adjectum, quòd vir teneatur in certo loco commorari?

1 *Si pactum ſit non de habitatione in perpetuum, ſed pro determinato tempore licitum eſt.*
2 *De habitatione perpetua plures invalidum eſſe cenſent.*
3 *Verius eſt oppoſitum.*
4 *Infertur ex ſupradictis obligari poſſe maritum ad non mutandum domicilium ſub aliqua pœna, eamque ſolvere debere interveniente ſententia judicis.*
5 *Si maritus diſcedat injuſtè à loco promiſſo, poteſt ab uxore vindicari.*
6 *Deobligata eſt uxor illum comitari.*
7 *Affirmant plures ſatisfacere maritum ſuæ obligationi ſolvendo uxori intereſſe.*
8 *Diſplicet eorum ſententia.*
9 *Procedit prædicta doctrina dummodò nova cauſa non emergat mutandi domicilium.*
10 *Solvuntur fundamenta n.*2. *adducta.*
11 *Valet conditio majoratibus appoſita, ut illius ſucceſſor teneatur certo loco habi are.*
12 *Valet pactum, ne vir in aliquam civitatem ingrediatur.*

1. SI pactum fiat non de habitatione in perpetuum, ſed pro determinato tempore; ferè omnes Doctores conveniunt licitè apponi tam contractui ſponſalium, quàm matrimonii, obligatque virum ſub gravi culpa ad illius obſervationem, *Arg. c. ex reſcripto de jurejurando*, ubi Bald. *n.*1. Innocent. & Hoſtienſ. *n.*2. Docent poſſe debitorem ſe creditori obligare ad permanendum in aliquo loco, neque ab illo abſque licentia creditoris recedendum, & *leg.*3. *tit.*13. *part.*5. deciditur poſſe quemlibet ſe in obſidem dare. Ergo obligatio permanendi in aliquo loco pro determinato tempore ob honeſtam cauſam ex propria voluntate aſſumptam libertati naturali contraria non eſt. Poteſt ergo in contractu ſponſalium, & matrimonii apponi, cum nullibi reprobetur.

2. At ſi pactum ſit de habitatione perpetua; plures, graveſque Doctores ſentiunt invalidum eſſe, & pœnam impoſitam illud non ſervanti non deberi. Sic Divus, Bart. Bald. & Alberic. *in leg. Titio centum §. eodem, §. de condit. & demonſtrat.* Covarr. 4. *decret.* 2.*p. cap* 7. *initio num.*5. Anton. Gomez 2.*var. cap.*10. *n.*24. Salzed. *addit. ad reg.*800. Bernard. Diaz. Azeved. *lib.*5. *recop. tit.*6. *leg.*11. *n.*21. Ludovic. Lopez 2.*p. inſtruct. cap.*54. *in fin.* Cujac. *lib.*14. *obſerv. cap.*27. Capicius *dec.*135. & alii.

Moventur primò, & præcipuè, ex dicta *leg. Titio centum*, ubi inquit Jureconſultus: Titio centum relicta ſunt, ita ut de monumento meo non recedat, vel in illa civitate domicilium habeat, poteſt dici non eſſe locum conditioni, per quam jus libertatis infringitur. Sed in defuncti libertis alio jure utimur. Ergo ſimiliter in ſponſalibus non erit huic conditioni locus. Et confirmo ex ratione Textus, qui cenſet jus libertatis infringi ex obligatione appoſita commorandi in aliquo loco: cum enim proprium ſit hominis liberi habere poteſtatem eundi, quò voluerit *leg. penult. Cod. de operis libertor.* & hæc poteſtas prædicto pacto reſtringatur, efficitur libertatem infringi, vel potius adimi, contra *legem, Nec ſi volens leg. interrogatam. Cod. de liberali cauſa.* Secundò moventur ex *leg.*3. *§. ne tamen ff. de uſufructu, & leg. antiquus Cod. eodem*, ubi reprobatur operarum locatio perpetua, ne ſit inutilis libertas. Tertiò pactum, quo ſe quis vinculis, & carceri obligaret, non tenet. Sed prædictum pactum de commorando in aliqua civitate eſt quidam carcer. Ergo, &c.

3. Sed prædictum pactum tam in matrimonio, quàm in quolibet alio, contractu validum eſſe firmant ut verius, & probabilius Additionator ad Bartol. *in dicta leg. Titio.* Hoſtienſ. *in ſum. de conjugio fervor. n.*5. Joann. Andr. Præpoſit. Ancharran. Butrius *in cap.*1. *qui matrim. accuſ. poſſ.* Zabarella *cap.*2. *eodem. tit.* Sylveſt. *verbo, uxor. quæſt.*8. Gregor. Lopez *leg.*2. *tit.*5. *part.*4. Rebuff. *de privileg. Scholaſt.*77. *in fine* Navarr. *cap.*14. *num.*20. Baſil. Ponce *lib.*12. *de ſponſalib. cap. ultim. num.*3. & 8. Et alii plures, quos refert, & ſequitur Sanch. *lib.*1. *diſp.*40. *num.*2. & *ſeqq.* Gutierr. *c.*23. *de matr. num.*15. & deciditur *in lege regia* 89. *tit.*18. *part.*3. Ibi (otro ſi primero por ſi epor ſus hijos de morar en tal heredamiento para ſiempre jamas.

Fundamentum eſt, Primò, quia prædictum pactum nec juri naturali eſt adverſum, nec poſitivo reprobatum, ergo ſervandum eſt juxta Textum *in leg.*1. *ff. de Pactis.* Quod verò juri naturali adverſum non ſit, eſt manifeſtum; ſiquidem ex hoc pacto non adimitur libertas, etſi aliqualiter reſtringatur: quæ reſtrictio propria voluntate admiſſa licita eſt: jure autem poſitivo reprobatum non eſt, ut conſtabit ex oppoſitorum ſolutione, quinimo approbatur in *leg. cum ſcimus Cod. de agricolis, & cenſitis*, ubi deciditur poſſe quamvis ſe efficere colonum aſcriptitium obligatum fundi culturæ perpetuò inſiſtere, neque inde abſque licentia domini recedere *juxta legem Originarios, leg. ſervos, C. de Agricolis & cenſitis, leg.*89. *tit.*18. *part.*3. Itemque colligitur

ex

*ex leg. cum decurionatus. Cod. de Decurionib. lib.*10. Ubi quis ſponte ſe curialem conſtituere poteſt, cùm tamen ſic conſtitutus recedere à curia non poſſit *leg. ſi quis decurio leg. curialis, leg. cuidam, Codice de Decurionib. & leg. unica, Codice ſi curialis relicta civit. leg.*1. *ff. de Decurionib.*

Secundò ſpecialiter probatur. In contractu ſponſalium, & matrimonii validum eſſe, & ſervandum prædictum pactum, quia unuſquiſque poteſt rem propriam tradere ſub ea conditione, quæ ſibi placeret, *cap. verum de conditionib. appoſit. leg. in traditionibus ff. de Pactis*, modò tamen conditio illa nec jure naturali, nec poſitivo reprobata ſit. At prædicta conditio ſcilicet, ne vir è tali civitate domicilium mutet, neque eſt jure naturali, neque poſitivo reprobata: ergo poterit uxor cum ſe illi tradit hanc ab eo exigere conditionem. Minorem probo, quia eſto uxor viro ſubdita ſit, illumque teneatur ſequi ſibi domicilium conſtituere voluerit, attamen ipſe vir obligari uxori poterit, quòd extra talem locum domicilium non conſtituet, nulla enim in hac obligatione eſt turpitudo. Nam eſto ejus libertatem diminuat ea diminutio ob traditam ſibi uxorem, & bonum quod inde accipit honeſtatur, ſicuti honeſtatur obligatio, quam Moniales præſtant in certo Monaſterio commorandi. Matrimonio autem hæc conditio adverſa non eſt, quinimo favorabilis: ſiquidem unius domicilii electio, & retentio individuam, & inſeparabilem conjugii vitam fovet, & uxor gratior viro exiſtit, & ad illius obſequium promptior.

4. Hinc fit, ſi ſub aliqua pœna obligetur maritus ad non mutandum domicilium teneri, interveniente ſententia, illam ſolvere, quia ſola pœna appoſita pro ſecuritate ſponſalium reprobatur in *capite gemma de Sponſalibus* non verò quæ in matrimonii favorem, & mutuam conjugum habitationem conſtituitur, ſicuti eſt præſens, ut bene notarunt Abbas *in capite primo, qui matr. accuſ. poſſ. numero quinto.* Anton. *numero nono.* Alexand. de Nevo *numero ſexto.* Baſil. Ponce *capite* 20. *num.*8. Sanchez *lib.*1. *diſp.*40. *num.*5. Gutierr. *cap.*23. *num.*16.

5. Secundò fit, maritum diſcendentem injuſtè à loco promiſſo poſſe ab uxore vindicari, ut in loco promiſſo demoretur, quia uxor injuriam infert, illam deſerens, ut optimè probat Antonius Capucius *deciſ. Neapolit.*135. & tradit Lara *de anniver. & capellan. lib.*2. *cap.*8. *num.*70. Gutierr. *dicto cap.*23. *de matr. num.*16. Avendan. *reſp.*8. *num.*11.

6. Tertiò fit, deobligatam eſſe uxorem virum ſic diſcedentem comitari, quia hoc pactum præcipuè factum eſt, ne obligetur uxor patriam propriam relinquere, à ſuiſque parentibus, & conſanguineis ſeparari, quod eſt nimis durum, & acerbum *leg. liberorum ff. de Verbor. ſignific.* uti adverſus Calderin. *c.*1. *de conjugio leproſor.* tradunt quamplures Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.*1. *diſp.*40. *num.*6. Gutierr. *d. cap.*23. *num.*18.

7. An autem maritus ſuæ obligationi ſatisfaciat ſolvendo uxori intereſſe, tametſi in eo loco promiſſo non habitet? Affirmat ex communi ſententia Covarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.*7. *num.*5. Greg. Lopez *leg.*89. *tit.*18. *part.*3. *& leg.*2. *tit.*5. *part.*4. Anton. Gomez 2. *var. cap.*10. *num.*24. Azevedo *lib.*5. *recopit. tit.*6. *lege* 11. *num.*22. *& lege* 9. *tit.*15. *libro* 4. *numero* 34. Gutierr. *cap.*23. *numero* 16. Moventur ex eo, quòd promittens factum, ſi ſolvat quod intereſt, ab obligatione liberatur, *leg. in ſtipulationibus, lege ſtipulationis*, §. *Celſus ff. de Verborum obligat.*

8. Sed ſalva pace prædictorum Doctorum nullatenus cenſeo hoc eſſe admittendum; primò: quia optimè poteſt quis ad factum præcisè obligari, ut multis comprobat Gutierr. *de juram. confirmat.* 1. *part. capite* 39. *num.*5. *&* Greg. Lopez *leg.*35. *tit.*11. *part.*5. *& leg* 3. *tit.*14. *eadem part.* Hæc enim obligatio eſt juri naturali conformis, ut ex dictis conſtat, eſt etiam jure civili permiſſa, *leg.* 1. *leg. juris gratia* 7. *ff. de Pactis*, & jure Canonico approbata, *c. qualiter de Pactis.* Et tradit Abbas *in cap. per tuas de Arbitr.* ſæpe enim, paſciſcenti intereſt factum, quo caſu inquit Bald. *in lege cum precibus Cod. de rerum permutat. num.*1. Satisfieri non poteſt ſolutione pecuniæ, quia nulla pecunia ſolvi intereſſe facti poteſt. At uxori paſciſcenti, ne maritus ex tali loco diſcedat ſatisfieri non poteſt pecunia huic obligationi, quia omnibus divitiis habitationem mariti eo in loco præfert, atque ita obligatum eſſe maritum habitare in loco promiſſo, nec ſatisfacere ſolvendo intereſſe docuit expreſsè Baſil. Ponce *lib.*12. *de ſponſal. c.*20. *n.*7.

9. Prædicta doctrina procedit, dummodò nova cauſa non emergat mutandi domicilium, ut quia ille locus eſt nimis viri ſaluti contrarius, vel in eo capitales contraxit inimicitias, vel ob aliam gravem cauſam: nam eo caſu non tenetur promiſſis, etiam juramento firmatis ſtare, ſed abſque ulla obligatione ſolvendi pœnam, vel intereſſe poterit ab illo loco recedere, uti plures referens docuit Tiraquel. *lege connub. Gloſſa* 1. *parte* 1. *num.* 39. Sanchez *diſp.*40. *num.*5. Gutierr. *cap* 28. *num.*17. Baſil. Ponce *num.*8. Uxor verò obligata erit virum comitari illis eventibus, in quibus eſset obligata, ſi pactum non interceſſiſſet; quia prædictum pactum cùm eſset, diminuere obligationem non poteſt ſicuti rectè notavit innumeris relatis Sanchez *dicta diſp.*10. *num.*6. *ſine* Gutier. *cap.*23. *num.*19.

10. Supereſt reſpondere fundamentis *n.*2. adductis. Ad primum ex *leg. Titio centum*, reſpondet Bart. *ibi n.*4. Acoſta *lib.*2. *ſelect. interpr. c.*19. *n.*5. Lara *de capell. lib.*2. *c.*8. *n.*67. & alii plures, quos refert, & ſequitur Sanch. *diſp.*40. *n.*2. Gutierr. *cap.*23. *num.*15. *in medio.* Baſil. Ponce, *lib.*12. *cap.*10. *num.*4. Prædictam conditionem vanè, & inutiliter appoſitam omnino eſſe à legato rejiciendam. Secùs verò quando juſtè, & utiliter, & in alicujus favorem ſtatuitur, ut in præſenti contingit, cedit enim hæc conditio in maximum uxoris favorem, ne patriâ deſerrâ, & conſanguineis relictis, cogatur inter extraneos vitam ducere. Secundò reſpondeo prædictam conditionem habitandi in aliquo loco approbandam eſſe, cùm exigitur ab eo qui in eam perſonam, à qua eam exigit, jus aliquod obtinet, vel obtinebit, ſicuti indicavit *lex regia* 4. *titulo* 5. *part.*4. Ibi: (Eeſto es porque à derecho en el.) At uxor jus habet in maritum, poterit ergo ab eo eam exigere conditionem. Neque obſtat quod inde aliqualiter jus libertatis diminuatur, quia id ex juſta cauſa optime fieri poteſt. Obſervant autem, & bene Acoſta *dicto capite* 19. *numero* 5. Sanchez *numero* 8. Gutierr. *numero* 21. Diverſum eſſe, ſi teſtator leget centum Titio ſub conditione, quod in tali oppido habitet, vel leget dum in tali oppido fuerit. Nam in priori legato rejicitur conditio, & ſubſiſtit legatum, ſi in nullius favorem ea conditio cedat, utpote quæ ſervitutis ſpeciem continet: at in ſecundo caſu retinetur conditio, tametſi in nullius utilitatem cedat, quia non gravatur legatarius ob legatum ad onus ſuſtinendum, ſed ſpe obtinendi legati allicitur ad portandum onus. Ad ſecundum, & tertium fundamentum dico prædicta pacta eſſe longè diverſa, quippe libertatem adimunt. Secùs eſt pactum habitandi in determinato loco, quod eſto libertatem diminuat, non tamen illam adimit.

11. Ex his infert Pelaez de Mieres *de majorat.* 1. *part. quæſt.*57. *per totam.* Et Azevedo loquens *de melioratione tertii & quinti libro quinto, recop. titulo* 6. *leg.*11. *numero* 22. Sanchez *lib.*1. *diſp.*40. *num.*7. Gutierr. *cap.*23. *num.*20. Validam eſſe conditionem appoſitam in majoratibus, ut illius ſucceſſor teneatur in loco certo habitare alioqui majoratum amittat; quia eſt conditio in favorem inſtituentis appoſita, quippe cedit in illius memoriam, & honorem, quæ facilè abolentur ſucceſſore aliò migrante. Quod intelligendum eſt (inquiunt prædicti Doctores)

ctores) cum non adeſt juſta cauſa recedendi, ſicuti dictum eſt de viro, & uxore. Subdunt tamen Pelaez, & Sanch. juſtam eſſe in præſenti caſu cauſam, ſi mulier majoratus ſucceſſor nubat alienigenæ, & juſſu viri domicilium mutet, quia ea mutatio non eſt ſpontanea, ſed ex neceſſitate ob viri mandatum, cui parere tenetur, ac proinde non eſt illi culpa tribuenda, neque majoratu privanda. Sed meritò prædicti Doctores cenſent hanc cauſam non carere ſcrupulo, ſiquidem mulier alienigenæ nubens, tacitè vult domicilium proprium deſerere, & conditionem majoratui appoſitam non exequi, poterit ergo eo privari.

12. Ad extremum dubitabis, An è contra valeat pactum, ne vir in aliquam civitatem ingrediatur? Ratio dubitandi eſt, quia hoc pactum videtur Reipublicæ obeſſe, cui expedit liberis hominibus abundare, *leg. fin. Cod. de indicta viduitate tollenda*: eſt etiam quædam pœna, ad quam nemo niſi per ſententiam obligari poteſt. Atque ita docuerunt Ancharran. *conſ.*75. *num.*3. Alciat. *lib.*5. *conſ.*34. *num.*3. Sed omnino tenendum eſt, licitum, & validum eſſe prædictum pactum cauſa juſta intercedente, uti docuit Gama *deciſ.*6. Baſil. Ponce *libro duodecimo, de matr. capite vigeſimo, numero nono.* Ratio eſt manifeſta; quia abſtinere ab ingreſſu civitatis, ex quo diſcordiæ excitari poſſunt, & Reipublicæ pax turbari; aliaque gravia incommoda oriri honeſtum, & Reipublicæ conveniens, ergo potes te obligare. Quid enim obſtat? Non quod Reipublicæ expediat liberis hominibus abundare? Quia nunquam Reipublicæ expedit abundare hominibus liberis, qui pacem ipſius Reipublicæ turbare poſſunt. Neque etiam quòd hæc privatio ſit quædam pœna, quia non eſt propriè pœna cùm non ſit contra voluntatem inflicta, ſed ſponte aſſumpta.

Punctum XVI.

Sponſalia conditionata qualem obligationem inducant?

1 *Variæ ſunt conditiones, quæ contractui ſponſalium, & matrimonii apponi poſſunt.*
2 *Conditio neceſſariò futura non impedit valorem ſponſalium.*
3 *Impoſſibiles, & turpes cenſent plures ab ſponſalibus, ſicut a matrimonio rejici.*
4 *Verius eſt impoſſibiles vitiare contractum, turpes ſuſpendere.*
5 *Conditiones contingentes, poſſibiles & honeſtæ ſponſalibus adjici poſſunt.*
6 *Conditio*, ſi Pontifex diſpenſaverit, *reputatur impoſſibilis ex plurium ſententia.*
7 *Verius eſt reputandam eſſe poſſibilem, & honeſtam.*
8 *Explicatur concluſio, & ſatisfit fundamentis oppoſitis.*
9 *Affirmant aliqui quemlibet ex his contrahentibus ante, & poſt impetratam diſpenſationem reſilire poſſe.*
10 *Oppoſitum eſt tenendum.*
11 *Examinatur, an conditione adveniente conſtituantur ſponſalia.*
12 *Qualiter promittens conſanguineæ matrimonium ſupradicta conditione teneatur diſpenſationem procurare?*

1. VAriæ ſunt conditiones, quæ condictui ſponſalium, ſicut & matrimonio adjici poſſunt, aliæ ſunt *neceſſariæ*, aliæ *contingentes*, aliæ *poſſibiles*, aliæ *impoſſibiles*, aliæ *honeſtæ*, aliæ *turpes*.

2. Si ſponſalibus adjiciatur conditio neceſſariò futura, v. g. *ſi ſol oriatur cras*, æquè valida ſunt, ac ſi nulla conditio adhibita eſſet: quia ratione neceſſitatis reputatur quoad obligationem executioni mandata, *§. cond. inſt. de verb. obl.* Ibi: Quæ *enim per rerum naturam ſunt certa, non morantur obligationem.* At non teneris ea ſponſalia exequi quouſque conditio adveniat, quia eſto illa conditio non ſuſpendat ſponſalium obligationem, ſuſpendit tamen eorum executionem.

3. Impoſſibiles verò conditiones, & turpes, quæ à matrimonio excluduntur, & habentur pro non adjectis ob illius favorem, *cap. fin. de conditionibus oppoſitis*, plures Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.*5. *diſp.*17. *num.*2. Cenſent etiam rejici ab ſponſalibus, eo quòd ſponſalia ſint diſpoſitio, & via ad matrimonium, ac proinde diſpoſitum in matrimonio, in ſponſalibus cenſeri debet diſpoſitum, uti dicitur in *leg. orat. ff. de ſponſalibus.*

4. Sed ſpectato juris rigore verius cenſeo conditiones impoſſibiles vitiare ſponſalium contractum, turpes verò ſuſpendere, quouſque conditio ponatur: ſic docuit Rebell. *lib.*2. *de matr. quæſt.*10. *ſect.*5. Baſil. Ponce *lib.*2. *de ſponſal. cap.*7. *n.*3. Et probabilem reputat Petr. de Ledeſma *de matrim. quæſt.*47. *art.*5. *ad finem.* Refertque doctiſſimos Salmanticenſes tenuiſſe. Ratio ea eſt: jure naturæ conditio impoſſibilis cuilibet contractui adjecta illum vitiat, turpis ejus obligationem ſuſpendit: at hoc jus naturæ in ſponſalibus correctum non eſt, ſed in matrimonio. Ex eo autem quod in matrimonio colligatur, non infertur corrigi in ſponſalibus, aliàs quæ diſponuntur de matrimonio clandeſtino de illius diſſolutione, cenſerentur de ſponſalibus diſpoſita; quod conſtat eſſe falſum. Neque his obſtat lex *oratio*, quæ ſolùm probat diſpoſitum in matrimonio in ſponſalibus diſpoſitum eſſe, quando eſt eadem ratio, ſicuti eſt in perſonis inhabilibus, & impeditis ad contrahendum, quæ ſicut non poſſunt matrimonium validè contrahere, neque etiam poſſunt ſponſalia.

5. Conditiones verò contingentes poſſibiles, & honeſtæ optimè poſſunt ſponſalibus adjici, ut tradunt omnes. Et licèt ille contractus, quouſque conditio eveniat, non conſtituat ſponſalitia, quia non inducit obligationem matrimonii contrahendi, inducit tamen obligationem abſolutam expectandi conditionis eventum, ob quam cauſam ſi interim alia ſponſalia abſoluta contrahas, nullus eſt contractus, quia priori obligationi obſtat, quam elidere non potes: ſicuti docuit Sanchez *lib.*5. *diſp.*8. Ægid. *diſp.* 9. *dub.*1. *n.*21. Baſil. Ponce *lib.*3. *cap.*13. & *lib.*12. *cap.*7. *num.*1. Superſunt tamen aliquot difficultates.

6. Prima, quando aliqui impediti contrahunt ſub hac conditione *ſi Pontifex diſpenſaverit*, an hæc conditio reputetur contingens, & honeſta, vel potiùs impoſſibilis; Plures, graveſque Doctores, quos plena manu refert Sanch. *lib.*5. *de matr. diſput.*5. *num.*5. Docuerunt prædictam conditionem reputandam eſſe impoſſibilem. Moventur, quia ea quæ pendent à voluntate Principis cenſentur quaſi impoſſibilia ex *leg.*1. *leg. ſtipulatio, leg. continuus, ff. de verbor. obligation.* & *leg. idem Julianus, ff. de legat.*1. Neque obeſt quòd aliquando jus mutari poſſit, quia non ſecundùm tempus futurum, ſed ſecundùm præſens ſtipulatio menſuranda eſt, uti habetur in *leg. inter ſtipulantem*, §. *ſacram. ff. de verbor. obligation.* Ob quam cauſam ſtipulatio de re ſacra, publica, vel homine libero nulla eſt, tametſi res ſacra fieri poſſit profana, publica privata, & homo liber ſervus. Alii, è quorum numero eſt Henriq. *libro* 12. *de matrim. capite* 10. *numero* 4. Etſi non reputent hanc conditionem impoſſibilem, reputant eam minus honeſtam, ſeu turpem, eo quòd ea poſita jus commune derogetur: at honeſtius eſt jus commune ſervare, quàm illius diſpenſationem procurare. Ergo hæc conditio tanquam turpis reputanda eſt, & ſicut poſita conditione turpi nulla eſt obligatio expectandi conditionis eventum, ſed ſtatim ab ſponſalibus ſic contractis reſilire potes, ſic poteris ab iis ſponſalibus: favetque lex *ſi ſtipul. verſ. item quod leges ff. de verb. obl.* Ubi deciditur, ſtipulationem factam de eo quod leges

prohibent

prohibent nullam esse, tametsi causa impedimenti non sit perpetua, ut si promittas ducere sororem adoptivam tempore quo adoptiva est, quia ut Textus inquit ab initio, ea stipulatio est contra bonos mores.

7. Cæterùm etsi prædicta sententia probabilis est, longè veriorem censeo, quæ asserit prædictam conditionem inter possibiles, & honestas connumerandam esse, si in ea Pontifex solitus sit dispensare etsi cum difficultate; & contrahentes causam habeant legitimam dispensationis, sic ex communi sententia tradit Sanch. *dicto lib. 5. disput. 5. à num. 12. & 13.* Rebell. *lib. 2. de matr quæst. 10. sect. 6.* Coninch. *disp. 29. dub. 1. concl. 5. num. 18.* Basil. Ponce *lib. 3. de matrim. cap. 15. num. 2. & lib. 12. cap. 7.* Et alii. Ducor, quia illud reputandum est possibile, & honestum, quod sæpè honestè fieri solet: at posita causa legitima dispensationis sæpè solet Pontifex in matrimonii impedimentis dispensare, quinimo aliquando tenetur, ergo conditio de hac dispensatione neque impossibilis, neque turpis est judicanda: facit lex *apud Julianum 40. ff. de legat. 1.* Ibi, *Quoniam commercium eorum nisi jussio Principis non est, cum distrahi non soleant.* Ergo stante jussu Principis de illis potest esse commercium. Item *in leg. quidam relegatus ff. de rebus dub.* deciditur valere legatum testatoris sub ea conditione, *si aliquis ex suis hæredibus, vel amicis ei impetraverit restitutionem, & antequam ei gratias egerit decesserit.* Item valida est institutio filii spurii sub ea conditione, *si Princ. legitimaverit*, uti ex communi sententia docent Covaruv. *4. decret. 2. part. cap. 8. §. 5. num. 12.* Mol. *lib. 2. de primogen. cap. 7. num. 40.* Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 8. leg. 6. gloss. 8. num. 19. ex lege Gallus, §. instituens ff. de liberis, & posthum.* Item votum factum ab Episcopo ingrediendi religionem, *si Pontifex dispensaverit*, validum est, uti diximus ex communi sententia *tract. de voto.* Item litigantes super beneficio licitè paciscuntur de pensione concedenda, si Pontifex permiserit.

8. Notanter dixi, si Pontifex solitus sit dispensare, adsitque legitima causa dispensationis, nam si Pontifex non solet dispensationem concedere, meritò impossibilis reputari debet conditio, si verò causa dispensandi non adsit, turpis reputanda est. Quo sensu intelligendæ sunt lex 1. lex *stipulatio* & lex *continuus* in contrarium adductæ; Ad *legem inter stipulationem* dico stipulationem rei sacræ, publicæ, hominisve liberi relatam in tempus, quo res sacra fiat profana, & publica privata, & homo liber servus, esse nullam, quia est conditio incivilis, & tristis derogans dignitatem, & statum hominis liberi, rei sacræ, & publicæ, similis autem conditio potiùs timenda, quàm expectanda est, *lege cum tale in initio ff. de conditio, & demonstrat.* Ad rationem, qua movetur Henriq. concedo prædictam conditionem per se, & secluso pacto esse minùs honestam, nego tamen esse inhonestam; aut turpem. Posita autem mutua contrahentium obligatione honestissima est. Neque obest lex *si stipuler.* quæ intelligi debet de promissione absoluta, non conditionata; in qua non exprimatur ea conditio, *si Princeps voluerit dispensare*, nam eo casu regulanda est stipulatio secundum tempus præsens, & cùm eo tempore sint inhabiles ad contrahendum, promissio nulla est. Neque refert dicere subintelligi prædictam conditionem, quia cùm sit extrinseca contractui, & aliena à jure, nequit subintelligi, sed oportet exprimi ex *lege conditiones extrinsecas, ff. de condition. & demonstrat.* Aliàs absolutè contrahentes in gradu prohibito non incurrerent excommunicationem latam *in Clementina unica de consanguinit.* sicuti non incurrunt, cùm exprimunt conditionem, *si Pontifex dispensare voluerit.* Atque ita tradunt Gloss. *c. 1. §. ille verò de sponsalibus in 6.* Covarr. *4. decret. 2. part. c. 3. initio n. 7.* Gutierr. *lib. 1. canon. quæst. cap. vigesimo secundo, numero 17.* Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 5. q. . . n. 26.* Rota apud Seraphinum *decis. 1156.*

Basil. Ponce *lib. 3. de matr. cap. 15. n. 7. & lib. 12. cap. 7. n. 1.* Riccius *praxi decis. 148.* Adversus Gutierr. *canon. q. lib. 1. cap. 22. n. 24. & de matr. cap 78. num. 4.*

9. Secunda difficultas, An quilibet ex his contrahentibus ante & post impetratam dispensationem resilire possit altero invito? Affirmat Gutier. *lib. 1. can. quæst. capite vigesimo secundo, num. 17. & sequentib. & de matrim. cap. 78. num. 1. & 2.* Manuël. Rodr. *1. t. sum. cap. 244. num. 9.* Moventur ex eo quòd prædictus consensus est longè debilior, quàm consensus impuberum, qui revocari potest pubertate adepta. Ergo etiam sublato impedimento per dispensationem revocari poterit prædictus consensus inhabilium. Ergo à fortiori poterit revocari stante impedimento, cùm nullibi cautum sit contrarium, sicuti est impuberibus, qui durante impubertate impediuntur à revocatione, ne passim contrahant, & revocent.

10. Sed oppositum omnino tenendum est, nemini ex dictis contrahentibus licitum esse resilire, neque ante, nec post impetratam dispensationem: sic tradit Sanchez *libro 5. de matr. disput. 5. numero 13.* Rota apud Seraphin. *decis. 724. num. 17. & decis. 838. num 10. & decis. 1157. num. 4.* Basil. Ponce *lib. 3. de matrim. cap. 13. numero 21.* Ratio est manifesta, contrahentes sub conditione sibi invicem obligantur ad rem promissam non absolutè, sed dependenter à conditione: at si pro libero unusquisque resilire posset ab obligatione, sibi invicem obligari non essent. Neque obstat quod impuberes obligentur, & nacta pubertate resilire possint, quia id non jure naturæ, sed favore ætatis à jure positivo concessum est, quod durante impubertate non permittitur.

11. Tertia difficultas. An conditione adveniente, sub qua contrahentes obligantur, sint vera sponsalia absque novo consensu? Certum est ante impletam conditionem sponsalia non esse, quia non est obligatio absoluta, & directa matrimonii, quod necessariò ad sponsalium valorem, ex quibus oriatur impedimentum publicæ honestatis requiritur, ut deciditur in *cap. 1. de sponsal. in 6.* Post conditionem impletam affirmat Henriq. *lib. 12. de matr. cap. 13. in fine.* Angles *florib. 1. part. quæst. 2. de consensu conditionato, art unico, dub. 3. & q. 12. de impedimento disparis cultus, dub. 2.* Novum consensum necessarium esse, ut prædictus contractus sponsalium obligationem constituat, eo quòd consensus antecedens ortus ab impeditis inhabilis est, ergo tractu temporis convalescere non potest. Sed oppositum omnino tenendum est cum Sanch. *libro quinto, disputat. 5. n. 24.* Basilio Ponce *lib. 3. cap. 14. n. 7.* Coninch. *disp. 29. dub. 1. num. 21.* Ratio est, quia obligatio conditionalis posita conditione transit in absolutam, & licèt illa obligatio fiat à personis inhabilibus, & impeditis, sed non quatenus inhabiles, & impediti sunt, quia non fit pro tempore, quo sunt inhabiles, sed pro tempore quo habiles sunt futuri, quippè censendum est fieri tempore habili, quod in tempus habile refertur, sicut è contrà censetur fieri tempore inhabili, quod refertur in tempus inhabile.

12. Quarta difficultas; An promittens consanguineæ matrimonium sub prædicta conditione, *si Pontifex dispensaverit*, teneatur dispensationem procurare? Affirmant Tabiena *verbo Sponsalia quæst. 8. num. 9.* Armilla *num. 11.* Petr. de Ledesm. *de matr. quæst. 47. art. . dub. 1.* quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 5. de matr. disp. 5. q. 6. n. 36.* Ducuntur, quia matrimonium illud promissum perfici non potest absque dispensatione. Ergo promittens matrimonium, tacitè promittit, quæ ad illius consecutionem necessaria sunt.

Sed verius est nullam esse obligationem procurandi dispensationem, tametsi sub prædicta promissione matrimonii virginem violasses, sicuti docuit Navar. *lib. 4. consil. titul. de sponsal. consil. 25. in prima edit.* (licèt *in 2. edit. tit. de consanguin. cons. 5.* limitaverit sententiam

tiam, casu quo virgo violata sit.) Coninch. *disp.29. dub.2. num.35.* Moveor, quia posito quòd dispensationem procurare non promiseris, non potes ad illam procurandam obligari, nisi quatenus te obligasti ad contrahendum matrimonium: at ad contrahendum matrimonium non te obligasti absolutè, sed posita dispensatione, quam tamen non promisisti, ergo illam procurare non es obligatus. Sicuti cùm promittis matrimonium sub conditione, *si pater consentiat.* non obinde teneris consensum patris procurare, procuret autem ille cujus interest. Si tamen cum promisisti puellæ matrimonium, dixeris facilè te posse dispensationem impetrare, & sub ea spe puella defloration consensit, teneris sine dubio dispensationem procurare, quia eo casu tacitè, vel potiùs expressè eam procurationem promisisti, ut benè notavit Coninch. *dicto dub.2. num.35.* Non tamen videris obligatus tuis sumptibus eam impetrare dispensationem, nisi ad id te obligaveris expressè, quia negotium commune est, & consequenter sumptus communes esse debent, ut dixit Sanch. *dicto lib.5. disp.5. n.37.* nec dissentit Coninch. *loc. cit.*

Punctum XVII.

Qualiter sponsalia mutuo consensu dissolvi possint?

1 *Sponsalia multipliciter dissolvi possunt.*
2 *Dissolvuntur ex mutuo consensu.*
3 *Satisfit quibusdam objectionibus.*
4 *Supradicta doctrina intelligitur, etiamsi juramento sponsalia confirmata sint.*
5 *Impuberes sponsalia contrahentes resilire non possunt, quousque pubertatem attingant.*
6 *Si pubes cum impubere contraxerit, puberi non permittitur resilire.*
7 *Si parentes pro filiis impuberibus sponsalia contrahant, filiis non est datum resilire, quousque puberes sint.*
8 *Negant plures resilire posse impuberes, si sponsalia juraverunt.*
9 *Verius est oppositum.*

1. Hucusque egimus de sponsalium natura, nunc de illorum dissolutione agendum est. Sponsalia namque cùm non sint Sacramentum, sed via ad Sacramentum matrimonii suscipiendum, possunt sicut & alii contractus variis modis dissolvi.

2. Primò, & præcipuè dissolvuntur ex mutuo contrahentium consensu, ex Textu *in cap.2. de sponsalib.* ubi Innocent. inquit. Videtur quod instar eorum qui societatem interposita fide contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari. Res enim per quascunque causas nascitur per eas dissolvi potest, si solubilis est, ut est regula juris, & *cap. omnis res, 27. quæst.2.* & obligationes quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvunt, *§. ult. instit. quib. mod. oblig. tollant.* Debet autem hujusmodi remissio sponte fieri non coactè, aliàs nulla erit. Item debet esse alteri nota, & ab eo acceptata. Non enim dissentiens liber ab obligatione esse potest, quousque ejus dissensus alteri gratus sit, ut benè notavit Basil. Ponce *lib.12. de sponsal. cap.9. n.1.* ex omnium sententia.

3. Neque his obest, quod in *prædicto cap.2. de sponsal.* Dicatur eos qui de matrimonio contrahendo fidem dederunt admonendos esse, ut præstitam fidem servent. Si autem se adinvicem admittere noluerint, ne fortè inde deterius contingat esse in patientia tolerandum. Si igitur hæc dissolutio patienter toleranda est, jure ipso nequit fieri, aliàs monendi non essent, ut fidem præstitam servent, si nullam illius servandæ obligationem habent, sicuti ponderavit Joan. Andr. *cap. de illis num.1. in fine de sponsal.* Lancellot. *instit. juris Canonic. lib.2. tit. de sponsalib. verbo, tolerari.* Non inquam obest, nam ut tradunt Innocent. Hostiens. Henriq. & alii plures apud Sanchez *lib.1. de sponsal. cap.52. n.2. & 6.* & Gutier. *cap.24. de matr. n.1.* Pontifex sic respondit spectata vulgi opinione existimantis vinculum sponsalium efferendi, si ex mutuo consensu dissolvatur, non quia verè offenderetur, aliàs non induceret similitudinem societatis, quæ secundùm omnes mero jure solo mutuo consensu dissolvi potest. Aliis è quorum numero est Layman. *lib.3. sum. tract.10. c.2. n.1.* Placet Innocentium dixisse prædictam dissolutionem tolerandam esse eo casu quo mulier cupit sibi fidem servari: at sponsus ab illa abhorreus modis omnibus renuit, & procurat sibi remissionem fieri, quia tunc moveri debet, quod si non acquiescat, nec bonus exitus speretur toleranda est remissio, quæ ex parte mulieris fit, non mera voluntate, sed involuntario admixto, & non sine peccato ex parte viri quod toleratur, & permittitur, sed non approbatur. Sed displicet mihi hæc explicatio, utpote enervans fundamentum, quo omnes Doctores moventur asserere sponsalia mutuo consensu licitè dissolvi posse; omnes enim, ipseque Layman. ex ipso textu id colligunt. At si prædicta explicatio vera esset, prædictus textus dissolutionem sponsalium ex mutuo consensu non probaret, nam consensus mulieris nullus est utpotè involuntario admixtus, ac proinde ex illo consensu nec dissolvuntur, sed dissolvuntur ex timore gravioris mali, & iniqui exitus. Ego verò existimo Pontificem asseruisse prædictos sponsos monendos esse, ut fidem servent, quando nullam rationabilem causam habent resiliendi ab sponsalibus, quia est quædam levitas & inconstantia, & obloquiorum occasio. Quod si noluerit; ne deterius contingat, eorum dissolutionem mutuo consensu factam tolerandam esse.

4. Addi verò prædictæ doctrinæ debet, etiamsi juramento sponsalia confirmata sint, possunt enim ex mutuo consensu dissolvi, quia juramentum, quod in favorem alterius factum est tacitam imbibit conditionem, nisi alius remiserit. Quod adeo verum est, ut etiamsi intuitu pietatis, & in honorem Dei juraveris fœminam pauperem ducere, illius remissione ab obligatione prædicta liber existas, quia necessariò tale juramentum conditionem imbibit, si fœminæ pauperi matrimonium gratum fuerit, unde illa matrimonium respuente juramenti materia cessat, & obligatio, ut benè aliis relatis docent Coninch. *disp.23. dub.1.* Sanch. *lib.1. disp.52. à n.7.* Basil. Ponce *lib.12. cap.9. n.2.* Gutierr. *de matr. cap.24. num.1.*

5. Prædicta intelligenda sunt de sponsalibus puberum, nam de impuberum sponsalibus alia est dispositio, ut constat ex *cap. de illis, el l.c. à nobis de desponsat. impuber.* quippe impuberes sponsalia contrahentes resilire non possunt, quousque pubertatem nacti sint, & meritò: ne passim resiliant, & passim contrahant. Adveniente pubertate qui prius illam attigerit resilire potest, neque opus habet expectare pubertatem alterius, cùm solùm ex ejus dissensu post pubertatem permisso sponsalia dissolvantur. Quinimo statim ac pubertatem attigerit, reclamare debet: alioquin sponsalia firmavit, ac si post pubertatem illa contraxisset, uti benè advertunt pluribus relatis Sanch. *disp.51. num.14.* Basil. Ponce *cap.9. num.4.* Gutierr. *cap.9. num.3.* & colligitur manifestè ex dicto *cap. de illis*, ibi; si cum ad annos pubertatis venerint, reclamaverint, separentur, separandi ergo non sunt, si non reclamarunt: statim autem reclamare censentur, si intra triduum, postquam agnoverunt pubertatem attigisse, reclamaverint, argum. Textus *in leg. fin. Cod. de errore advocati* ibi: in continenti & leg. *fin. Cod. de judiciis.* Ibi: illico autem id est intra triduum, & ibi Bald. & Felin. *in capite veniens el 2. numero 15. de Testibus.* Mandos *de monitoriis, quæstione 31. num.8.* Sanch. *dicta disp.51. num.14.* Gutierr. *cap.29. num.3.* Basil. Ponce *dicto cap.9. num.4.* & alii apud ipsos. Hic tamen dissensus, & reclamatio esto Th.

Sanch.

Sanch. *num.*16. & Gutierr. *num.*7. censeant pro foro conscientiæ sufficere, si interius fiat; mihi contrarium placet; nam sicut ad contrahenda sponsalia, non sufficit interior consensus, nisi exteriùs manifestetur: sic nec sufficere potest ad contracta dissolvenda dissensus interior nisi manifestetur exteriùs, uti notavit Basil. Ponce *dicto capite* 9. *numero* 5. Manifestari autem expedit coram Episcopo, vel ejus vicario, & ipsis deficientibus coram honestis personis juxta Textum *in capite fin. de appellationibus*, & tradit aliis relatis Sanchez *libro* 1. *disputat.*51. *numero* 17. Gutierr. *capite* 29. *numero* 7.

6. Quod si pubes cum impubere contraxerit, puberi non permittitur resilire, sed expectare tenetur an impubes pubertatem nactus respuat, quod si non respuerit, firma persistent sponsalia, ut deciditur expresè *dicto cap. el.* 1. *de desponsat. impuber.* & ibi Glossa, & Doctores communiter apud Cobarub. *decret.* 1.*part. cap.*5. §.1. *num.*5. Sanch. *disp.*51. *n.*10. Gutierr. *cap.*29. *n.*8.

7. Cùm verò parentes pro filiis impuberibus sponsalia contrahunt, filiis non est datum resilire quousque puberes sint si sponsalia valida fuerint; secùs si fuerint invalida, uti dixit Joann. Andr. *dicto cap. de illis numero* 4. Ancharr. *ibi numero* 4. & alii, quos sequitur Sanch. *disp.*1. *num.*12. Gutierr. *cap.*29. *num.*10. Neque his obstat Textus *in capite* 1. *de desponsat. impuber.* inquiens. Potest pater filium nondum adultum, cujus voluntas discerni non potest cui vult matrimonio tradere, & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem omnino debet hoc adimplere; quia ut inquit *ibi* Glossa, & Panormit. debet filius eam voluntatem non ex necessitate, sed ex honestate adimplere, seu ut placet Canisio, *ibi*; debet factum patris approbare, dum causam reclamandi justam non habet. Et licet in hac parte non videatur Textus differentiam inter filium puberem, & impuberem constituere, cùm uterque teneatur ex quadam decentia, & honestate patris voluntatem sequi; dum causam rationabilem non habet ab ea discedendi. At pubes non tenetur aliam ætatem maturiorem expectare ad consensum præstandum, benè tamen impubes.

8. Sed quid dicendum si impuberes sponsalia juraverint, poteruntne pubertatem adepti ab eis resilire; Negant pluribus relatis Cobarub. 4. *decret.* 1.*p. cap.*5. §.1. *n.*3. *& de pactis* 3.*part.* §.1. *num.*3. Sanch. *disp.*51. *quæst.*3. *num.*23. *&* 24. Gutier. *cap.*29. *num.*12. Moventur ex *cap. ex litt.*10. *de sponsalib.* Ubi inquit Textus eos impuberes quia sponsalia contraxerunt, & juramento confirmarunt cogendos esse ad contrahendum matrimonium. Ergo signum est juramentum vitium ætatis purgare, & contractum firmum, & irrevocabilem efficere. Subdunt tamen prædicti Doctores impuberem debere esse pubertati proximum; aliàs ejus juramentum contractum non firmaret.

9. Cæterùm longè verius existimo impuberem sponsalia jurantem posse nacta pubertate ab sponsalibus resilire, ficuti si jurata non essent. Ducor; quia juramentum sequitur naturam actus, cui adhæret, nisi à jure contrarium dispositum sit: at nullibi est dispositum, quòd juramentum sponsalia firmet impuberum, nam prædictus Textus *in capite ex litteris* id non convincit, illi enim impuberes, qui ibidem dicuntur cogendi sunt impuberes ita proximi pubertati, uti matrimonium de præsenti contrahere possent, quinimo sponsalitia firma: ergo juramentum illud non propriè confirmat sponsalia impuberum, sed puberum. Atque ita docent Anton. *cap. de illis el.*1. *de desponsat. impuber. num.*5. & ibi Cardinal. *n* 2. Henriq. *cap.*2. *de sponsalib. num.*9. Paludan. *numero* 4. *d.*27. *quæst.*1. *art.*3. *casu* 2. *num.*28. Basil. Ponce *lib.*12. *de matrim. cap.*9. *num* 8. & probabilem reputat Sanch. *dicta disp.*51. *numero* 21. *quæst.*3.

PUNCTUM XVIII.

Qualiter religionis ingressu sponsalia dissolvantur?

1 *Non solum per professionem, sed per ingressum affirmant plures dissolvi sponsalia ex parte utriusque.*
2 *Alii negant ex parte alicujus sponsalia dirimi.*
3 *Verius est dissolvi ex parte ejus qui in sæculo remanet.*
4 *Negant plures sponsalibus juratis posse jurantem ingredi religionem.*
5 *Contrarium est omnino tenendum.*
6 *Explicatur* Textus in cap. commissum de sponsalib.
7 *Peccas si contrahas matrimonium animo ingrediendi religionem, sponsa eo animo non manifestato.*
8 *Deciditur quæstio, an adstrictus sponsalibus juratis, si postmodum religionis votum emittas possis matrimonium inire animo ingrediendi religionem ante consummationem.*
9 *Quid si votum emissum sit ante sponsalia, & fœminam defloraſti sub fide data de matrimonio contrahendo.*

1. CErtum est religionis ingressu, & professione sequuta dissolvi sponsalia sicut & matrimonium ex Textu *in c.*2. *de conversione conjugat.* Controversia autem inter Doctores, est. An per solum ingressum sponsalia dissolvantur? Affirmant dissolvi tam ex parte manentis in sæculo, quam ex parte ingredientis religionem. Sylvest. *verb. sponsalia, q.*10. *casu* 2. Sotus *in* 4. *dist.*27. *q.*2. *art.*5. Tolet. *lib.*7. *cap.*21. Innumeros referens Sanch. *lib.*1. *disp.*42. *n.*2. Gutierr. *c.*25. *n.*1. Moventur primò. Professio matrimonium ratum dissolvit ex *dicto cap.*2. *de convers. conjugat.* Ergo novitiatus qui est via ad professionem dissolvet sponsalia matrimonii inita. Secundò professione matrimonium dirimitur ob status assumpti perfectionem, sed illam perfectionem aliqualiter novitiatus participat, ergo participabit potestatem dirimendi si non matrimonium saltem sponsalia. Tertiò potest ingrediens religionem protestari se nolle sponsalibus renunciare sed velle illis persistere casu quo religio non placeat. At non obstante ea protestatione sponsalia dissoluta censentur religionis ingressu. Ergo non ex renunciatione, & cessione facta ab ingrediente religionem dissolvuntur. Deinde neque ex mutatione status hæc dissolutio provenit, siquidem utroque religionem ingrediente hæc mutatio cessaret. Efficitur ergo sola perfectione status assumpti sponsalia dirimi, ac proinde ex parte utriusque dissolvi. Quartò votum religionis cessat per ingressum in religionem bona fide factum, ergo cessare debent sponsalia, cùm minus vinculum sit, quàm religionis votum.

2. Secunda sententia prædictæ opposita negat ex parte alicujus sponsalia dirimi. Sic Cobarub. 4. *decret.* 1.*part. c.*5. *in princ. n.*11. Anton. Cuchus *lib.*5. *instit. majorat. titul.*10. *n.*57. Motius *de sponsalib. tit. quot mod. sponsal. dissolvant. n.*6. Durand. *in* 4. *d.*27. *q.*3. *art.*3. Ibi Paludan. *quæst.*1. *art.*3. *casu* 5. *n.*23. & ibi Caietan. *quæst.*1. Petr. de Ledesma *de matr. quæst.*45. *art.*3. *n.*1. *& in summ. de sacram. matrim. cap.*3. *for.*45. & alii plures relati à Sanch. *disput.*42. *num.*4. Gutierr. *de matr. c.*25. *n.*1. Ducuntur, quia nullus est textus qui hanc dissolutionem concedat, & ex natura rei non dissolvuntur: siquidem potest ingrediens religionem ad sæculum rediens sponsalia exequi.

3. Tertia sententia, quam veriorem, & probabiliorem reputo distinguit inter eum qui manet in sæculo, & eum qui religionem ingreditur, asseritque dissolvi sponsalia ex parte ejus qui in sæculo remanet; firma verò manere ex parte religionem ingredientis, ut si postmodum egrediatur possit à manente in sæculo compelli promissis stare, sic supplementum Gabrielis *num.*4. *d.*27. *quæstion.*2. *art.*1. *casu* 6. Henriq. *lib.*11.

*cap.*14. *n.*3. Man. 1.*t. ſum. cap.*245. *num.*1. Rebellus *lib.*4. *de matr.quæſt.*6. *ſect.*6. Baſil. Ponce *lib.*12. *de matr. c.*10. *n.*3. Layman. *lib.*5. *tract.*10. *cap.*2. *num.*2. Ægid. de Coninch. *diſp.*23. *dub.*3. *concl.*4. & alii. Et quidem non diſſolvi ex parte ingredientis religionem videtur manifeſtum, ſiquidem ex natura rei non diſſolvuntur, ut de ſe conſtat, cùm poſſit à religione retrocedere, & ſponſalia implere, jus autem poſitivum nullum eſt hanc diſſolutionem concedens; neque ex eo quòd illam concedat profeſſioni comparatione matrimonii, infertur concedere novitiatui comparatione ſponſalium; quæ in his, quæ à jure poſitivo pendent, non eſt deſumendum argumentum ex uno caſu ad alium, maximè cùm diverſa ratio in eo ſit, nam profeſſio conſtituit ſtatum perfectionis, quem deſerere religioſus non poteſt; at novitiatus neque eſt ſtatus, neque eſt via firma ad ſtatum: cum eam aſſumens poſſit pro libito deſerere, ergo & retrocedens dignus non eſt religionis favore, ſed potius expedit, ut ad ſæculum redeat eiſdem obligationibus aſtrictus, quibus antea tenebatur. Quod verò ex parte manentis in ſæculo ſponſalia diſſolvantur hac conſideratione convincor: negari namque non poteſt ex prædicto ingreſſu notabiliter res mutari, quippe manens in ſæculo obligatus eſt expectare totum novitiatus tempus, quod eſt grave onus, ipſe verò ingrediens non eſt æquè aptus ad nuptias poſt habitus deſertionem, ac erat ante ingreſſum; defert enim ſecum quandam notam levitatis, & inconſtantiæ ob habitum deſertum. At ſponſalium obligatio, & matrimonii contrahendi promiſſio tacitam imbibit conditionem, ne notabilis contingat mutatio, neve ſponſus deterior fiat. Unde ſive animo vero ſive ficto religionem ingrediens, ſive cedat obligationi ſive non, præſtat ſufficientem cauſam manenti in ſæculo ſponſalia diſſolvendi ob prædictam ineptitudinem ad matrimonium, quam ex ingreſſu religionis contrahit. Argumenta primæ ſententiæ nullam habent difficultatem, & ex probatione noſtræ ſententiæ diſſolvuntur, ut conſideranti facile eſſe poteſt.

4. Sed quid dicendum, ſi juramento ſponſalia firmata ſint, poterit ne jurans ſponſa deſerta religionem ingredi? Negant Rebell. *lib.*4. *de matr. quæſt.*8. *ſect.*6. *concl.*2. Richard. Navarr. Ledeſm. Mayol. Angles, Vega relati à Sanch. & Gutierr. locis referendis. Moventur *ex cap. commiſſum*, 15. *de ſponſalib.* Ubi cùm quidam ſub juramento fidem fœminæ dediſſet de matrimonio contrahendo; velletque religionem intrare, conſultus Alexander III. quid faciendum eſſet; reſpondit tutius eſſe religione juramenti ſervata poſtea ſi elegerit ad religionem migrare. Deinde juramentum ſecundum eſt, quoties non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, *cap. debitores de jurejurando*: At hoc juramentum ſervari poteſt, quin ex ejus obſervatione ſtatus religionis impediatur, cùm poſſis matrimonio contracto ante conſummationem religionem ingredi, Ergo, &c.

5. Cæterùm omnino tenendum eſt per ſe nullam eſſe tibi obligationem matrimonii, ſed poſſe illo non contracto ad religionem migrare. Sic ex communi ſententia Henriq. *lib.*11. *cap.*15. *num.*3. *& cap.*14. *n.*3. Cobarub. *decret.* 1.*part. cap.*5. *in princip. n.*11. Sanch. *lib.*1. *diſp.*43. *à num.*3. Gutier. *cap.*25. *de matr. num.*2. Ægid. de Coninch. *diſp.*23. *dub.*2. Baſil. Ponce *lib.*12. *capite* 10. *à numero* 9. & alii plures apud ipſos. Ratio præcipua eſt, quia juramentum ſequitur naturam actus, cui adhæret, *cap. quemadmodum de jurejurando, leg. fin. Cod. de non numerat. pecun.* At natura promiſſionis matrimonii, cui juramentum adhæret imbibit conditionem niſi promittens velit religionem ingredi, quæ conditio cum non inſit ſponſalibus ex jure poſitivo, ſed ex naturali, aut divino privilegio nequit ab Eccleſia ab ſponſalibus juratis excludi; ſiquidem ſponſalia jurata exequi non eſt ita perfectum, ac eſt religionis ſtatus, aliàs ex matrimonio rato jurato non eſſet licitus tranſitus ad religionem, quod non eſt dicendum.

Limitant tamen hanc ſententiam Henriq. Sanch. & Gutierr. ne procedat, quando alteri ex contrahentibus intereſſet, ut matrimonium prius contraherentur, eo quod contracto honori fœminæ conſulitur, & proles ex ea nata legitimatur. Sed hæc obligatio non ex juramento, ſed ex damni reparatione provenit.

6. Ad textum in *cap. commiſſum* reſpondent optimè Cobarrub. Sanch. Gutierr. Baſil. Ægid. *leg. alleg.* prædictum ſponſum nondum de religionis ingreſſu firmiter deliberaſſe, ut colligitur ex illis verbis textus, & poſtea ſi elegerit, quaſi nondum elegiſſet, inſtaſſeque tempus juramenti exequendi, ne igitur protrahendo matrimonium ſub religionis tepido deſiderio, periculo exponeretur violandi juramentum, dixit, Pontifex tutius eſſe prius contrahere, & poſtea ſi velit ad religionem tranſire, quod non dixiſſet, ſi videret ſponſum firmo animo velle religionem ingredi. Vel ſecundò reſponde in prædicto caſu fortè eſſe aliquam cauſam, quæ obligaret matrimonium prius contrahere nempe ob ſponſæ honorem, & prolis legitimationem, & tunc ſponſa monita de voluntate religionis matrimonium contrahendum eſt. Neque obſtat dixiſſe Pontificem *tutius eſſe*, quia ſæpè comparativum propoſitivo ſumitur. Ad rationem reſpondeo illud verum eſſe, niſi juramentum haberet conditionem, niſi religionem elegero, nam hac electione poſita juramentum impletur. Præterquam quod ipſo matrimonii contractu ſtatus religionis aliqualiter impeditur, non enim ductam uxorem ita facile eſt relinquere, & religionem ingredi.

7. An verò econtrà poſſis matrimonium inire animo ingrediendi religionem ante conſummationem? difficultate non caret; eo quòd utaris jure tibi conceſſo; neque enim cenſendus es injuriam puellæ irrogare ſic contrahendo, cùm ipſi etiam bimeſtre concedatur ad deliberandum de religionis ingreſſu, aliàs neque Pontifex diceret in dicto *cap. commiſſum* tutius eſſe contrahere, ſi contractus illicitus eſſet. Atque ita tradunt Anton. Abbas, Alexand. Præpoſit. & alii relati à Sanchez *diſp.*43. *num.*2. *&* 11. Sed longè verior eſt ſententia, quam ſequitur ipſe Sanch. *num.*12. Gutierr. *cap.*25. *num.*5. Nempe te peccaturum contra charitatem, ſeu miſericordiam, ſi eo animo contrahas ſponſæ non manifeſtato: quia præſumi poteſt ſponſam non conſenſuram contractui, ſi eum animum ſciret, tum ob ſuſpicionem notæ, quam incurrit ſe eſſe ob aliquod vitium à te deſertam, tum quia cogis illam eſſe abſque nuptiis, quouſque profitearis, vel te religionem deſerente eſſe uxorem monachi cum non levi dedecore. Unde non peccas, quia contrahis matrimonium eo animo; ſed quia eum animum non manifeſtas, quem manifeſtare ex charitate debebas, niſi fortè ex ejus manifeſtatione, aliquod tibi damnum immineat, ob cujus cauſam excuſeris. Et per hæc ſatisfactum eſt rationi pro contraria ſententia adductæ.

8. Ex his deciditur quæſtio non leviter inter Doctores controverſa, an ſponſalia contrahens, & jurans ſi poſtmodum te religionis voto adſtringas, poſſis matrimonium inire animo ingrediendi religionem ante conſummationem? Et licèt plures Doctores quos refert Sanchez *diſp.*43. *num.*6. affirmativam partem defendant, verior, & probabilior eſt negativa quam ipſe Sanchez *num.*7. pluribus aliis relatis firmat, & Gutierr. *cap.*25. *num.*4. eo quòd ſi contrahens manifeſtiſſimo periculo te exponas non exequendi votum, cui periculo te objicere illicitum eſt, niſi aliqua cauſa gravi excuſeris, qualis eſſet ſi alia via non tibi pateat aditus ſecurus religionem ingrediendi, vel honori fœminæ, aut prolis bono conſuli non poſſit.

9. Gravior dubitatio eſt, ſi prius religionis, vel caſtitatis

ſtitatis votum emiſeris : & poſtmodum honeſtam fœminam ſub fide data de matrimonio contrahendo defloraveris, an poſſis fœminam ducere omiſſo voto ? Negant Navarr. *lib. 4. conſil. titul. de ſponſalibus conſ. 21.* aliàs *conſ. 1. titul. Qui clerici, vel voventes.* Rodrig. *ſumm. 1. titul. cap. 208. numero 11.* Candelabrum aureum *3. parte de ſacrament. capite 14. numero 65.* Ducuntur, quia poſterior promiſſio iniquè facta eſt, & contra jus Deo quæſitum, nequit ergo priorem promiſſionem infirmare.

Sed oppoſitum verius cenſeo cum Sanchez *diſp. 45. num. 3. & ſeqq.* Gutierr. *de matrim cap. 25. num. 7.* Leſſius *lib. 2. cap. 10. dub. 4.* Coninch. *diſputat. 23. dub. 3. concluſ. 5.* Chapeavilla *cap. ultim. ſui tract. quæſt. 17.* Vazq. *de reſtitut. cap. 3. in fine.* Layman. *lib. 5. tract. 10. 1. part. cap. 2. num. 4.* aliiſque viris doctiſſimis non ſolùm te poſſe, ſed & teneri ducere prædictam fœminam non ob promiſſionem præcisè, ſed ob traditionem ſui corporis tibi bona fide factam ſub conditione, & pacto matrimonii futuri, & ſub illius ſpe : æquitas namque naturalis non patitur, ut cum tanto damno proximi in Deum liberalis exiſtas. Si enim equum Titio liberaliter promiſſum poſtea Sempronio ex contractu oneroſo obligaſſes ; cui contractui nullatenus ſatisfacere poſſes, niſi equum tradendo, ſine dubio obligatus eſſes equum Sempronio tradere *Argument. legis ignoti Codic. revocand. donation.* quia non expedit cum unius jactura, & damno alteri te liberalem oſtendere. Adde ob matrimonium non extingui religionis votum, ſed ſuſpendi. Hujus autem ſuſpenſio, & dilatio ex cauſa rationabili fieri poteſt. Si enim ob neceſſitatem parentum ſupervenientem, ob debita pecuniaria ſolvenda ſæpe fit, à fortiori videtur fieri poſſe ob honorem puellæ deceptæ ſervandum. Notanter dixi *bona fide.* nam ſi puella ſciens votum religionis ſuum tibi corpus tradidiſſet ſub promiſſione matrimonii, nequaquam illam ducere poteris, ſed obligatus eris ea relicta religionem ingredi, utpote quæ particeps fuit tuæ promiſſionis iniquæ, ex qua nullum potuit jus acquirere, ſicuti tanquam certum prædicti Doctores tradunt.

PUNCTUM XIX.

Qualiter Ordinis ſacri ſuſceptione ſponſalia dirimantur ?

1 *Plures cenſent dirimi.*
2 *Verius eſt illicitè ſacros Ordines ſuſcipi renuente ſponſa.*

1. NOn eſt dubium Ordinis ſacri ſuſceptione ſponſalia dirimi, quia aſſumis ſtatum, quo te matrimonio contrahendo inhabilem reddis. Controverſia autem eſt an eum ſtatum licitè ſuſcipere poſſis, ſicuti potes aſſumere ſtatum religioſum ? Affirmant Sotus *in 4. d. 27. quæſt. 1. art. 5.* Navarr. *cap. 22. n. 25.* Gutierr. *cap. 26. n. 2.* Baſil. Ponce, *lib. 12. cap. 11. num. 3.* Henriq. *lib. 11. cap. 14.* indicat Layman. *lib. 5. tract. 10. 1. part. cap. 2. num. 7.* & alii plures. Moventur, quia in ſponſalibus tacitè videtur ineſſe ea conditio, *niſi ſtatum perfectiorem matrimonio elegeris.* Ergo illius ſtatus electione nullam promiſſario injuriam irrogas matrimonium non contrahendo, utpote qui non promiſiſti matrimonium caſu quo velles ſtatum perfectiorem eligere.

2. Cæterùm ſponſalibus obſtrictum illicitè ad ſacros Ordines renuente ſponſa aſcendere docet ut probabilius Sanch. aliis relatis *diſp. 47.* Ægid. de Coninch. *diſp. 23. dub. 3. num. 25.* Rebell. *lib. 4. de matrim. quæſt. 9 ſect. 5.* Ratio eſt, quia nec jure divino, nec naturali, nec poſitivo conceſſum eſt ordini ſacro ſponſalia dirimere, ſicuti conceſſum eſt religioſo ſtatui ; aliàs ſicut religioſus ſtatus dirimit matrimonium ratum, ſuſceptio Ordinis ſacri illud dirimeret contra *extravag. Antiquæ de voto.* Sed ſponſalia per Ordinem ſacrum dirimuntur, quia te matrimonio contrahendo inhabilem præſtitiſti, ſicuti dirimerentur matrimonio cum alia contracto. Nequis ergo ſponſalibus relictis Ordinem ſacrum aſſumere, ſicut nequis matrimonium cum alia celebrare. Et confirmo. Ideò in ſponſalibus conditio ſtatus religioſi ſubintelligitur excepta, quia vel jure divino, vel ſaltem Eccleſiaſtico ſponſalia dirimit ob ejus perfectionem, at cum ordo clericalis, nec jure divino, nec poſitivo ſponſalia dirimat, non eſt cenſenda ea conditio excepta. Quod enim ſtatus clericalis præſtantior ſit quàm conjugium, non inde inferri poteſt in promiſſione conjugii ſtatum clericalem excipi : aliàs omnia juramenta in favorem hominis præſtita poſſes non exequi affirmans imbibi in illis conditionem, niſi perfectius quid elegerit, quod falſiſſimum eſt, ut latius diximus *tract. de juram.* Addi poteſt in hujus partis confirmationem praxis recepta, quæ de initiando ſacris inquiritur, an fidem alicui de matrimonio contrahendo, quæ tamen inquiſitio pro religionis ingreſſu non fit. Signum ergo eſt ſponſalibus contractis neminem poſſe licitè ad ſacros Ordines promoveri renuente ſponſa, benè tamen religioſum ſtatum aſſumere.

PUNCTUM XX.

Qualiter voto religionis, Ordiniſve ſacri ſuſcipiendi, vel continentiæ diſſolvantur ſponſalia.

1 *Si aliquod ex his votis omittas ſufficientem præbes cauſam ſponſæ dirimendi ſponſalia.*
2 *Prædictis votis dirimuntur ſponſalia æquè ac dirimuntur habitus religioſi ſuſceptione.*
3 *Illicitè, & invalidè fit votum de Ordine ſacro aſſumendo, etſi plures contrarium cenſeant.*
4 *Votum religionis ſuſcipiendæ licitum eſt, & ſponſalia diſſolvit.*
5 *Votum continentiæ ſponſalia diſſolvere docent plures.*
6 *Verius eſt oppoſitum*
7 *Satisfit fundam. oppoſit.*
8 *Adſtrictus ante, vel poſt ſponſalia caſtitatis voto tenetur ingredi religionem ex plurium ſententia.*
9 *Verius eſt oppoſitum.*
10 *Adſtrictus voto caſtitatis poſt ſponſalia obligatus eſt ea implere.*

1. ET quidem ſi aliquod ex prædictis votis ſponſalia præcedit, manifeſtum eſt apud omnes ea irrita reddere, etiamſi juramento firmentur, uti deciditur *c. Rurſus, qui cler. vel voventes,* quippè promitterent rem illicitam. Controverſia igitur eſt de voto ſponſalia ſubſequente, an ea diſſolvere poſſit ? Quia in re illud eſt certum, ſi voveas ſacrum Ordinem, religionem, vel continentiam, eo ipſo ſponſæ præſtas ſufficientem cauſam, ut ab ſponſalibus reſiliat, quia tacitè juri acquiſito renuncias, uti advertit Sanch. *diſp. 46. n. 5. & diſp. 47. n. 4.*

2. Secundò eſt certum voto religionis, vel ſacri Ordinis ſuſcipiendi dirimi non poſſe ſponſalia efficacius quàm dirimuntur habitus religioſi aſſumptione ante profeſſionem, ut benè advertit Baſil. Ponce. *lib. 12. de ſponſalibus cap. 13. num. 2.* His poſitis.

3. Dico primò, Doctores qui cenſent ordine ſacro ob illius perfectionem ſponſalia diſſolvi, licitéque aſſumi, conſequenter affirmant votum ſuſcipiendi ordinem ſacrum validum, & licitum eſſe, & æquè ſponſalia diſſolvere, ac diſſolvit votum religionis ſuſcipiendæ. At cùm nos tanquam probabilius judicaverimus illicitè poſt ſponſalia ordinem aſſumi, conſequenter affirmamus illicitè, & invalidè de illo aſſumendo votum fieri, ſicuti pluribus relatis tradit Sanch. *lib. 1. de matr. diſp. 47. num. 3.* Coninch. *diſp. 23. dub. 3. n. 25.*

4. Dico ſecundò. Votum religionis ſuſcipiendæ licitum

tum eſt,& ſponſalia præcedentia dirimit,uti ex communi ſententia docent Henriq. *lib.* 11 *de matr. cap.* 14.*n.m.* 4. Sanch. *lib.* 1. *diſput.* 46. *numero* 2. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. 1. *part. cap.* 2. *num.* 4. Gutierr. *de matr. cap.* 26. *num.*3.Baſil. Ponce *lib.* 12. *de matr. cap.* 12. *num.* 2. & alii apud ipſos. Etenim cùm hujuſmodi ingreſus licitus ſit, & à jure permiſſus, licitum tibi erit illum vovere. At cùm eo voto ante profeſſionem ſtatum non conſtituas, credo ex parte tua ſponſalia non diſſolvi, quouſque profeſſionem emittas. Quare ſi ab eo voto liber eſſes, eo quòd in nullam religionem admittaris, vel admiſſus non perſeveraveris,ſponſalibus adimplendis obligatus es ſponſa id volente, quia nullibi cautum eſt prædicto voto, ſicuti nec habitus religioſi ſuſceptione profeſſione non ſecuta, ſponſalia diſſolvi.

5. At ſi votum continentiæ emiſeris ex vi illius integrè ſponſalia diſſolvi docent pluribus relatis Gutierr. *de matr. c.* 26. *num.* 1. Azor. 1. *part. lib.* 11. *cap.* 21 *quæſt.* 10. Suar. *lib.* 2. *de voto cap.* 4. *num.*13.Gab. Vazq. *opuſc. de reſtit. c.* 3. §. 3. *dub.*6.*num.* 17. Baſil. Ponce *l.* 12. *de matrim. c.*12. *num.* 4. Henriq. *l.* 11. *cap.* 14. *num.* 4. Ducuntur primò ex *cap. veniens. Qui clerici, vel voventes,* ubi quædam mulier ſponſalia contraxit cum alio abſente, cujus ſævitiâ perterrita ex conſilio cujuſdam Eremitæ votum caſtitatis emiſit. Quo emiſſo vir ad alias nuptias tranſivit, ipſa verò alteri nubere volebat ob incontinentiæ periculum, conſultus de hac re Alex. III. reſpondit. Nos itaque attendentes tutius eſſe, ut præfata mulier poſt fidem, & votum ſimpliciter oblatum matrimonium contrahat, quàm fornicationis reatum incurrat, mandamus quatenus ſi plus non proceſſit ſibi de fide mentita, & voto violato ſatisfactionem indicas, & ei cui vult nubere in Domino licentiam concedere non poſtponas. Ex quo textu exiſtimat Baſil. Ponce, prædictam ſententiam planè confirmari, ſiquidem prædictum votum validum fuit, aliàs diſpenſatione non indigeret. Et licet in prædicto textu indicetur, ſponſalia facto voto valere, ſiquidem fœminæ pœnitentia imponitur, ob violatam fidem, id inquiunt Baſil. & Azor. proceſſiſſe quoad forum externum, in quo nondum de voto conſtabat;eo verò probato diſpenſationem fuiſſe conceſſam Secundò *ex c. pervenit.* 2. *De jurejurando.* ubi non cenſetur promiſſum infringere qui in melius commutat. Sed ſtatus continentiæ matrimonio præſtat, ergo matrimonii promiſſionem non infringis in ſtatum continentiæ commutans. Tertiò in promiſſione matrimonii continentiæ ſtatum,ſicuti & ſtatum religioſum ob illius perfectionem cenſeris excipere, atque adeo nolle te obligare ad matrimonium caſu quo ſtatum continentiæ amplectaris. Tandem ubi duo vincula incompatibilia,& valida concurrunt, fortius prævalet, *cap. ſi inter de ſponſalibus.* At vinculum religionis, & voti fortius eſt fidelitatis vinculo ex ſponſalibus contracto Ergo, &c.

6. Nihilominus etſi prædicta ſententia probabilis ſit, probabiliorem exiſtimo prædicto voto continentiæ ſponſalia non diſſolvi, uti pluribus relatis firmat Sanchez. *lib.* 1. *diſp.* 46. *num.* 9. Conich. *dub.* 3. *concl.* 7. Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. 1. *part. cap.*2. *num.* 6. & colligitur *ex dicto c. veniens. Qui clerici vel voventes*, ibi enim Pontifex pœnitentiam præcipit injungi fœminæ pro voto violato, id eſt pro voluntate, quam habebat violandi votum alteri nubendo, ſicuti inquit *ibi* Gloſſ. & pro fide ſponſo mentita.Conſtitit ergo Pontifici votum, & vi illius ſponſalium violatio, ſiquidem pro utriuſque violatione pœnitentiam injungit. Ergo ex illo voto non cenſet Pontifex ſponſalia diſſolvi; aliàs illo facto non eſſet fides ſponſalium violata. Neque inde fit votum invalidum eſſe, nam eſto invalidum ſit, quatenus continet obligationem non contrahendi matrimonium, cum eo cui fidem dederat, at validum eſt, quatenus continet obligationem non petendi ab eo debitum matrimonio contracto, neque cum altero contrahendi.Nec mirum eſſe debet, quod votum continentiæ ex una parte invalidum ſit, & ex alia validum, quia reſpicit objecta diviſibilia, ut decidit textus in *cap. placet de converſione conjugat.* ibi: licet votum ejus uſquequaque non tenuerit, eatenus tamen obligatorium fuit, quatenus te potuit obligare. Ratio eſt,quia ea conditio, niſi voluero cœlibem vitam degere? non ſubintelligitur in contractu ſponſalium ex natura rei, aliàs ſubintelligeretur in qualibet promiſſione homini facta excepta conditione de meliori bono, quod eſt abſurdum. Neque etiam ſubintelligitur ex jure poſitivo, cùm ſolùm religioſus ſtatus inveniatur exceptus ob ejus ſingularem perfectionem, quæ exceptio ad alios caſus extendenda non eſt, cùm cedat extenſio in præjudicium juris partis acquiſiti. Neque denique ex mutuo contrahentium conſenſu prædicta conditio præſumi poteſt ſubintelligi, cùm nihil minus contrahentes intendant, quam jus ſervandæ caſtitatis ſibi reſervare. Præterea ſponſus renuens ſponſalia implere compellitur à judice, tametſi affirmet ſe caſtitatis voto obſtrinxiſſe, niſi religionem ingrediatur, uti docent Paludan. *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *caſu* 5. Sylveſt. *verbo* „*ſponſalia quæſt.* 7. Azor. 1. *part. lib.* 11. *cap.* 21. *quæſt.* 10. vel ſaltem ut placet Soto, *lib.* 7. *q.* 1. *artic.* 3. Henriq. *lib.* 11. *c* 14. *n.* 4. Ordinem ſacrum aſſumat. Ergo ſignum eſt votum caſtitatis non judicari ſufficiens ad diſſolvenda integra ſponſalia.

7. Neque argumenta oppoſitæ ſententiæ urgent.Primum ex *cap. veniens* potius noſtram ſententiam firmat, ut ex probatione concluſionis colligi poteſt. Ad ſecundum ex *capit. pervenit*, dico promiſſum non infringere qui in melius commutat ex voluntate creditoris, ut contingit in votis, & obligationibus ſoli Deo factis, ſecùs in iis, quæ in hominum favorem fiunt, quibus non ſemper meliora placent. Ad tertium nego ſubintelligi exceptum continentiæ ſtatum, neque ex mutuo contrahentium conſenſu. Ad quartum dico majorem eſſe veram, quando utrumque vinculum validum eſt: at votum continentiæ ſubſequens ſponſalia invalidum eſt, qua parte ſponſalibus præjudicat.

8. Super eſt dicendum, an qui ante, vel poſt ſponſalia, aut matrimonium ratum obſtrictus eſt caſtitatis voto teneatur religionem ingredi, vel ſaltem Ordinem ſacrum aſſumere? Placet Paludan. *in* 4. *diſt.* 27.*q.* 1.*art.*3. *caſu* 5. *num.* 23. Sylveſt. *verb. ſponſalia q.*7.Navar. *c.*22. *num.* 25. Cordub. *ſum. quæſt.* 136. *parr.*4. Ludovic. Lopez 2. *part. inſtruct. c.* 38. Vega *lib.* 6. *ſum. caſu.*41.*part.* 4. teneri eo quòd alia via non poteſt perfectè votum implere.

9. Sed longè verius eſt neque ad religionem, neque ad ordinem obligari, quia non tenetur medio ita arduo, & difficili uti ad voti obſervationem, ſicuti ex communi ſententia docent Sanchez *diſput.* 46. *num.* 13. Gutierr. *de matr. c.* 26. *num.* 1. *in fine* Coninch. *diſput.* 23. *dub.* 3. *num.* 27. Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 10. 1. *part. cap.* 2. *num.* 9. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *numer.* 52. & alii. Et videtur manifeſtè colligi ex *Extravag. Antequam de Voto*, ubi qui matrimonio contracto ſacrum. Ordinem ſuſcepit cogitur conſummare, niſi religionem ingredi vellet. Non igitur ob perfectam voti obſervationem tenetur religionem ingredi.

10. Ex his infertur adſtrictum voto caſtitatis poſt ſponſalia obligatum eſſe ſponſalia implere, niſi pars altera obligationem remittat. Matrimonio verò contracto reddere debitum debet, tametſi petere non poſſit; expedit autem ab Epiſcopo,aut aliis privilegium habentibus diſpenſationem pro debiti petitione obtinere,quæ facile concedi debet ob incontinentiæ periculum,ut benè Coninch. Layman. & alii notarunt.

Punctum XXI.

Qualiter matrimonio sponsalia dirimantur?

1 *Ex parte illius qui matrimonium non contraxit dissolvuntur sponsalia.*
2 *Ex parte contrahentis matrimonium suspenditur sponsalium obligatio.*
3 *Dissoluto eo matrimonio negant plures teneri cum prima contrahere . ipsa volente.*
4 *Verius est oppositum.*
5 *Satisfit fundam. contrariis.*

1. CErta res est ex parte illius qui matrimonium non contraxit sponsalia dissoluta esse, quia contrahens matrimonium sponsalibus renunciavit, & justissimam alteri parti causam resiliendi præstitit. Quod verum est, tametsi invalidè matrimonium contraxisset, ut benè advertit Sanch. *lib.* 1. *disp.* 48. *num.* 1. Gutierr. *cap.* 27. *numero* 2. Coninch. *disp.* 23. *dub.* 4. *concl.* 1. *numero* 28.

2. At ex parte illius qui matrimonium contraxit durante matrimonio sponsalium obligatio etiam jurata soluta est, vel saltem suspensa *cap. sicut*, *cap. si inter virum*, & aliis, *de sponsalibus c.* 1. *de sponsa duorum. cap. fin.* 27. *quæst.* 2. *lege regia*, 8. *tit.* 1. *part.* 4. Quippe nequit eo matrimonio durante sponsalium obligationem exequi. Si autem matrimonium irritum esset à priori sponsalium obligatione non esset solutus, quia non præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum *Regula non præstat, de Regul. juris in* 6. & tradit Navarr. *cap.* 22. *n.* 23. & pluribus relatis Sanch. & Gutierr. *loc. cit.*

3. Difficultas igitur est, an contrahens cum secunda matrimonio dissoluto morte, vel professione secundæ, teneatur cum prima contrahere ipsa volente? Negant Palud. *in* 4. *d.* 28. *q.* 1. *art.* 1. *concluſ.* 4. *num.* 8. Azebedo *l.* 1. *num.* 13. *tit.* 1. *lib.* 5. *nova collect.* Rodrig. 1. *tit. sum. cap.* 245. *num.* 8. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 2. Sanch. plures referens *lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 48. *num.* 3. Gutierr. *cap.* 27. *de matrim. num.* 3. Paul. Laym. *lib.* 5. *sum tract.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *in fine*. Moventur primò, quia obligatio semel extincta non reviviscit, *leg qui res.* §. *aream, de solutionibus, cap. quæris de consecrat. dist.* 4. At obligatio sponsalium matrimonio cum alia contracto extinguitur, ut colligitur *cap. sicut c. si inter*, & aliis *suprà* relatis: ergo. Secundò, obligatio fortior superveniens extinguit obligationem priorem ejusdem rationis, ut probat textus *in c. qui post.* 5 *de Regul. in* 6. ubi votum profitendi in strictiori religione extinguitur professione in laxiori.

4. Sed verius existimo dissoluto matrimonio cum secunda obligatum esse cum priori contrahere, si ipsa velit, quæ fuit sententia Adriani *in* 4. *quæst.* 2. *de matrim. ad* 2. *in fine*, Petr. de Ledesm. *quæst.* 43. *art.* 6. *dub.* 2. *ad* 2. Coninch. *disp.* 23. *dub.* 4. *concluſ.* 3 *num.* 32. Vega *l.* 6. *sum. casu.* 125. Basil. Ponce *lib.* 12. *cap.* 13. *num.* 4. Moveor, matrimonium superveniens etsi eo durante sponsalium executionem impediat, at illorum obligationem non extinguit nec jure positivo, nec naturali. Non jure positivo; siquidem prædicti textus solùm decidunt contrahentem matrimonium cum aliqua debere cum illa manere, an verò solvatur à priori obligatione ita ut soluto matrimonio morte, vel professione secundæ non teneatur cùm priori contrahere, nihil decidunt. Ergo ex jure positivo colligi non potest obligationis priorum sponsalium extinctio. Minus autem colligi potest ex jure naturali, siquidem sponsalium obligatio optimè persistere potest matrimonio cum alia contracto, non quidem ut eo tempore executioni mandetur, sed ut mandetur executioni eo matrimonio dissoluto, ac proinde durante matrimonio suspenditur sponsalium obligatio, at matrimonio dissoluto reviviscit. Quod quidem convenientissimum est, ne matrimonium malitiosè contrahens commodum absque necessitate ex sua injustitia reportet, & pars relicta damnum, & juris sibi debiti privationem. Secundò religionem vovens si matrimonium contrahat, obligatus est eo dissoluto religionem intrare, si aptus inveniatur, quia obligatio voti religionis esto fuerit suspensa tempore matrimonii, non tamen fuit extincta, quia id necessarium non erat. At similiter necessarium non est sponsalium obligationem extingui ob matrimonium cum alia contractum, ergo. Quòd si dicas, obligationem voti religionis non extingui matrimonio, quia est diversæ rationis, extingui verò obligationem sponsalium, quia est ejusdem rationis cum matrimonio, obstat; quia esse ejusdem, vel diversæ rationis parum refert, quando quidem personæ diversæ sunt, & secunda obligatio non cedat in prioris creditoris commodum, sed potius in illius damnum. Quod hoc exemplo illustratur, si enim Petro equum promittas, vel vendas, qua promissione, vel venditione nonobstante Francisco equum venderes, & traderes, Francisci equus est, uti deciditur *leg. quoties.* 15. *Cod. de rei vindicat.* At si Franciscus tibi equum reddiderit; cui dubium erit te obligatum esse Petro, equum tradere, & priorem promissionem, & venditionem exequi, siquidem id facere potes?

5. Ex his solutum est primum oppositæ sententiæ fundamentum. Ad secundum *ex cap.* 5. *de Regularibus in* 6. dico primò id provenire ex juris positivi dispositione, ut pax monasteriorum, & professionum servetur, quod jus in præsenti non adest. Secundò, quia ibi est idem creditor scilicet. Deus, cui res præstantior conceditur professione in religione laxiori, quam quod concessum erat voto strictioris assumendæ. At hic sunt creditores diversi, & unius commodum in alterius damnum cedit. Tertiò professio est vinculum per se perpetuum, quod ola professionis morte extingui potest; at matrimonium solvi potest morte, vel professione alterius contrahentis, quo soluto aptus est priorem sponsalium obligationem implere.

Punctum XXII.

Qualiter secundis sponsalibus priora solvantur?

1 *Contrahens secunda sponsalia absque juramento, vel copula non est solutus à priorum obligatione.*
2 *Quod procedit, etiamsi secunda sponsalia juramento firmentur. Nisi legitima causa subsit recedendi à prioribus.*
3 *Si prima sponsalia ex aliquo casu cessent firmant plures te obligatum esse secundis.*
4 *Verius est ex hac promissione nullam obligationem nasci.*
5 *Si posterioribus sponsalibus copula accedat, negant plures prioribus derogatum esse.*
6 *Verius censeo priora sponsalia dissoluta esse.*
7 *Satisfit fundamentis prioris sententiæ.*
8 *Examinatur, an illis in locis, in quibus Trident. receptum non est secunda sponsalia copula subsequente dirimant priora tanquam per verum matrimonium.*

1. CErta sententia est contrahentem sponsalia posteriora absque juramento, vel copula non esse solutum à priori sponsalium obligatione, quia ea secunda sponsalia nulla sunt, utpotè promissio rei illicitæ; quippe promittitur matrimonium quod alteri debitum est. Ex parte verò sponsi repulsi sponsalia dissolvuntur. Tum quia contrahens secunda sponsalia prioribus renunciare censetur. Tum quia alteri sufficientem causam præstat ab sponsalibus recedendi, siquidem ipse conatus est ab illis recedere.

2. Si verò secunda sponsalia juramento firmentur, etsi Innocent. *in cap. veniens numero* 1. *de jurejurando num.*

num. 1. & Immola *ibi*, *num.* 4. & Abbas antiquus, teste Anton. de Butrio *in c. sicut de sponsalib. in fine*, docuerint secunda sponsalia ob religionem juramenti prævalere prioribus non juratis. At communis, & certa sententia docet secunda sponsalia jurata nullius valoris esse, utpote quæ sunt de re iniqua, & in præjudicium tertii, cui per priora sponsalia est jus quæsitum, *argum. cap. cum contingat de jurejurando*, & *cap. quamvis pactum, de Pactis, in* 6. & tradit Cobarub. 4. *decret.* 1. *p. cap.* 4. *initio n.* 3. Sanch. innumeros referens *lib.* 1. *disp.* 50. *num.* 2. Gutierr. 1. *part. de juram. c.* 51. *num.* 6. & *de matrim. cap.* 28. *n.* 1. Excipe nisi dum secunda sponsalia contrahuntur, subsit legitima causa à prioribus recedendi; nam eo casu secunda sponsalia etiam non jurata valida sunt, utpotè quæ rem licitam, & honestam promittunt, uti docuit Sylv. *verb. sponsalia, q.* 10. *dicto* 3. Sanch. *dicta disp.* 50. *num.* 4. Basil. Ponce *lib.* 12. *c.* 14. *num.* 2. Gutierr. *de matr.* 6. 28. *num.* 1. *in fine.*

3. Quod si prima sponsalia ex aliquo casu cessent, vel quia ante contractum matrimonium moritur sponsa, vel obligationem remittit, vel religionem ingreditur, contrahens secunda sponsalia obligatus est illa implere secundùm Cobarub. 4. *decret.* 1. *part. c.* 4. §. 1. *numero* 10. & Rebell. *lib.* 4. *q.* 8. *sect.* 8. *concl.* 4. *in fine* & alios, eo quòd secunda promissio etsi pro tempore priorum sponsalium illicita sit, at pro tempore, quo illa sponsalia fuerint soluta licita est, ad quod tempus illa promissio in secundis sponsalibus facta videtur extendi, cum sit promissio absoluta, & absque ulla temporis limitatione.

4. Sed verius censeo nullam ex ea promissione etiam juramento firmata obligationem contrahendi cum secunda nasci, quod docuit Sanch. *lib.* 1. *disp.* 50. *num.* 6. Gutierr. *dicto c.* 28. *de matr. in fine.* Basil. *lib.* 12. *c.* 14. *num.* 2. Coninch. *disp.* 23. *dub.* 4. *num.* 29. & docuerat *disp.* 22. *dub.* 6. *num.* 43. *concluf.* 8. Ratio est manifesta, quia durante valore priorum sponsalium nemo potest valide secunda sponsalia contrahere, quia nequit alteri se tradendum obligare, cùm obligatus existat. Quòd si dicas id esse verum durante priori obligatione, secus illa dissoluta, obstat; quia contrahens secunda sponsalia absolutè se obligare intendit non sub conditione, quod priora sponsalia dissolvantur. Sed absoluta obligatio est impossibilis, ergo ex secundis sponsalibus nulla contrahitur obligatio. Et confirmari potest exemplo illius qui contracto matrimonio, illóque consummato absque licentia conjugis religionem profitetur, quia non censetur religioni obstrictus pro tempore quo matrimonium dissolutum fuerit *capit. placuit & capit. quidam de conversi. conjugat.* quia dum professionem emisit se religioni obligare non potuit, & conditionalem illam obligationem omnino jura reprobant, utpote contrariam vinculo matrimonii, quod de se perpetuum est. Secùs verò est de voto castitatis, quia ad ipsum servandum, quatenus includit abstinentiam à debiti petitione, & accessu ad alias fœminas durante matrimonio te astringere potuit, & ex his solutum est fundamentum oppositum Cobarub. & Rebell.

5. Gravior difficultas est, an si posterioribus sponsalibus copula accedat priora sponsalia censeantur soluta? Supponimus prioribus sponsalibus copulam non accessisse, aliàs hæc deberent prævalere, quia sunt tempore priora, ac proinde potiora in jure juxta vulgarem regulam. Et præterea supponimus sponsam se permittentem defloravi sub promissione conjugii ignaram esse priorum sponsalium, aliàs particeps esset delicti, & iniquitatis promissionis, & illius nullitatis conscia. Controversia igitur est quando priora sponsalia nullam qualitatem specialem habent, & secunda contrahuntur cum fœmina priorum ignara, & sub eo contractu copula extorquetur, an inquam hæc secunda sponsalia derogent prioribus? Negant derogare Sotus *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *artic.* 4. *dub.* 3. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 23. *numero* 3. Man. Rodrig. 1. *titul. cap.* 245. *num.* 8. Sanchez. *lib.* 1. *disp.* 49. *num.* 5. Gutierr. *cap.* 27. *in fine. numero* 7. Moventur, quia secunda sponsalia non derogant prioribus ratione promissionis, quæ nulla est, nec ratione damni illati, quod constitutione dotis, vel alia via resarciri potest. Ergo priora sponsalia firma persistunt, atque adeo exequenda. Et confirmatur, quia æquum non est ob injuriam secundæ sponsæ factam privari priorem sponsam jure filii quæsito. Temperant autem Henriq. & Gutierr. suam sententiam, ne procedat casu quo secunda fœmina grave damnum pateretur, si sponsalia cum ea contracta non mandentur executioni, prior verò fœmina nullum, vel leve damnum, quia eo casu ipsa tenetur obligationem remittere, ut grave damnum sui proximi evitetur, judéxque, poterit sic contrahentem compellere ad contrahendum cum secunda, omissa prima.

6. Nihilominus verius reputo sponsalia priora dissolvi ex parte utriusque, obligatumque esse secundam fœminam ducere, quod docuit Major. *in* 4. *d.* 27. *quæst.* 5. Rebell. *lib.* 4. *de oblig. just. quæst.* 8. *sect.* 8. *num.* 56. Ægid. de Coninch. *disp.* 23. *dub.* 4. *concl.* 4. *num.* 34. Basil. Ponce *lib.* 12. *de sponsal. cap.* 14. *num.* 4. & alii. Moveor, quia obligatio, quam habes contrahendi cum secunda est obligatio ex contractu oneroso ob usum corporis sponsæ sub ea conditione tibi traditum, quem usum nullatenus reddere potes; priorum verò sponsalium obligatio est omnino liberalis, & gratuita. Ergo hæc obligationi onerosæ cedere debet; quippe obligatio liberalis est de concedendo lucro, onerosa vero de damno vitando, cui semper favendum est. Exemplo res illustratur. Si enim equum Petro liberaliter promissum Joanni vendas pretio accepto, & consumpto equm Joanni tradere obligaris, *argum. leg. quoties*, 15. *Cod. de rei vendicat.* ubi res venditas uni, & alteri vendita & tradita huic debetur. At prioribus sponsalibus te in matrimonium promisisti, secundis verò sponsalibus te quasi vendidisti recepto pretio, quinimo & tradidisti si non quoad dominium, saltem, quoad usum, ergo hæc secunda sponsalia exequi debes non priora. Præterea quoties damnum notabile secundæ fœminæ advenit, eo quòd matrimonium cum illa non contrahatur, censent plures Doctores primæ sententiæ & priorem fœminam cedere debere, & judicem interpellatum te obligaturum fore ad contrahendum cum secunda. At hoc damnum ferè semper contingit, cùm rarò secunda fœmina sponsum æqualem inveniat.

7. Ad fundamentum prioris sententiæ respondeo: ob usum corporis à secunda fœmina acceptum sub promissione conjugii te esse obligatum, cui nequis alia via juxta voluntatem sponsæ satisfacere nisi te in conjugium tradendo. Et licèt inde contingat privari priorem sponsam jure sibi quæsito, id sustinendum est, ne secunda sponsa ipsius graviùs lædatur.

8. Ad extremum dubitabis, an in illis partibus in quibus Concilium Tridentinum receptum non est, secunda sponsalia copula subsecuta dirimant priora tanquam per verum matrimonium contractum, & consummatum? Ratio difficultatis est; quia ante copulam non sunt vera sponsalia, ergo possunt in matrimonium transire copula subsequente. Cæterùm dicendum est, si constat sponsos hoc modo contrahere matrimonium voluisse, non est dubium prioribus sponsalibus derogatum esse; non quidem per posterioria sponsalia quæ non fuerunt, sed per verum matrimonium, quod celebratum est. At cùm de intentione contrahentium non aliter constat quàm ex eo quòd secunda sponsalia contraxerunt, & postmodum copulam habuerint, etsi aliqui censere possint effectu non conjugali, sed fornicario accessisse. At longè verius est præsumi debere affectu maritali copulam habitam esse, & antecedenter ad illam suos consensus de præsenti explicasse, quippe

præsump

præsumptio delicti quoad fieri potest omnino vitanda est, ob cujus causam Ecclesia præsumit sponsos de futuro se cognoscentes contractum matrimonii copulæ præmisisse, sicuti benè docent Navarr. *c.* 22. *num.* 26. *casu*.... Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. *num.* 3. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 49. *num.* 1. Basil. *lib.* 12. *cap.* 14. *in fine.*

Punctum XXIII.

Qualiter sponsalia dissolvantur ob quasi absentiam?

1 *Si sponsus insciа sponsa, vel ea non consentiente terram dimittit, & in remotam se transferat, sponsa soluta est à lege sponsalium.*
2 *Secus si ex causa necessaria, vel ex consensu sponsæ discedat, cito reversurus.*
3 *Qualiter prædicta intelligantur.*
4 *Dicta de absentia sponsi à fortiori procedunt in absentia sponsæ.*

1. QUando sponsus insciа sponsa vel ea non consentiente terram dimittit, & in remotam se transfert, sponsa à lege sponsalium soluta est, partim quia sic discedens videtur sponsalibus renunciasse, partim quia sponsa non tenetur sponsum domicilium mutantem sequi. Est enim grave onus, cui per sponsalia non se subiicit, nisi aliter inter ipsos esset conventum. Sic tanqum omnino certum tradit Sanch. *lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 52. *in finem, num.* 14. Gutierr. *de matr. cap.* 30. *in fine.* Basil. Ponce *lib.* 12. *cap.* 15. *num.* 1. Coninch. *disp.* 23. *dub.* 6. *concl.* 6. Paul Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. 1. *part. c.* 2. *num.* 15. colligitúrque apertè *ex cap. de illis de sponsalib.* ibi: de illis autem qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimittunt tertiam se ad alias partes transferentes, hoc tibi volumus innotescere quod liberum erit mulieribus ipsis, si non est amplius in facto processum, ad alia se vota transferre, recepta tamen de periurio pœnitentia, si per eas steterit quominus fuerit matrimonium consummatum. Ponderandúmque est verbum illud *liberè*, quod satis indicat non esse opus sponsæ in prædicto casu expectare biennium, aut triennium juxta jus civile statim referendum, sponsíve licentiam, *argum. Gloss. in Clement. dudum de sepultur.* verbo, liberè, & tradit Sanch. *lib.* 1. *disp.* 54. *num.* 6. Gutierr. *cap.* 30. *num.* 3. Andr. Fachin. *lib.* 3. *controvers. cap.* 30. Paul. Laym. *lib.* 5. *tract.* 10 1. *part. cap.* 2. *num.* 14. Coninch. *disp.* 28. *dub.* 6. *conclus.* 6. Basil. *dicto c.* 15. *numero* 2. Neque item necessariam esse judicis authoritatem, sed eo ipso quo constet sponsum aliò se transferre domicilium mutando, poterit sponsa liberè ad alia vota transire: dictio namque *liberè* alterius consensum & authoritatem tanquam necessariam excludit, juxta Gloss. *in c. cùm plures*, *verbo*, *liberè de officio deleg.* Bald. *in cap. quæ in Ecclesiarum numero* 6. *de const.* Tiraquel. *in leg. si unquam*, *verbo*, *revertetur numero* 134. *Cod. de revocand. donat.* Gutierr. *dicto cap.* 30. *numero* 4. Sanch. *d. disp.* 54 *numero* 6. Quod procedit etiamsi juramento sponsalia fuerint stabilita, ut apertè probat Textus in dicto *cap. de illis.* Neque obest quod ibi fœminis imponatur pœnitentia pro perjurio, quia id intelligendum est, uti ipsemet Textus explicat, quando ipsæ in causa fuerunt absentiæ sponsæ matrimonium tempore debito non contrahendo, uti notavit Layman. *dicto cap.* 2 *numero* 15. Quod verò prædictus Textus *in c. de illis.* loquatur tantùm de sponsis domicilium mutantibus tradit Abbas *ibi numero* 2. Canisius §. *hujus decisionis.* Basil. Ponce *dicto cap.* 15. *numero* 2. Paulus Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. 1. *part. cap.* 2. *numero* 15. ex illis verbis *terram dimittunt ad alias se transferentes*, neque enim qui negotii gerendi, vel studiorum causa aliò se confert, terram admittit, *leg. clam possidere*, 6. §. *qui ad nundinas ff. de acquir. vel amitt. possess. & leg.* 2. *Cod. de incolis.*

2. Verùm si sponsus ex causa aliqua necessaria, vel voluntaria discedat reversurus, si id factum est ex consensu sponsæ, tenetur ipsa expectare sponsum toto eo tempore, quo inter ipsos conventum est, si autem ea insciа, vel non consentiente discesserit, si causa discessus necessaria sit, puta ob ægritudinem, ob parentum mortem, ob grave aliquod negotium; jure civili statutum est *in leg. sapè, ff. de sponsalib.* expectandum esse negocii finem: si autem ex causa honesta, sed voluntaria sit discessus intra provinciam expectandum esse biennium *leg.* 2. *Cod. de sponsalib* si fuerit extra Provinciam triennium *leg.* 2. *D. de repudiis.*

Prædictæ leges jure canonico correctæ non sunt, quia textus *in d. cap de illis* loquitur tantum de sponso domicilium mutante, non de eo qui discedit reversurus, uti Basil. Ponce, & Layman. *locis allegatis* notarunt. Ex quo probabiliter inferunt. Hostiens. Joann. Andr. Anton. Canis. *in cap. de illis de sponsalibus* Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *casu* 455. *numero* 7. Matien. *lib.* 5. *recop. tit.* 1. *Rub. Gloss.* 1. *num.* 48. Rebell. *lib.* 4. *q.* 8. *sect.* 3. *numero* 2. *&* 3. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *numero* 14. & alii plures relati à Sanchez. *dicta disp.* 54. *num.* 5. prædictas leges civiles observandas esse, & retinendas jure canonico, eo quòd in his, quæ jure canonico statuta non sunt, jus civile servandum est, si ibi decisa reperiantur, *juxta textum in cap.* 1. *de operis novi nuntiat.* maximè cùm sponsalia non sint Sacramentum, sed quidam politici contractus, tametsi ad Sacramentum ordinentur.

Sed verius censeo prædictas leges non esse necessariò observandas, ut expresè tradit Basil. Ponce, *lib.* 12. *cap.* 15. *num.* 4. & docent omnes illi qui sentiunt corrigi ex dicto *cap. de illis*, quod plena manu refert, & sequitur Sanch. *disp.* 54. *num.* 6. Gutierr. *cap.* 30. *num.* 3. Ratio ea est, quia prædictæ leges statuentes biennium, vel triennium expectandum id decidunt, non ut sponsa possit sponsalia dissolvere, & ad alia vota transire absolutè, id enim præstare poterat solo suo dissensu, quo sponsalia spectato jure civili dissolvebantur, sed ut id possit retentis arrhis, seu donatis ab sponso, quæ retinere non poterat, nisi constaret sponsum culpabilem esse in sponsalium executione. At cùm jure canonico obligatio sponsalium ita firma sit, ut nequeat pro cujusque arbitrio dissolvi, sed necessariò veniant dissolvenda non aliter, quàm si sponsus gravem causam dissolutionis præbeat, quæ tamen esse potest biennio, vel triennio non expectato, decisio juris non est necessariò observanda, quippe sponsa potest periculum incontinentiæ habere, si tamdiu nuptiæ differantur: poterat ergo tunc dissolutis sponsalibus ad alia vota transire.

3. Ut autem id prudenter fiat, debet certa esse sponsa non esse sponsum de proximo rediturum, alioquin sponsum expectare deberet, ut benè notarunt Abba. *in dicto cap. de illis, in fine.* Præpos. *num.* 5. Henriq. *lib.* 11. *c.* 14. *num.* 5. Sanch. *lib.* 1. *disp.* 54. *numero* 12. Gutierr. *c.* 30. *numero* 7. Deinde si est in loco propinquo debet sponsum requirere, ut intra certum tempus ad matrimonium celebrandum accedat. Quòd si justo impedimento detineatur, penès judicem Ecclesiasticum erit inspecta qualitate sponsæ, periculo incontinentiæ, aliisque circumstantiis judicare an adsit sufficiens causa sponsalia dissolvendi, ut docuerunt Covarub 4. *decret.* 1. *part. capite*, 5. *num.* 7. Sanchez, *numero* 11. Gutierr. *numero* 2. *&* 6. Neque enim fas est cuilibet se propriæ causæ judicem constituere.

4. quæ dicta sunt de absentia sponsi, à fortiori procedunt in sponsæ absentia. Tum quia sponsus, & sponsa sunt correlativa, & dispositum in uno, in alio censetur dispositum, quando subest eadem ratio ut in præsenti, ut probat Everard. *loco à correlativo, n.* 8. Tum quia

quia ex abſentia ſponſæ ſiniſtra ſuſpicio concipi ſolet,& tradunt Cynus,& Bald. *leg. 2. in fine Cod. de ſponſal.* Alexand. de Nevo *cap. de illis n. 16. de ſponſal.* Sanch. *diſp. 54. n. 1.* Gutierr. *cap. 30. num. 1.* & approbatur à *Lege regia 8. tit. 1. part. 4. ibi*: quando alguno de los deſpoſados ſe va à otra tierra: leges autem civiles,& canonicæ ſponſæ abſentiæ non meminerunt : quia rarò, vel nunquam ſponſa abeſt, & leges attendunt quæ frequentiùs contingunt, uti notavit Sanch. *locis alleg.*

Punctum XXIV.

Qualiter diſſolvantur ſponſalia ob lapſum termini præfixi ?

1 *Si contrahantur abſque certo die implenda diſſolvi non poſſunt, niſi ob moram, ex qua prudenter judicetur ſponſalibus renunciare.*

2 *Si ſponſalibus certus dies deſignatus eſt, diſtinguitur modus obligationis.*

3 *Explicatur, quando cenſeatur terminus appoſitus ad finiendam obligationem.*

4 *Termino deſignato cauſa ſollicitandæ obligationis non eſt liber ab obligatione ex eo quod alter omiſerit ſponſalia exequi die deſignato.*

5 *Si terminus deſignetur cauſa finiendæ obligationis, diſſolvere ſponſalia non poteſt is per quem ſtetit, quominus obligatio exequatur.*

6 *Paratus ſponſalia exequi ſolutus eſt ab eorum obligatione, alio culpabiliter omittente.*

7 *Negant plures moram inculpabilem præſtare alteri comparti ſufficientem cauſam reſiliendi.*

8 *Oppoſitum verius eſt ſpectato juris rigore.*

9 *Solvuntur oppoſita fundamenta.*

1. DVpliciter ſponſalia contrahuntur, primò nullo deſignato die executioni. Secundò certo die deſignato. Si contrahuntur abſque certo die implenda diſſolvi non poſſunt, niſi ob eam ſponſi moram, ex qua prudenter colligi poſſit ſponſalibus renunciare, aut fidem datam violare. Sed quæ mora ſit ex qua id colligi prudenter poſſit ? non ſponſæ arbitrio relinquendum eſt, ne proprio amore decepta iniquè judicium ferat, ſed interpellandus eſt judex, qui negotio prudenter examinato declaret moram eſſe ſufficientem diſſolutioni. Id ipſum faciendum eſt quando ſponſa gravatur in expectando ſponſum etiam ob cauſam neceſſariam impeditum, judex enim adiri debet, qui ſponſo terminum aſſignet ſponſalibus adimplendis, ſin minus ſponſam ab obligatione liberet; neque enim præſumi poteſt ſponſam ſe voluiſſe obligare longo tempore vitæ abſque nuptiis eſſe, uti benè notavit Ægid. de Coninch. *diſp. 23. dub. 6. num. 43. & 44.*

2. Si verò ſponſalibus exequendis certus dies deſignatus ſit, ſpectandum eſt qualiter hic dies deſignetur; Quippe dupliciter hic dies deſignari poteſt ? Primò ad differendam uſque ad illum diem obligationem, & exinde ſollicitandam uti contingit in obligationibus ſolvendi pecunias, quibus dies ſolutioni deſignatur, non ut extinguatur obligatio, ſi ſolutio facta non ſit, ſed ut ſolvens intelligat uſque ad illum diem ſibi permitti ſolutionem differre, eo verò adveniente obligari, à qua obligatione non eximitur ob elapſum terminum ſolutioni deſtinatum, rametſi non potuerit ſolvere, quia ille terminus non fuit deſignatus ad finiendam obligationem, ſed ad obligationem exequendam, & ab illo die ſollicitandam, ſicuti probat textus in *leg. continuus*, §. *ſecundo de verb. obli.* Quod in diem debetur, ante ſolvi poteſt, licet peti non poſſit. Quippe in prædicta obligatione ut conſtat *ex leg. Celſus* §. 1. *ff. de recept. arbitr.* & tradit Abbas *in c. cùm dilecti de dolo. & contumac.* duo continentur, unum ſolvendi abſolutè, aliud ſolvendi eo die, & licèt hoc ultimum omittatur, prior tamen obligatio utpotè abſoluta, & à ſecunda independens perſeverat. Secundò deſignari poteſt dies cauſa definiendæ obligationis, uti regulariter contingit in votis, & præceptis, quorum obligatio ceſſat termino illorum executionis tranſacto, quia non fuit obligatio abſoluta, ſed prædicto termino annexa, & ab eo pendens, de qua obligatione loquitur lex *fidejuſſor.* §. *fin. ff. mandati*, iuncta Gloſſa *in leg. obligationum la 2. poſt princ.* ibi Gloſſa. *verbo dare ff. de actionibus & obligat.* Igitur ſi ſponſalibus dies aſſignatus ſit non ad finiendam obligationem, ſed ne ultra obligatio differatur, non obinde liber ab obligatione eſt qui eo die deſignato ſponſalia non implevit. At ſi dies fuerit aſſignatus cauſa obligationis finiendæ, is per quem non ſtetit ſponſalium executioni ab eorum obligatione liberatur, uti deciditur *c. ſicut de ſponſ.* ibi, Niſi juramento ſuo certum terminum præfixit, intra quem dictam duceret in uxorem & per eum non ſtetit, quin ad ſtatutum terminum matrimonium conſummet.

3. Quod ſi roges, quando cenſeatur terminus appoſitus ad finiendam obligationem, vel potius ad finiendam illius dilationem, & obligationem ſollicitandam ? Quando de intentione non conſtat, & verba ambigua ſunt, duas regulas tradit Sanch. *dicta diſp. 53. num. 3.* quæ non ſunt omnino firmæ, ut benè probat Baſik Ponce *lib. 12. de ſponſal. cap. 16. num. 3.* Quare exiſtimo recurrendum eſſe ad cauſas, & motiva, ob quæ terminus fuerit aſſignatus, & ex illis colligendum, an aſſignatus fuerit cauſa finiendi obligationem, an cauſa illam ſollicitandi ? Nam ut optimè inquit Ægid. de Coninch. *diſp. 23. dub. 6. num. 42.* Si utraque pars, vel ea quæ cupit diem adjici movetur ad aſſignandum terminum ſponſalibus exequendis, quia ſibi expedit vel cum hac, vel cum alia fœmina, quæ ſibi offertur contrahere intra illud tempus, eo quòd timet omiſſis illis matrimoniis non inventurus poſtea aliud ita commodum. Certè dies aſſignatur ad finiendam obligationem ex parte illius, per quem non ſteterit, quominus contractus perficiatur, ſive dies tempore contractus, ſive poſtmodum adiectus fuerit. At ſi dies à partibus adiiciatur, ne aliqua ratione matrimonium, quod maximè cupiunt impediatur, ſive adiectus ſit ab initio, ſive poſtea non liberantur ab obligatione ſponſalium ob elapſum terminum, quia terminus non finit obligationem, ſed obligationem urget, & ſollicitat,

4. Ex dictis colliges termino deſignato cauſa ſollicitanda obligationis te non eſſe liberum ab obligatione ex eo quod alter omiſerit ſponſalia exequi die deſignato, quia eſto culpabilis fuerit, ſi tamen paratus ſit brevi tempore impleturus, non eſt cenſendus culpam gravem commiſiſſe, nec fidem notabiliter violaſſe, quod neceſſariò requiritur, ut poſſis ſponſalia diſſolvere, ſicuti notavit Coninch. *diſp. 23. dub. 6. num. 45. concl. 3.* Quocirca ut tutò in hac parte procedere poſſis Judicem adire debes, ut ex ejus authoritate cauſa diſſolvendi ſponſalia definiatur, neque enim tibi judicium in propria cauſa committendum eſt, uti in *princ. hujus puncti* diximus.

5. Si verò terminus deſignetur cauſa finiendæ obligationis is per quem ſtetit obligationem implere diſſolvere ſponſalia non poteſt alio volente ; quia æquum non eſt, ut ex ſua iniquitate commodum reportet; uti docuit Sanchez *lib. 1. diſp. 53. num. 6.* Gutierr *de matr. c. 24. num. 10.* & alii apud ipſos. Quod ſi culpa vacet in ſponſalibus non implendis eo quòd ægritudine, vel alia de cauſa detentus fuerit, etſi alicui videri poſſet ab obligatione liberari ; utpote quæ diei certo annexa eſt, omnino tenendum eſt contrarium. Quippe eo in eventu tenetur non in vi ſponſalitiæ promiſſionis, quæ jam ceſſavit neque in vi alicujus injuriæ alteri factæ, cùm nulla fuit, ſed in vi rei alienæ acceptæ, & retentæ : retinet enim ſeipſum, qui alteri ad contrahendum matrimo-

matrimonium debitus erat, nec fuit traditus. Neque enim æquum erat alterum jure quæsito ob suum defectum etiam inculpabilem privare, sicuti tradit Coninch. *disp.* 23. *dub.* 6. *n.* 46. *concl.* 4. & colligitur ex Sanchez. *d. disp.* 53. *num.* 7. & 8. Gutierr. *cap.* 24. *n.* 10.

6. Paratus autem sponsalia exequi solutus est ab eorum obligatione alio culpabiliter omittente, ut docent omnes Doctores ex expressa decissione Textus *in cap. sicut de sponsalib.* Quod verum habet etiamsi sponsalia jurata sint, uti erant referuntur in *dicto cap. sicut.* Quare si uterque culpabilis est, uterque dissolvere sponsalia potest ut notavit Basil. Ponce, *lib.* 12. *de sponsalib. cap.* 16. *num.* 4. *in fine.* Coninch. *disp.* 23. *dub.* 6. *n.* 49. Sanch. *disp.* 53. *n.* 6. Gutierr. *c.* 24. *circa finem.*

7. Difficultas est, An mora inculpabilis præstet alteri comparti sufficientem causam resiliendi? Negant Paludan, *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art* 3. *casu* 4. *num.* 20. Sanch. *disputat.* 53. *num.* 7. Gutierr. *de matr. cap.* 24. *num.* 10. Basil. Ponce *lib.* 12. *cap.* 16. *in fine num.* 4. Moventur primò ex *cap. sicut de sponsalib.* ubi Pontifex ad eximendum ab obligatione sponsalium sponsum Paratum, ponderat, quòd non steterit per ipsum, quominus matrimonium perficeretur; at qui justo impedimento detentus sponsalia non potest per ipsum stare, *argum. regulæ juris*, 66 *in.* 6. ibi: Cùm non stat per eum ad quem pertinet, quominus conditio impletur, haberi debet perinde ac si impleta esset, & *reg.* 41. *eodem lib.* imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. Secundò, legitimè impedito non currit tempus, ut deciditur *c. quia diversitatem, de conces. præbend.* & *legi*, §. *fin C. de annali exc.* Auth. *nisi tricennali C. de bonis mat.* & ibi Pinel. *num.* 32.

8. Nihilominus spectato juris rigore verius credo ex quacunque mora alterius paratum sponsum liberum esse ab sponsalium obligatione quod docuit Navar. *cap.* 22. *n.* 27. *casu.* 11. Ægid. de Coninch. *disp.* 23. *dub.* 6. *num* 47. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tr.* 10. 1. *p. c.* 2. *num.* 17. & non leviter colligitur ex dicto *cap. sicut*, ubi Pontifex declarat liberum ab obligatione eum per quem non stat sponsalia perfici, neque meminit, an alia pars culpabilem, vel inculpabilem moram habuerit? Favet lex *si convenerit*, 14. *ff. pro socio*, ibi. Nec tenebitur pro socio qui ideò renunciavit, quia conditio quædam qua societas erat coita ei non præstatur, ubi lex solùm spectat conditionis defectum non culpam. Ratio est, quia sponsis præfigentibus terminum sponsalibus, ne diutius à nuptiis abstineant, neve occasionem commodam sibi oblatam contrahendi matrimonii committ tant, quam timent postea non inventuri, æquè damnosum est, sive pars culpabiliter, sive inculpabiliter omittat contrahere. Ergo credendum est pro utroque casu terminum appositum esse & sub ea conditione contractum esse celebratum, ut resilire liceat ei per quem non steterit, quominus sponsalia, perficerentur. Præterea si sponsus paratus ab obligatione sponsalium non eximitur, nisi ob moram alterius culpabilem frustra terminus est oppositus causa finiendæ obligationis, siquidem termino appositio causa obligationis sollicitandæ ob moram alterius culpabilem paratus sponsus ab obligatione liberatur.

9. Neque obstant in contrarium adducta. Nam Textus in *cap. sicut*, potius nostram sententiam probat. Etenim ille ob cujus causam sponsalia non perficiuntur, dicendus est stare per ipsum, tametsi in ea causa sit inculpabilis, ut si religiosus fieret. Regula autem illa juris 66. habet locum in promissione libertatis, legatis, testamentis, & institutionibus, in quibus jus benigne voluntatem concedentis interpretatur, ne velit donatione privare eum, sine cujus culpa conditio requisita non ponitur. Hoc tamen extendi non debet ad contractus maximè oneroso, uti est contractus sponsaliorum, sicuti notavit Sanch. plures referens *lib.* 1. *dist.* 33. *num.* 21. illa verò *reg.* 41. *imputari non debet*, &c. loquitur de contrahenda pœna sive ex conventione, sive à lege: hæc enim non afficit eum per quem culpabiliter stetit facere quod erat faciendum. Et ad idem est argumentum sumptum *ex cap. quia diversitatem*, & *leg.* 1. *C de annali except.* &c. Nemini enim legitimè impedito currit tempus, ut jure quæsito privetur matrimonio, sponsalibus adimplendis legitimè impeditus est in pœnam alicujus delicti, sed quia in conditione contractus à se constituta defecit juxta *dict. leg. si convenerit.* Monent tamen optimè Præpositi. *dicto cap. de illis*, *num.* 5. *casu*, 5. *de sponsal.* Sanch. *disp* 53. *num.* 9. Gutierr. *de matr. c.* 24. *in fine.* quoties à Judice designatur terminus matrimonio contrahendo ob periculum fornicationis, vel alia de causa censeri appositum ad finiendam obligationem, ita ut eo tempore elapso, is, per quem non stetit, liber existat ab sponsalium obligatione: aliàs petenti terminum designari non esset satis consultum.

Punctum XXV.

Qualiter ex causa fornicationis sponsalia dissolvantur.

1 *Ob fornicationem sequentem sponsalia dissolvuntur.*
2 *Extenditur doctrina ad fornicationem sponsi.*
3 *Prædicta dissolutio est in favorem innocentis.*
4 *Ob fornicationem violentam aliqui negant, dissolvi.*
5 *Verius est oppositum.*
6 *Intelligendum est de copula violenta cum sponso.*
7 *Oscula, tactusque impudici præstant innocenti sufficientem causam dissolvendi sponsalia, si fuerint ex parte sponsæ. Secus ex parte sponsi in opinione plurium.*
8 *Verius est à quocunque admittantur præstare innocenti sufficientem causam dissolvendi.*
9 *Utroque sponso fornicante communis est sententia solum sponsum resilire posse.*
10 *Verius est oppositum*
11 *Quæ dicta sunt de fornicatione carnali locum habent in spirituali, scilicet hæresi.*

1. CErta res est sponsalia dissolvi ob fornicationem sequentem. Si enim hæc causa sufficiens est mutuam conjugum habitationem dissolvere, à fortiori sufficiet dissolvere obligationem remotam ad prædictam habitationem, uti dicitur *c. quem admodum*, *de jurejurando*, & *leg* 8. *tit* 1. *part.* 4. & *ibi* Gregor. Lopez. Quod verum habet, tametsi, sponsalia jurata sint, quia juramentum sequitur naturam actus, cui adhæret, sicuti notatur in *dicto cap. quemadmodum*: & tradit ut omnino certum Sanch. *lib.* 1. *disp.* 55. *concl.* 1. Gutierr. *de matr. cap.* 31. *num.* 1. Coninch. *disp.* 13. *dub.* 7. *concl.* 4. Basil. Ponce *lib.* 12. *de sponsal. cap.* 17. *num.* 2. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 1. *p. c.* 1. *à n.* 10.

2. Et licèt dictus *Textus in c. quemadmodum* loquatur tantum de sponsa fornicante, omnes Doctores extendunt ad sponsi fornicationem, ob quam sponsa innocens dissolvere sponsalia poterit, quia in hac parte pares sunt, cùm uterque ob sponsalium contractum obligatus sit suum corpus nemini tradere, sed comparti servare in matrimonii usum, quàm obligationem violat ille qui foricatur, sicuti docent post alios antiquiores Menoch. *de arbitrar. casu* 455. *numero* 5. Covar. 4. *decret.* 1. *p. cap* 5. *in princ. sub numero* 2. Henriq. *lib.* 11. *capit.* 14. *num.* 6. Sanch. *lib* 1. *disput.* 55. *num.* 4. Gutierr. *de matrim. capit* 31. *numero* 1. Paul. Layman. Basil. & Coninch. *loc. alleg.*

3. Prædicta sponsalium dissolutio est solùm in favorem innocentis, & ex parte illius. Quare fornicans astrictus est sponsalium obligationi, si aliter perficere contractum velit, quia æquum non erat ut ex sua iniquitate commodum reportaret, & innocentem suo jure

quæſito privaret ſicuti advertunt aliis relatis Covarruv. *dicto num.* 2. Sanch *num.* 6. Gutierr. *n.* 2. Baſil. *n.* 3. Coninch. *dub.* 7. *concl.* 1. Laym. *d. c.* 2. *n.* 10. Superſunt tamen aliquot quæſtiones.

4. Prima, An prædicta doctrina verum habeat, ſi fornicatio violenta fuerit; Negant Tabiena, *verbo ſponſalia, q.* 9. *n.* 10. *caſu* 6. Armilla *eodem num.* 12. eo quòd ob ſimilem cauſam non ſeparantur conjuges quoad torum: ex qua ſeparatione Textus in *cap. quemadmodum de jurejurando* intulit ſponſalium ſeparationem. Deinde ſic fornicationem patiens non violat fidem, neque ſuſpicionem ingerit conſtante matrimonio violaturus. Ergo non eſt cur jure ſibi debito privetur.

5. Nihilominus communior ſententia, & probabilior docet ob copulam violentam cum ſponſa poſſe ſponſum ab ſponſalibus reſilire. Non quia ſponſa violaverit fidem, aut ſuſpecta reddatur de futura violatione. Sed quia reddita eſt notabiliter vilior, eámque ducenti probroſum ſit periculóque exponatur alienam prolem pro ſua alendi. Ob quas cauſas *in cap. rapior* 27. *quæſt.* 2. permittitur ſponſo ſponſam ſine culpa raptam ducere, vel dimittere, prout ſibi placuerit. Atque ita docent Sylveſt. *verb. Sponſalia, num.* 10. *caſu* 7. Navarr. *cap.* 22. *num.* 27. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 14 *num.* 6. Covarruv. *dicto cap.* 5. *num.* 2. Sanch. *diſputat.* 55. *num.* 7. Gutierr. *numero* 2. Coninch. *dubit.* 7. *concl.* 2. Laym. *d. cap.* 2. *numero* 10. & alii apud ipſos.

6. Notanter dixi, *ob copulam violentam cum ſponſa.* Nam eſto Gloſſa *in c. ſic quippe* 27. *quæſt.* 2. *in fine* & Gutierr. *c.* 31. *de matrim. num.* 3. quibus favet Navarr. *c.* 22. *num.* 27. *verſ.* 9. exiſtiment ſponſam ſponſalia diſſolvere, eo quòd videatur fœminæ probroſum eſſe ſic ſtupratum ducere. At communior ſententia apud Sanch. *diſp.* 55. *num.* 8. Baſil. Ponce, *cap.* 17. *num.* 3. contrarium cenſet, eo quod communi hominum eſtimatione nulla nota infamiæ viro accreſcat, eo quòd per vim coactus fuerit aliquam fœminam cognoſcere, ſi fortè id evenire poteſt, uti dubitavit Tolet. *lib.* 5. *ſum. cap.* 10. *verſ. alter caſus*, & Gutierr. *ſuprà.* Secùs crederem, ſi per vim ſodomiticè cognoſceretur; quia negari non poteſt ob prædictum ſtuprum viliorem eſſe redditum, & probroſum eſſe fœminæ ſic ſtupratum ducere.

7. Secunda: An oſcula, tactuſque impudici ſponſi, vel ſponſæ cum aliis præſtent innocenti ſufficientem cauſam diſſolvendi ſponſalia? Si ex parte fœminæ prædicta oſcula & tactus fuerint admiſſi, affirmat ex communi ſententia Covaruv. 2. *part.* 7. §. 6. *n.* 3. Sanch. *diſp.* 55. *num.* 5. Gutierr. *c.* 31. *de matrim. num.* 2. Coninch. *diſp.* 23. *dub* 7. *numer.* 56. Baſil. Ponce *lib.* 12. *c.* 17. *num.* 3. paul. Laym. *dicto capit.* 2. *num.* 10. præſtare ſponſo ſufficientem cauſam diſſolvendi ſponſalia, eo quòd cenſeatur impudica, & ita vilis, ut abſque nota non poſſit eam ducere.

Secùs verò cenſent Sanch. Baſil. Coninch. & Laym. eſſe dicendum de viro, qui ob prædicta oſcula, & tactus vilior redditus non eſt, nec probrum eſt fœminæ cum illo contrahere, Excipiunt tamen Coninch. & Layman, niſi oſcula, & tactus ſint frequentes, ut indicent propenſum valde ſponſi in alteram animam, ut meritò timeri poſſit, quod ſponſam non ſit amaturus, aut fidem non ſervaturus.

8. Mihi tamen probalius videtur à quocumque ſive ſponſa, ſive ſponſo oſcula, vel tactus impudici admittantur præſtare innocenti ſufficientem cauſam ſponſalia diſſolvendi quod docuit Ochagavia *de ſponſalib. quæſt.* 13. inclinat Gutierr. *de matr. cap.* 31. *n.* 1. *in fine*, & doctiſſimi Neoterici Moveor quòd prædictis oſculis, & tactibus fides in ſponſalibus data violetur. Quippe contrahentes ſponſalia promittunt alteri corpus ſuum non tradere nedum in matrimonii uſum, ſed ſibi invicem reſervare, ut matrimonio contracto eo uti poſſint, quam tamen ſponſionem admittens oſcula, & tactus violat, ergo illi fides non eſt neceſſariò ſervanda, quia frangenti fidem fides ſervanda non eſt. Præterea eſto ex prædictis oſculis, tactibus ſponſus ſpectata hominum conditione non reputetur ſponſa, at negari non poteſt reputari impudicum, & ſuſpicionem levem ingerere ſponſam minus eſſe amaturum, & fidem non ſervaturum, quæ videntur ſufficere ad ſponſalium diſſolutionem.

9. Tertia, An utroque ſponſo fornicante liceat utroque reſilire, ſed illa delicta mutua compenſatione tolli, *argum. cap. intelleximus de adulteriis*, docuit Paludan. *in* 4. *dict.* 27. *quæſt.* 7. *art.* 3. *numero* 17. *verſ. Quartò in compenſando.* Etenim in cauſa matrimonii, & ſponſalium uterque ſponſus æqualis eſt, Communis tamen ſententia docet ſolum ſponſum, ſed non ſponſam reſilire poſſe. Sic Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 14. *num.* 6. Sanch. *diſp.* 55. *num.* 9. Gutierr. *cap.* 31. *n.* 4. Coninch. *diſp.* 23. *dub.* 7. *concluſ.* 6. Paul. Layman. *lib.* 3. *ſum. tract.* 10. 1. *part. cap.* 2. *num.* 11. Baſil. Ponce. *lib.* 12. *de ſponſalib. cap.* 17. *num.* 3. Ducuntur, quia eſto quoad fidei, juriſque promiſſi violationem ſit utriuſque ſponſi fornicatio æqualis: at quoad notam, & infamiam æqualis non eſt, quippe fornicatio ſponſo deteſtabilior, *argum. leg. etſi crimine, Cod. ad leg. Jul. de adulter. leg. palam, ff. de ritu nuptiar.* & pluribus exornat Tiraquel. *leg.* 1. *Connub. numero* 45. Ob quam cauſam parenti concubinario permittitur filiam luxuriosè viventem exhæredare, quod tamen matri eodem vitio affectæ nequaquam conceſſum eſt, quia ut colligitur *ex leg. in arenam Cod. de inoff. teſtam.* in pari vitio turpitudinis verſatur mater, non tamen pater, ſicuti notavit Covarruv. *c. Raynutius initio numero* 15. *de teſtam.* Mol. *t.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 176. Neque his obſtat quod conſtante matrimonio hæc delicta mutuò compenſentur, quia matrimonii obligatio quoad torum inquiunt Sanch. Layman. Gutierr. & alii difficiliùs ſolvitur, quàm obligatio ſponſalium, quæ ex quavis rerum mutatione ſuperveniente permittitur.

10 Mihi verò aliter occurrit dicendum, exiſtimo namque non ſolùm ſponſum fornicantem reſilire poſſe ob ſponſæ fornicationem, ſed ipſam ſponſam ob fornicationem ſponſi. Nam eſto fornicatio ſponſæ fœdior ſit, & viro deteſtabilior ut eſt apertum; at ſponſus ſua fornicatione fidem datam violat, præſtatque ſponſæ ſufficientem cauſam, ut ſponſalia diſſolvat, quæ tamen non videtur tolli ex eo quòd ſponſa fornicetur. Nam. Textus *in dicto c. intelleximus*, quo cavetur paria delicta mutua compenſatione tolli, non habet locum in præſenti ex ſententia Sanch. Henriq. Gutierr. Layman. & aliorum; eo quòd delicta paria non ſint & præcipuè quia eſt deciſio pro ſtatu matrimonii, cujus vinculum utpote inſolubile expedit, ne quoad habitationem tollatur niſi ex graviſſima cauſa, ideò que in illius favorem compenſatio delictorum etſi inæqualia ſint admittitur, quod tamen ad ſponſalia, quorum vinculum facilè ſolvitur trahi non debet. Præterea, ut ex *ſupradicto puncto* conſtat, & tradit tanquam certum Sanch. *diſput.* 53. *numero* 6. & Gutierr. *cap.* 24. *numero* 10. quando uterque ſponſus culpabilis eſt in ſponſalium executione uterque ſponſo permiſſum eſt reſilire, neque unius culpa compenſatur, ergo idem dicendum eſt in cauſa fornicationis. Deinde ponamus poſita ſponſi fornicatione ſponſam velle ab ſponſalibus reſilire uti facere poteſt. Qua voluntate declarata ob fornicationem poſtmodum ipſius ſupervenientem ſponſalibus nequit aſtringi, utpote quæ jam fuerunt ſoluta. Et idem eſt argumentum, ſi ſponſæ fornicatio præceſſit, & ſponſus ab ſponſalium obligatione receſſit, fuitque prædictus receſſus ab ſponſa admiſſus. Quod ſi tempore ſecundæ fornicationis non fuerint ob priorem ſponſalia diſſoluta, non obinde impeditur eorum diſſolutio, nam ſecundò fornicans non tollit, quin prior infidelis extiterit, quam infidelitatem ſua fornicatione

non

non censetur ex natura rei remittere : ex jure autem positivo solùm in matrimonium pro tori separatione hæc remissio inducitur. Ergo ob fornicationem sponsi potest sponsa fornicaria resilire.

11. Quarta, An dicta de fornicatione carnali locum habeant in spirituali, scilicet in hæresi ? ferè omnes Doctores affirmant, uti videre est in Sanch. *disp. 55. num. 3.* Gutierr. *cap. 31. in fine n. 5.* Basil. Ponce, *lib. 12. cap. 17. num. 3.* Sed hoc intelligendum est, tum quando hæretici cohabitatio est innocenti periculosa. Tum quando hoc delictum contingit illis in partibus, in quibus delinquentem infamem reddit, ut in Hispania, aliisque Catholicis regnis.

Punctum XXVI.

Qualiter sponsalia dissolvantur ob superveniens juris impedimentum?

1 *Ob impedimentum tantùm impediens non dissolvuntur.*
2 *Ob impedimentum dirimens dissolvuntur ex parte innocentis.*
3 *Affirmant plures obligatum esse dispensationem procurare, qui impedimentum apposuit. Alii negant. Alii media via procedunt.*
4 *Eligitur prima sententia.*
5 *Satisfit fundam. oppositi.*

1. ET si aliqui Doctores, quos refert, & sequitur Gutierr. *de matr. cap. 31. num. 2.* existiment ob impedimentum tantùm impediens sponsalia dissolvi ex parte innocentis ; verius tamen est oppositum : eo quòd probabilissimum sit excepto religionis, & castitatis voto nullum aliud impedimentum ex his, quæ tantùm impedientia nuncupantur, matrimonium impedire, dispensationéque indigere, ut optimè Sanch. *lib. 1. disp. 56. num. 3.* Coninch. *disp. 23. dub. 5. num. 36.*

2. At si impedimentum sit dirimens v. g. affinitatis, vel cognationis, &c. solvuntur sponsalia absolutè ex parte innocentis ; quia impedimentum apponens satis sufficientem causam præstitit innocenti ab sponsalibus resiliendi, reddens matrimonium impossibile. Unde non tenetur admittere dispensationem, tametsi à nocente liberaliter offeratur, quia jus resiliendi acquisivit, uti benè advertit Coninch. *disp. 23. dub. 5. concl. 2. num. 37.* Ex parte verò apponentis impedimentum, etsi eo tempore, quo impedimentum perseverat, sponsalium obligatio suspensa sit, ab ea tamen non est integrè solutus, sed sublato impedimento per dispensationem tenetur promissis stare, si innocens voluerit. Quia æquum non est, ut, immunitatem à fide præstita ex delicto acquirat contra Textum *in c. 2. de translat. Prælat.* sicuti dixit Coninch. *suprà.* Thom. Sanch. & Gutierr. statim referendi.

3. Difficultas est, An is cujus causa impedimentum contractum est, teneatur dispensationem illius procurare altero exigente ? Affirmant indistinctè, absque ulla limitatione Petr. de Ledesm. *de matr. 4. 43. art. causa. 3.* Ochagavia *q. 23.* eo quòd ex justitia tenebatur matrimonium contrahere, & consequenter impedimentum illi contrahendo non apponere. Ergo appositum obligatus est ex justitia removere. Filliucius *de matr. cap. 8. quæst. 8.* excusat ab hac obligatione delinquentem, nisi pars altera notabile damnum patiatur ex matrimonii omissione. Et probari potest, quia dispensatio est quædam juris læsio, ad quam procurandam nemo videtur adstrictus. Item est favor, & privilegium, quo nullus tenetur uti. Deinde ea quæ pendent à voluntate Principis reputantur quasi impossibilia. *leg. continuus 137 §. cùm quis ff. de verb. obligationib.* ibi : *Ubi omnino conditio impleri non potest & si velit facere ei non liceat, nullius momenti fore stipulationem, perinde ac si ea conditio quæ natura impossibilis est inserta esset.* Neque ad rem pertinet, quod jus murari potest, & id quod nunc impossibile est, postea sit possibile fieri ; non enim secundùm futuri temporis jus, sed secundùm præsentis æstimari debet stipulatio : & aliis probat Sanch. *lib. 5. de matr. disp. 5. num. 5.* Media quasi via procedit Sanch. *lib 1. disp. 56. in fine*, Ægid. Coninch. *disp. 23. dub. 5. num. 37.* Gutierr. *cap. 32. num. 2.* & alii : affirmant namque sic impedimentum matrimonio promisso constituentem obligatum esse illius dispensationem procurare si facile possit, hoc est absque magnis expensis, aliave gravi difficultate. Secùs econtra nisi forte fœmina sub spe matrimonii obtinendi deflorata esset, gravémque famæ jacturam pateretur, nisi nuptiæ sequantur. Priorem partem probant, quia obligatio ex sponsalibus contracta urget sponsum, ut saltem ea media quæ necessaria sunt, & facilia ad executionem apponat: non verò urget ad media extraordinaria, & difficilia apponenda. Exemplo illius qui post votum castitatis matrimonium contraxit, qui non tenetur ingredi religionem, ut castitatem servet, quia est medium nimis durum, & extraordinarium, ad quod assumendum nunquam est censendus obligatus quis, nisi expressè declaret.

4. Ex his sententiis prima mihi verior apparet, nam qui voluntariè matrimonio contrahendo impedimentum apponit jus compartis lædit, tenetur ergo illud reparare : At nullus alius modus reparationis aptior est, quàm si impedimentum tollat, tenetur ergo illum tollere, si potest : at potest tollere dispensationem procurando, tenetur ergo illam procurare. Neque obstat, quod ea dispensatio impetranda sit magnis expensis, si eæ expensæ solitæ sint fieri pro illius impedimenti dispensatione, eo namque ipso apponens injustè impedimentum, & obligatus ex justitia illud removere, obligatur eas expensas pro illius remotione facere, siquidem non suppetit alia via prædictum impedimentum removendi, & jus alterius læsum reparandi.

5 Neque fundamenta oppositi urgent. Nam quæ in favorem Filliucii adduximus, probant procurandam non esse dispensationem etiamsi fœmina notabile damnum ex dimissione nuptiarum pateretur, ut intuenti constare potest. Quare dicendum est per se neminem esse obligatum dispensationem legis communis procurare, eáque dispensatione, & favore uti. Secùs verò per accidens ratione alicujus damni dati, cujus reparatio eam dispensationem per se postulat. Neque ea dispensatio censenda est impossibilis, etiamsi à voluntate Principis pendeat, tametsi sit difficilis, ob cujus causam quasi impossibilis nuncupatur : & ad *legem continuus* respondeo probare non posse esse stipulationem ex his, quæ ad sui executionem mutari jus requirunt, non verò probat non posse esse damnificationem, quæ ad prædicti juris mutationem, seu potius dispensationem procurandam obliget. Adde stipulationem absolutam esse non posse, benè tamen conditionatam (sub conditione inquam) quod prædicti juris communis relaxatio obtineatur. Ad fundamentum verò Sanch. & aliorum respondeo, ex lege sponsaliorum neminem obligatum esse ad impedimenti dirimentis dispensationem procurandam ; benè tamen ex iniqua, & injusta impedimenti appositione, comparatione cujus dispensatio non est medium extraordinarium, sed ordinarium, & per se requisitum.

Punctum XXVII.

Qualiter solvantur sponsalia ob defectum corporis, & animi?

1 *Ob fœditatem notabilem supervenientem dissolvuntur ex parte illius qui illæsus est.*
2 *Item ob paralysim, lepram, aliúmve morbum contagiosum.*

3 *Ob morbum Gallicum ſupervenientem reſilire poteſt qui ſanus eſt.*

4 *Si ſponſa tempore ſponſalium pulcherrima extiterit, & poſtmodum fuerit deformis, negat* Covaruv. *reſilire poſſe ſponſum.*

5 *Verius cenſeo oppoſitum.*

6 *Satisfit oppoſit. fundam.*

7 *Ob deformitatem animi ſponſalia ſolvuntur. Explicanturque in particulari caſus.*

1. COnſtat ex *c. quemadmodum 25. de jurejurando* fœditate notabili ſuperveniente diſſolvi ſponſalia etiam juramento firmata ex parte illius qui illæſus eſt; quia ut in prædicto Textu dicitur, promiſſio ſubintelligitur rebus in eodem ſtatu permanentibus. Quare ſi aliquis ex ſponſis oculos, aures, vel nares amittat, aliquam aliam ſimilem turpitudinem patiatur, poterit illæſus ab ſponſalibus reſilire. Et licèt Textus in *dicto cap. quemadmodum* videatur utriuſque oculi amiſſionem exigere, ſiquidem in numero plurali loquitur, uti placuit Paludan. *in 4. dict. 27. q. 1. art. 3. caſu 7. n. 24.* Rectiùs Sanch. aliis relatis *diſp. 57. num. 3.* Gutierr. *cap. 32. num. 3.* Baſil. Ponce *lib. 12. cap. 17. num. 4.* Coninch. *diſp. 23. dub. 8. num. 66.* affirmant unius oculi amiſſionem ſufficere, quia cenſetur gravis deformitas, & rerum mutatio, quòdque judicavit *lex 8. tit. 1. part. 4.* ibi; ſi alguno delloſçe çegaſe.]

2. Rurſus ob paralyſim, lepram, aliumve morbum contagioſum optimè poſſunt ex parte illæſi ſponſalia diſſolvi, quia nemo præſumi poteſt voluiſſe ſe ad contrahendum matrimonium prædicto morbo ſuperveniente, quia eſſet obligatio ad rem ſummè difficilem, nec ſub priori intentione comprehenſam, uti deciditur *in dicto c. quemadmodum*; & *dicta leg. 8.* & tradunt omnes.

3. Ex his infertur ob morbum Gallicum alteri ſupervenientem poſſe, qui ſanus eſt ab ſponſalibus reſilire; quia eſt infirmitas contagioſa, & quæ horrorem cauſat, rarò ea affectus ſanitatem recuperat. Sic Navarr. *cap. 22. num. 27. caſu. 8.* Henriq. *lib. 11. c. 14. num. 6.* Sanchez. *lib. 1. diſput. 17. num. 2.* Gutierr. *cap. 32. num. 3.* Quinimo hujus morbi vehemens ſuſpicio, etſi non plenè probetur, præſtat ſufficientem cauſam ſponſalia diſſolvendi ſecundum Seraphinum, *deciſ. 1113. num. 8. & 9.* Riccium *deciſ. 232. num. 4. in fine.* Baſil. *lib. 12. de ſponſal. c. 17. num. 4.* quia ſola ea ſuſpicio arceret in principio à matrimonio contrahendo. Idem dicendum eſt de qualibet alia infirmitate incurabili, ut epilepſia, quia reddit matrimonium notabiliter difficilius, ut benè aliis relatis Sanch. *dicta diſp. 57. num. 2.* Gutierr. *c. 32. num. 3.* Coninch. *dub. 8. num. 67.* Sub prædicta infirmitate annumerari debet oris graveolentia, quando arte Medici ſubveniri non poteſt, quia pro mutua cohabitione vix ſuſtineri poteſt indiciumquè eſt cujuſdam habitualis moleſtiſſimi morbi, ut conſtat *ex leg. qui clarum, §. fin. ff. de Ædilitio edicto*, & tradunt Baſil. Ponce *lib. 12. cap. 17. n. 4.* Sanch. & Gutierr. *loc. alleg.* & alii apud ipſos.

4. Solùm eſt difficultas, An ſi ſponſa tempore ſponſalium pulcherrima extiterit, & poſtmodum notabiliter fuerit deformis, poſſit ſponſus ob eam deformitatem ab ſponſalibus reſilire? Negant Covaruv. *4. decr. 1. part. c. 5. initio. n. 6.* Alexand. Carrer. *lib. 1. de ſponſ. cap. 15. in fine.* Matien. *lib. 5. recop. tit. 1. Rub. Gloſſ. 1. n. 47.* Ludovic. Lopez *2. part. inſtruct. de matr. cap. 38.* Gutierr. *de matr. cap. 32. num. ult.* Ducumtur quia Textus in dicto *c. quemadmodum* loquitur de deformitate proveniente ex mutatione membrorum, veluti amiſſione occulorum, naſi, aurium, &c. non in deformitate longè inferiori quæ ſolùm pulchritudini adverſatur, ut colligitur ex illis verbis, *vel quidquid ei turpius eveniret*, tacitè indicans deformitatem, quæ ſponſalia diſſolvere deberet majorem deformitate expreſſa eſſe debere. Quod apertiùs explicavit *dicta lex regina 8.* ibi: [ole avinieſe otra coſa mas deſaguiſuda, que algunas deſtas ſobredichas:] alias ut inquit Gutierr. ex ſolis febribus ordinariis, & debilitate faciei, & corporis abſque alia gravitate nociva morbi ſponſalia diſſolvi poſſent, quod videtur abſurdum, & contra mentem Pontificis *in dicto c. quemadmodum.* Et confirmatur, nam deformitas, quæ in *prædicto c.* ſponſalia diſſolvit communis eſt tam fœminæ, quàm viro, at defectum pulchritudinis in viro non præbet fœminæ ſufficientem cauſam ſponſalia diſſolvendi. Ergo neque deffectus pulchritudinis in fœmina eam cauſam viro præbere debet. Neque obſtat, quod Innocent, *in dicta cap. quemadmodum n. 3.* & ibi Hoſtienſ. *verbo profectò* explicantes prædictum Textum dixerint diſſolvi ſponſalia, quando ſupervenit notabilis deformitas, quia non manent res in eodem ſtatu, cùm non ſit fœmina apta facere id propter quod dicitur, ſcilicet tollere viro occaſionem fornicandi, quia ad eam tam deformem accedere non valet; non inquam obſtat; quia intelligendum eſt de deformitate ibi expreſſa, ſimili, vel majori, non de deformitate longè inferiori, qualis eſt pulchritudinis defectus, cùm paſſim viri ad fœminas non pulchras accedant, relicta pulcherrima conjuge.

5. Nihilominus verius exiſtimo ob prædictam cauſam notabilis deformitatis diſſolvi poſſe ſponſalia ab alia comparte, quod docuit Sanch. aliis relatis. *diſp. 57. num. 4.* Baſil. Ponce, *lib. 12. c. 17. num. 5.* Coninch. *dub. 8. num. 66.* Ratio deſumitur ex eo quòd res ſint notabiliter mutatæ, neque præſumi poſſit priorem intentionem ad hunc caſum ita difficilem extenſam fuiſſe. Quippe ſponſus, qui poſt ſponſalia contracta notabiliter deformis effectus eſt, alteri placere non poteſt, non igitur aptus erit tollere ab eo occaſionem fornicandi. Neque obſtat viros relicta conjuge pulchra, cum deformi fornicari, quia id eſt per accidens; per ſe tamen mulier pulchra amorem conciliat, deformis avertit. Quæ autem ſit deformitas notabilis arbitrio Judicis decidendum eſt, non ſponſi ob periculum errandi, neque enim quilibet defectus pulchritudinis cenſendus eſt notabilis, aliàs paſſim ſponſalia diſſolverentur: ſed ille tantùm, qui quemlibet hominem prudentem ejus generis, & conditionis à matrimonio contrahendo ab ſterreret.

6. Ex his ſolvuntur fundamenta oppoſita. Fateor *in dicto cap. quemadmodum* ſolam deformitatem ex defectu membrorum, illáque majorem exprimi, at in ratione decidendi etiam inferiorem deformitatem contineri ſi talis ſit, ut ob eam deformis notabiliter alteri diſpliceat, & prudenter infelices exitus ex matrimonio contracto timeantur. Ad confirmationem nego ob deformitatem ſponſi non poſſe ſponſam reſilire, poteſt utique, ut benè notavit Coninch. *d. diſp. 23. dub. 8. n. 66.* ſed ſponſi deformitas, quæ cauſam reſiliendi præſtet major eſſe debet, ea ſcilicet quæ horrorem cauſet.

7. Ex parte animi ſolvi ſponſalia ob ejus deformitatem docent fere omnes Doctores, quippe animus corpore præſtantior eſt, ideóque illius deformitas validiorem cauſam præſtat ſponſalibus diſſolvendis. Quapropter ſi alicujus gravis delicti aliquis ex ſponſis infametur, innocens reſilire poterit, uti certiſſimum tradidit Anton. Cuchus, *lib. 5. inſtit. major. tit. 10. n. 63.* Sanch. *diſp. 57. n. 2.* Gutierr. *c. 32. n. 3.* quia eſt gravis mutatio, quæ in contrahendo matrimonio quemlibet prudentem averteret. Secundò ſponſalia ſolvuntur, ſi ebrietati, ſcortationibus, alióve ſimili vitio reperiatur ſponſus deditus. Tum quia probroſum eſt illum ducere. Tum quia infelices exitus ex tali matrimonio timeri poſſunt, ut benè notavit Coninch. *d. diſp. 23. dub. 8. n. 67.* Sanch. *diſp. 63. in fine* Baſil. Ponce *lib. 12. c. 17. num. 6.* Tertiò ob morum aſperitatem, vel ob ſævitiam denuò cognitam, poterit altera pars reſilire. Si enim hæc cauſa ſufficiens eſt ad divortium, *c. ad litteras de reſtit.*

reſtit. ſpoliat. à fortiori ſufficiet ad ſponſalia diſſolvenda, ſicuti tradit Abbas *in c. veniens. Qui clerici, vel vovente, n.* 2. & *ibi* Alex. de Nevo. *n.* 2. Sanchez plures referens *diſp.* 58. *n.* 2. Gutierr. *cap.* 33. *num.* 1. Coninch. *diſp.* 23. *dub.* 8. *num.* 67. Neque obſtat Textus in *cap. veniens*, ubi mulier ab ſponſalibus reſiliens, eo quòd audierat plura de ſponſi ſeveritate, cenſetur fidem violaſſe, quia non eſt cenſenda fidem violaſſe, eo quòd ob ſeveritatem ſponſi ab ſponſalibus receſſerit, ſed quia receſſit abſque ſufficienti notitia illius ſeveritatis, fuit enim vana in credendo, ut advertit Gloſſa *ibi verbo. ſeveritate.* Et Abbas *n.* 2. Sanch. & Coninch. *loc. allegatis.* Quartò ob graves inimicitias ortas inter ſponſos diſſolvuntur ſponſalia ex parte utriuſque, quia utriuſque excutio ſponſalium facta eſt notabiliter durior, & ex tali matrimonio infelix exitus timeri poteſt, ſicuti dicitur *in c.* 2. *c. requiſivit de ſponſ.* & tradit plures referens Sanch. *dicta diſp* 58. *n.* 3. Gutierr. *c.* 33. *n.* 2. Quinto ſi alterius partis parentes obſtinatè contradixerint, ex qua contradictione timeri meritò poſſit diſcordia gravis inter parentes, ſeu conſanguineos ſponſorum, & à fortiori inter ipſos ſponſos, uterque ab ſponſalibus ſolvitur, quia in eo eventu utrique durus eſt contractus, & gravi periculo expoſitus mali exitus ut benè notavit Navarr. *c.* 16. *n.* 18. *in fine.* Coninch *diſp.* 23. *dub.* 8. *n.* 68. Paul. Laym. *lib.* 5. *ſum. tract* 10. 1. *p. c.* 2. *n.* 18. Cautè tamen in hac cauſa procedendum eſt: ſæpè enim ut benè inquit Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 14. *n.* 3. *circa finem*, variæ minæ jactantur, terroréſque opponuntur, & diſcordiarum pericula intentantur, quæ tamen experientia teſte, ubi deferbuit ille impetus, & matrimonium celebratur, in nihillum recidit, faciléque animi conciliantur, & ſedatur omnis tempeſtas.

Punctum XXVIII.

Qualiter ob fortunatum defectum, aliáſve cauſas ſupervenientes abſolvantur ſponſalia?

1 *Ob defectum dotis promiſſæ ſolvuntur ſponſalia ex altera parte.*
2 *Si dos promiſſa non eſt plures cenſent non diſſolvi ob ſupervenientem ſponſæ paupertatem.*
3 *Verius eſt oppoſitum.*
4 *Si Uterque in paupertatem deveniat, utrique datur ſufficiens diſſolutionis cauſa.*
5 *Ob ſupervenientem divitiarum copiam nec cogitatam ab altero contrahente, non deobligatur promiſſis ſtare.*
6 *Cauſa, quæ ſponſalium executionem reddit notabiliter difficiliorem ſufficiens eſt ad ea diſſolvenda.*
7 *Procedit, etiamſi prædicta cauſa ſuperveniat, poſtquam alius fuit in mora.*

1. ET quidem ob defectum dotis promiſſæ ſponſalia diſſolvi ex altera parte docet communis ſententia adverſus Bald. *in c. quemadmodum n.* 8. *de jurejurando*, & Alex. de Nevo *num.* 16. eo quòd dotis promiſſio eſt conditio, ſub qua ſponſalia celebrantur, ac proinde deficiente conditione etiam citra culpam obligatio ſponſaliorum ceſſat: ſic Covarruv. 4. *decr.* 1. *p. c.* 5. *initio*, *n.* 4. Menoch. *lib.* 2. *de arb. caſu* 455. *n.* 6. Sanch. *diſp.* 59. *n.* 2. Gutierr. *c.* 33. *n.* 3. Paul. Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 10. *c.* 2. *n.* 18. Coninch. *diſp.* 23. *dub.* 8. *n.* 70. & habetur *c. de illis* 3. *cond. appoſit.*

2. Quòd ſi dos promiſſa non eſt, multi Doctores, quos plena manu referunt Sanch. *dicta diſp.* 59. *num* 3. Gutierr. *d. c.* 33. *n.* 3. cenſent ſponſalia non diſſolvi ob ſupervenientem ſponſæ paupertatem. Moventur, quia non eſt cenſenda mulier nubens omnia ſua bona in dotem offerre, niſi id exprimat, uti aliis relatis docet Covarr. 4. *decret.* 1. *p. c.* 5. *initio*, *n.* 5. Maſcard. *de probat. concl.* 577. *n.* 2. Barboſa *in Rub. ff. ſoluto matr.* 4 *p. n.* 3. Ergo promittens matrimonium ſponſæ diviti dote non promiſſa illi obligatur; ac ſi nulla bona haberet. Si enim ſub conditione bonorum, quæ de præſenti habet, vellet obligationem ſponſaliorum intelligi, cur id non expreſſit, & cur non poſtulavit illa bona dotem conſtitui.

3. Sed verius eſt in prædicto eventu ſponſalia diſſolvi, uti docuit Abbas in dicto *c. quemadmodum. n.* 10. *de jurejurando.* Sylveſt. *verb. Sponſal. quæſt.* 10. *caſu* 9. Navarr. *cap.* 22. *num.* 27. Ant. Cuchus *lib.* 5. *inſtit. major. tit.* 10. *num.* 71. Henriq. *lib.* 11. *c.* 14. *n.* 6. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 59. *n* 4. Gutierr. *c.* 33. *n.* 4. Paul. Laym. *lib.* 5. *ſumm. tract.* 10 1 *p. c.* 2. *n.* 18. Coninch. *diſp.* 23. *dub.* 8. *n.* 69. Baſil. Ponce *lib.* 12. *c.* 17. *n.* 6. Moveor, quia ſatis receptum eſt mulierem nubentem omnia bona ſua in dotem promittere, tametſi id non exprimat, ut adverſus Doctores *n. præcedenti* relatos docet Bart. *in repetit. leg. ſi conſtante, n.* 78. *ff. ſoluto matr.* Aliis, ut Antonio Gom. *leg.* 50. *Tauri, n.* 17. de quo Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 6. *per totam.* Et jure Caſtellæ id videtur certum ex *lib.* 4. *compillat. tit.* 46. *initio.* Sed eſto id verum non ſit; negari tamen non poteſt gravem eſſe mutationem, quæ ſi à principio eſſet, quemlibet prudentem à matrimonio contrahendo averteret. Etenim in promiſſione matrimonii maximè attenditur patrimonium contrahentis, an amplum ſit, an exiguum, ut onera matrimonii ſuſtentari poſſint? Quare illa promiſſio matrimonii ſubintelligitur ſub illo divitiarum ſtatu, unde ſi ab illo cadit, obligatio ceſſat.

4. Ex qua doctrina infert rectè Seraphin. *deciſ.* 1258. *n.* 1. & 2. Riccius *dec.* 232. Baſil. Ponce *c.* 17. *n.* 8. timorem juſtum, & probabilem exhæredationis, eſſe ſufficientem cauſam ſponſalia diſſolvendi, quia eſt timor cadendi ab ſtatu tempore ſponſaliorum habito. Quod ſi uterque in paupertatem deveniat, utique datur ſufficiens diſſolutionis cauſa, minus enim apti ſunt onera matrimonii ſuſtinenda, neque in hac parte eſt compenſationi locus, ut benè notavit Rebell. *lib.* 4. *de oblig. juſtit. quæſt.* 8. *ſect.* 8. *num.* 70. Baſil. Ponce, *lib.* 12. *c.* 17. *n.* 8.

5. At ſi tempore ſponſalium ingens divitiarum copia uni ex ſponſis eveniat, quam tamen à principio non cogitavit; altero ſponſo in eodem ſtatu manente, etſi alicui videri poſſet deobligatum eſſe ab ſponſalibus, eo quòd earum executio illi fiat notabiliter durior, & quam à principio non præſtaret, ſi ſe ita divitem videret. At longè verius cenſeo, & ferè certum obligatum eſſe promiſſis ſtare, quia pars qua cum contrahit non eſt deterior facta. Ergo nullum præſtat reſiliendi fundamentum. Ergo non debet ſuo jure privari ob divitias alteri parti ſupervenientes. Atque ita docent Sanchez *dub.* 1. *diſp.* 59. *in fine. num.* 7. Gutierr. *cap.* 33. *n.* 4. Coninch. *diſp.* 23. *dub.* 8. 69. Neque obeſt, quod executio ſponſalium illi durior fiat, quia non fit durior per ſe, ſed ex eo quòd impediatur ab aliis ſponſalibus ditioribus contrahendis, aliàs quoties ſponſalia ditiora offerrentur, poſſent minus ditiora ſolvi, quod non eſt dicendum.

6. Supradictæ cauſæ ſunt, quæ in ſponſalium diſſolutione præcipuè occurrere poſſunt. Sed quia enumerari ſigilatim omnes, eſt ferè impoſſibile; ideò Doctores regulam generalem ſtatuunt dicentes, quoties contractis ſponſalibus ſupervenit aliqua cauſa, quæ eorum executionem notabiliter reddit difficiliorem, quæque ſi à principio exiſteret quemlibet alium ejuſdem conditionis, à contrahendis prudenter averteret, ceſſat eorum obligatio ex parte illius, cui contractus redditus eſt difficilior, eo quod à principio factus fuerit ſub ea conditione, *ne res notabiliter mutentur* juxta Textum *in dicto c. quemadmodum de jurejurando.* Sic Navarr. *c.* 22. *n.* 27. & *lib.* 4. *conſ.* 34. aliàs 9. *de ſponſ.* Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 62. *n.* 3. Gutierr. *c.* 3. *n.* 6. Baſil. Ponce, *c.* 17. *n.* 2. Coninch. *diſp.* 23. *dub.* 8. *in pr.* Paul. Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 10. *c.* 2. *n.* 18. & alii plures apud ipſos.

7. Quod

7. Quod procedit, tametſi illa nova cauſa ſuperveniat, poſtquam alius fuit in mora implendi ſponſalia, quia prædicta mora etſi inducens obligationem ſatisfaciendi damnis ex illa ſequutis, alteri comparti non tollit efficaciam cauſæ diſſolutivæ ſponſalium ſupervenientis, ut benè notavit Sanchez *d. diſp. 62. num. 5.* Gutierr. *cap. 33. num. 8.*

Punctum XXIX.

An ſi prædictæ cauſæ præceſſerint ſponſalia, & ignorentur, ſponſalia diſſolvant, ac ſi poſtmodum ſupervenirent?

1 *Affirmativè reſpondendum eſt.*
2 *Procedit quando ignorantia cauſæ dedit cauſam contrahendi.*
3 *Procedit etſi ſponſalia fuerint jurata. Et ſatisfit objectioni.*
4 *Ob fornicationem ſponſæ, quam eſſe virginem exiſtimabas potes ab ſponſalibus etiam juratis reſilire.*
5. *Eſſe viduam, quam putaſti virginem alicui videbitur, non eſſe ſufficientem cauſam diſſolvendi.*
6 *Sed probabilius eſt oppoſitum.*
7 *Fornicatio ſponſi præcedens non dat ſponſæ ſufficientem cauſam diſſolutionis.*
8 *Excipe, niſi cum pluribus eſſet fornicatus.*
9 *Deinde ſi ex fornicatione prolem haberet.*
10 *Prædicta cauſa ignorata reddit contractum non ipſo jure nullum, ſed irritandum.*
11 *Conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſolvenda ſponſalia cenſetur juri reſiliendi cedere, ſi conjugem cognoſcat.*

1. NOtanter dixi, *ſi prædictæ cauſæ ſponſalium diſſolutivæ ignorentur*, nam ſi illis cognitis ſponſalia contrahantur, omnes Doctores firmant nullam ſupereſſe facultatem reſiliendi; quia jam liberè conſenſiſti, quo conſenſu poſito jus alteri parti eſt quæſitum, quo privari non debet. At aliqua ex prædictis cauſis ignorata, poteris illa cognita ab ſponſalibus reſilire, ut ex communi ſententia adverſus Paludan. *in 4. d. 27. q. 1. art. 3. num. 33.* & Supplement. Gab. *eodem dub. quæſt. 2. art. 3.* docent Henriq. *lib. 11. c. 14. n. 6.* Thom. Sanchez, *lib. 1. diſp. 63. num. 2.* Gutierr. *cap. 34. de matr. num. 2.* Coninc. *diſp. 23. dub. 8. n. 57. & dub. 9. n. 71.* Paul. Laym. *lib. 5. ſum. tract. 10. 1. p. c. 2. n. 18.* Baſil. Ponce *lib. 12. de ſponſ. c. 18. à n. 1.* Ratio eſt manifeſta, quia comparatione tui res notabiliter mutantur, ſiquidem de novo apparet vitium, quo tecum contrahens vilior eſt, quàm à principio exiſtimaſti. Etenim illud vitium comparatione tui tunc apponitur, quando tibi manifeſtatur, quia tunc eſt cenſenda res fieri, quando innoteſcit. *Argum. c. paſtoralis de exceptionib.* ſicut è contrà tunc cenſetur non eſſe, quando non apparet. *leg. in lege, ff. de contrahenda empt.* Et præterea in generali, ſimplicique obligatione non cenſentur comprehenſa quæ cogitata ab obligatione prudenter averterent. *leg. obligatione generali, 6. ff. de pignor.* & *leg. 1. C. quæ res pignori obligari poſſunt, lege ſi libertus, de oper. liber. capit. veniens de jurejurando.*

2. Hæc tamen procedunt, quando ignorantia cauſæ dedit cauſam contrahendi: ſecùs quando ita affectus eſſes, ut eſto prædictam cauſam cognoſceres, adhuc contraheres (quod nunquam eſt præſumendum, niſi expreſſeris) quia in eo eventu non eſt facta ulla mutatio comparatione tui conſenſus, quæ à contrahendo averteret, uti docuit Sanch. *lib. 1. diſputat. 65. num. 2.* Baſil. Ponce *lib. 12. de ſponſal. c. 18. num. 4.* Coninch. *diſp. 23. dub. 7. n. 70.* Poſita autem ſufficienti cauſa ad ſponſalia diſſolvenda, & non aliter, ſtandum eſt aſſertioni cujuſque ſe minimè conſenſurum, ſi eam ſciret; quia de ejus voluntate non aliter quàm ejus teſtimonio conſtare poteſt, uti aliis relatis docuit Sanch. *diſp. 62. in fine, num. 6.* Gutierr. *cap. 33. num. 9.*

3. Deinde procedunt ſupradicta etſi ſponſalia fuerint jurata, quia ut ſæpè dictum eſt, juramentum ſequitur naturam actus, cui adhæret, ſicuti in præſenti tradit alios referens Sanchez. *diſp. 62. n. 4.* & *diſp. 64. num. 7.* Gutierr. *c. 33. n. 7.* Coninch. *diſp. 23. dub. 7. n. 61.*

Neque his obſtat Textus *in c. quemadmodum*, ubi deciditur ob fornicationem præcedentem ſponſalia non poſſe diſſolvi, quia ut explicat *ibi* Gloſſa, & Anton. & communiter Doctores intelligitur de fornicatione præcedenti nota, ſecùs ignorata.

4. Hinc fit ob fornicationem ſponſæ, quam virginem eſſe exiſtimabas te poſſe ab ſponſalibus etiam juratis reſilire ob rationem factam notabilis mutationis, & quia bigamus fieres, unde diſſoluto conjugio non poſſes abſque diſpenſatione ad ordines promoveri, quod eſt grave onus. Atque ita cum communi docet Sanch. *lib. 1. diſp. 64. num. 3.* Gutierr. *c. 34. n. 3.* Baſil. Ponce, *lib. 12. c. 18. n. 2.* Coninch. *diſp. 23. dub. 7. concl. 3. n. 57.* Quam doctrinam meritò prædicti Doctores extendunt contra alios ad fornicationem viduæ. Quia negari non poteſt probroſum eſſe viro viduam inhoneſtam ducere, quo à principio cognito ab ſponſalibus abſtinuiſſet.

5. An verò eſſe viduam, quam reputaſti virginem ſit ſufficiens cauſa diſſolvendi ſponſalia difficultate non caret ob ea quæ adducit Coninch. *diſp. 23. dub. 7. n. 58.* Nam eſto illo matrimonio bigamus fias, non videtur hoc multum referre, cùm contrahens matrimonium nihil minus cogitet quàm ad ordines promoveri: præcipuè cùm ob defectum doctrinæ, & ob alias cauſas ſæpè irregularis exiſtas. Et præterea quia illius qualitatis ignorantia probabilis eſſe non poteſt, ſi de ſtatu ſponſæ inquiſitionem feciſti, ad quam faciendam videbaris obligatus. Ob quas rationes cenſet Coninch. *loco citato* te non poſſe ab ſponſalibus reſilire, niſi fortè habitum clericalem geſtares, & privilegio clericali privandus eſſes, vel ſi illa tanquam virginem ſe tibi venditaſſet.

6. Sed probabilius cenſeo cum Sanch. *diſp. 63. n. 3.* Gutierr. *c. 34. n. 4.* Baſil. *lib. 12. c. 18. n. 2.* in quolibet eventu te poſſe reſilire, eo præcipuè quia in communi hominum æſtimatione vidua cenſetur inferioris conditionis, quàm virgo ad matrimonium contrahendum, minúſque virum decet. Ergo eſt facta comparatione tui notabilis mutatio. Neque obeſt quod obligatus fueris inquiſitionem facere de ſponſæ ſtatu; ſi de facto non feceris ob aliquam probabilem rationem, nempè quia ipſa non geſtabat vidualem habitum, nam tunc cenſendus non es ejus qualitatem contrahendo approbaſſe.

7. Sponſi vero fornicationem præcedentem ignoratam præſtare ſponſæ jus reſiliendi indicavit Navarr. *cap. 22. num. 27.* eo quòd hæc ſubſequens jus reſiliendi præſtat, ergo præſtare debet, eſto præcedat ob rationes in principio factas. Sed omnino tenendum eſt oppoſitum cùm Sanch. *diſp. 63. n. 9.* Gutierr. *c. 34 n. 7.* Coninch. *diſp. 23. dub. 7. n. 62.* Baſil. Ponce, *l. 12. c. 18. n. 2.* Ratio eſt: quia fornicatio ſponſi præcedens ſponſalia non habet eam qualitatem, ob quam ſubſequens dirimit. Quippe ea dirimit eo tantùm, quia fidem datam violat, & ſuſpectum reddit de futuri tori violatione, quæ tamen in fornicatione præcedenti non procedunt. Secùs verò eſt in fornicatione ſponſæ, quæ non ſolùm ob fidem violatam, & ſuſpicionem violandi torum ſponſalia diſſolvi facit, ſed quia ipſa fornicatione vilior, & contemptibilior facta eſt, quod tamen in fornicatione ſponſi non procedit. Non enim ob hoc delictum minoris æſtimationis fit, neque ullam notam incurrit fœmina, eo quòd nubat viro qui aliam cognovit.

8. Excipe tamen, niſi vir cum pluribus fornicatus eſſet, ita ut cenſeretur maximè huic vitio deditus, quod antea ſponſa ignorabat, quia eo caſu probroſum fœminæ eſt illud ducere, & meritò timere poteſt contracto matrimonio ſimilia patraturum: ſic notavit Sanch. *d. diſp. 63. num. 9. & 10.* Gutierr. *c. 34. num. 7.* Coninch. *diſp. 23. dub. 7. num. 62.* Baſil. Ponce, *cap. 18. num. 2.*

9. Secundò

9. Secundò excipe, nisi ex fornicatione prolem haberet, quia redditur matrimonium difficilius, tum ob obligationem ei alimenta præstandi, tum quia causa discordiarum esse solet, uti benè notavit Ægid. Coninch. *d. dub. 7. concl. 5. num. 62.* extenditque prædictam doctrinam, tametsi proles legitima esset ob easdem rationes.

10. Supereſt duplex difficultas. Prima, An ignorantia causæ sufficientis ad sponsalium dissolutionem, cujus ignorantia dedit causam contractui, reddat contractum ipso jure nullum, vel irritandum ex parte decepti? Et breviter respondeo ex his quæ latè dixi *tract. de juram. disp. 2. part. 5.* prædicta sponsalia non reddere contractum irritum, sed irritandum, eo quòd ignorantia, seu error solùm versetur circa qualitatem contractus, non circa substantiam illius, quippè substantia illius contractus personam respicit absolutè, & in eam consentit absque eo quod ille consensus formaliter feratur in qualitates, quæ personam afficere possunt, quæque illi possunt evenire, tametsi eo pacto, & modo fiat, ut si postmodum eveniat, vel appareat aliquid, quod contractum difficiliorem notabiliter reddat, jus sit comparti resiliendi. Ex quo constat contractum validum esse, competere tamen decepto jus rescindendi, ut optimè probat Lessius *lib. 2. c. 17. dub. 5. n. 31.* Coninch. *disp. 25. dub. 9. à n. 72.* & videtur convinci ex *leg. Julianus. 15. ff. de action empt. leg. qui vas*, §. *ult. ff. de furtis*, *leg. rem alien. 28. ff. de contr. empt.*

11. Secunda, An conscius causæ sufficientis ad dissolvenda sponsalia censeatur juri resiliendi cedere, si se mutò cognoscant; Cui difficultati affirmativè respondendum est. Si enim ob prædictam copulam censentur matrimonio contracto jus, divortii remittere, à fortiori censebuntur remittere jus ab sponsalibus resiliendi. Quod non solùm habet verum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ; nam eo ipso quo alteri copulatur sciens resilire posse, renunciat juri resiliendi, & contractum approbat, tametsi vitio illo affectum; uti ex communi sententia comprobat Sanch. *disp. 66. n. 2.* Gutierr. *c. 34. n. 9.* Coninch. *disp. 23. dub. 10. à n. 75.* Basil. Ponce *lib. 12. c. 18. num. 4.* Paul. Laym. *lib. 5. sum. tract. 10. 1. p. c. 2. n. 20.* & alii.

Punctum XXX.

An laborans occulto impedimento, quod compartem ab sponsalibus contrahendis averteret, possit eo tacito sponsalia contrahere, & ad executionem compartem compellere?

1 *Præmittuntur aliqua pro explicatione Quæstionis.*
2 *Si impedimento labores, nuptias minus commodas, sed non incommodas reddente, poteris tacito eo vitio sponsalia contrahere.*
3 *Per accidens impediri potes.*
4 *Si impedimentum sit posterioris generis, ut lepra, morbus gallicus, &c. aliqui censent te posse occultare.*
5 *Verius est te obligatum esse vel à contrahendis desistere, vel defectum manifestare.*
6 *Ex his deciditur Quæstio.*
7 *Illis in eventibus, quibus potes sponsalia contrahere, & contracta perficere, negat* Basil. Ponce, *te posse compartem ad contrahendum compellere.*
8 *Verius est oppositum.*
9 *Satisfit oppositis fundamentis.*

1. PRo Quæstionis explicatione præmitti debet cum Ægid. de Coninch. *disp. 25. dub. 12. n. 91.* Basil. Ponce, *lib. 12. de sponsi. c. 18. num. 5.* & aliis, ob duplicem causam jus resiliendi ab sponsalibus tibi concedi: *prima* subsequitur sponsalia necessariò, *alia* antecedere, & subsequi potest. Causa necessariò subsequens est quæ fidem sponsaliorum violat, ut si alter post contracta sponsalia fornicatur, vel ea exequi omittit cùm obligatus est. Hæc causa non potest sponsalia contrahenda impedire, quia non antecedit, sed subsequitur, tametsi possit impedire illorum executionem. Causa verò, quæ tam antecedere, quàm subsequi potest, est in duplici differentia, *alia* quæ nuptias minus commodas reddit comparti prædicto impedimento carenti, *alia* quæ non solùm reddit nuptias minus commodas, sed positivè incommodas, & damnosas. Prioris causæ exempla sunt, si mulier sit corrupta, sive sponte, sive vi, vel sit notabiliter deformis, aut sive ipsa sive vir pauper sit, & ignobilis, cùm tamen nobilis, aut dives putaretur. Item si non sit bonæ famæ, aut improbis, moribus, feroci ingenio, à quibus statuit se corrigere. Hæc enim matrimonio non officiunt, etsi minus commodum reddant, non enim ex eo quòd fœmina corrupta sit, vel pauper, aut ignobilis fuerit vel mores perditos, corrigendos tamen habuerit, impeditur socialis vita, generatio, vel honesta prolis educatio. Posterioris causæ exempla sunt, paralysis, lepra, morbus gallicus, aliúsve contagiosus, mores perditi absque animo corrigendi, infamia ex genere, vel ex delicto proveniens, quæ honestam familiam deturpare posset; hæc enim vel generationem impediunt, vel à sociali vita avertunt, vel honestæ educationi prolis officiunt.

2. Si impedimento labores nuptias minus commodas, sed non incommodas reddente, poteris tacito eo vitio sponsalia contrahere: quia satis usu, & consuetudine receptum est, neminem teneri prædictum impedimentum manifestare, sed parti incumbere aliàs de illo requirere: quinimò si impedimentum in diminutionem tui honesti status, & famæ cedat, non solum poteris id vitium tegere, sed interrogatus dissimulare æquivocè respondendo; sibi enim imputare debet pars, quod fuerit decepta, cùm exploratum habere deberet, te obligatum esse impedimentum manifestare, quod matrimonio contrahendo non nocet, & in tui honoris detrimentum cedit, ut optimè docuit Ægid. de Coninch. *disp. 23. dub. 12. concl. 1. & 2. à n. 82.* Turrian. *2. 2. disp. 78. dub. 2.* Basil. Ponce *lib. 12. c. 18. n. 6.* Sanch. *lib. 6. de matr. disp. 27. n. 8. concl. 1.* Quare recens nupta, quæque virgo reputatur, cùm tamen non sit, poterit aliquibus mediis uti ad suum vitium occultandum, ne deprehensa à viro iniquè tractetur; in hoc enim viro non nocet, & sibi favet, ut dixerunt Ægid. & Sanch *supra.*

3. Per accidens autem impediri potes ab sponsalibus contrahendis eo defectu non manifestato, & à fortiori à matrimonio contrahendo, si prudenter timeres matrimonio contracto defectum cognoscendum esse, & compartem ægerrimè laturum, gravésque discordias inde esse proventuras: charitas enim exigit, ne tuum commodum cum tam gravi proximi damno procures. Sic Navarr. *cap. inter verba corollar. 16. num. 60. conlc. 1. in 2. edit.* Sanch. *lib. 6. disp. 27. concl. 3. n. 10.* Coninch. *dub. 12. concl. 1. & 2.* Basil. Ponce, & Turian. *suprà.* Illud verò existimo certum nunquam tibi licitum esse fingere te nobilem, divitem, bonæ famæ, ut alium ad contrahendum induceres, quia esset dolosa, & fraudulenta inductio, uti notavit Ægid. *dicto dub. 12. n. 93.*

4. Quod si impedimentum sit posterioris generis, non desunt Doctores qui censeant te similiter occultare posse, quia communi contrahentium assensu receptum est neminem obligatum esse propria vitia detegere, sed penès compartem esse ea aliunde investigare. Unde si plenè non investiget sibi imputare debere: sic expresè Gaspar Hurtado *disp. 2. de matr. difficul. 17. n. 62.* & favet Sanch. *lib. 1. disp. 68. n. 7.* exemplum ponens in morbo gallico. Et *lib. 6. disp. 27. q. 2.* de omnibus impedimentis generaliter loquitur.

5. Sed rectius Basil. Ægid. Turrian. *loc. alleg.* docent te obligatum esse vel à contrahendis sponsalibus de-

sistere, vel defectum manifestare, nisi fortè altera pars eodem defectu laboret, quia eo vitio affectus, non es aptus matrimonii usui, ad quem expeteris; ac proinde contra justitiam peccas, sicuti peccares, si venderes ligna putrida credenti esse sana, & commoda, cùm tamen incommoda sint, uti deciditur, *leg. Iulian.* 13. *ff. de action. empti.* & *leg.* 1. *ff. de Ædilit. edict.*

6. Ex his infertur ad posteriorem Quæstionis partem decisio, Qualiter impedimento laborans, quo cognito alius resiliret possit ad matrimonium contrahendum compellere; Et quidem illis eventibus, in quibus obligatus es ab sponsalibus contrahendis abstinere, vel à contractis desistere, manifestum est te non posse alium compellere ad matrimonium contrahendum.

7. Quinimo illis in eventibus, quibus potes sponsalia contrahere, & contracta perficere docet Basil. Ponce, *lib.* 12. *c.* 18. *n.* 7. & reputant probabile Ægid. & Sanch. *loc. allegatis* te non posse alium ad contrahendum compellere, eo quòd stante illo defectu etiam incognito pars altera jus habeat, ut se indemnem servet, & proprium damnum evitet; cui juri tu non poteris derogare. Item contractus sponsalium sub hac conditione fieri, videtur ut si ex altera parte violetur fides vel aliquid adsit, quod notabiliter reddat contractum difficiliorem, alter habeat jus ab sponsalibus resiliendi. ergo eo posito etsi ignorato innocens nullam injustitiam committit resiliens, ergo compelli non potest. Præterea adulter non potest exigere debitum à conjuge innocente tanquam debitum eo quò innocens posito adulterio jus acquisierit negandi debitum, ut tenent plures Doctores apud Sanch. *disp.* 68. *q.* 1. *n.* 3. ergo à fortiori non poterit ad contrahendum matrimonium compellere.

8. Cæterùm comunior sententia, & verior tenet, te posse partem commpellere ad contrahendum, ipsamque obligatam esse compulsioni obedire, dum occasione resiliendi cognitâ, & objectâ obligationem priorem non elidit. Sic docet Sanch. *lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 68. *n.* 8. Ægid. de Coninch. *dicto dub.* 1. *concl.* 4. & 5. Gutierr. *c.* 3. *n.* 10. Ratio est, quia defectus ille sive antecedens sive subsequens sponsalia, non impedit illorum valorem, ergo eo non obstante jus habes compellendi compartem stare promissis. Quippe hoc jus sponsalia valida necessariò subsequitur. Ergo alter obedire renetur, ne prædictum jus inutile. sit Quod amplius confirmabitur ex solutione oppositarum rationum.

9. Ad primam dico compartem posito illo defectu habere jus vitandi proprium damnum media illius exceptione, & objectione, sed non aliter, quare dum illum defectum non objicit, nec proprium incommodum vitare, nec resilire potest. Ad secundam eodem modo respondeo, sponsalia sub ea conditione fieri ut si aliquid eveniat, quod difficiliorem contractum reddat, possint dissolvi non utcumque, sed per illius exceptionem, & objectionem. Ad tertiam nego cum pluribus aliis Doctoribus, quos refert, & sequitur Sanchez, *d. disp.* 68. *n.* 4. adulterum non posse exigere debitum ab innocente, dum sibi adulterium non objicitur; potest utique; quia in pœnam fidei violatæ privatur, quam pœnam non incurrit, quousque à Iudice condemnetur, vel à parte dictum clarè, & manifestè objiciatur, & non levibus indiciis ducta, ut benè Sanch. & Gutierr. docent.

Punctum XXXI.

Utrùm ad sponsalia dissolvenda Judicis authoritas necessaria sit?

1 *Stante certa causa jure, & facto nulla requiritur authoritas Judicis ad dissolvenda sponsalia.*

2 *Ratione vitandi scandali aliquando requiritur.*

3 *Prudenter in aliquibus diœcesibus statutum est, ne ulla sponsalia publica propria authoritate dissolvantur.*

4 *Quid sit faciendum, cùm sponsalia publica sunt, & causa dissolutionis secreta?*

1. Communis, & vera resolutio est stante certa causa jure, & facto dissolvendi sponsalia nullam Judicis authoritatem requiri, quia nullibi cavetur necessariam esse, & dissolvens jure proprio utitur. Aliquando tamen ratione vitandi scandali Judicis authoritas exigitur. Sic Sylvest. *verb. sponsa. q.* 11. Navarr. *c.* 22. *n.* 28. Sanch. *disp.* 69. *n.* 3. Gutierr *cap.* 35. *n.* 4. Valen. *disp.* 10. *q.* 2. *part.* 5. Rebell. *lib.* 4. *q.* 8. *sect.* 9. Basil. Ponce, *lib.* 12. *c.* 18. *in fine.* Notanter dixi *stante certa causa jure & facto*, certitudine, inquam morali, quæ ex fama, ex testibus, ex experientia habetur, quæque prudentem movere potest ad judicium, uti notavit Sanch. *lib. disp.* 69. *n.* 9. & *disp.* 71. 72. & 73. Con. *disp.* 23. *dub.* 11. *num.* 82. Nam si solùm dubia causa ex jure sit eo quòd satis exploratum non est esse sufficientem; vel ex facto, quia non tibi moraliter constat eam adesse, nequaquam poterit ab sponsalibus resilire; quia nequis privare alterum jure quæsito certo ob causam dubiam sicuti aliis relatis docet Sanch. *dicta disp.* 69. *n.* 8. Gutierr. *c.* 35. *n.* 7.

2. Dixi *aliquando ratione vitandi scandali Judicis authoritatem necessariam esse*, quod solùm contingere potest, quando sponsalia publica sunt, & causa dissolutionis secreta, nam si causa dissolutionis jure certa est, & facto publica, nullum scandalum juste timeri potest, ut benè Navarr. 22. *n.* 28. Gregor. Lopez, *leg.* 8. *t.* 1. *part.* 4. *verbo*, *mas en codas*. Sanch. *lib.* 1. *disp.* 69. *n.* 4. Gutierr. *c.* 35. *n.* 5. Basil. Ponce, *lib.* 12. *c.* 18. *n.* 8.

3. In aliquibus tamen diœcesibus prudenter statutum est ne ulla sponsalia publica propria authoritate dissolvantur, sed interpellato Judice: tum ut causa dissolutionis exactius investigetur, tum ut omnis suspicio mali removeatur, quam consuetudinem teste Laym. *c.* 2. *de sponsa. in fine.* approbat D. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *art.* 3. Richard. *ibi art.* 3. *q.* 3. Paludan. *q.* 2. S. Ant. 3. *part. tit.* 1. *c.* 18. §. 1.

4. Rogabis igitur, Quid in eo eventu facere debeas si cùm sunt sponsalia publica, causa dissolutionis secreta sit? Et idem est quoties compelleris promissis stare & habes justam causam resiliendi? Respondeo monere partem debes, & comminari publicationem defectus, quod si non acquiescat, deferre poteris ad judicium defectum occultum, quia illa delatio est tui juris defensio, uti benè probat aliis relatis Sanch. *lib.* 1. *disp.* 70. *n.* 2. Paul. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 2. *p. c.* 2. *n.* 12. *vers. quæres.* Basil. Ponce, *lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 8. Coninch. *disput.* 23. *dub.* 11. *n.* 93. Rebell. *lib.* 4. *quæst.* 8. *sect.* 9. Testesque id crimen scientes revelare tenentur, ut jus quod habes resiliendi obtineas, sicuti docuit Coninch. & Sanchez *loc. alleg.*

Quod si crimen ita occultum sit, ut in judicio probare non possis, vel quia nemini alteri notum est, vel esto alicui notum sit, recusat ferre testimonium, poteris eo casu propria authoritate ab sponsalibus resilire, quia obligatio repellendi Judicem cessat, siquidem ea interpellatio tibi pernicioſa est, potest, quippe ob defectum probationis cogi poteris stare sponsalibus, quibus non teneris, sicuti advertit Sanch. *lib.* 1. *disp.* 69. *n.* 7. Laym. *lib.* 5. *tract.* 10. 1. *p. c.* 2. *n.* 12.

Verùm si pars non te permittat resilere, & à Judice compellaris, cùm hæc compulsio in re injusta sit, falsæque præsumptioni nitatur, in foro conscientiæ non es obligatus parere, sed mediis omnibus supterfugere mandatum poteris.

Ad extremum. adverto Judicem pro sponsalium dissolutione ne solùm esse Ecclesiasticum Ordinarium, vel Delegatum, non Parochum, qui in foro externo jurisdictionem

jurisdictionem non habet, uti docuit Palud. *in.* 4. *d.* 27. *q.* 1. *n.* 38. Sanch. *disp.* 69. *n.* 10. Gutierr. *c.* 35. *in fine.*

PUNCTUM XXXII.

Quæ probatio requiratur pro sponsalium dissolutione?

1 *Ex triplici capite probatio desumitur.*
2 *Si uterque contrahens testetur adesse causam, Judex sententiam pro dissolutione ferat. Et idem est, quando unus qui optat matrimonium prædictam causam testaretur.*
3 *Unus testis juratus sufficit ad impediendum matrimonium.*
4 *Explicatur prædictum dictum.*
5 *Si sponsalia sint jurata negant plures unicum testem deponentem ex certa scientia sufficere ad eorum dissolutionem.*
6 *Verius est oppositum. Et satisfit objectioni.*
7 *Fama à fide dignis orta præbet sufficientem causam dissolvendi sponsalia etiam jurata.*
8 *Quid dicendum, cùm causa quæ allegatur non impedit matrimonium, sed concedit alteri jus resiliendi.*

1. EX triplici capite desumipotest Probatio causæ pro sponsalibus dissolvendis requisita: Primò ex testimonio ipsorum contrahentium, Secundò ex aliorum dictis, Tertiò ex fama. Deinde allegari potest causa ad sponsalia dissolvenda matrimonii contrahendi impeditiva, ut si allegatur impedimentum consanguinitatis, affinitatis, cognationis; aut similium, vel allegetur causa, quæ matrimonium non impedit, sed ea posita licitè contrahi potest, qualis est fornicatio, dos non soluta, paupertas superveniens contagiosa infirmitas, &c. His positis.

2. Si uterque contrahens testetur adesse causam dissolvendi sponsalia, optimè Judex sententiam pro dissolutione ferre potest, quia esto causa vera non sit, sed ficta, eo dicto contrahentes sibi invicem obligationem remittunt, & in sponsalium dissolutione consentiunt; uti dixit Menoch. *lib.* 2. *de arb. casu.* 103 *n.* 2. Sanch. *lib.* 1. *disp.* 72. *n.* 2. Gutierr. *c.* 36. *n.* 18. Coninch. *disp.* 23 *dub.* 11. *n.* 77. Mascard. *de prob. concl.* 1035. *n.* 17. & 18. Quod idem est dicendum, quando prædictam causam adesse testaretur unus ex contrahentibus, qui matrimonium celebrare optat. Ex *cap. attestationes de sponsal. impuber.* nam suo testimonio matrimonium recusat celebrari, qua recusatione juncta cum dissensu alterius partis, utraque pars ad dissolvenda sponsalia concurrit, & consequenter ex utriusque consensu dissolventur, ut benè observarunt Menoch. Mascard. Gutierr. Sanch. & Coninch. *loc. alleg.* Secùs esset si testaretur impedimentum qui matrimonium renuit celebrare, non enim est illi credendum, cùm sit confessio in sui favorem, & in alterius præjudicium, sicuti dixerunt prædicti Doctores.

3. Si verò ex aliorum testimonio probatio sumenda sit, probandáque sit causa impediens matrimonium, unus testis juratus qui deponat se certò impedimentum scire sufficit, tametsi criminosus sit, suamque turpitudinem fateatur, nec fuerit citatus, sed à parte productus, vel ex generali mandato Parochi revelandi impedimentum coactus, nec publicè, & parte citata testimonium ferat, sed clam, & absque nominis publicatione, nisi sponsalia essent jurata, quia ob firmiorem juramenti obligationem exactius testimonium requiritur, ac proinde nomen testis coram partibus publicari debet; aliàs ad prædicta sponsalia dissolvenda insufficiens judicabitur, sicuti hæc omnia colliguntur ex *capite super eo, el.* 2. *de Testib. capite præterea el.* 2. *de sponsal.* & *leg.* 18. *tit.* 19. *part.* 4. & tradunt aliis relatis Mascard. *de probat. conclus.* 1035. *à num.* 3. Sanch. *lib.* 1. *disp.* 71. *à num.* 2. Gutierr. *de matr. c.* 36. *à num.* 2. Coninch. *disp.* 23. *dub.* 11. *num.* 77. Etenim cùm in præsenti agatur de impediendo peccato, quod sponsi impediti committerent contendendo contra Ecclesiæ prohibitionem, minori probatione jus contentum est. Neque obest, quòd post matrimonium contractum ad illud dissolvendum, seu declarandum nullum, duo testes omni exceptione majores requirantur. *c. licèt de Testibus. c.* 1. *de consanguint. & affinit.*, nam esto ibi agatur de impediendo peccato, quod contrahentes committunt, si impediti à matrimonio in eo perseverent, agitur simul de jure quæsito, seu possessio tollendo, & de dissolvendo vinculo, quod per se insolubile est. Quo casu mirum non est, quòd urgentiores probationes requirantur.

4. Dixi *testem debere esse juratum*, nam esto agatur de peccato vitando, agitur etiam de tertii præjudicio, in quo nemini nisi jurato creditur, *capite, tua de cohabitat. clericor.* & tradunt aliis relatis Covarr. 4 *decretal.* 2. *p. capit* 6. §. 10. *num* 21. Sanchez, *disp.* 71. *n.* 10. Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 11. *num.* 31. & *de matrim. capit.* 36. *num.* 8. Item debet deponere de impedimento ex certa scientia, aliàs ejus testimonium de auditu non sufficit. Tum quia non jurat subesse impedimentum, sed audivisse. Tum quia ejus testimonium non potest esse firmius eo, à quo impedimentum audivit, qui tamen de hoc impedimento non præstitit juramentum: sicuti rectè dixit Coninch. *dicto dub.* 11. *n.* 79. Sanch. *disp.* 71. *num.* 10. Gutierr. *cap.* 36. *num.* 9. Excipi tamen debet, nisi testetur de impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, nam eo casu si deponat se audivisse saltem à duobus suis majoribus, distinguátque apertè gradus ab utraque parte juxta Textum in *c. licèt ex quadam de Testibus* ei fides adhibetur: qui ea aperta gradus computatio æquivalet depositioni certæ de impedimento, ob quam causam *in dicto cap. licèt* requiruntur duo testes de audita consanguinitate deponentes; quia agebatur de matrimonio contracto dissolvendo, pro cujus dissolutione duo testes necessarii sunt. Cùm ergo pro sponsalium dissolutione unicus sufficiat, si hic deponat de audita consanguinitate distinguens apertè gradus ab utraque parte plenam probationem constituet. Secundùm Covarruv. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 7. §. 10 *num.* 21. Gutierr. *canon. qq. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 34. & *de matr. c.* 36. *num.* 10. Sanch. *lib.* 1. *disp.* 7. *num.* 11. Mascard. *d. concl.* 1035. *n.* 10. & alios. Denique deponens debet esse persona honesta, non verò vilis; hæc enim neque ad denunciandum admittitur, nisi factum ita clandestinum sit, ut aliter non possit probari, *Argum. Textus cum Glossa cap. cùm dilecti de electione, cap. præterea, de Testibus:* cui testimonio quantum deferri debeat, judicis arbitrio remittendum est, ut latè tradit Menoch. *de arb. lib.* 2. *casu* 90. & notarunt Sanch. *d. disp.* 71. *num.* 12. Gutierr. *d. cap.* 36. *num.* 12.

5. Difficultas autem non levis est, An si sponsalia jurata sint, sufficiat unicus testis deponens ex certa scientia de impedimento? Negant Gloss. *c. super eo de consanguinit. & affinit. verbo fama* & *c. præterea el.* 2. *de sponsal. verbo*, *nisi* Greg. Lopez, *leg.* 18. *tit.* 9. *part.... verbo jura.* Paludan. *in* 4. *d.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. *casu.* 9. *num.* 27. & alii relati à Sanch. & Gutierr. statim referendis. Moventur tum ex *dicto capite præterea*, ubi dicitur unius testimonium sufficere ad dissolvenda sponsalia, nisi sint jurata. Tum ex *dicta leg.* 18. ibi: [mas si tal desposorio como sobredicho es fuese firmado por jura, no seria creido en su cabo ninguno destos sobredichos.] Tum ex *c. cùm in tua* 27. *de sponsal.* ibi: *ultra testem fama requiritur, eo quod illa sponsalia jurata erant.* Tum ex ratione, quia ideo unicus testis deponens de impedimento sufficit ad sponsalia non jurata dissolvenda, quia agitur de peccato sponsorum vitando, quod maximè favorabile esse debet; at cùm sponsalia jurata sunt, agitur de impedienda juramenti observatione, ergo hæc observatio, utpote certò debita omittenda non est ob impedimentum incertum, nec plenè probatum.

6. Nihilominus verius, & probabilius est sufficere unicùm testem integrum de causa impeditiva matrimonii

monii deponentem. Sic aliis relatis docent Covarruv. *decr. 2. part. c. 7. §. 10. num. 22.* Mascard. *de prob. concl. 1035. num. 10.* Sanchez *disp. 71. num. 8.* Gutierr. *de matr. c. 36. num. 7.* Moventur ; quia probatio famæ de impedimento sufficiens est ad sponsalia etiam jurata dissolvenda, ut deciditur *c. super eo de consanguinit. & affin.* Sed unus testis integer æquè, imò efficacius ac fama probat, ut est in confesso apud omnes, & ut videre est in Mascard. *de probationibus concl. 753.* Sanch. *lib. 2. de matr. disp. 45. num. 27.* Ergo, &c. Deinde in *cap. super eo de testibus* expressè dicitur unius testimonium sufficere ad dissolvenda sponsalia, neque restringitur decisio ad sponsalia non jurata. Ergo non est à nobis restringenda, præcipuè cùm adducta pro contraria parte non urgeant,

Nam testis cujus mentio fit in *capit. præterea* non erat omni exceptione major, quia nomine non publicato deponebat, allegabatque turpitudinem suam, cùm tamen ad dissolvenda sponsalia jurata nomen testis eorum partibus publicandum esset. Idem dici potest ad *leg. 18.* testis enim ibi adductus consanguineus est contrahentis, & ob eam causam adversus sponsalia jurata non plenè probat. Testis verò relatus in *cap. cùm in tua*, non deposuit, sed solùm denunciavit impedimentum, ideoque mirum non est, quòd ultra ejus denunciationem fama impedimenti probata requiratur, ut benè ex Alexand. de Nevo, *ibi num. 9.* notarunt Sanch. *d. disp. 71. n. 14* Gutierr. *c. 36. num. 13.* Ad rationem autem respondeo, sive sponsalia jurata sint, sive non, semper agi de vitando peccato sponsorum, ne impediti matrimonium contrahant, neque ibi agitur de impedienda juramenti observatione, sicuti nec de impediendo jure alterius quæsito, quia stante ea probatione de impedimento, observatio juramenti, & jus sponsorum sibi quæsitum cessat.

7. Tertiò ex fama à fide dignis orta sumitur sufficiens probatio ad sponsalia etiam jurata dissolvenda, uti deciditur, *c. super eo de consang. & affinit.* & tradunt adversus Paludan. ex communi sententia Covarruv. *4. dec. 2. part. c. 7. §. 10. num. 22.* Sanch. *disp. 71. num. 14.* Gutierr. *de matr. c. 36. num. 13.* Ut autem fama probet debet esse allegata, & probata, quia Judex non aliter judicare potest. Quare non credo quod ait Sanchez *d. disp. 71. num. 15.* sufficere esse notorium, nisi esse notorium probetur, alias Iudex sententiam ferret ex privata notitia, & non publica, ut benè notavit Gutierr. *num. 14.* Judex autem privata famæ notitia ductus poterit per ipsam de plano, & absque ordine ullo judiciario, & absque ulla participatione de impedimento inquirere, sicuti aliis relatis dixerunt Sanchez *disp. 71. numero 5.* Gutierr. *cap. 36. num. 14.* Et licèt Sanchez probaverit in hac specie opus non esse, ut testes jurent, rectiùs, Gutierr. affirmavit id necessarium esse, eo quòd testi non jurato in præjudicium tertii credi non debet, ut *superiùs* diximus, & docuit ipse Sanch. *num. 10.* Deinde debet esse forma non infirmata aliis clarioribus probationibus contrariis ex Textu *in c. cùm in tua de sponsalibus* & *in* Glos. *verbo, famam.* Mascad. *d. concl. 1035. num. 14.* Sanch. *d. disput 71. num. 16.* Gutierr. *c. 36. num. 15.* Infirmatur autem prædicta fama consanguineorum juramento ex *dicto capite cùm in tua*, & *ibi* Abbas, & Alex. de Nevo. Sanch. *n. 17.* Gutierr. *suprà num. 15.* imò & ipsorum contrahentium jurantium se non esse consanguineos, arbitrióque Judicis relinquitur, quantum huic juramento deferendum sit, ut ex Mascard. *numero 16.* Sanch. & Gutierr. *loc. cit.* constat.

Et licèt Anton. *cap. super eo qui cognovit consanguin. num. 7.* & *ibi* Præpos. *num. 4.* censeant rumorem sufficere ad impediendum matrimonium, verius tamen insufficientem esse, ut colligitur ex *capite super eo.* Tantùm enim famæ, quæ est acclamatio, seu opinio majoris partis viciniæ, in qua ad minus habitant decem conceditur hæc potestas, ut virtute illius dissolvi sponsalia possint ; non autem rumori, qui est opinio minoris partis, uti ex Glos. Cardinal. Alexand. de Nevo docuit Sanchez *d. disp. 71. in fine, numero 18.* Gutierr. *d. cap. 36. num. 16.*

8. Hucusque loquuti sumus de probatione causæ impedientis matrimonium ; ac si causa quæ ad sponsalium dissolutionem allegatur, matrimonii impeditiva non est, sed solùm concedit alteri jus resiliendi, esto Paludan. *in 4. disp. 27. quæst. 1. art. 3. casu 1. num. 17.* existimet unicum testem, vel famam juxta supradicta satis esse, ut Judex sponsalia dissolvat, meritò contrarium docet Sanchez *lib. 1. disp. 7. n. 7.* Gutierr, *cap. 36. num. 17.* Coninch. *dub. 11. concluſ. 4. num 5.* Layman. *lib. 5. tract. 10. 1. part. cap. 2. n. 12. verſ. Dico. 3.* eo quòd in dicto eventu agitur de peccato vitando, ob cujus rationem concessum est in *dicto cap. super. eo*, & *cap. præterea*, quod unus testis, vel fama sufficiant. Sed tractatur de solo tertii præjudicio, ubi necessarii sunt duo testes, sicut in omnibus aliis causis ex *leg. ut jurisjurandi, Cod. de testibus cap. licèt ex quadam, cap. veniens, cap. in. omni negotio de Vestibus.* Excipit tamen Layman. *dicto n. 12.* nisi timerentur infelices exitus, & scandala ex tali matrimonio, quia eo casu unius testimonium suffiiciens esset, sed est frustranea exceptio, nam stante eo timore probabili sponsalia dissolvi possent nulla alia causa comprobata. Illud verò certum esse debet pro foro conscientiæ ad dissolvenda sponsalia unicum testem fide dignum etiam non juratum sufficere, quia ex vi illius testimonii probabiliter, & prudenter judicare potes impedimentum adesse, uti dixit Sanch. *disp. 73. num. 2.* Gutierr, *cap. 36. n. 17.*

Punctum XXXIII.

An pars justè ab sponsalibus resiliens ob ingressum religionis, vel ob aliud impedimentum inculpabile teneatur comparti solvere expensas, si quas in parandis nuptiis fecit ?

1 *Affirmant plures.*
2 *Verius est nullam esse obligationem justè resilienti.*

1e AFfirmant Gutierr. *lib. 2. canon. qq. c. 22. à num. 19.* & *de matr. cap. 78. num. 3.* Henriq. *lib. 12. de matr. cap. 10. in fine* Paul. Layman, *lib. 5. sum. tract. 10. 1. part. cap. 2. num. 9.* ducti ex eo quòd contrahentes tacitè obligentur se servare indemnes casu quo absque culpa sponsalia solvantur, Argum. *Textus in leg. si pecuniam 5. ff. de conditione causa data :* ubi dans pecuniam alicui ut iret Capuam altero nondum profecto pœnitere potest, ita tamen ut profecturo solvat expensas, si quas fecit, neque enim æquum erat, ut profecturus damnum pateretur, cum nullum ex dissolutione contractus commodum reportaret, potiùs enim illud damnum pati debebat qui ob sui commodum contractum dissolvit. Ergo solvens sponsalia absque alterius culpa, alterum indemnem servare debet.

2. Cæterùm etsi hæc sententia satis probabilis sit, probabiliorem existimo affirmantem nullam justè resilienti obligationem esse solvendi expensas ab alio factas, quam tenet. Petr. de Ledesm. *de matr. quæst. 47. art. 5. dub. 2.* Sanchez *lib. 5. de matr. disp. 5. numero 3.* eo quòd nullo jure cautum sit sic resilientem obligatum esse ad prædictas expensas : nam lex *si pecuniam* id non probat, nam dans pecuniam profecturo Capuam, ideo obligatur servare indemnem profecturum, si ante profectionem pœniteat, quia ipse pœnitere potest, non tamen profecturus, & cum sit inæqualis conditio, meritò obligatur solvere profecturo

fecturo expensas, si quas in parando itinere fecit; quippe non in sui favorem, sed in favorem dantis pecuniam supponentur factæ. Secùs verò est in sponsalibus, in quibus æqualis est utriusque sponsi conditio, uterque enim justè resilire potest impedimento appositio, vel religionis ingressu. Non igitur ex vi juris positivi unus alteri obligatur expensas solvere. Ex natura autem contractus hæc obligatio non infertur necessariò, siquidem potest fieri absque eo quòd unus alteri ad prædictas expensas obligetur, quinimo sic videtur fieri, dum hæc obligatio non exprimitur, & jus liberè resiliendi cuilibet est concessum. Et per hæc fit satis oppositæ rationi.

Punctum XXXIV.

Qualiter puella in loco tuto constituenda sit, cùm ab alio exigitur pro sponsa?

1 *Quoties est timor alicujus violentiæ, si in domo parentum existat puella, debet Judex eam in loco tuto constituere.*
2 *Ibi constituta examinanda est interposito juramento de fide data.*
3 *Examinata puella, si nubere velit uno contendente, statim ei tradenda est. Secus si negavit fidem datam.*
4 *Idem est dicendum, si in potestate matris, vel tutoris existat.*

1. POtest exigi à duobus simul contendentibus de fide data, vel ab uno tantùm. In utroque casu si probabilis sit timor alicujus violentiæ, si puella in domo parentum, seu consanguineorum commoretur, potest, & debet Judex Ecclesiasticus eam in loco tuto, ut in Monasterio Monialium, vel alia domo constituere, quia ad ipsum pertinet, ne damnum innocenti inferatur; neve matrimonia coactè fiant, sicuti habetur *c. cum loc.* 14. *de sponsi.* & tradit ibi Abbas, Præpositus. & Doctores communiter.

2. Constituta puella in loco examinanda est à Judice interposito juramento de fide data cuinam ex illis duobus viris fidem dederit? factáque illius declaratione non statim illi viro tradenda est, tametsi velit, sed concedendum est alteri collitiganti tempus probandi prius sibi fidem datam esse, & juxta illius probationem causa decidenda est, interim tamen permanere debet puella in eo loco, ut colligitur ex *dicto cap. cum locum*; ibi: *Faciat puellam de cujus matrimonio quæritur in domo in qua nihil eam timere oporteat honestè teneri, donec prædicta causa terminata fuerit, & sententia sine contradictione cujusque valeat executioni mandari*, & notavit Gutierr. *de matr. cap.* 37. *post med. vers. rursus numero* 3.

3. Quod si unus tantùm contendat sitque probabilis timor violentiæ, vel ab ipso, ejúsve consanguineis, vel à puellæ parentibus: constituta in loco tuto, neminique suspecto examinanda est, ejúsque liber consensus explorandus. Quo explorato si nubere velit contendenti statim absque ulla mora Judex Ecclesiasticus sumpta summaria informatione nullum inter ipsos impedimentum adesse, eos conjunget, vel conjungi faciet. Verùm si ipsa fidem assertam negaverit, remanere debet in depósito, quousque sententia ferenda sine contradictione cujusque executioni madari possit, juxta prædictum Textum *cum locum*. Probabile tamen est (ut inquit Gutierr. *dicto c.* 37. *n.* 3. *circa finem.*) reddi posse parentibus interim dum lis agitatur, & exactior sponsalium probatio fit, & impósito illis præcepto sub censura, sumptisque fidejussoribus idoneis competentis pœnæ pecuniariæ solvendæ, ne durante lite alteri puellæ nubat, neque ex illo loco exibit, cujus decreti Parochi illius loci monendi sunt, & sub censuris, aliisve pœnis astringendi, ne contra faciant.

4. Ob eandem causam, si mater legitima tutrix filiam impuberem alicui in matrimonium promiserit, removenda est ab ejus consortio, & in loco tuto collocanda, quousque pubes facta liberum consensum de matrimonio contrahendo præstet, quia existens sub potestate matris tutricis præsumi potest coactè consensura ei, cui à matre promissa est. Sic Paul. de Castro, *cons.* 127. *Vol.* 1. Covarruv. 4 *decr.* 2. *part. c.* 3. §. 6. *n.* 2. Gutierr. *dicto c.* 37. *vers. in tertio casu.* Qui censent ob prædictam causam non esse matrem à tutela removendam, tametsi ab educatione filiæ removeatur.

DISPUTATIO II.

De matrimonii essentia.

Punctum I.

Unde dicatur matrimonium: Et quid sit?

1 *Unde dicatur matrimonium?*
2 *Matrimonium multipliciter sumitur, & ejus definitio propria expenditur.*
3 *Satisfit objectioni, & declaratur, qualiter Beatissima Virgo matrimonium contraxerit?*
4 *Triplex matrimonium.*
5 *Quo tempore matrimonium est institutum in ratione contractus?*
6 *Quo tempore in ratione Sacramenti, & à quo fuerit institutum?*
7 *Matrimonium Sacramentum virtutem habet conferendi gratiam ex opere operato.*

1. MAtrimonium dicitur teste Aug. *lib.* 19. *contra Faustum*, *c.* 26. & Aulo Gellio *lib.* 18. *cap.* 6. quia fœmina nubit, ut mater efficiatur. Vocatur connubium, seu nuptiæ, quia virgo quasi nube obtegitur, & velatur cùm nubit in signum subjectionis viro, & erubescentiæ, juxta illud Gen. 20. *Hoc erit in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt.* Fateor tamen nuptias potius solemnitatem, & celebritatem contractus conjugalis, quam ipsum conjugium, significare, uti dixit Vvesembec. *in para tit. de ritu nuptiar. n.* 1. Denique appellatur conjugium, quia duos in carne una conjungit. Quod si roges, quare matrimonium potius à matre nomen acceperit? Plures congruentias adducit Nicol. Motius *de matr. in pr. n.* 1. duæ mihi videntur potissimæ. Prima, quia prolis, ad quam matrimonium dirigitur mater certa parens est, *leg* 5. *ff. de. in jus vocando*, cùm tamen sæpè pater incertus sit, *leg. filium ff. de his qui sunt sui, vel alien. juris.* Secunda, quia fœmina in matrimonio gravius onus sustinet, quippe prolem in utero, & extra uterum sua substantia alit, donec per se quodammodo stare possit.

2. Deinde matrimonium aliquando sumitur pro ipso contractu, quo sponsi sibi invicem mutuam in corpora potestatem concedunt ad matrimonii usum, frequentiùs tamen pro ipsa potestate, & sic sumptum communiter definitur. *Conjunctio maritalis viri, & fœminæ inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens*, uti colligitur ex Modestino *leg.* 1. *ff. de Ritu nuptiar.* §. 1. *inst. de patria potest. c.* 1. *illud*, *in fine de præf.* & *in summa* 27. *q.* 2. *leg. regia* 1. *tit.* 2. *part.* 4. & tradunt omnes Doctores apud Covar. *in* 4. *decret.* 2. *part. in pr. n.* 1. Matien. *leg.* 5. *compilat. in Rub. tit.* 1. *n.* 1. Thom. Sanch. *lib.* 2. *de matr. disp.* 1. *num.* 1. Basil. Ponce *lib.* 1. *de matr. c.* 2. Dicitur *Conjunctio maritalis*, quia ex mutua traditione manent conjuges uniti, & ligati, & quasi unum effecti. *Viri*, *& fœminæ*, ut exprimantur personæ conjungendæ, quæ debent esse legitimæ, hoc est nullo impedimento astrictæ. *individuam vitæ consuetudinem retinens.* id est insolubilem: in quo

matrimonium

matrimonium ab aliis contractibus longè differt, qui mutuo conſenſu celebrati mutuo conſenſu diſſolvuntur, non ſic matrimonium ex Divina inſtitutione: tum ut proles aptiùs generetur, & educetur: tum ut conjunctio Chriſti cum Eccleſia ſignificetur.

Verùm quia prædictus contractus à Chriſto Domino in Sacramentum elevatus eſt, ſic placet Toleto *lib. 7. ſum. cap. 5.* eſſe definiendum, ut ſit contractus viri, & fœminæ legitimus, quo mutua corporum poteſtas traditur gratiæ ſpiritualis collativus conſentit Greg. de Valen. *4. t. diſp. 10. q. 1. part. 1.* Baſil. Ponce, *lib. 1. de matr. cap. 2. num. 10.*

3. Quod ſi objicias Beatiſſima Virgo voto caſtitatis adſtricta teſte Auguſt. *lib. de virginit. cap. 4.* Divino mandato (aliter enim non poterat) matrimonium contraxit cum Joſeph. *Math. 1. Lucæ 2.* cui tamen non videtur in ſui corpus poteſtatem ad copulam conceſſiſſe: ergo de eſſentia matrimonii non eſt hæc poteſtas. Reſpondeo cum Gratiano *in cap. Beata 27. q. 2.* Beatiſſimam Virginem conceſſiſſe Joſeph prædictam poteſtatem, ſed quia Divino Spiritu ſecura erat ex poteſtate nunquam fore uſurum, potuit matrimonium contrahere; quia de eſſentia matrimonii non eſt generatio, ſed poteſtas ad generandum, & conſequenter neque conſenſus in generationem, ſed in illius poteſtatem. Quod ſi iterum objicias, ſæpè conjuges non poſſunt ſibi mutuò petere, nec reddere debitum, ut contingit cùm confirmato matrimonio ex communi conſenſu profeſſionem in religione approbata emittunt, & tamen matrimonium perſeverat. Ergo matrimonium non eſt poteſtas ad uſum generationis. Reſpondeo negando conſequentiam, quia verè poteſtatem habent tametſi extrinſecè impeditam ob caſtitatis votum, ſicuti ſi à Superiore ob aliquas cauſas eſſet illis copula prohibita, prohibitio non tollit poteſtatem, etſi uſum impediat. Quare ſic impediti peccarent contra Superioris præceptum, vel votum, ſed non contra juſtitiam, cùm re propria uterentur, eſt enim acceſſus ad ſuam non ad alienam.

4. Triplex eſt matrimonium, legitimum, ratum, & conſummatum. *Legitimum* eſt, quia ſecundùm leges fit, ſeu legitimo conſenſu contrahitur, quod commune eſt omni matrimonio, tam in lege naturæ, quàm gratiæ. *Ratum* appellatur, quia Sacramento fidei, ſcilicet baptiſmo ſignatur, ſicuti definivit Innoc. III. *cap. quanto de Divortiis*, ibi. *Nam etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum; inter infideles autem verum, & ratum exiſtit matrimonium, quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum nunquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut jam in conjugibus illo durante perduret. Conſummatum* verò nuncupatur, quia copula ſubſequente conſummatum, & perficitur, ſicuti venditio traditione rei venditæ. Præterquam quòd matrimonium legitimum favore fidei ſolvi poteſt, cum alter ad fidem convertitur alio renuente, ratum verò profeſſione religionis, at conſummatum nunquam diſſolvitur, ideóque ex Innoc. III. *in c. debitum, de Bigamis*, & Eugenio IV. *in decreto ult. Flor. Concilii* colligitur matrimonium triplicem ſignificationem habere. ſignificat enim primò quatenus eſt legitimus contractus conjunctionem Dei cum anima fideli per gratiam. Secundò quatenus, eſt Sacramentum ſignat conjunctionem Chriſti cum tota Eccleſia per baptiſmum. Tertiò quatenus eſt Sacramentum conſummatum conjunctionem denotat hypoſtaticam Verbi Divini cum Humana natura, quæ omni ex parte inſolubilis eſt, ſicut matrimonium conſummatum.

5. Quando autem matrimonium inſtitutum ſit tam in ratione contractus, quàm Sacramenti non ſatis conſtat. Probabilius eſt in ratione contractus, & in officium naturæ inſtitutum eſſe, cùm à Deo fuerunt Adamus, & Eva creati; nam eo ipſo illis fuit conceſſum poſſe matrimonium contrahere, & ſibi invicem poteſtatem in corporis uſum concedere, ſicuti tradit Adrian. *in 4. q. 1. de matrim. §. quoad primum.* Petr. de Ledeſm. *de matr. quæſt. 41. art. 1. dub. 1.* Gab. Vazq. *diſp. 1. de matr. cap. 3.* Baſil. Ponce *lib. 1. cap. 3. à n. 3.* & colligitur *ex cap. jus naturale diſt. 1.* Ut autem noſtri parentes eam poteſtatem, quam ex ipſa natura habebant ad executionem reducerent præceptum illis Deus impoſuit *Geneſis 1.* cùm dixit *Creſcite, & multiplicamini*, quod præceptum executi ſunt *Geneſ. 2.* cum Adam dixit Evæ, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* &c. Quibus verbis credibile eſt ex parte Evæ alia ſimilia correſpondiſſe ſicque utriuſque conſenſum declaratum eſſe. Contraxerunt igitur matrimonium ante peccatum in officium naturæ, hoc eſt in generis humani propagationem, poſt peccatum verò illemet contractus, qui antea ſolùm erat in officium naturæ, fuit in remedium concupiſcentiæ. Porrò hoc præceptum non fuit latum abſolutè, & indifferenter pro omni tempore, ſed pro tempore, quo adfuerit neceſſitas genus humanum propagandi. Cùm ergo genus humanum in præſenti ſatis propagatum ſit, ceſſat hujus præcepti obligatio abſque prædicti præcepti revocatione, ut optime advertit Petr. de Ledeſm. *dub. quæſt. 41. art. 1. dub. 1.* Baſil. Ponce *lib. 1. de matr. cap. 4. num. 8.*

6. In ratione Sacramenti certum de fide eſt à Chriſto Domino eſſe inſtitutum, ut expreſsè definitur à Concilio Florent. ſub Eugenio IV. in decreto fidei poſt ultimam ſeſſionem, & à Trident. *ſeſſ. 24. c. ult.* & pluribus exornant D. Thom. *2. 2. q. 100. art. 2.* & *in 4. d. 26. q. 2. art. 2. in corp.* Rebell. *de obligat. juſtit. lib. 2. de matr. q. 3.* Covaruv. *4. decret. 2. p. c. 1. §. unico n. 3.* Bellarmin. *de matr. lib. 1. cap. 1.* Sanch. *lib. 2. diſput. 4.* Gab. Vazq. *diſp. 2. de matr. c. 4.* Baſil. Ponce *lib. 1. cap. 5. per totum* Coninch. *diſp. 2. dub. 2. num. 14.* Paul. Laym. *lib. 5. ſum. tract. 10. 2. p. c. 2.*

Quando autem Chriſtus matrimonium in Sacramentum elevaverit incertum eſt, probabilius cùm ejus inſeparabilitatem præcepit, & commendavit *Matth. 19.* dicens: *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet.* Sicuti judicavit Trident. *ſeſſ. 24. in pr.* Loquens de hujus Sacramenti inſtitutione, & tradit aliis relatis Sanch. *lib. 2. de matr. diſp. 4.* Paul. Laym. *lib. 5. ſum. tr. 10. 2. part. c. 2. n. 1.* Baſil. Ponce, *lib. 1. c. 6.* Quare cum *Ioan. 2.* non Sacramentum inſtituit, ſed inſtituendum approbavit.

7. Ex his infertur eam virtutem matrimonium Sacramentum habere, quæ omnibus Sacramentis novæ legis meſt, ſcilicet conferre gratiam ex opere operato dignè ſuſcipientibus, uti colligitur ex Trid. *ſeſſ. 7. can. 6.* & 7. & *dicta ſeſſ. 24. in princ.* An autem exiſtenti in peccato mortali, & bona fide exiſtimanti ſe contritum eſſe, cùm tamen ſolùm attritus ſit primam gratiam conferat, piè credendum ex Dei benignitate. Cùm receptum apud Doctores ſit Sacramenta ſuos conferre effectus non ponentibus obicem. Hic autem qui invincibiliter in mortali accedit, obicem non eſt cenſendus apponere.

Punctum II.

Quæ matrimonia ſint Sacramentum.

1 *Poſt Chriſti inſtitutionem matrimonium à fidelibus contractum, eſt Sacramentum.*
2 *Affirmant aliqui matrimonium fidelium non ſolùm in fieri, ſed in facto eſſe verum Sacramentum.*
3 *Verius eſt in facto eſſe, veram Sacramenti rationem non habere, & ſatisfit objectioni.*
4 *Aliqui affirmant poſſe fideles matrimonium contrahere, quin Sacramentum ſuſcipiant.*
5 *Verior eſt oppoſita ſententia.*
6 *Solvuntur rationes contrariæ.*

7 *Negan-*

7 *Negant aliqui matrimonium fidelium per procuratorem contractum esse Sacramentum.*
8 *Oppositum tenendum est.*
9 *Satisfit fundamentis oppositis.*
10 *Affirmat* Sotus *fidelem baptizatum contrahentem cum infideli suscipere verum Sacramentum.*
11 *Oppositum certum est.*
12 *Satisfit rationi contrariæ.*
13 *Communis sententia defendit utroque conjuge infideli ad fidem converso eorum matrimonium suscepto baptismo fieri Sacramentum.*
14 *Verius existimo nunquam Sacramentum effici.*

1. TAmetsi matrimonia legis naturæ, & scriptæ sint Sacramentum latè & minus propriè, quatenus erant signa conjunctionis Dei cum homine per gratiam uti colligitur *ex cap. gaudemus de Divortiis, cap. debitum, de bigamis*, & tradit Leo *epist.92. ad Rusticum.* August. *lib.2. de nupt. cap.21.* At cùm virtutem non haberent sanctificandi conjuges ante Christi institutionem; ea de causa propriè Sacramentum non debent nuncupari. Post institutionem verò Christi illud solùm matrimonium Sacramentum est, quod est à fidelibus, hoc est à baptizatis susceptum; nam cùm baptismus janua sit, & necessaria dispositio ex Divina institutione ad reliqua omnia Sacramenta suscipienda, nequit ullus qui baptizatus non sit Sacramentum matrimonii suscipere, tametsi in matrimonium copuletur. Neque obstat, quòd Innocent. III. *in cap. veniens de Clerico non baptizato* dixerit non baptizatum suscipere posse matrimonium, & Eucharistiam: id enim intelligi debet de susceptione matrimonii in ratione contractus, & de susceptione Eucharistiæ materiali non formali. Præterquam quòd ibi Innocent. non definiendo, sed dubitando ea verba protulit, sicuti advertit Rebell. *lib.2. de matr. q.3. n.16.* Basil. Ponce *lib.1. cap.6. n.5.*

2. Sed; An ipsum matrimonium fidelium non solùm in fieri, sed in facto esse sit verum Sacramentum? Nonnulla est difficultas. Affirmant esse Bellarm. *lib.1. de matr. cap.6.* Sanch. *lib.2. disp.5. num.7.* Ferdinand. Rebell. *lib.2. de matr. q.4.* Paul. Laym. *lib.5. tract.10. 2.part. cap.2. num.4.* Ducuntur, quia celebrato matrimonio conjuges inter se perpetuò uniti, & copulati significant unionem Christi cum Ecclesia, vel Verbi cum Natura Humana. Quinimo matrimonium in fieri hanc unionem significare non potest, cùm citò transeat. Nec mirum hoc esse debet, cùm Eucharistia non tantùm in fieri, sed in facto esse Sacramentum sit.

3. Cæterùm omnino dicendum est matrimonium in facto esse veram, & propriam Sacramenti rationem non habere. Nam Sacramentum à Christo institutum est signum practicum gratiæ sanctificantis, id est, quod suo usu ex opere operato suscipientem sanctificet, ut dixit Concil. Florentin. *in decreto Eugenii*, & colligitur ex Trid. *sess.7. per totam.* At conjuges usu matrimonii non sanctificantur ex opere operato, ut ferè omnes Doctores contendunt. Ergo matrimonium in facto esse Sacramentum, propriè non est: sic docuit Coninch. *disp.24. dub.2. num.11.*

Neque obest, quod matrimonium in facto esse significet unionem Christi cum Ecclesia, quia id solum probat esse Sacramentum, sumpto Sacramento latè pro signo rei sacræ divinitus instituto, non tamen probat esse propriè Sacramentum, quatenus est signum practicum gratiæ; hoc enim habet matrimonium, quatenus fit, non quatenus factum est. Secùs est de Eucharistia, quæ quatenus fit non Sacramentum, sed sacrificium est, facta verò Sacramentum est, quia suo usu ex opere operato suscipientem sanctificat.

4. Posito autem contractum ipsum matrimonii à fidelibus factum Sacramentum esse. Dubium est primum; An possint fideles matrimonium contrahere, quin Sacramentum suscipiant? Affirmant Ferdinand. Rebell. *de oblig. 2.part. lib.2. quæst.5. concl.1.* Vasq. *t.2. in 3.p. disp.138. t.5.* Basil. Ponce *lib.1. cap.9. num.3.* Gaspar Hurtado *lib. de matr. disp.3. difficult.19.* Moventur, quia neque ex Conciliis, neque ex Patribus, aut sacra Scriptura constat Christum Dominum ita conjunxisse Sacramentum contractui matrimonii fidelium, quin ipsi fideles possent contractum à Sacramento separare. Nam esto contractus ita sit essentialis Sacramento matrimonii, ut nequeat Sacramentum esse, quin sit legitimus contractus, quia est ejus materia, & forma: at contractui ea Sacramenti necessitas non videtur essentialis, sicuti non est essentialis ablutioni, & prolationi verborum Baptismi esse Sacramentum, cùm consistere possit absque Sacramento ex defectu solum intentionis. Neque item hæc conjunctio constat ex communi sensu Doctorum, siquidem plures antiqui docuerunt matrimonia clandestina fidelium esse legitima in ratione contractus, sed non in ratione Sacramenti, & modò plures matrimonium inter absentes, per epistolam, vel per procuratorem celebratum etiam post Trident. esse legitimum in vi contractus, carere tamen Sacramenti ratione. Ergo absque fundamento negatur fideles separare non posse contractum matrimonii à Sacramento. Secundò, quia contractus matrimonii valere reputandus est, dum jure non invenitur irritus: at nullibi reperitur irritus contractus fidelium absque intentione Sacramenti, quinimo ex *cap. fin. de conditionib. apposit.* contrarium colligitur; siquidem ibi conditiones turpes, & impossibiles à matrimonii contractu rejiciuntur. Ergo illa conditio, quod ille contractus matrimonium non sit, utpotè turpis, & impossibilis pro non adjecta habenda est. Tertiò favet huic sententiæ praxis Inquisitorum, Judicum, & communis sensus Ecclesiæ: matrimonia enim illorum fidelium, qui ad Judaismum deflectunt, vera esse reputantur, cùm tamen constet non contraxisse animo faciendi, quod facit Ecclesia, cum id potius irrideant, & ob eam causam secreto prius contrahunt, & postmodum in Ecclesia se fingunt more Catholicorum contrahere.

5. Nihilominus longè verior est sententia negans posse fideles baptizatos verum matrimonium contrahere, & non Sacramentum. Sic Petr. de Ledesm. *de matr. q.42. art.1. dub.7. in solut. ad 1. & 2.* Sanch. *lib.1. de matr. disp.10. num 6.* Coninch. *disp.24. dub.6. concluf.4.* Ratio ea est, quia Christus Dominus contractum matrimonialem fidelium in Sacramentum elevavit. Ergo fideles intendentes verum matrimonialem contractum inire, consequenter intendunt Sacramentum constituere; quia hoc ex divina institutione habetur, neque possint unam intentionem ab alia sejungere. Et confirmo, tota essentia matrimonii Sacramenti consistit in legitimo fidelium contractu, quo sibi invicem corpora ad conjugalem usum tradunt. Ergo fideles intendentes celebrare prædictum contractum, necessariò intendunt celebrare matrimonium Sacramentum. Secundò Trident. Florent. Concil. expressè definiunt matrimonia fidelium Sacramentum esse, sed hæc est universalis, & indefinita definitio. Ergo omnia matrimonia fidelium comprehendit, ergo nequit dari verum matrimonium fidelium, quòd Sacramentum non sit. Tertiò prædicta matrimonia sunt omnino insolubilia, non solum quia susceptione baptismi solvi non possunt, sed quia significant conjunctionem Christi cum Ecclesia, Verbique Divini cum natura Humana; sed hanc significationem sola matrimonia Sacramenta habent juxta illud Pauli ad Ephes.5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ergo nullum est matrimonium fidelium, quod Sacramentum non sit. Quartò ex opposita sententia duo non levia inconvenientia inferuntur: Primum, matrimonia quæ olim clandestinè celebrabantur, non esse vera Sacramenta, cùm tamen Concilium, *sess.24.c.1. de refor.* ea rata appellaverit, quo nomine sola matrimonia Sacramenta

nuncupantur. Sequelam probo, quia ſic contrahentes ſolùm contractum civilem intendebant efficere, non tamen Sacramentum, quippe ſi hujus intentionem haberent, non ita irreverenter contraherent. Secundum, & præcipuum inconveniens eſt, licitum eſſe fidelibus matrimonia celebrare in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti, ſiquidem nulla lex Divina, neque Humana oſtendi poteſt, quæ eos adſtringat ad utrumque conjungendum, ſi verè ſeparari hæ rationes poſſunt.

6. Neque oppoſitæ rationes urgent. Ad primam conſtat ex dictis conſtare inquam ex Florent. & Trid. Chriſtum Dominum fidelium contractui rationem Sacramenti annexiſſe. Secunda probaret, matrimonium illud non ſolùm eſſe verum in vi contractus, ſed etiam in ratione Sacramenti: nam conditiones turpes, & impoſſibiles æquè à Sacramento matrimonii, ſicuti à contractu rejiciuntur. Quapropter dicendum eſt, ſi contrahentes ita vellent inire matrimonium, ut nullo modo Sacramentum ſuſcipere intendant, neutrum efficiunt; at ſi efficaciter, & abſolutè volunt matrimonium inire; nolunt tamen Sacramentum ſuſcipere, quia errore ducti exiſtimant matrimonium à Sacramento ſeparari poſſe, verum Sacramentum ſuſcipiunt, quia illa voluntas non ſuſcipiendi Sacramentum inefficax eſt ſtante voluntate abſoluta, & efficaci celebrandi matrimonii contractum, cui annectitur ex Chriſti inſtitutione Sacramentum. Ad tertium ſimiliter reſpondeo, matrimonia illorum verè eſſe Sacramenta, quia verè, & abſolutè intendunt facere, quod Eccleſia requirit, ut Sacramentum matrimonii conſiſtat, nempè intendunt ſibi invicem corpora ad uſum conjugalem tribuere quod eſt ab Eccleſia pro Sacramento matrimonii requiſitum, tametſi ea non præſtent, ut Eccleſiæ Catholicæ conformentur.

7. Secundò dubitatur: An matrimonium fidelium per nuntium, vel epiſtolam, vel procuratorem celebratum ſit verum Sacramentum? Supponimus ex *infrà* dicendis verum matrimonium inter abſentes celebrari poſſe, ſolùm in præſenti dubitamus, an ſit verum Sacramentum? Negant eſſe Canus *lib.*8. *de locis Theol. c* 5. *ad* 3. *& in relect. de pœnit. p.*5. Baſſolis *in* 4. *d.*27. *q.*1. *art.*1. Caïet. *in opuſc. de matr. quæſt.*1. Victor. *in ſum. n.*244. Viguer. *in inſtitutionib. Theolog. c.*16. §.7. *verſ.*4. Martin. Ledeſm. 2. *part.*4. *quæſt.*44. *art.*4. Probabilem jud cant Petr. Ledeſm. *de matr. quæſt.*42. *art.*1. *difficult.*7. *concl.*1. Ferdinand. Rebell. *de oblig. juſtit.* 2. *part. lib.*2. *quæſt.*5. *concl.*2. Ducuntur primò, quia verba videntur neceſſaria in quolibet Sacramento, cùm Concil. Florentinum dixerit omnia Sacramenta conſtare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma, at inter abſentes verba intercedere non poſſunt. Secundò nullum aliud Sacramentum medio nuntio, epiſtola, aut procuratore celebrari poteſt. Ergo neque matrimonium. Tertiò miniſtratio Sacramenti, illiuſve ſuſceptio debet eſſe ab homine libero, & in ſtatu gratiæ exiſtente; at ſi medio procuratore, nuntio, vel epiſtola matrimonium celebrari poteſt, miniſtratio Sacramenti, illiuſque ſuſceptio ſæpe fiet ab homine ebrio, dormiente, vel amente, & in peccato exiſtente. Non igitur eſt concedenda ratio Sacramenti prædicto matrimonio.

8. Communior tamen ſententia, eaque veriſſima affirmat matrimonium per procuratorem, nuntium, vel epiſtolam celebratum à baptizatis verum Sacramentum eſſe, ſicuti docuit Innocent. *in cap. juvenis de ſponſalib. num.*5. Covarr. 2. *de matr. cap.*1. §. *unico, num.*5. Navarr. *in cap. fratres de pœnit. d.*5. *n.*45. Greg. Valent. 4. *t. diſp.*10. *quæſt.*1. *p.*6. *in ſolut. ad* 4. Sanch. *lib.*2. *diſp.*11. *num.*27. Bellar. *lib.*1. *de matr. cap.*5. *ad* 1. Henriq. *lib.*11. *c.*2. *n.*2. Baſil. Ponce *lib.*1. *c.*10. *n.*3. Gutierr. *de matr. c.*43. *num.*8. Coninch. *diſp.*24. *dub.*2. *concl.*5. *num.*23. & alii plures apud ipſos. Ratio eſt, quia ut *ſuprà* probavimus, fideles optimè poſſunt per nuntium, epiſtolam, vel procuratorem matrimonium contrahere. At quodlibet matrimonium fidelium declaravit Trident. *ſeſſ.*24. *cap.*1. eſſe Sacramentum neque ullam fecit exceptionem. Ergo prædictum matrimonium eſt verum Sacramentum. Et confirmatur, quia Chriſtus Dominus naturam contractus non immutavit, ſed verum, & legitimum contractum ad eſſe Sacramenti elevavit, ſed per procuratorem verus contractus matrimonii celebrari poteſt, ergo verum Sacramentum conſtituit. Præterea quoties de hujus contractus valore lis agitatur, non Judex ſæcularis, ſed Eccleſiaſticus cognoſcit: ſi prædictum matrimonium Sacramentum non eſſet, ſed ſolùm civilis contractus, nulla eſſet cauſa, ob quam ad Judicem ſæcularem ejus cognitio non pertineret. Ergo ſignum eſt Eccleſiam unanimi conſenſu ſentire prædictum matrimonium Sacramentum eſſe.

9. Rationes in contrarium leviſſimæ ſunt. Prima probaret mutum non poſſe matrimonium inire, ſiquidem nequit verba proferre. Quare dicendum eſt, cùm Conc. Flor. dixit omnia Sacramenta conſtare verbis, matrimonium excipiendum eſt, ut placuit Paludan. *in* 4. *d.*27. *quæſt.*2. *art.*3. *concluſ.*1. Vel ſi matrimonium comprehendit, id intelligi debet verbis formalibus, vel æquivalentibus, vel denique intelligendum eſt regulariter non præcisè, uti colligitur manifeſtè ex ipſomet Concilio dicente, cauſam efficientem matrimonii eſſe mutuum conſenſum regulariter per verba expreſſum. Ad ſecundum neganda eſt conſequentia; quia quodlibet Sacramentum celebratur juxta ipſius naturam. Cùm ergo matrimonii natura ſita ſit in contractu, qui medio procuratore ſæpè fit, Sacramentum matrimonii eodem modo celebrari poteſt. Ad tertium nego eſſe neceſſarium, ut ſuſcipiens Sacramentum actualem habeat libertatem, ſufficit, ſi illam habuerit, ut contingit in eo, qui dormiens baptizatur, eo quòd antea baptiſmum petierit. Concedo tamen ad miniſtrandum Sacramentum, quod per propriam perſonam miniſtrandum eſt oportere miniſtrum actuali libertate gaudere. At cùm Sacramentum matrimonii miniſtrari poſſit per interpoſitam perſonam, ea de cauſa non requiritur, ut actualem libertatem habeat, cùm de facto miniſtratur. At ut dignè prædictum Sacramentum ſuſcipiatur, debet non procurator, ſed ille cujus nomine matrimonium contrahitur in gratia eſſe eo tempore, quo probabiliter credit matrimonium à ſuo procuratore celebrandum eſſe.

10. Tertiò dubitatur; An fidelis baptizatus contrahens ex diſpenſatione Pontificis cum infideli ſuſcipiat verum Sacramentum? Affirmat Sotus *in* 4. *d.*26. *quæſt.*2. *art.*3. *in fine.* Leſſius *Hom.*73. *de Sacram.* Moveri poſſunt, quia fidelis verè contrahit, ſed contractum fidelium elevavit Chriſtus in Sacramentum. Ergo ille contractus ex parte fidelis Sacramentum eſt, & fortè ob hanc cauſam dixit Paul. 1. Corinth. 5. *Utrùm infidelem ſanctificatum eſſe per mulierem fidelem.* Et econtrà.

11. Nihilominùs certa ſententia eſt prædictum contractum Sacramentum non eſſe; ut benè aliis relatis docuerunt Sanch. *lib.*2. *diſp.*8. *num.*2. Gutierr. *de matrim. cap.*42. *num.*4. Gab. Vaſq. *de matrim. diſp.*2. *cap.*4. *num.*10. *& cap.*10. *num.*113. Coninch. *diſp.*24. *dub.*2. *concl.*6. *num.*24. Baſil. Ponce *lib.*1. *cap.*6. *num.*7. Ratio eſt manifeſta, quia Sacramentum matrimonii unicum, & indiviſibile eſt, ſicuti eſt unicus, & indiviſibilis contractus virum, & fœminam afficiens: at ſecundùm omnes non afficit infideles: Ergo neque fidelem afficere poteſt. Neque eſt ullum inconveniens, quòd unicum, & indiviſibile accidens morale ſit in duobus ſubjectis, ſi inter ſe ad unum referuntur, ut patet in poteſtate Capituli, quæ unica, & indiviſibilis ita ſingulis communicatur, ut dependenter ab aliis communicetur.

12. Ad

12. Ad rationem in contrarium respondeo, fidelem in eo casu verè contrahere : nego tamen illum contractum esse fidelis simpliciter , cùm etiam sit infidelis. Christus autem Dominus illum contractum ad esse Sacramenti elevavit , qui absolutè, & simpliciter contractus fidelis est. Neque Paul. 1.Corinth.7. dixit : *Virum infidelem sanctificatum esse per mulierem fidelem* , ex eo quòd mulieris fidelis matrimonium sit Sacramentum, sed ex eo quòd ejus conversione speratur infidelem virum convertendum, & sanctificandum esse.

13. Quartò dubitatur , An cùm uterque conjux infidelis ad fidem convertitur suscepto baptismo, eorum matrimonium Sacramentum efficiatur ? Communior sententia affirmat , ut videre est ex pluribus, quos refert , & sequitur Sanch. *lib.2. disp.9. num.5.* Rebell. *lib.2. de matr. quæst.6. concl.1.* Bellarmin. *lib.1. cap.5 1. in fine & cap.15.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.10. 2.part. cap.3. num.6.* Gutierr. *de matr. cap.42 num 5.* Moventur ex eo quòd matrimonium antea solubile baptismo fit ratum, & insolubile, & conjunctionem Christi cum Ecclesia significat : ergo est Sacramentum. Differunt autem prædicti Doctores : nam Sanch. Gutier.& alii censent ex eo quòd infideles baptizentur absque alio novo consensu Sacramentum effici. Alii,ut Bellarm. & Paul.Layman. requirunt novum consensum seu,antiqui approbationem signis , nutibus , copulave maritali.

14. Nihilominùs verius existimo nunquam Sacramentum effici, quæ est sententia Gab. Vasq. *2.t. in 3.p. dist.*138. *cap.5. & 4.t. disp.2. de matr. cap.*10. Ægid. de Coninch. *disp.24. dub.2. conclus.7.* Basil. Ponce *lib.1. cap.9. num.8.* Moveor, quia infideles ad fidem conversi in eodem vinculo matrimonii quo antea astringebantur , perseverant , sive denuò consentiant , sive dissentiant , quia neque ex dissensu vinculum diminuitur, neque consensu augetur , ergo ex novo consensu non potest matrimonium effici. Secundò Sacramentum matrimonii tunc est , quando baptizati sibi mutuò corpora tradunt ad conjugalem usum : at infideles fideles facti , renovantesque consensus non sibi invicem corpora tradunt , quia sunt tradita , solùm enim possunt traditionem factam approbare , at approbatio traditionis non est traditio , neque novus contractus matrimonii, ergo nequit esse Sacramentum ; aliàs quoties fideles contractum prius factum approbarent , novum Sacramentum matrimonii susciperent , quod est absurdum. Quòd si dicas ea approbatione ab infidelibus denuò baptizatis facta contractum priorem reddi ratum , & insolubilem , & conjunctionem Christi cum Ecclesia significare, cùm tamen antea non esset, ergo est verum Sacramentum. Obstat , quia prædictus contractus (seu ut melius dicam) vinculum ex dicto contractu relictum non fit ratum , & insolubile ex eo quòd à denuò baptizatis approbetur , sed ex eo quòd cesset baptismo suscepto causa ob quam dissolvi poterat ; quippè solùm ob susceptionem baptismi dissolvi poterat alio renuente converti. Præterea fideles consummantes matrimonium reddunt contractum omnino insolubilem , repræsentantemque unionem Verbi Divini cum natura Humana , quam insolubilitatem , & repræsentationem ante consummationem non habebat , sed ingressu religionis, vel dispensatione Pontificis solvi poterat, & tamen non obinde fideles consummantes matrimonium, denuò Sacramentum suscipiunt , quia denuò non sibi corpus tradunt , nec denuò contrahunt , sed corpore tradito utuntur, & contractum factum perficiunt, sic à fortiori infideles fideles facti suorum consensum approbatione matrimonium Sacramentum efficere non possunt , quia non efficiunt novum contractum, sed antea factum approbant, & baptismo perficiunt. Et ex his fit satis fundamento communis sententiæ.

PUNCTUM III.

Quæ sit materia , & forma Sacramenti matrimonij.

1 *Referuntur variæ sententiæ.*
2 *Consensus utriusque contrahentis est materia, & forma.*
3 *Quod intelligendum est tam in ratione contractus , quàm Sacramenti.*

1. VAriæ sententiæ de hac re referuntur à Thom. Sanchez *lib.2. disp.5. per totam.* Breviter colligam , & quæ mihi probabiliores videntur subjiciam. Prima est Cani , *lib.8. de locis cap 5. in solut. ad 3.* Asserentis verba contrahentium esse materiam , formam verò verba Sacerdotis. Sed est improbabilis sententia ; aliàs sequeretur matrimonia clandestina olim Sacramenta non fuisse contra Tridentin. *sess.24. cap.1. de reform.* Et matrimonium celebratum coram testibus , & Parocho nulla verba proferente Sacramentum non esse. Secunda est Glossæ *in capite Tuæ de Sponsalibus verbo, nec forma* , & Abbat. *ibi numero* 10. Præpos. *in fine.* Alexand. de Nevo *numero 25.* Sylvest. *verbo Matrimonium 1. quæstione 1.* Navarr. *capite 22. numero 20.* Gregor. de Valent. *tom.4. disputatione 10. quæstione 1. parte 6.* Rebell. *libro 2. quæstione 4. sectione 3.* Et aliorum consensum contrahentium esse materiam ; verba autem , quibus ille consensus exprimitur esse formam, quia consensus verbis informatur. Sed hæc sententia facilè refellitur , nam si sumatur consensus ut distinctus à verbis, seu à signis, quibus exprimitur, & declaratur, ut necessariò sumi debet , ne materia cum forma confundatur est omnino insensibilis ; At materia contractus humani, & politici nequit esse integrè , & totaliter insensibilis. Ergo : Neque obest , quòd in Sacramento pœnitentiæ contritio sit materia proxima, quia non est integra, sed verbis, vel signis expressa. Præterea verba non determinant consensum , sed illum declarant ; siquidem neque amplius , neque minus significant quàm id quod consensu interiori significabatur. Tertia sententia econtra procedit asserens verba esse materiam, eo quòd consensus perficiat verba , quæ secluso consensu nullius essent momenti : sic docuit Major *in 4. dist.26. q.1.* Sed hæc sententia eisdem rationibus, ac præcedens rejicienda est. Neque obest, quòd verba absque consensu nullius sint momenti , nam etiam consensus absque verbis nihil prodest, inde enim tantùm infertur utrumque esse necessarium. Quarta sententia est Richardi *in 4. d.26. art.4. q.2.* Astens. *in sum. lib.8. tit.7. art.1. q.3.* Angeli *verb. Matrimonium , 1. n.2.* Victor. *in sum. de matr. n.245.* & probabilem reputat. Henriq. *lib.11. c.2.* Casu quo successivè verba à contrahentibus proferantur. Sed omnino displicet hic modus dicendi , quippe non designat materiam determinatam,sed arbitrio contrahentium relinquit , & præterea non constituit materiam pro eo casu quo simul ab utroque contrahente vera proferrentur. Quinta sententia , quæ veritati proximior est asserit mutuos consensus verbis expressos sibi invicem esse materiam ; & formam sub diversa consideratione , quatenus enim corporum traditionem continent , sunt materia , quatenus verò illorum acceptionem significant sunt forma. Nam cùm in quolibet contractu sit traditio , & acceptatio , & traditio inefficax sit, quousque acceptatione compleatur , & perficiatur ; meritò contractus prout traditionem significat , rationem materiæ determinabilis habere debet ; & rationem formæ prout acceptationem denotat. Sic Sotus *in 4. dist.26. quæst.2. art.1.* Francisc. Suar. *t.3. de Sacram. disput.2. sect.1.* Bellarm. *lib.1. de matrim. cap 6.* Thom. Sanch. *lib.2. disp.5. n.6.* Alexand. Pesant. *in addit. ad 3.p. q.45. art.1. disp.2.* Coninch. *disp.24. dub.3.concl.1. d 33.* Gutierr. *de matrim. c.41. n.1. circa finem*, & alii apud

apud ipſos. Sed huic ſententiæ obſtat, quia contractus ſi attentè conſideretur non conſtat ex acceptatione, & traditione rei, ſed illam habet pro objecto, formaliter autem, & intrinſecè in mutuo conſenſu verbis, ſeu ſignis expreſſo conſiſtit, quippè ex mutuo hoc conſenſu oritur traditio, & acceptatio tanquam illius effectus, & fortè ob hanc rationem Florentin. Concil. *in decreto Eugenii* dixit cauſam efficientem matrimonii regulariter eſſe mutuum conſenſum per verba de præſenti expreſſum, apertè indicans nihil aliud præter conſenſum expreſſum matrimonii eſſentiam conſtituere. Præterea ex ſupradicta ſententia non ſatis explicari poteſt, qualiter hoc Sacramentum, ſicut & reliqua perficiatur verbis tanquam forma, & rebus ut materia, ſiquidem traditioni, & acceptationi, quæ ex conſenſu, verbis, ſeu ſignis expreſſo fit', verba convenire non poſſunt. Deinde non ſatis diſtingui poſſunt verba à rebus, & econtrà, quod Concil. expreſsè voluit diſtinguere, definiens omnia Sacramenta perfici verbis tanquam forma, & rebus ut materia.

2. Quapropter eſt ſexta ſententia verior, & probabilior aſſerens conſenſus utriuſque contrahentis verbis, ſeu ſignis expreſsos eſse formam, tam in ratione contractus, quàm Sacramenti, traditionem verò, & acceptationem corporum eſse materiam proximam, remotam verò corpora : materiam inquam non ex qua contractus coaleſcat, ſed circa quam contractus verſetur, & qua ipſe contractus perficiatur, ideoque Concil. Florentin. notanter dixit omnia ſacramenta *perfici* rebus tanquam materia, & verbis ut forma : tacitè indicans non eſse neceſsarium quòd intrinſecè rebus, vel verbis conſtent, aliàs dixiſset *conſtare*, non *perfici* : Et exemplum eſt manifeſtum in Euchariſtia, in qua à Concil. Florent. panis, & vinum ſunt aſſignata pro materia, & verba conſecrationis proforma, cùm tamen neque ex conſecrationis verbis, neque ex pane, & vino intrinſecè coaleſcat Euchariſtia, ſed ex ſpeciebus Sacramentalibus, & ex Chriſto Domino, ſic matrimonii materia eſse poteſt mutua traditio, & acceptatio corporum, non ex quibus matrimonii contractus conſtet, ſed circa quas verſetur, & quas ut objectum reſpiciat, & afficiat. Moveor ad hunc modum dicendi, quia eſt aptior reliquis ad explicandam materiam, & formam Sacramenti matrimonii, & qualiter ipſum ſicut reliqua Sacramenta rebus tanquam materiam, & verbis tanquam forma perficitur, ſiquidem verbis exprimentibus conſenſus perficitur ut forma, traditione, & acceptatione corporum tanquam materia. Et præterea quia hac via convenit matrimonium cum reliquis aliis contractibus, quorum forma eſt conſenſus expreſsus ipſorum contrahentium : materia eſt, quam prædictus conſenſus reſpicit, & circa quam verſatur : v.g. donatio, emptio, venditio, commodatio, &c. Atque ita docent Paludan. *in* 4. *d.* 26. *q.* 4. *art.* 3. *ad* 2. Cov. 2. *part. de matr. c.* 1. §. *unico*, *n.* 8. Gabr. Vaſq. *in* 3. *part. t.* 2. *diſp.* 129. *c.* 3. *& diſp.* 3. *de matr. c.* 5. Paul. Comit. 1. *part. de contract. cap.* 4. *n.* 9. Baſil. Ponce *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 12. Gaſpar Hurtado *diſp.* 3. *de matr. diffic.* 21. Gutierr. *lib. de matr. c.* 41. *n.* 1. *verſ tertia ſententia*, & alii apud ipſos præcipuè apud Sanch. *diſp.* 5. *n.* 4.

3. Notanter dixi *tam in ratione contractus, quàm Sacramenti*, quia eadem eſt materia, & forma matrimonii prout eſt contractus, & prout eſt Sacramentum. Quippè Chriſtus Dominus Sacramentum matrimonii inſtituens non mutavit contractum, ſed contractui matrimoniali immutato Sacramenti rationem annexuit, ut docent omnes.

Punctum IV.

Quis ſit Sacramenti Matrimonii Miniſter?

1 Melchior Cano *affirmat eſſe Sacerdotem, quatenus eſt Sacramentum.*

2 *Certiſſimum eſt eſſe ipſos contrahentes.*

3 *Satisfit rationibus oppoſitis.*

4 *Cùm matrimonium per procuratorem contrahitur, non ipſe procurator, ſed eum conſtituens eſt Miniſter.*

1. Melchior Cano *lib.* 8. *de locis, cap.* 5. contendit matrimonii Miniſtrum, quatenus eſt Sacramentum eſſe Sacerdotem, tametſi quatenus eſt contractus ſint ipſi contrahentes, adducit in ſui favorem plures Doctores, ſed ut rectè expendit Vaſq. *diſp.* 3. *de matrim. c.* 3. ei non favent. Probat primò, quia Eugen. IV. *in decreto fidei*, §. *ſeptimum* definit omnia Sacramenta verbis tanquàm forma perfici. At verba contrahentium neceſsaria non ſunt, cùm ſuppleri ſignis poſſint. Ergo affirmandum eſt verba Sacerdotis neceſsaria eſſe, illitque Sacramentum perfici, ſicuti alia omnia Sacramenta perficiuntur. Secundò probat, quia matrimonia clandeſtina ex defectu Sacerdotis præſentis Sacramentum non erant, non enim contrahentes intendebant facere quæ Eccleſia facit. Tertiò, actio Sacramentalis eſt actio ſacra, requirit ergo Miniſtrum ſacrum. Quartò contrahentes in peccato non credunt duplex peccatum mortale committere, aliud recipiendo Sacramentum, aliud miniſtrando, quod neceſsariò videretur dicendum, ſi ipſi eſſent Miniſtri.

2. Cæterùm certiſſima ſententia eſt Miniſtrum hujus Sacramenti eſſe ipſos contrahentes, & nullatenus Sacerdotem, neque opinio Cani ullam probabilitatem habet : ſic pluribus relatis docet Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 6. *num.* 2. Petr. de Ledeſm. *de matr. q.* 42. *art.* 1. *difficult.* 4. Baſil. Ponce *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 3. Gutierr. *c.* 41. *num.* 2. & paſſim omnes. Et ſumitur ex Florentino Concilio aſſerente in *dicto decreto Eugenii* cauſam efficientem matrimonii regulariter eſſe mutuum conſenſum per verba de præſenti expreſſum, ſed mutuus conſenſus expreſſus regulariter per verba non procedit à Sacerdote, ſed ab ipſis contrahentibus, ergo ipſi contrahentes ſunt cauſa efficiens matrimonii, atque adeo Sacramenti, quippe Concil. Florentinum de matrimonio ut Sacramentum eſt, loquebatur, ut conſideranti fieri poteſt manifeſtum. Præterea colligitur ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* Irritante matrimonia abſque præſentia Parochi, & teſtium, ſupponebat ergo prædicta matrimonia vera eſſe non ſolùm in vi contractus, ſed in ratione Sacramenti. Ratio vero eſt aperta : ille eſt Miniſter Sacramenti qui materiam, & formam Sacramenti apponit, at contrahentes tantùm, apponunt formam, & materiam Sacramenti matrimonii, ſiquidem exprimunt mutuum conſenſum de mutua ſuorum corporum traditione, & acceptatione, in quibus dictum eſt materiam, & formam hujus Sacramenti conſiſtere. Et confirmo ; negari non poteſt contrahentes eſſe Miniſtros matrimonii quatenus eſt quidam civilis, & naturalis contractus, ergo quatenus ad Sacramentum. Quippè Chriſtus Dominus non aliam materiam, aut formam Sacramenti matrimonii inſtituit præter eam ; quæ contractui neceſsaria erat.

3. Rationes verò pro ſententia Cani adductæ nullius ſunt momenti. Ad primum reſpondeo, verba in matrimonio regulariter adeſſe, tametſi ſignis celebrari poſſit. Ad ſecundum nego, matrimonia clandeſtina Sacramenta non fuiſſe, fuerint utique ut colligitur ex Concil. Trid. & communi ſententia Doctorum. Ad tertium dicimus, actionem Sacramentalem ſacram eſſe, quia eſt cauſa Sacramenti, & gratiæ ſanctificantis, non quia procedit à Miniſtro conſecrato, aliàs baptiſmus collatus à Laïco non eſſet Sacramentum, cùm Laïcus non ſit ad id conſecratus. Ad quartum, plures Doctores, quos ſequitur Sotus *in* 4. *d.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 6. Thom. Sanch. *lib.* 2. *diſput.* 1. *num.* 4. Coninch. *diſp.* 24. *dub.* 3. *num.* 34. Gutierr. *cap.* 41. *num.* 3. Negant, contrahentes, quatenus ſunt Miniſtri Sacramenti matrimonii peccare ſaltem mortaliter, eo quòd ad id munus

non

non sint consecrati. Sed rectius Navarr. *cap.1. §. Sacerdos, num.10. de pœnit. dist.6. in solut. ad 5.* Petr. de Ledesm. *de matr. q.42. art.3. ad ult.* Gab. Vasq. *t.2. in 3.p. disp.136. cap.3.* Basil. Ponce *lib.1. cap.8. n.11.* & alii existimant esse peccatum mortale, eo quod sint Christi instrumentum ad gratiam conferendam: decet autem instrumentum causæ principali esse conforme, uti diximus *tract. de Sacram. in genere, p.5. num.11.*

4. Rursus cùm Sacramentum matrimonii per procuratorem contrahitur, non procurator est Sacramenti Minister, sed Ministri instrumentum, quippe ipse non pro se contrahit, sed pro eo cujus habet mandatum, & cujus consensum exprimit, ob quam rationem non tenetur in gratia esse, ut benè Basil. Ponce *lib.1. cap.10.* Vasq. *disp.3. de matr. num.86.* Gaspar Hurtado *disp.3. de matrim. difficult.22. num.83.*

Punctum V.

De consensu ad matrimonium requisito.

1 *Consensus contrahentium necessarius est.*
2 *De potentia Dei absoluta potest vinculum, & obligatio matrimonii conjugibus concedi absque eorum consensu.*
3 *Nostri primi parentes consenserunt in matrimonio.*
4 *Tria in matrimonio requiruntur.*
5 *Consensus in mutuam corporum traditionem, obligationemque justitiæ ad copulam conjugalem necessarius est.*
6 *Proponitur objectio, & fit satis.*
7 *Contrahentem falsò existimantem subesse impedimentum dirimens, aliqui affirmant posse validè consentire.*
8 *Oppositum verius est.*
9 *Satisfit rationibus* num. præced. *allatis.*

1. Consensum contrahentium necessarium esse ad matrimonium deciditur expressè *cap. sufficit 27. q.2. cap. cum apud, & cap. cùm locum, de sponsalib. & cap. tuæ ejusdem tit.* & à Conc. Horent. *in decreto fidei, §. septimum.* ibi: *Causa efficiens matrimonii est consens. utriusque contrahentis regulariter per verba de præsenti expressus.* Idem colligitur ex Trident. *sess.24. cap.1. de reformat.* Et tradunt omnes. Hic autem consensus liber esse debet, libertate inquam sufficiente ad peccatum mortale, siquidem causa est transferendi dominium proprii corporis, & subeundi gravem obligationem.

2. An verò de potentia Dei absolùta possit matrimonium consistere absque prædicto contrahentium libero consensu? Incertum est, ut constat ex his quæ refert Petr. de Ledesm. *de matr. quæst.45. art.1. dub.1.* Sanch. *lib.2. disp.16. num.5.* Probabilius tamen est matrimonium sumptum pro vinculo, & obligatione ad cohabitationem mutuam posse à Deo conjugibus absque eorum consensu concedi. Quæ enim repugnantia esse potest in eo, quòd Deus suppleat id quod consensus præstare debebat, tradatque conjugibus mutuò dominium in propria corpora? Certè nulla est. Nam quod Basil. Ponce *lib.2. cap.3. per totum.* Objicit non posse hoc dominium conjugibus concedi, quin ipsi acceptent, & consequenter absque eorum consensu, quia nihil esse potest proprium alicujus eo invito, levis momenti est. Fateor namque nihil alicui acquiri absque illius voluntate regulariter, at ex Divina potentia non implicat. Quinimo ex potestate civili posse dominium alicui quæri contra ejus voluntatem non videtur improbabile. Atque ita docent ex communi sententia Petr. de Ledesm. *supràconclus.3.* Henriq. *lib.11. cap.1. n.3.* Sanch. *lib.2. disp.26. n.5.* Gutierr. *de matr. c.46. num.1.* Coninch. *disp.24. dub.5. concl.1. & 2.*

3. Quinimo aliqui existimant de facto Deum conjunxisse primos nostros parentes absque eorum consensu, indicasséque Christum *Matth.19.* cùm dixit *Quòd Deus conjunxit Homo non separet.* Sed rectius Th. Sanchez *num.4.* Gutierr. *n.2.* Coninch. *dub.5. n.49.* & alii oppositum censent; expediebat enim primum matrimonium, quod aliorum exemplar futurum erat proprio consensu contrahi. Neque illa verba Matthæi contrarium probant, cùm de omni matrimonio dicta sint, ut patet ex ipso contextu, & solùm indicent Deum excitare conjuges ad contrahendum, eorumque contractum approbare. Illud verò certissimum est nulli humanæ potestati concessum esse aliquos in matrimonium conjungere absque proprio consensu, quia neque Ecclesia, neque ullus sæcularis Princeps dominium in nostra corpora habet maximè ad matrimonii usum, ut latè probat Thom. Sanchez *lib.2. disp.27. à num.2.* Gutierr. *dicto cap.46. num.3.* Coninch. *dub.5. concl.3.* Quòd si objicias Textum in *cap. is qui fidem de sponsalib.* Ubi decernitur sponsalia per copulam subsequentem transire in matrimonium, & Textum *in cap. fin. de condition. apposit.* Ubi matrimonium sub conditione impossibili declaratur validum esse, cùm tamen in his sæpè consensus deficiat. Respondeo prædictos Textus non definire matrimonium deficiente consensu consistere, contrarium enim deciditur *in cap. fin. de sponsa duorum*, sed quia ita vehementer præsumunt consensum adfuisse, ut nullam in contrarium admittant probationem, ea de causa declarant prædicta matrimonia valida esse.

4. Gravior autem dubitatio est, qualis consensus in matrimonium requiratur, tum ut validè, tum ut licitè fiat? Pro cujus decisione supponendum est tria in matrimonio contineri. Primum est traditio mutua corporum ad conjugalem usum. Secundum carnalis conjunctio, habitatioque mutua, prolis generatio, & educatio. Tertium abstinentia ab altero alio concubitu; consensus in hæc omnia expressus necessarius non est, an verò debeat virtualis esse? supereſt explicandum.

5. Et quidem consensus in mutuam corporum traditionem, obligationemque justitiæ ad conjugalem copulam, & abstinendi à qualibet alia necessarius est; quia matrimonium consensu contrahentium efficitur, sed in hac traditione, & obligatione essentia matrimonii consistit, ergo consensus necessariò in hanc traditionem, & obligationem ferri debet. E contrà verò quia carnalis copula, mutua habitatio, & fidelitatis observatio non sunt de essentia matrimonii, neque illud necessariò, & inevitabiliter consequuntur, ideò necessarium non est, quod conjugum consensus in prædicta feratur. Quinimò stare matrimonium potest, quamvis conjuges contrarium velint, nempe negare sibi invicem debitum, mutuam habitationem, & fidelitatem.

6. Sed his videtur obstare, quia sæpè matrimonium consistit absque obligatione ulla ad copulam, ut contingit quando conjuges mutuo consensu castitatem vovent, vel sibi invicem promittunt non petituri debitum, ergo consensus in obligationem ad copulam non videtur simpliciter necessarius ad valorem matrimonii. Respondeo ex contractu matrimonii non oriri obligationem justitiæ ad copulam petitam pro omni occasione, & tempore reddendam, sed quoties alius non fuerit impeditus petere. Cùm ergo conjuges possint se privare jure libero petendi vel ex voto, vel ex mutuo consensu, sæpè conjuges excusari possunt ab obligatione reddendi debitum, quia debitum non est, manente tamen obligatione reddendi debitum petitum, quoties alter conjux ex accidenti impeditus non fuerit petere, in qua obligatione essentia matrimonii sita est. Ex quo fit necessarium esse ad matrimonium habere consensum in obligationem reddendi debitum petitum, quoties justè petitum fuerit, non tamen esse necessarium habere consensum in obligationem reddendi actualiter debitum, casu quo justè non petatur, quia hanc obligationem matrimonium non exigit. Et in his ex parte convenit Sanch. *lib.2. de matr. disp.29.*

diſt.29. quæſt.2. Gutierr. *cap.26. num.6.* Expreſſiùs Ægid. de Coninch. *diſp.24. dub.4. num.45.* Rebell. *de juſtit. 2.part. lib.2. quæſt.10. num.19.* Baſil. Ponce *lib.1. cap.20. à n.4.*

7. Quod ſi roges : An contrahens falſo exiſtimans ſubeſſe impedimentum dirimens poſſit validè in matrimonium conſentire? Covarr.4. *decret. 2.part.cap.3. §.7.* Sanch. plures referens *lib.2. diſp.33. num.1.* Gutierr. *cap.47. num 1.* Reſpondent affirmativè. Probant, poteſt conſentire in matrimonium caſu quo habilis ſit. Cùm ergo de facto ſit habilis , de facto in matrimonium conſentit. Antecedens probatur primò *ex cap. unico de ſponſalib. in 6.* Ubi conſanguinei ex errore contrahentes ſponſalia , incurrunt impedimentum publicæ honeſtatis. Ergo validus fuit conſenſus. Secundò ex *Clement. unica de conſanguinit.* Ubi excommunicantur qui ſcientes cum conſanguineis contrahunt , ergo poſſunt habere verum conſenſum. Secundò probant exemplo hæretici , qui firmiter credit baptiſmum non eſſe Sacramentum , & tamen validè baptizat, quia baptizat ſub conditione ſi fortè ſit Sacramentum.

8. Sed rectiùs Navarr. *cap.22. num.56.* & Ægid. *diſput.24. dub.6.* & plures relati à Sanch. *dicta diſp.33. num.1.* Negant eſſe verum matrimonium ex defectu conſenſus : quippè certò , & abſque formidine (ut ſupponendum eſt) credens ſubeſſe impedimentum , credit matrimonium ſibi eſſe impoſſibile , ſed ſtante hac falſa cognitione nequit ſeriò velle matrimonium non ſolùm abſolutè , ut de ſe conſtat , & concedunt oppoſitæ ſententiæ Doctores : ſed neque ſub conditione ſi poſſibilis eſt , quia ad hanc voluntatem debebat credere in aliquo caſu poſſibile eſſe matrimonium. Secundo *ex leg. is qui putat ff. de acquirenda hæredit.* Ubi qui putat ſe neceſſarium hæredem eſſe , cùm tamen voluntarius hæres ſit , repudiare non poteſt hæreditatem, quia opinio veritati præfertur. Ergo putans ſubeſſe impedimentum ad matrimonium , cùm tamen non ſit , non poterit contrahere. Quòd ſi dicas cum Covarr. *dicto §.7. n.2.* & Sanch. *num.4.* Ideo hæreditatem repudiari non poſſe, quia opus erat ſcire ex qua cauſa , & quo jure repudianda eſſet , quod tamen ad contrahendum matrimonium non videtur neceſſarium , obſtat quia etiam ad matrimonium neceſſarium eſt ſcire qualiter contrahendum ſit , aliàs error , & ignorantia matrimonio contrahendo non obſtarent. Tertio ex doctrina Abbatis *in cap. cùm in Apoſtolica , de ſponſal. num.6.* Dicentis eum qui credit ſubeſſe impedimentum , quod tamen non ſubeſt, non contrahere matrimonium quoad Deum, & ex Vincentio *in ſupradicto capite* quem ſequitur Præpoſitus *ibi , n.3.* & alii affirmantes maritum errantem in facto , eo quod contrahens ſecundum matrimonium credens primum validum eſſe, quod poſtea nullum eſſe declaratur , cogitur cum ſecunda contrahere. Ergo ſignum eſt à principio non contraxiſſe.

9. Ad primum oppoſitæ ſententiæ negandum eſt antecedens , ad probationem deſumptam ex *capite unico* dico ibi contraxiſſe ſponſalia, quia non credebat firmiter ſubeſſe impedimentum. Ad Textum *ex Clem. de conſanguinit.* dico ibi excommunicari , non quia verè contrahunt , ſed quia attentarunt exterius contrahere animo voluptati vacandæ. Ad ſecundum concedo hæreticum validè baptizare , non quia baptizat. ſub conditione *ſi eſt Sacramentum* , hanc enim conditionem non ſubintelligit , cùm firmiter credat Sacramentum eſſe non poſſe , ſed quia intendit facere , quod Chriſtus fecit ſub qua intentione voluntas conferendi baptiſmum continetur , & conſiſtere poteſt cum credulitate, & errore , quo exiſtimat Sacramentum non eſſe , ut latiùs *Tract. de Sacrament. Baptiſmi* dixi.

Punctum VI.

Debetne prædictus conſenſus utriuſque contrahentis ſimul exiſtere?

1 *Referuntur variæ ſententiæ.*
2 *Quid ſit tenendum.*
3 *Refellitur* Sanch. & Coninch.

1. VAriæ ſunt de hac re ſententiæ , quas referunt Sanch. Ægid. Baſil. ſtatim referendi. Prima eſt Panormit. *in cap. dilectus de ſponſalib.* & Ant. de Butrio. *conſ.64.* Aſſerentium utrumque conſenſum ſimul debere exiſtere , quia uterque complet contractum , & eſt cauſa traditionis , & acceptationis. Secunda ſententia præcedentem limitat , ne procedat his in locis, in quibus Trident. eſt promulgatum , quia non poteſt conſtare Parocho & teſtibus de conſenſu alterius an revocatus ſit , ſi ſimul cum alio conſenſu non exiſtit. Tertia docet nihil referre , etſi multo tempore unius conſenſus ab alio diſtet, modo revocatus non ſis : ſic Major. *in 4. d.27. q.1. in ſolut. ad 3.* Navarr. *cap.22. num.8.* Quarta requirit ſimultatem moralem , ne inquam multum temporis inter unum , & alium conſenſum intercedat : ſic Sotus *in 4.d.27. quæſt.1. art.3.verſ. ſed alia.* Covarr. 4. *decret. 2.part. cap.4. initio , num.7.* Henriq. *lib.11. cap.3. num.6.* Petr. de Ledeſm. *q.45. art.3. dub.2.* aliis relatis Sanch. *diſp.32. quæſt.2. num.7.* neque diſſentit Ægid. de Coninch. *diſp.24. dub.7. concluſ.1. & 2. can.55.* Baſil. Ponce *lib.2.cap.16. à num.2.* Variant tamen ii Doctores in aſſignanda diſtantia unius conſenſus ab alio, ut cenſeatur moraliter exiſtere. Nam Sotus exiſtimat uſque ad ſeptennium extendi poſſe. Henriq. vero uſque ad biennium Petr. de Ledeſm. uſque ad annum. Sanchez Baſil. Ægid. & alii arbitrio prudentis relinquunt.

2. Ego vero dicendum exiſtimo primam , & ſecundam ſententiam falſam eſſe , ſi de conſenſu actuali , & non habituali intelligatur. Nam utriuſque conſenſus phyſicus , & actualis nec ratione Sacramenti , nec ratione contractus ſimul eſſe requiritur. Non ratione Sacramenti , ad quod conſtituendum ſufficit , quòd partes inter ſe moraliter conjungantur , ut patet in Sacramento pœnitentiæ , ordinis , & confirmationis , &c. Neque item ex ratione contractus, in quo moralis conjunctio facilius admittitur , *leg.1. §. qui præſens , ff. de verbor. obligationib. & leg.1. §. ſed verior , ff. de contrahenda empt.* Et in præſenti eſt manifeſtum , cùm per epiſtolam , vel procuratorem contractus matrimonii celebretur , in quo conſenſus contrahentium ſimul phyſicè non exiſtit. Atque ita docent omnes Doctores tertiæ , & quartæ ſententiæ , quæ ſi benè perpendantur inter ſe non pugnant , ſed veriſſimæ ſunt. Pro quarum explicatione adverto matrimonium contrahi poſſe conſenſu phyſicè præterito habitualiter permanente, neque opus eſſe ut permaneat in aliquo effectu producto, qui cauſa contrahendi ſit , quia nihil phyſicum efficere debet , ſed ſolùm hunc moralem effectum , ſcilicet mutuam traditionem corporum , mutuamque obligationem , ad quam præſtandam ſufficit perſeverantia moralis habitualis, ſicuti in aliis contractibus (ſtipulatione excepta ob ejus ſingularem naturam , *leg. continuus ff. de verb. obligat.*) Quapropter etſi multum temporis inter unum , & alium conſenſum interceſſerit , ſi tamen de facto expreſsè , nec tacitè revocatus non eſt, ſufficiet ad contrahendum matrimonium. Cenſebitur autem revocatus , ſi in aliam perſonam conſentit. Item ſi conſentit pro determinato tempore , eo tranſacto, quem terminum regulariter omnes contrahentes cenſendi ſunt apponere majorem , vel minorem juxta negotii qualitatem. Nemo enim credendus eſt (inquit Coninch) velle perpetuò alterius conſenſum expectare, & de ſuo ſtatu ſuſpenſum eſſe.

Prædicta

Prædicta locum habere possunt, ut inquit Coninch. *dicto dub. 7. concl. 4.* Basil. Ponce, *lib. 2. cap. 16. num. 5.* etiam ubi viget Trident. si prior consensus coram Parocho, & testibus sit, & alio die sequenti idem Parochus, & testes alterius consensui assistant, tametsi nesciant, an prior consensus revocatus sit; id enim necessarium non est; sicuti non est necessarium, cùm matrimonio per procuratorem contracto assistunt, scire prædictum mandatum revocatum non esse.

3. Quod verò Sanch. *lib. 2. disp. 32. num. 9.* quem sequitur Coninch. *disp. 14. dub. 7. concluf. 3. in fine*, & Gutierr. *cap. 46. numero 14.* asserit te ficte consentientem altero legitimum consensum præstante posse denuò consentire, quin alius denuò consentiat, quia quod prædictus cõsensus alterius legitimus habitualiter perseverat mihi non probatur, eo quòd prædictus consensus post factum contractum neque formaliter, neque habitualiter perseverat, quia fuit consensus de contrahendo tali tempore, non alio, in quo credit sibi esse impossibile denuò contrahere. Præterea prædictus consensus non solùm ex tua parte nullus fuit ob fictionem, sed etiam alterius consensum nullum reddit, quia nemo consentit in traditionem sui corporis, nisi alter eandem sui corporis traditionem faciat; est enim hic contractus mutuus & onerosus, ergo ex perseverantia prædicti consensus utpotè nullius valoris convalescere matrimonium non potest. Requiritur ergo novus consensus. Qualiter hic præstandus sit postmodum examinabimus.

Punctum VII.

Qualiter consensus contrahentis exprimendus sit?

1 *Utriusque consensus verbis, vel signis exprimendus est.*
2 *Aliqui affirmant esse verba necessaria.*
3 *Non sunt necessaria necessitate Sacramenti.*
4 *Satisfit rationi oppositæ.*
5 *Nec etiam sunt necessitate præcepti.*

1. CErtum est utriusque consensum verbis, vel signis exprimendum esse: Tum quia est contractus respectivus, humanus, & politicus, qui sola mente celebrari non potest. Non enim potest esse ultrò citróque obligatio, quin consensus contrahentium sibi invicem manifestentur, & favet *lex traditionibus*, *Cod. de Pactis*, ibi: *Traditionibus & usucapionibus, non nudis pactis rerum dominia transferunt.* Tum quia constituit Sacramentum, quod necessariò est signum sensibile gratiæ sanctificantis. Colligitúrque hæc veritas ex Concilio Florent. *in decreto Eugen.* & ex Trident. *sess. 24. cap. 1. de reformat.* & pluribus Sanch. *lib. 2. disp. 30.* Neque obstat Textus *in cap. cum locum de Sponsalibus* ubi inquit Pontifex, matrimonium à solo consensu contrahitur, id est à solo consensu libero expresso, non coacto, non enim expressionem consensus intendebat Pontifex excludere, sed coactionem, ut ex contextu constat. Neque item obstat *cap. tuæ fraternitati, eodem tit.* ubi dicitur, matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum: sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti, intelligendum enim est, esse necessaria verba, & non sufficere mutus; ut facilius Ecclesiæ constare possit matrimonium esse contractum. Neque item obstat quod in *cap. sufficiat 27. quæst. 2.* & *cap. fin. de sponsa duorum*, dictum sit solo consensu expressiore absque copula, hanc enim ab essentia matrimonii excludere intendebant, non tamen consensus expressionem.

2. Sed an prædictus consensus verbis necessario exprimendus sit saltem necessitate præcepti? variant Doctores. Nam plures, quorum meminit Sanch. *lib. 2. disp. 31. numer. 2.* Zevell. *t. 3. commun. opin. quæst. 750. numero 21.* Gutierr. *cap. 46. num. 10.* Coninch. *disp. 24. dub. 8.* Basil. Ponce, *lib. 2. cap. 7.* existimant non solùm esse verba necessaria necessitate præcepti in eis qui loqui possunt, sed esse necessaria pro valore Sacramenti. Moventur ex *cap. Tuæ de sponsalibus* ibi: *sed necessaria sunt quoad Ecclesiam verba*, id est ex institutione Ecclesiæ & ex *cap. licèt, eodem* ibi; *ita ut unus alterum verbis consuetis recipiat.* Et *cap. consultationi eodem.* ibi; *cùm verba processissent.* Et efficaciùs ex Concilio Florent. *in decreto Eugenii.* ubi postquam decidisset omnia Sacramenta tribus perfici, verbis tanquam forma, rebus tanquam materia, & Ministro, loquens de matrimonio prædictam propositionem restrinxit dicens: causa efficiens matrimonii est consensus regulariter per verba de præsenti expressus, tacitè indicans non semper esse necessarium consensum per verba exprimi esse tamen regulariter scilicet in valentibus loqui. Neque mirum esse debet, quod in aliquibus verba necessaria sint, & non in aliis, nam cùm hujusmodi Sacramentum consistat in contractu, optimè potuit Ecclesia pro valore contractus verba exigere in valentibus loqui, cum tamen in non valentibus signa reputet esse sufficientia.

3. Cæterùm omnino tenendum est tam in non valentibus loqui, quàm valentibus, verba non esse necessaria necessitate Sacramenti: sic pluribus firmant Sanch. *disp. 31. numero 5.* Gab. Vazq. *disp. 3. de matr. cap. 7.* Covarruv. *2. p. de matr. cap. 4. numero 1.* Gutierr. *cap. 46. numero 10.* Coninch. *dub. 8. concl. 2.* Basil. Ponce; *dicto l. 2. cap. 7. numero 4.* Et quidem pro non valentibus loqui, est decisio expressa in *cap. cùm apud. cap. tuæ de sponsal.* Et colligitur ex dicto Concilio Florent. At pro valentibus loqui colligi potest ex *cap. unico §. fin. de desponsat. impub. lib. 6.* ubi pro puella præsente, & tacente præstat pater consensum, & verum matrimonium constituit, quia puella medio illo silentio consensum paternum approbat, ut inquit D. Thom. *in 4. d. 27. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 2. ad 3.* Item *ex cap. fin. de conjug. servor.* ibi: *nec facto, nec verbo consensit.* Et *cap. veniens. cap. is qui. cap. per tuas. cap. illud*; & aliis *de sponsalibus*, ubi deciditur sponsalia copula subsequuta transire in matrimonium. Ratio est, quia si verba in aliquo casu essent necessaria pro valore Sacramenti matrimonii Concilium Florentin. quod ita exactè materias, & formas Sacramentorum declaravit, sine dubio expressisset. Ex illo autem verbo *regulariter* id non colligitur: cùm satis commodè explicetur, si dicamus consensum qui regulariter per verba exprimitur esse causam efficientem, non quasi necessarium sit necessitate Sacramenti regulariter per verba exprimi, sed quia hic modus explicandi consensum regulariter contingit. Et fortè ob hanc causam Trident *sess. 24. de reformat. cap. 1.* dixit Parochus viro; & muliere interrogatis, & *eorum consensu intellecto*: notanter dixit *intellecto* quin verborum meminerit tacitè indicans signis intelligi posse, essèque sufficientia.

4. Neque Textus in *cap. tuæ fraternitati* contrarium probat dicens *verba quoad Ecclesiam esse necessaria*, quia id dictum est, quia sunt necessaria, ut facilius Ecclesiæ constet de matrimonio contracto. Textus verò in *capite licèt. capite consultationi*, convincunt regulariter verbis matrimonium perfici, non quasi ea necessaria sint, sed quia sunt signa aptiora consensus. Ad argumentum ex Concilio Florent. deductum constat ex probatione nostræ sententiæ.

5. Superest dicendum. An verba sint necessaria saltem necessitate præcepti; Et quidem nullibi esse latum præceptum probat Sanch. *lib. 2. disp. 31. num. 10.* Basil. Ponce, *lib. 2. cap. 7. num. 14.* Ægid. de Coninch. *disp. 24. dub. 8. concl. 4.* Gutier. *cap 46. numero 11.* ideóque non probo quod Sanchez & Gutierr. affirmant esse peccatum veniale, si verba omittantur, quia ubi non est lex, nec prævaricatio esse potest, ut inquit Paul. Fateor

tamen eſſe maximè decens, ut contrahentes ſuos conſenſus verbis exprimant, ut dixit Alphonſus Rex, *leg. 5. tit. 2. part. 4.* Quinimò aliquando ratione ſcandali, & ne dubius reddatur contractus, ſub peccato mortali neceſſarium erit.

PUNCTUM VIII.

Quibus verbis, & ſignis hic conſenſus cenſeatur expreſſus?

1 *Spectanda eſt propria ſignificatio verborum, cùm dubia ſunt.*
2 *Explicantur aliqua verba, quæ conſenſum de præſenti denotant.*
3 *Qualiter ſignis exprimatur conſenſus.*
4 *Copula inter ſponſos de futuro, quale ſignum?*
5 *Quid ſi cum duabus copulam habeas.*
6 *Stante* Trident. *aliqui affirmant ſponſalia tranſire in matrimonium copula coram Parocho, & teſtibus habita. Sed oppoſitum verius eſt.*
7 *Ob attentationem copulæ matrimonium non præſumitur.*
8 *Neque ex oſculis, amplexibus, tactibúſve turpibus.*
9 *Qualiter ex traductione puellæ in domum ſponſi matrimonium præſumatur?*
10 *Ex longa cohabitatione, qua vir, & mulier ſe tractant ut conjuges matrimonium præſumitur.*
11 *Item ſi præceſſit de matrimonio tractatus, & mittatur ſponſæ annulus, aliqui affirmant, alii rectiùs aſſerunt inſpiciendam eſſe conſuetudinem.*

1. HUic Quæſtioni ex parte ſatisfecimus *diſp. præcedenti pun. 2.* ubi declaravimus aliqua difficiliora verba, quibus ſponſalia contrahuntur. Quatenus ad verba attinet ſpectandus eſt communis illorum ſenſus, cùm dubia ſunt, quia ut inquit Juriſconſult. *in leg. ſi quis in fundi, 3. ff. de legat.* & *fideicommiſſ. 1.* rerum vocabula immutabilia ſunt, hominum mutabilia ex *leg. Labeo, 7. ff. de ſupellect. legat. leg. anniculus 132. ff. de verbor. ſignificat. cap. ex litteris 1. de ſponſal.* Quod ſi verba plures ſignificationes habeant, propria ſpectanda eſt, non impropria. *reg. non aliter 69. ff. de legat. 3.* Si omnes æquè propriæ ſunt faverdum eſt matrimonio, ſi contractum ſit. Argum. *cap. ex litteris de ſponſalibus*, & *cap. videtur. Qui matrim. accuſ. poſſ. cap. licèt de teſtibus*, & tradit Decius *conſ. 162. numero 13.* At ſi nullam ſignificationem propriam habeant, judicandum eſt adverſus eum qui ſic ambiguè loquutus eſt, juxta Textum *in cap. contra, cùm de Reg. juris, in 6.* Vide Sanch. *lib. 18. à numero 1. & ſeqq.* Baſil. Ponce, *lib. 2. cap. 8. per totum.*

2. Ex his infertur verba illa, *Accipio te in meam, habeo te in uxorem, Tibi ut uxori providebo. Servabo fidem abſque ulla dubitatione*, cenſenda ſunt conſenſum de præſenti ſignificare, ut colligitur ex *cap. ex parte cap. penult. de ſponſalibus.* Idem cenſerem de illis verbis. *Volo te habere uxorem. volo te tractare pro uxore, habebo te ex nunc pro uxore*: cùm enim hujuſmodi contractus ex ſola voluntate explicata naſcatur, ſatis his verbis voluntas exprimitur: illa autem forma; *Habebo te in uxorem* abſque addita particula *ex nunc* dubia ſatis eſt, an ſola ſponſalia, an etiam matrimonium conſtituat. Nam Innocent. Cardinal. & Abbas *cap. ex parte de ſponſalibus* Petr. Gregor. *lib. 9. ſyntagm. juris cap. 5. in princ.* Baſil. Ponce, *lib. 2. cap. 9. numero 3.* & alii exiſtimant matrimonium conſtituere, ea præcipuè ratione ducti, quia denotant executionem contractus, & illius obligationem ab eo puncto, quo proferuntur, ſicuti ſi dixiſſes, *Habebo te nunc in uxorem.* Nam in contractibus, in quibus dies non ſignatur; incontinenti naſcitur obligatio, *leg. in omnibus ff. de Regul. juris.* Ergo ex illis verbis habes obligationem ab eo puncto habendi fœminam in uxorem, ſi autem ſola ſponſalia contrahere obligatus eſſes ab eo puncto habere non uxorem, ſed ut ſponſam. Sed rectiùs Covarruv. *4. decret. 2. part. capit. 4. §. 1. numero 3.* Thom. Sanch. plures referens, *lib. 1. diſputat. 18. num. 18.* cenſent non matrimonium, ſed ſponſalia conſtituere, quia non conſenſum de præſenti, ſed de futuro ſignificant, præſtant enim hunc ſenſum, *Habebo te in uxorem, quando tibi placuerit*: ſicut ſi diceres, *Accipiam te in uxorem.* Neque obſtat ab eo puncto naſci obligationem habendi fœminam in uxorem, quia non naſcitur abſoluta obligatio, ſed conditionalis, poſita inquam voluntate fœminæ, quare ſi fœmina ſtatim ſignificaret ſe velle haberi in uxorem, credo matrimonium contractum eſſe, quia illa verba matrimonii executionem ſignificant, non illius celebrationem. De illis verbis, in quibus continetur dictio excluſiva, *niſi tantùm*, præter ſatis prædicto loco diximus.

3. Quoad ſigna attinet, quibus conſenſus de præſenti explicatur, etiam communis uſus, & juridicus ſpectandus eſt. Si enim parte contrahente pro filia impubere præſens ipſa taceat illo ſilentio ſatis ſuum conſenſum exprimit. *Cap. un. §. fin. de deſponſat. impuber. in 6.* Item ſi cum fœmina interrogatur, an velit tecum matrimonium inire? ipſa capite annuat, non eſt dubium ſatis ſuum explicare conſenſum. Quocirca de quadruplici ſigno eſt controverſia, qualiter denotat matrimonium eſſe contractum; primò de copula, ſecundò de illius attentatione, tertiò de traductione fœminæ in domum ſponſi, quartò de annuli miſſione, ſeu ſubarrhatione. Aliqua ex his ſignis ſi rectè conſiderentur non ſunt ſigna conſenſum exprimentia, ſed ſigna conſenſum aliàs expreſſum ſignificantia. Quippè, copula illiúſve attentatio non eſt ſignum exprimens conſenſum in matrimonium, ſed eſt ſignum denotans matrimonium contractum eſſe, aliàs illa copula non conjugalis, ſed fornicaria eſſet. Præterea adverto ſtante Concil. Trid. diſpoſitione his ſignis rarò, vel nunquam eſſe locum, ſiquidem matrimonium eſſe contractum ex Parocho, & teſtibus, quia contrahendo neceſſariò aſſiterunt probandum eſt.

4. Primò ergo copula inter ſponſos de futuro ſignum eſt illis in locis, in quibus Trident. non eſt receptum matrimonium eſſe contractum, ſignum inquam non ex natura rei, ſed præſumptione juris, quia jus piè præſumit matrimonium ante copulam illius ſponſos contraxiſſe, ne illa copula fonicaria ſit, & pœna digna. Etenim cùm illi ſponſi de futuro poſſint inter ſe copulari animo fornicario, vel affectu conjugali. Eccleſia ne judicet illos derelinquere; credit affectu maritali ſe copulaſſe, voluiſſeque promiſſionem matrimonii contrahendi ad executionem reducere: habetur *cap. veniens c. is qui fidem, c. fin. de ſponſalibus* Quare ſi ſponſalia contracta non ſunt; copula ſignum eſſe non poteſt matrimonii, quia nullum eſt fundamentum, ex quo Eccleſia præſumere poſſit matrimonium præceſſiſſe.

5. Dubium ergo eſt, An ſponſalibus cum Maria contractis, ſi illa renuente cum Franciſca ſponſalia contrahas, & copulam habeas cum utraque, ſit aliquod ex his matrimoniis cenſendum? Reſpondeo nequaquam eſſe cenſendum matrimonium cum ſecunda; eo quòd ſponſalia cum ſecunda nulla fuerunt; ac proinde ex copula cum ea habita præſumi non poteſt matrimonium eſſe contractum: ex copula autem cum prima non abſque fundamento dubitat Præpoſit. *in dicto cap. is qui fidem, num. 5. de ſponſalibus* an poſſit præſumi matrimonium, eo quod ab ſponſalibus cum ea celebratis cenſearis receſſiſſe, ſi non quoad effectum, ſaltem quoad voluntatem per ſponſalia contracta cum ſecunda. Veriùs tamen exiſtimo præſumi debere matrimonium cum prima eſſe contractum; quia eſto voluntatem habueris recedendi ab ejus ſponſalibus contrahendo cum ſecunda, de facto non receſſiſti, & copulam cum ea habens cenſendus es prædictum contractum approbaſſe, & attentatum receſſum emendaſſe, ſicuti docet

cet Basil. Ponce, *lib. 2. de matr. cap. duodecimo, numero 6.*

6. Gravior dubitatio est. An stante Conc. Trident. dispositione sponsalia celebrata transire possint in matrimonium copula coram Parocho, & testibus habita? Affirmat Sanch. *lib. 3. disp. 40. num. 7.* Henriq. *lib. 11. cap. 3. num. 7.* Gutierr. *cap. 41. num. 13.* ducti, quia copula est sufficiens signum consensus conjugalis, postquam, sponsalia præcesserunt. Ergo Parochus & testes tali signo, & sponsalibus assistentes de consensu matrimonii testari possunt.

Sed rectiùs contrarium docet Coninch. *disp. 21. num. 21.* ea ratione, quia copula (ut dixi) non exprimit consensum constituentem matrimonium. Ergo si Parochus, & testes non astiterunt consensui matrimonium constituenti verè non astiterunt matrimonio. Quinimo stante dispositione Concilii Trident. illa copula nequit esse signum conjugalis consensus, quia non potest esse signum consensus coram Parocho, & testibus habiti, quod necessario requiritur ad matrimonium constituendum.

7. Secundò: ex copulæ attentatione videtur jus præsumere posse matrimonium esse contractum, si enim ex copula præmissis sponsalibus matrimonium præsumit ob vitandam culpæ præsumptionem, ob eandem rationem obligatur ad præsumendum matrimonium ex copulæ attentatione. Favétque. Textus *in cap. juvenis de Sponsalibus* ubi secundum matrimonium censetur invalidum, eo quòd cum priori desponsata attentaverit copulam habere. Nihilominùs certa sententia est ob attentationem copulæ non præsumi matrimonium esse contractum, uti deciditur *cap. adolescens. fin. de Sponsalib.* ibi: *Nam licèt sæpè nixus fuerit, eam carnaliter non cognovisse*; neque valet dicere non potuisse illam cognoscere, quia erat impubes, & tempore impubertatis legitimus consensus haberi non potest: gratis namque dicitur impuberem esse, neque id colligitur ex Textu, nam quod non potuerit illam cognoscere provenire potuit, vel quia comparatione illius erat arcta, vel quia restitit, aut alia de causa; non quia impubes. Ratio autem est, quia jure non est inducta præsumptio de matrimonio ex attentatione copulæ, sed ex copula *cap. veniens, cap. is qui fidem, cap. finali de sponsalibus.* Ergo absque fundamento extenditur præsumptio ad copulæ attentationem. Neque obstat in prædicta attentatione culpam committi, quia non solùm ob vitandam culpam utcumque præsumitur matrimonium ex copula, sed ob vitandam talem culpam, ex qua fœmina amittit sui corporis integritatem quæ apud ipsam maximi habetur.

8. Hinc à fortiori infertur ex osculis, amplexibus, tactibúsve turpibus matrimonium præsumi non posse, cùm non sint copula, sed ad summum illius initium. Et tradit Covarr. 4. *decret. 1. part. cap. 4. §. 2. numero 2.* Basil. Ponce *lib. 2. cap. 12. numero 14.* & colligitur apertè *ex cap. 1. de matrim. contract. contra interd. Eccl.*

9. Tertiò ex traductione puellæ in domum sponsi aliquibus videtur matrimonium præsumi posse. Quod sustineri potest inspecto jure civili *ex l. mulier. ff. de ritu nuptiar. l. si cui. leg. cùm fuerit. ff. de condit. & demonstr. & leg. cùm in te Cod. de Donationibus ante nuptias.* Verùm attento jure canonico nequaquam ex sola traductione matrimonium contractum esse præsumitur, ut docuit Covarruv. 4. *decret. 1. p. cap. 4. §. 2. num. 1.* Menoch. *lib. 3. præsump. 1. num. 55.* Gutierr. *de matr. c. 41. num. 4.* Basil. Ponce, *lib. 2. c. 11. num. 9.* & alii, quia Jus solùm Canonicum ex copula inter sponsos habita consensum matrimonii præsumit, quæ dispositio utpote à jure exorbitans non debet ad alios extendi. Ab hac tamen regula excipiunt prædicti Doctores, & meritò traductione sponsæ ea solemnitate factam, qua attenta consuetudine solent uxorem ad domum mariti deducere, nam eo casu signum esset matrimonium esse contractum. Arg. *capite vidua de Regular.*

10. Quartò præsumitur matrimonium ex longa cohabitatione, qua vir, & mulier se tractant ut conjuges, quia inspecta hominum opinione credendum est, dum contrarium non probatur matrimonium esse contractum. Argum. Textus *in cap. illud de præsumption.* & tradunt latè Mascard. *t. 2. de probat. concl. 1022. & t. 3. concl. 1317.* Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 1.* Gutierr. *de matrim. cap. 40. à num. 6.* Quod à fortiori procedit, cùm agitur de probanda filiorum legitimatione, & maximè si parentes sint defuncti, quia non debet præsumi in peccato mortali decessisse, sed potiùs ante mortem matrimonium contraxisse.

11. Quintò si tractatus de matrimonio contrahendo præcessit, & sponsus annulum sponsæ mittat ipsaque acceptet, aliquibus videtur matrimonium præsumendum esse. Sed rectiùs alii affirmant inspiciendam esse consuetudinem, si enim immissio annuli, & subarrhatio matrimonii signum fuerit, præsumi debet esse contractum, secùs si solùm sponsaliorum confirmatio fuerit, sicuti tradit Sanch. *lib. 1. de matr. disput. 22 à num. 1.* Basil. Ponce, *lib. 2. cap. 11. à num. 2.* Et idem est dicendum de porrectione manuum. Vide Covarru. 2. *p. de sponsalibus cap. 4. à num. 4. & sequentibus.*

Punctum IX.

Qualiter per procuratorem matrimonium contrahatur?

1 *Plura requiruntur.*
2 *Specialiter requiritur, ut constituens procuratorem perseveret in consensu, cùm matrimonium contrahitur.*
3 *Item ne limites mandati excedat.*
4 *Aliqui censent constituendum esse coram Parocho, & testibus.*
5 *Sed verius est oppositum.*
6 *Satisfit rationibus.*
7 *Non est opus scriptura, sed verbis tantum constitui potest.*
8 *Matrimonium per procuratorem fieri potest tam in ratione contractus, quam Sacramenti, ubi* Concilium *non est receptum.*
9 *Imò certissimum est etiam ubi* Concil. Trident. *est receptum.*
10 *Proponuntur objectiones, & fit illis satis.*
11 *Per epistolam, sicut per procuratorem matrimonium contrahi potest.*
12 *Satisfit cuidam objectioni.*

1. UT matrimonium per procuratorem contrahatur plura requiruntur, uti colligitur *ex cap. fin. de procurator. in 6.* Primò, ut procurator habeat speciale mandatum ad matrimonium: cùm enim matrimonium res sit gravissima, ex qua totius vitæ status pendet, oportebat specialiter committi. Secundò prædictum mandatum debet esse circa personam determinatam, aliàs non erit signum mutui amoris. Tertiò procurator per se ipsum mandatum perficere debet, neque substituere potest, nisi id expressè contineatur in mandato, quia est electa industria personæ. Hæc omnia expressè habentur *dicto cap. fin. de procurator. in 6.* & tradunt omnes Doctores; teste Covarr. 2. *part. 2. de sponsal. c. 4. initio à numero 8.* Sanch. *lib. 2. disput. 11. à num. 1. & seqq.* Gutierr. *de matr. c. 43. per totum* Coninch. *disp. 24 dub. 9. num. 67. & seqq.* Basil. Ponce, *lib. 2. de matr. cap. 15. à num. 2.*

2. Quartò constituens procuratorem perseverare debet in consensu cum matrimonium contrahitur, aliàs si tempore matrimonii contrahendi consensus revocatus est, tametsi revocario procuartori nota non sit, matrimonium nullum est, eo quod essentialis sit matrimonio consensus contrahentium, quem Ecclesia, vel Respublica

blica ſupplere non poteſt, ſicuti poteſt in aliis contractibus humanis, & politicis, ideóque alii contractus validè fiunt per procuratorem revocatum, dum revocatio nec parti, nec procuratori nota eſt: ſicuti habetur *leg. ſi mandaſſem* 15. *ff. mandati*, & *leg.* 1. *ff. quod juſſu.* §. 2. & colligitur *ex cap. ex parte de Reſcript.* & *Clem. unic. de renunciat.* Quod adeo verum eſt, ut etiamſi juraſſes non revocare, ſi de facto revoces etiam interius, matrimonium quod procurator tuo nomine contrahit nullum eſt, quia eſt abſque tuo conſenſu, quem Eccleſia, nec procurator ſupplere poteſt. Non eſt autem neceſſaria revocatio expreſſa, ſufficit tacita, ut ſi poſtquam dediſti mandatum contrahendi cum Maria, ſponſalia cum alia celebres, vel mandatum dederis cum alia contrahendi, tacitè cenſeris prius mandatum revocare, ut rectè affirmant Covarr. 2. *p. de ſponſal. cap.* 4. *initio num.* 11. Sanch. *diſp.* 11. *num.* 16. Coninch. *dub.* 9. *n.* 71. Gutierr. latè probans *dicto cap.* 43. *numero* 28. Verùm ſi tempore contractus conſentias, tametſi intermedio tempore poſtquam mandatum dediſti diſſentias, validum eſt matrimonium, quia mandatum firmum cum conſenſu perſiſtit, uti docet Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 11. *numero* 11. Coninch. *diſp.* 24. *dub.* 9. *numero* 72. Gutierr. *capit.* 43. *numero* 15. Quod ſi tempore quo mandatum dediſti conſenſum ſimulaſti, etſi Henriq. *lib.* 11. *de matrimonio*, *cap.* 2. *num.* 2. Sanch. *diſp.* 11. *num.* 13 Gutierr. *dicto cap.* 43. *num.* 15. exiſtiment validè poſſe matrimonium contrahi, ſi tempore quo matrimonium per procuratorem celebratur conſentias. Rectius oppoſitum ſentit Coninch. *diſp.* 24. *dub.* 7. *num.* 72. eo quod prima illa conſtitutio procuratoris nulla fuit ob ſimulationem, nequit ergo ſolo interno conſenſu revalidari, ſed neceſſarium eſt denuo fieri, & legitimo conſenſu expreſſo conſtitui. Illud verò eſt certum non oportere, ut tempore quo procurator tuo nomine contrahit conſentias, ſufficit, ſi quo diſſentias, quia in virtute prioris conſenſus non revocati, non procuratorem conſtituiſti matrimonium fit, tametſi dormias, vel in alia negotia ſis diſtractus, ut Sanchez, Gutierr. Coninch. & alii *ſuprà* notârunt. Ex qua doctrina reiiciendum eſt, quod Baſil. Ponce *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 14. affirmat, ſi tempore quo matrimonium procurator tuo nomine contrahit incidas in amentiam nullum eſſe matrimonium, nam eſto eo tempore tu non poſſis contrahere, non obeſt; quia etiam cùm dormis nequis proprio nomine contrahere, & tamen rectè per procuratorem potes. Satis enim eſt quod poſſis alium contrahere, quod rectè præſtare poteſt, quia non in virtute conſenſus tunc expreſſi, ſed in virtute conſenſus dati tempore quo procuratorem conſtituiſti contrahis, uti recte Sanch. Coninch. Gutierr. *loc. alleg.* docent.

3. Quintò ne procurator limites mandati excedat, quia in eo quod excedit non agit ut procurator, ſed ut privatus, ac proinde deficit contrahentis conſenſus, ideóque nihil actum eſt, ut colligitur *ex leg. diligenter*, *ff. mandati*, & tradit Sanch. *d. lib.* 2. *diſput.* 11. *num.* 17. Gutierr. *cap.* 43. *numero* 19. Baſil. *cap.* 15. *numero* 6. Hoc tamen intelligendum eſt, quando exceſſus eſt in conditione, ſeu forma ſubſtantiali, ſecùs quando exceſſus eſt in accidentali forma, & conditione, ut ſi Petro dediſti mandatum contrahendi matrimonium ſervata forma Tridentini, non obinde contractus vitiatur, ſi denunciationes omittantur, quia credendum eſt denunciationes poſtulatas eſſe eo modo, & forma, qua jure communi requiruntur, ſicuti docet Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 43. *num.* 3. Gutierr. *cap.* 43. *num.* 20. Baſil. *ſuprà.*

4. Sextò aliqui requirunt, ut procurator conſtituatur coram Parocho, & teſtibus illis in locis, in quibus Concil. Trident. eſt receptum, primo quia Trident. exigit pro forma, ut Parochus, & teſtes deponere poſſint de matrimonio, quam depoſitionem nequeunt præſtare niſi aſſiſtant prædicto mandato; aliter enim non poſſunt teſtari contrahentes conſentire. Secundo ex doctrina Riminaldi, *conſ.* 467. *num.* 78. *& ſequentibus volum.* 1. affirmantis ſolemnitatem requiſitam ad aliquem actum eſſe neceſſariam ad dandam commiſſionem faciendi illum actum, & ita prohibente ſtatuto donationem fieri abſque quinque teſtibus, cenſeri prohibitum mandatum donandi abſque illis, *ex leg. oratio. ff. de ſponſalibus.* Tertiò prohibito fine prohibentur media quæ ſunt ad finem, ſed prohibetur matrimonium clandeſtinum, ergo prohibetur commiſſum clandeſtinum, utpote illius medium, & confirmatur *ex leg.* 39. *Tauri*, hodiè *lex* 13. *tit.* 14. *lib.* 5. *novæ recopilat.* ubi eadem ſolemnitas requiſita eſt pro mandato conficiendi teſtamentum, quæ pro teſtamento requiritur. Quartò mulier eo quod nequit abſque conſenſu viri contrahere, nequit abſque illius conſenſu procuratorem conſtituere, ut habetur *leg.* 55. *Tauri*: ſed nullus abſque Parocho & teſtibus contrahere matrimoninm poteſt, ergo neque procuratores conſtituere ad contrahendum.

5. Sed omnino tenendum eſt validum eſſe mandatum ad contrahendum clandeſtinè conceſſum, modo tamen ita conceſſum ſit, ut probari poſſit, & Eccleſiæ conſtare tale mandatum datum eſſe: quia Concil. Trident. ſolùm ad contrahendum matrimonium requiſivit Parochi, & teſtium præſentiam, non tamen ad conſtituendum procuratorem, ergo procuratoris conſtitutio ſub diſpoſitione juris communis incorrecta manet juxta *leg. commodiſſimè ff. de liberis*, *& poſthum.* Si autem Parochi, & teſtium præſentia neceſſaria eſſet in procuratore conſtituendo, ſine dubio Concilium expreſſiſſet. Argum. *leg. unic.* §. *ubi autem verſ. nam ſi contrarium*, *Cod. de Cadub. tollend. leg. item apud Labeon.* §. *ait prætor. ff. de injuriis. cap. audientiam de renunciat.* & ita ut certum, & indubitatum tradunt Sanchez *lib.* 2. *diſputat.* 11. *num.* 23. Gutierr. *cap.* 43. *num.* 13. Coninch. *diſput.* 24. *dub.* 9. *num.* 78.

6. Neque obſtant oppoſitæ rationes. Ad primam optimè Parochum, & teſtes teſtari de matrimonio poſſe, tametſi non teſtentur de commiſſionis factæ valore, quia Concilium non poſtulavit, ut teſtarentur de valore matrimonii, ſed ſolùm de matrimonii exteriori contractu. Quo teſtimonio ſimul teſtantur de conſenſu contrahentium non in ſe, ſed in procuratore, ſicuti contingit in matrimonio medio interprete contracto, in quo Parochus. & teſtes teſtari non poſſunt de conſenſu contrahentium in interprete expreſſo. Ad ſecundùm reſpondeo, illam doctrinam Riminaldi veriſſimam eſſe, quando eadem ratio procedit in actu ac in commiſſione, ſecùs quando diverſa, ut in præſenti, non enim ex mandato clandeſtino eadem inconvenientia ſequuntur, quæ conſequenter ex clandeſtino contractu, ut de ſe patet. Ad tertium eodem modò reſpondendum eſt, prohibito fine prohiberi media, quæ illum neceſſariò inferunt: at clandeſtinum mandatum non infert neceſſariò matrimonium clandeſtinum, ſed publicum; quippè mandatum non datur ad matrimonium clandeſtinè contrahendum ſed ut contrahendum publicè. Ad confirmationem deſumptam *ex leg.* 39. *Tauri* dico eſſe ſpecialem diſpoſitionem in eo caſu, tum ob vitandas Commiſſariorum fraudes, uti conſtat *ex leg.* 31. *Tauri*, hodie 5. *tit.* 4. *lib.* 5. *novæ recopilat.* ibi: (y los tales comiſarios haçon muchas fraudes.) Tum quia mandatum ad teſtandum eſt ſpecies quædam teſtamenti, ſiquidem continet hæredis inſtitutionem, ſubſtitutionem, exhæredationem, meliorationem, tutorum deſignationem, quæ ſi à Commiſſario non fiant, ipſo jure facta manent *ex leg.* 35. *Tauri*, hodie 7. *tit.* 4. *lib.* 5. *novæ recopil.* At in mandato ad matrimonium contrahendum neque inconvenientia quæ in matrimonio clandeſtino procedunt adeſſe poſſunt, neque matrimonii contractus aliquo modo continetur. Ad quartum dico prohiberi mulieri mandatum concedere abſque licentia viri, ne legi regiæ præjudicium fieret, at ex mandato clandeſtino non fit

præjudicium

præjudicium decreto Trident. siquidem coram Parocho, & testibus matrimonium est à Commissario contrahendum.

7. Hinc à fortiori fit ad prædictum mandatum concedendum non esse opus scriptura, sed verbis tantùm constitui posse, sicuti de quocunque procuratore generaliter dicitur *leg.*13. *tit.*5. *part.*3. Ibi: (y quando lo hiçiere de palabra) *Gloss. leg. maritus verbo præscripserit, Cod. de procurat.* Et ibi Doctores Jason *leg.*1. *num.*7. *Cod. eodem, tit.* Et plures allegans Didac. Perez *leg.*3. *vers. verum autem, tit.*4. *lib.*3. *ordin.* Et tradit in præsenti Sanch. *lib.*2. *disp.*11. *num.*14. Gutierr. *cap.*43. *num* 16. Neque item est necessaria sexuum diversitas in procuratoribus ad matrimonium, sed duo viri, vel duæ fœminæ hoc officium gerere possunt, quia ipsi non proprio nomine, sed alieno contrahunt, ut rectè advertit Sanch. *supra n.*15. Gutierr. *num.*17. His positis.

8. Dico primò matrimonium ante Trident. & illis in locis, in quibus modò Concil. Trident. receptum non est, optimè potest tam in ratione contractus, quàm Sacramenti per procuratorem contrahi, sicuti definitur, *cap. fin. de procurator. in* 6. *& cap. honorantur* 32. *quæst.*2. Et ratio est manifesta, quia jure naturæ celebrari matrimonium sicut & alius contractus potest: at Christus Dominus matrimonii naturam non mutavit, sed ad esse Sacramenti evexit. Ergo, &c.

9. Dico secundò, etiam illis in locis in quibus Concil. Trident. receptum est, certissimè est affirmandum matrimonium per procuratorem contrahi posse, tam in ratione contractus, quàm Sacramenti, ita ut oppositum merito plures Doctores temeritatis nota inurant: sic pluribus relatis Henriq. *lib.*11. *cap.*2. *n.*2. Sanch. *lib.*2. *disp.*11. *num.*20. Gutierr. *cap.*43. *num.*10. Coninch. *disp.*24. *dub.*9. *num.*67. Et colligitur tum ex praxi Ecclesiæ, quæ passim maximè inter Nobiles & Principes matrimonium contrahi per procuratorem permittit. Tum quia Trid. Concil. matrimonia clandestina detestatum est: at matrimonium per procuratorem coram Parocho, & testibus contractum non est clandestinum, seu publicum. Ergo matrimonium per procuratorem contractum coram Parocho, & testibus Concil. Trident. non obstat.

10. Sed adversus hanc conclusionem objicies primò, Concil. Tridentin. exigit præsentiam Parochi, & testium pro forma ad valorem matrimonii, quando autem aliquid exigitur pro forma, & ut quid necessarium exequi debet specificè, & non per æquipollens, *leg.*1. §. *si quis ita ff. de verbor. obligationib. & leg. obligari*, §. *tutor statim, ff. de author. & consensu tutorum*, §. *tutor autem instit. eodem, tit.* Præsentia autem parochi, & testium consensui procuratoris non est præsentia consensui contrahentium specificè, sed solùm æquipollenter, non igitur sufficit. Unde cùm in supradicta *leg obligari.* Requiritur, ut tutor præsens sit contractibus minoris, non sufficit adsit per procuratorem, & cum in alienatione rerum Ecclesiæ Canonicorum præsentia requiratur plures Doctores cum Rebuffo *de alien. rerum Ecclesiæ num.*92. Affirmant non posse Canonicos per epistolam consentire. Ergo cùm præsentia Parochi & testium consensui contrahentium adesse debeat, non sufficit, si procuratoris consensui adsit. Secundò; Parochus, & testes assistentes procuratoris consensui testari non possunt de valore matrimonii, quia nesciunt, an concedens mandatum consensum revocaverit, & an procurator mandatum finxerit? Tertiò non levia inconvenientia inferuntur ex matrimonio per procuratorem contracto; quippe contingere potest, & sæpè contingit aliquem ex contrahentibus tempore quo celebratur mortuum esse vel consensum revocasse, vel cùm non habeat personam quacum contrahat satis cognitam, postmodum pœniteat, & duram vitam gerere cogatur. Ergo si ob inconvenientia clandestinum matrimonium prohibetur, etiam hoc matrimonium prohiberi debet.

Hæc tamen levia sunt. Ad primum respondeo, Concilium non dixisse Parochum, & testes præsentes esse debere consensui contrahentium, sed contractui matrimonii. At si Parochus, & testes sint cum matrimonium per procuratorem celebratur contractui matrimonii præsentes existunt. Secundò dico, quoties præsentia alicujus requiritur ut forma, nequit impleri per æquivalens, sed debet impleri specificè, nisi jure communi obstet, aut verbis expressis habeatur: obstat autem juri communi, quòd præsentia Parochi, & testium formaliter assistere debeat consensui, contrahentium, siquidem matrimonia per procuratorem celebrata semper approbavit, & ex alia parte verbis expressis non habetur præsentiam Parochi, & testium consensui contrahentium formali assistere debere, sufficit ergo ut prædicto consensui per procuratorem expresso assistant. Tutoris verò, & Canonicorum præsentia in supradictis casibus requiritur, quia eligitur industria tutoris, & Canonicorum, ut rebus pupilli, vel Ecclesiæ melius provideatur. Tertiò respondeo, Concilium non immutasse, neque innovasse consensus contrahentium, sed illis addidisse ut formam præsentiam Parochi, & testium. Cum autem ante Concilium consensus per procuratorem fuerit sufficiens, & postea debet esse, si ipsi superaddatur conditio requisita de præsentia Parochi, & testium. Ad secundum non est necessarium, quòd Parochus, & testes testentur de matrimonii valore, sufficit si testentur de ejus contractu, ad quod necessarium videtur quod illis constet procuratorem mandatum habere ad contrahendum, quia non proprio nomine, sed alieno contrahit, ut recte probat Coninch. *disp.*24. *dub.*9. *num.*78. Tametsi contrarium firmet Gutierr. *cap* 44. *num.*100. Non tamen est opus, ut illis constet mandatum revocatum non esse, id enim semper præsumere debent, quoties de revocatione non constat; sicuti semper præsumunt contrahentes verè, liberè, & absque ullo impedimento contrahere, cum matrimonio contrahendo assistunt. Ad tertium probat, ad summum ob illa inconvenientia deberе hunc modum contrahendi irritari, non tamen de facto irritum esse. Adde omnem contractum humanum aliquibus incommodis semper expositum esse.

11. An verò per epistolam, sicut per procuratorem possit matrimonium celebrari, communis sententia defendit etiam stante Conc. Trident fieri posse, ut videre est apud Navarr. *lib.*4. *consil. tit. de cognat. spirit. cons.*2. aliàs 6. *num.*9. Sanch. *disp.*12. *num.*3. Molin. *de justit. t.*3. *disp.*254. Henriquez *lib.*11. *cap.*2. *num.*6. Gutierr. *cap* 45. *num.*4. Coninch. *disp* 24. *dub.*9. *n.*80. Quippè per epistolam fieri traditio, & acceptatio potest, uti fiebat spectato jurè antiquo, *leg. mulierem, ff. de Ritu nuptiar.* Quod tamen Concil. Tridentino mutatum non est. Debet autem traditio, & acceptatio utriusque contrahentis coram eodem Parocho, & testibus fieri, aliàs non possent testari de matrimonio, id verò fiet, si scribas Mariæ te ipsum in maritum ei tradere, eamque in uxorem ex tunc accipere, ipsaque legens litteras coram Parocho, & testibus affirmet se etiam tibi tradere, & traditionem te factam acceptare. En tibi traditio, & acceptatio utriusque contrahentis fit coram eodem Parocho, & testibus. Alius similis casus adducitur à Sanch. *suprà.* Existimo tamen necessarium esse, quòd Parochus, & testes agnoscant tuas litteras, ut sic sciant cujus traditionem mulier acceptat, uti notavit Coninch. *dicto dub.*6. *in fine, num.*8.

12. Quod si dicas, nullus potest ministrare Sacramentum, quando non sibi constat dispositum esse recipientem, tum ad illius receptionem, tum ad illius effectum: at contrahenti per procuratorem vel epistolam non constat, an alius capax sit Sacramenti, vel sit

ritè diſpoſitus, ergo non poterit ſaltem licitè ſic contrahere. Reſpondeo præſumere debere morali certitudine alium eſſe diſpoſitum, tum ad Sacramentum, tum ad illius effectum.

Punctum X.

Quo fine matrimonium contrahi debeat?

1 *Triplex eſt finis matrimonii.*
2 *Contrahere ob finem extraneum primò & per ſe aliqui dicunt eſſe mortale, alii veniale.*
3 *Sub diſtinctione reſpondetur.*

1. TRiplex eſt finis matrimonii *eſſentialis*, *accidentalis & extraneus*. *Finis Eſſentialis* eſt mutua corporum traditio, & radicalis obligatio ad reddendum debitum. *Finis Accidentalis*, ſed matrimonii proprius, eſt ſobolem generare Geneſ.1. & concupiſcentiæ remedium habere juxta Paul. 1.Corinth.7. *propter fornicationem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque ſuum virum.* Finis *Extraneus* eſt voluptas; divitiæ, honor, pax inter conſanguineos, &c. Sæpè ex matrimonio conſecuta. Finis eſſentialis ſervandus eſt non ſolùm ut matrimonium licitè, ſed etiam validè contrahatur, uti diximus *hac diſp. punct.1.* Et tradunt omnes apud Sanch. *lib.2. diſp.29.* Hoc fine ſaltem virtualiter retento contrahere expreſsè ob ſobolis generationem, quando aptus ex generare, nemini dubium eſſe poteſt licere, quippè ad hunc finem ab Authore naturæ matrimonium ordinatum eſt. Contrahere autem ob vitandam fornicationem, quando periculum illius adeſt conſilium eſt Pauli, nequit ergo eſſe finis indebitus: ceſſante autem potentia ad generandum, & periculo fornicationis ſi contrahas ob mutuam obſequiorum communicationem, ex honeſto fine contrahis, quippè ad hunc finem matrimonium inſtitutum eſt.

2. Quapropter ſolum eſt difficultas de fine extraneo; An ob illum primo, & per ſe matrimonium contrahere peccatum ſit? Affirmant eſſe mortale Angel. *verbo Matrimonium 2. num.25.* Covarruv. *2.part. de matr. cap.1. num.7.* Sed dura ſanè ſententia, quia non matrimonium quatenus Sacramentum eſt, ſed quatenus eſt contractus dirigit ad prædictos fines obtinendos, quod non videtur eſſe nimia inordinatio. Communior tamen ſententia etſi neget eſſe mortale ad prædictos fines extrinſecos contrahere; admittit tamen eſſe veniale peccatum, eo quòd inordinatum ſit finem ſecundarium, & matrimonio extraneum primo & per ſe intendere, cum ſecundariò tantum, & per accidens appetendus eſſet. Sic D. Antonin. *3.part' tit.1. cap.19. §.9.* Paludan. *in 4. diſt.30. quæſt.2. art.3.* Sylveſt. *verb. Matrimonium 4. quæſt.4.* Navar. *cap.22. num.79.* Sanch. *lib.2. diſp.29. num.26.* Layman *lib.5. tract.10. cap.4.num.2. & 3.*

3. Cæterum diſtinguendum cenſeo inter fines extrinſecos. Alii enim ſunt qui per ſe honeſtatem moralem continent, quales ſunt pax Reipublicæ, charitas & amor inter conſanguineos, illuſtris familiæ conſervatio. Alii verò ſunt in quibus nulla moralis honeſtas relucet, uti eſt voluptas, divitiæ, & honor. Si contrahas ob fines moralem honeſtatem continentes nullum peccatum committis, ſed actum virtutis moralis exerces. Quippe finis illius actionis honeſtus eſt, medium, quo ad illum obtinendum uteris etiam eſt honeſtum, ergo ex nullo capite ea actio vitiari poteſt. Nam eſto illa actio habeat alium finem, ſeu effectum magis proprium, & præcipuum, illum expreſsè intendere non obligaris: ſatis enim eſt ſi illum non excludas, ut manifeſtiſſimis exemplis probat Coninch. *diſp.25. dub.1. num.14. Oculi* (inquit) *dati ſunt primò ad videndum, ſecundò ad explicandos conceptus.* Si igitur nacta occaſione oculis uti velis, ut tuos conceptus exprimas, nihil de primario fine cogitans; quis dicet te peccaturum? Idem eſt de lingua, quæ data eſt primò ad conceptus explicandos, ea tamet abſque ullo peccato uti potes ad cantandum, aliumve finem extrinſecum. Atque ita contrahere matrimonium ob pacem aliquam obtinendam, ob fraternam charitatem fovendam, ob familiam illuſtrem conſervandam licitum & honeſtum eſt, ſicuti dixit Coninch. *dicta diſp.25. dub.2. concl.4. num.18.* Baſil. Ponce *lib.1. de matr. cap.21.num.13.*

Si verò ob fines nullam moralem honeſtatem continentes contrahas etſi probabile ſit peccatum veniale committi, eo quòd alienum ſit à rationali natura operari abſque fine virtutis, attamen probabilius cenſeo nullum in præſenti adeſſe peccatum, ſicuti docuerunt Baſil. & Coninch. *ſuprà.* Moveor, quia contractus matrimonii per ſe eſt actus honeſtus, tum in ratione contractus, cùm ad generandam prolem, vitandam fornicationem, & mutuam obſequiorum communicationem dirigatur, tum in ratione Sacramenti à Chriſto inſtituti ad gratiam conferendam: velle autem obtinere aliquid temporale actu per ſe honeſto inhoneſtum non eſt: ergo nullum eſt peccatum velle contrahere matrimonium retinendo illius fines, ut illo contracto uxoris pulchritudine, & dote, copulæque voluptate fruaris, quia eo caſu non operaris abſque fine virtutis, qui in ipſo opere intrinſecè imbibitur, quem in executione ipſius operis intendis, cùm illum non excludis, ideoque Caïetan. *tom.1. opuſc. tract.1. de matrim. quæſt.3.* Navarr. *cap.22. num.79.* Covar.4. *decret. 2.part. cap.1. §.unico, n.7.* Sanch. *lib.2. diſp.29. num.25.* Gutierr. *cap.46.num.7.* Affirmant regulariter nullum peccatum committere contrahentem ob uxoris dotem & pulchritudinem, quia eſto horum conſecutionem medio matrimonio ita expreſsè intendat, ut niſi hæc adeſſent, non contraheret, at quia fines ipſius operis non excludit: horum bonorum conſecutio reputari debet non tam finis operis, quàm motivum, & excitativum illius.

Punctum XI.

De matrimonio ſub conditione contracto.

SUb multiplici conditione contrahi matrimonium poteſt. Sub conditione inquam præſenti, præterita, & futura, eaque neceſſaria, contingenti, vel impoſſibili, turpi, vel honeſta vel contra matrimonii ſubſtantiam, pendente à propria voluntate, vel abſolutè.

§. I.

De conditione honeſta temporis præſentis, vel præteriti.

1 *Conditio ſpectans tempus præſens, vel præteritum non infert matrimonium conditionale.*
2 *Aliqui requirunt matrimonium contractum ſub hac conditione utrique contrahenti notam eſſe debere, ut matrimonium valeat.*
3 *Oppoſitum verius eſt.*

1. COntractus, qui ſub conditione ſpectante tempus præteritum, vel præſens celebratur, propriè non eſt conditionalis, quia de natura, & eſſentia conditionis eſt ſuſpendere actum uſque ad illius eventum. *§. ſub conditione, inſtit. de verbor. obligation.* At ſi conditio præſens eſt, vel præterita ſuſpendere actum non poteſt, ſed purum conſtituit.

2. Solùm eſt difficultas; An requiratur ad valorem matrimonii, quòd ea conditio utrique contrahenti nota ſit, v.g. Contrahis cum Maria ſub conditione quòd nobilis ſit, quòd habeat tantam dotem, quod ejus

pater

pater obtinuerit tale officium, ignoras autem an de facto ea conditio in te existat ? Ægid. Coninch. *disputat. 29. dub. 1. num. 6.* negat te matrimonium contrahere, quousque agnoscas conditionem appositam esse. Movetur, quia ad matrimonium necessariò requiritur, ut consensus contrahentium utrique notus sit, at qui sub conditione sibi, vel alteri ignota consentit, nescit, an verè consentiat, vel potiùs dissentiat, siquidem ejus dissensus, vel consensus ex conditione pendet, cujus existentiam ignorat, æquivalet namque appositio conditionis ignoratæ illi modo contrahendi quo diceres, *Accipio te in uxorem*, vel *Non accipio*, ex quo nemini dubium esse potest nullum matrimonium contrahi, quia ex illis verbis æquè assensus, & dissensus colligitur, sic videtur dicendum in præsenti.

3. Sed rectiùs Sanch. *lib. 5. disputat. 7.* & Gaspar Hurtado *disputat. 7. difficult. 2.* censent prædictum matrimonium valere : nam esto nota non sit conditionis existentia, est tamen utrique contrahenti notus consensus sub existentia conditionis, non sub conditionis notitia non enim consentis in matrimonium sub conditione nobilitatis notæ, sed sub conditione nobilitatis existentis; ergo consensus utrique notus est casu quo nobilitas existat. Secùs est de illa forma contrahendi : *Accipio te in meam*, vel *Non accipio*, quæ nec consensum, nec dissensum determinatè significant. Et probari optimè potest *ex §. conditiones 6. institut. de verborum obligationibus* & *leg. cum ad 38. de Rebus creditis*, ubi decidit ur ex stipulatione sub conditione rei præteritæ nasci obligationem : tametsi contrahentes ignorent appositam esse conditionem, nasci inquam obligationem non solùm non revocandi, consensum, & expectandi conditionis notitiam : sed etiam nasci obligationem de re stipulata, aliàs nulla esset differentia inter contractus sub conditionibus præteritis ignoratis ac sub conditionibus contingentibus futuris.

§. II.

De matrimonio sub conditione honesta futuri temporis.

1 *Si conditio est necessaria non impedit matrimonii valorem.*
2 *Idem est dicendum de conditione contingente infallibiliter futura.*
3 *Secus de conditione absolutè contingente.*
4 *Adveniente conditione matrimonium subsistere absque novo consensu negant plures.*
5 *Verius est oppositum.*
6 *Fit satis rationibus* num. præced. *allegatis.*
7 *Quando censeatur impleta conditio, si patri placuerit.*
8 *Satisfit fundamentis secundæ sententiæ* num. 4. *relatæ.*
9 *Non arctantur contrahentes ad procurandam conditionis executionem.*
10 *Illis in locis in quibus Concil. Trid. recept. est, negat* Sanch *Parochum, & testes assistere debere conditionis executioni.*
11 *Contrarium verius existimo.*

1. CONditio honesta futuri temporis alia est necessaria, alia contingens. Si sub conditione necessaria contrahas, ejusque necessitatem cognoscas, tametsi Basil. *lib. 3. de matrim. cap. 1. num. 12.* censeat suspendi consensum, & matrimonium usque ad conditionis eventum, verius est oppositum, eo quòd prædicta conditio non tam ad suspendendum consensum, quàm ad ejus certitudinem demonstrandam censeri debet apposita, ut rectè tradit Henriq. *libr. 11.* Sanchez *lib. 5. disputat. 2. numer. 6.* Rebell. *2. part. de obligat. justit. lib. 2. quæst. 10. num. 13.* Ægid. de Coninch. *disput. 29. dub. 1. numero 8.*

2. Idem dicendum est de conditione contingenti infallibiliter futura, qualis est, *si Antichristus venerit*, quia ratione suæ infallibilitatis reputatur quasi necessaria, ideóque non censeri debet apposita ad suspendendum consensum, sed ad ejus certitudinem demonstrandam, uti docet Sanchez *suprà* & Rebell. *num. 14.* Neque obest esse nobis incertum, quo die Antichristus venturus sit, ob quam incertitudinem placuit Covarvu. *2. part. cap. 2. §. 2. num. 11.* Henriquez *lib. 11. de matr. cap. 12. num. 4.* Basil. Ponce, *lib. 3. cap. 1. numero 13.* consensum suspendi usque ad conditionis eventum, quia ut benè Sanchez & Rebell. docent, non contrahis sub hac incertitudine, non enim dicis te Mariam in conjugem suscipere, *si Antichristus intra tale tempus nascatur*, sed solùm dicis; *si Antichristus nascatur*, quod certum est, & infallibile, & à te sic cognitum. Quare non in vi conditionis censeri debent ea verba posita, sed in vi demonstrationis, & causalitatis, ita ut præstent hunc sensum, sicuti est certum Antichristum venturum esse, sic certum esse vis, te Mariam suscipere.

3. Si verò sub conditione contingenti, & honesta contrahas, manifestum est matrimonium suspendi usque ad conditionis eventum, quia usque ad illud tempus non habes animum tradendi corpus, ut etiam colligitur expressè *ex cap. de illis c. super eo c. fin. de conditionibus appositis* & *leg. 1. & 3. tit. 4. part. 4.*

4. Difficultas autem est, an adveniente conditione matrimonium subsistat ab que novo consensu ? Negant Bonavent. *in 4. d. 28. quæst. 3.* Durand. *ibidem. quæst. 2. ad 1.* Sotus *in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 1. concl. 3.* Henriq. *lib. 11. cap. 11.* Basil. Ponce aliis relatis, *lib. 3. cap. 14. numero 3.* Moventur primò *ex cap. super eo de condit. appositis*, ubi consentientem sub conditione futuri temporis dicitur non esse censendum de præsenti consentire, neque cogendum ad contrahendum usque ad conditionis eventum, ergo adveniente conditione cogi debet, aliàs matrimonium non subsisteret, cùm absque consensu de præsenti subsistere non possit. Secundò in *cap. per tuas, eodem*, deciditur talem contractum sponsalia constituere, ergo non matrimonium.

Prædictæ sententiæ adhærent Rosella verb. *Matrimonium 5. n. 14.* Sylvest. *eodem 2. n. 13.* Victoria, *n. 258.* & alii, cùm matrimonium sub prædicta conditione futura celebratur ab inhabilibus. V. g. cùm consanguinei, alióve impedimento ligati contrahunt sub conditione, *si Pontifex dispensaverit*, quia matrimonium constitui non potest alio consensu quàm legitimo, consensus verò elicitus ab inhabilibus illegitimus est.

5. Nihilominùs etsi prædictæ sententiæ probabiles sint, probabilior est affirmans matrimonium constitui adveniente conditione absque novo consensu, uti docuerunt Innocent. *c. super eo de condit. appositis in fine.* Abbas, *c. de illis eodem. numero 5.* Navarr. *c. 22. numero 63. & 64.* Paludam. *in 4. d. 29. quæst. 2. art. 5. sub. finem.* Sanchez aliis relatis, *lib. 5. disput. 8. n. 5.* Ægid. Coninch. *disp. 29. dub. 1. con. 3. & 5.* Desumiturque ex *leg. potior. 11. ff. qui potiores in pignore.* & *leg. hæc venditio 7. ff. de contrahend. empt.* ubi statuitur contractum initum sub conditione, ea adveniente firmum, & stabilem reddi absque ulla additione. Sed nihil speciale est in matrimonio statutum. Ergo matrimonium sub conditione futura initum ea adveniente firmum est. Et Ratio ea est, quia consentiens ex tunc in matrimonium sub conditione futura, verum consensum de præsenti habet, qui si adveniente conditione revocatus non sit, præsens moraliter est, & omnino perfectus, & absolutus. Ergo sufficiens est ad matrimonium constituendum. Quod optimè explicari potest ex modo, quo matrimonium de præsenti communiter contrahitur, priùs enim suum consensum exprimit vir sub conditione tamen in se imbibita, quòd mulier consentiat, qua consentiente opus non est, ut vir denuò consentiat, sed ejus consensus qui in se conditionalis erat ante mulieris consensum redditur absolutus, & perfectus mulieris consensu adveniente.

6. Neque his obſtant oppoſitæ ſententiæ fundamenta, Ad primum *ex cap. ſuper eo* Reſpondeo. Pontificem ſolùm definiiſſe ante adventum conditionis cogendum non eſſe ad contrahendum, ea verò poſita indeciſum relinquit, an cogendus ſit contrahere. Adde ibi non tam de contractu, quàm de conſummatione ſermo erat, ad quam adveniente conditione optimè cogi poteſt. Ad ſecundum reſpondeo ex prædicto Textu *in cap. per tuas.* nihil colligi: nam ibi mulier allegavit juvenem ſecum de præſenti contraxiſſe; econtrà juvenis dixit ſolùm ſponſalia ſub beneplacito parentis celebraſſe. Pontifex verò decidit ob copulam habitam à conditione receſſum eſſe, ac proinde verum matrimonium præſumi debere.

7. Quod ſi roges, Quando cenſeatur impleta ea conditio communiter apponi ſolita, *ſi patri placuerit*; Breviter reſpondeo ſi rogatus pater ita firmiter diſſentiat, ut præſumi non poſſit breve tempus arbitrio prudentis, ejus conſenſum obtinendum eſſe, conditio abſolutè deficit, ſecùs verò ſi conſenſus ejus obtinetur intra breve tempus, tametſi rebellis primum extiterit ſicuti cenſetur impleta conditio, *ſi Pontifex diſpenſaverit*, tametſi primæ, & ſecundæ petitioni non acquieverit, ſi poſtmodum diſpenſationem conceſſit, uti docent Navarr. *cap.* 22. *num.* 61. Petr. de Ledeſm. *quæſt.* 47. *art.* 5. *dub.* 7. Ægid. de Coninch. *diſput.* 29. *dub.* 2. *num.* 28. Illud verò certum eſſe debet, ut tradit Sanchez *lib.* 5. *diſput.* 7. *numero* 19. Coninch. *diſp.* 29. *dub.* 2. *num.* 29. ſi pater obivit conditionem cenſendam eſſe impletam, quia ſpectato communi curſu ea conditio ſolùm apponitur, ne matrimonium contra voluntatem patris cedat, néve illum offendat, quod eo mortuo ceſſat, ut benè Ægid. & Sanch. *ſuprà* notarunt.

8. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ nego conſenſum illum eſſe illegitimum, quia eſto ſit conſenſus inhabilium, non tamen pro tempore quo inhabiles exiſtunt, ſed potiùs pro tempore quo habiles eſſe debent quippe poſita diſpenſatione, & ſublato impedimento omnis inhabilitas tollitur. Quod ſi urgeas illam conditionem, *ſi Pontifex diſpenſaverit* eſſe impoſſibilem, & reiiciendam, utpotè pendentem à voluntate Principis juxta *leg. apud Julian.* aliàs *idem Julianus*, 4. §. *fin. ff. de legatis.* Reſpondeo id eſſe verum, quando Princeps non ſolet diſpenſationem concedere, ſecùs quando ſolutus eſt diſpenſare tametſi cum difficultate, ut diximus *Diſp. præced.* ubi de ſponſalibus conditionatis ſermo habitus eſt.

9. Procurare autem executionem conditionis, ſcilicèt conſenſum parentis, vel Pontificis diſpenſationem nemini ex contrahentibus per ſe incumbit, niſi ad id ſe ſpecialiter obligaverit, ſed ſolùm incumbit qui cupit contractum perfici, ut rectè Coninch. notavit. *diſp.* 29. *dub.* 2. *in fine*: expenſæ autem utrique communes eſſe debent, quia negotium utriuſque commune eſt.

10. Secunda difficultas eſt, An illis in locis, in quibus Conc. Trident. receptum eſt debeant Parochus, & teſtes non ſolùm conditionato conſenſui, ſed conditionis impletioni aſſiſtere? Negat Sanchez *lib.* 5. *diſput.* 8. *numero* 24. & affirmat ſatis eſſe, ſi conſenſui aſſiſtant, tametſi conditionis impletioni non aſtiterint. Movetur, quia non debent teſtes, & Parochus plenè de matrimonio teſtari, ſed ſatis eſſe, ſi de mutuo conſenſu de præſenti teſtentur; ut patet cùm matrimonium per procuratorem celebratur, in quo opus non eſt, quod Parocho, & teſtibus conſtet de mandato conceſſo, neque item cùm conſanguinei contrahunt opus eſt Parocho, & teſtibus diſpenſationem oſtendere, neque item puberes, de quibus non ſatis conſtat, an obtinuerint pubertatem, tenentur Parocho, & teſtibus id probare: ergo licèt Parochus, & teſtes conditionis executionem non videant, ſufficit ſi conſenſui mutuo præſentes fuerint, quia ille conſenſus poſita conditione matrimonium conſtituit.

11. Cæterùm verius cenſeo cum Ægid. *diſp.* 29. *num.* 15. Gaſpar Hurtado, *diſp.* 7. *de matrim. difficult.* 7. *numero* 22. debere Parochum, & teſtes conditionis executioni aſſiſtere, aliàs non aſſiſtent matrimonio, quia ille conſenſus matrimonium non conſtituit, niſi eo tempore, quo conditio impletur, ergo ſi impletioni conditionis Parochus, & teſtes præſentes non fuerint, nequaquam dici poſſunt præſentes fuiſſe conſenſui, quatenus matrimonium conſtituit, atque adeò nec matrimonio præſentes fuiſſe. Secùs verò eſt in illis exemplis adductis, ſiquidem poſito mandato, diſpenſatione, & pubertate, tametſi Parocho, & teſtibus ignota ſint, præſentes adſunt conſenſui matrimonium conſtituenti.

§. III.

De matrimonio ſub conditione impoſſibili contracto.

1 *Matrimonium non vitiatur ex conditione impoſſibili.*
2 *Subintelligitur de conditione impoſſibili per naturam.*
3 *Non de conditionibus impoſſibilibus perplexitatis.*
4 *Item non intelligitur de conditionibus impoſſibilibus ex accidenti.*
5 *Neque de conditionibus impoſſibilibus de præſenti, nec de præterito.*

1. CErtum eſt omnes contractus excepto matrimonio, & ultimæ voluntatis diſpoſitione nullos eſſe appoſita conditione impoſſibili, *ex* §. *ſi impoſſibilis inſtit. de inutilibus ſtipulat.* ibi: *Si impoſſibilis conditio ſtipulationibus adiiciatur, nihil valet ſtipulatio.* Et ex *leg. non ſolum* 31. *ff. de actionibus & obligat.* & rationem ſubdit lex, quia omnium ea cogitatio eſt, ut nihil agi exiſtiment appoſita ea impoſſibili conditione. At in matrimonio ob ejus favorem inquit Greg. IX. *cap. fin. de conditionibus appoſitis* contrarium dicendum eſt, quia ex *prædicto cap.* conditio impoſſibilis reiicitur, & habetur pro non adiecta, ac proinde contractus purus remanet. Quòd ſi dicas Pontificem non poſſe conſenſum loco diſſenſus ſubrogare, qui autem ſub conditione impoſſibili contrahit. manifeſtè diſſentit contractui, ergo nequit Pontifex judicare matrimonium validum eſſe. Reſpondeo, ſi manifeſtè conſtaret contrahentem vel ignorare impoſſibilitatem conditionis appoſitæ, vel legem rejicientem à contractu prædictam conditionem, vel tandem conditionem apposuiſſe animo illi inhærendi, Pontifex matrimonium validum non præſumeret: at quia credit Pontifex contrahentem ignarum non eſſe impoſſibilitatis conditionis, nec legis reiicientis illam à contractu, meritò præſumit non ſeriò, ſed joco ſimilem conditionem apponere, ideóque præſumit matrimonium validum eſſe. Quapropter ut matrimonium, cui conditio impoſſibilis appoſita eſt validum præſumatur, debet præſumi contrahens conſcius eſſe, tum impoſſibilitatis conditionis: tum legis reiicientis eam à contractu conjugali. Atque ita aliis relatis docent Covarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 2. Sanch. *lib.* 5. *diſp.* 3. *num.* 11. Coninch. *diſp.* 2. *n.* 42. Baſil. Ponce, *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 13.

2. Hæc tamen ſententia, & deciſio Pontificis limitanda eſt, ne procedat in conditionibus impoſſibilibus de facto, ſed ſolùm in conditionibus impoſſibilibus per naturam. Nam ea quæ ſpectata hominum natura poſſibilia ſunt, non abſolutè debent impoſſibilia vocari, ſed difficilia. Cùm igitur deciſio hæc Pontificis jus commune corrigat extendenda non eſt, ſed potiùs limitanda. Præterea in diſpoſitione ultimæ voluntatis jus civile ſolùm conditiones per naturam impoſſibiles reiicit, non autem eas, quæ tantùm de facto impoſſibiles ſunt, ut manifeſtè convincit §. *ſi impoſſibilis, inſtit. de inutilib. ſtipulat.* ibi, *Cui natura impedimento eſt.* Et docuit aliis relatis Molin. *lib.* 2. *de primogenitis*

capite

capite 12. *numero* 37. At Pontifex censendus est eas conditiones impossibiles reiicere à matrimonio, quas jus civile reiicit ab ultima voluntate ut sic jura juribus conformia sint. Ergo. Et ita docet Covarrvu. *decret.* 2. *part. capit.* 3. §. 2. Basil. Ponce, *lib.* 3. *de matr. capit.* 3. *numero* 15.

3. Secundò limitatur à Basil. *n.* 17. ne procedat in conditionibus impossibilibus perplexitatis ex *leg. si Titius ff. de conditionib. instit.* ubi dicitur, si *Titius hæres erit, Sejus hæres esto* nequit enim utrique hæreditas competere, ideóque institutionem vitiat. Cùm ergo ab ultima voluntate hæc impossibilitas non reiiciatur, neque à matrimonio censenda est reiici.

4. Tertiò limitat idem Basil. *dicto cap.* 3. *num.* 18. Sanch. aliis relatis, *lib.* 5. *disp.* 4. *num.* 16. ne procedat in conditionibus impossibilibus ex accidenti, & lapsu temporis, Argum. *leg. cùm tale*, 72. *ff. de condit. & demonstr.* Et ratio esse potest, quia ea quæ ex accidenti impossibilia sunt, simpliciter non sunt impossibilia. Non igitur decretum correctorium ad ea impossibilia extendendum est.

5. Quartò limitat Basil. *c.* 4. *n.* 12. sequens Petr. de Ledesm. *de matr. quæ.* 47. *art.* 5. *dub.* 1. §. *hoc posito fundamento.* Rebellum *de oblig. just. l.* 2. *quæst.* 10. *sect.* 4. *in fine*, ne procedat in conditionibus impossibilibus de præsenti, vel de præterito, quia hæ non sunt propriè conditiones; sed demonstrationes, Pontifex autem solùm reiicit à matrimonio conditiones impossibiles, non igitur censeri debent rejectæ eæ, quæ propriè conditiones non sunt. Neque obest quòd prædictæ conditiones, seu demonstrationes reiiciantur ab ultima voluntate *ex leg. si Mævia*, 45. *ff. de hæredibus instituend.* ubi ea conditio *si filia testatoris vivit* reiicitur casu quo testator nunquam filiam habuerit, quo argumento moventur Covarruv. 4. *decret.* 2. *part. c.* 3. §. 2. *n.* 2. Sanch. aliis relatis, *lib.* 5. *disp.* 4. *numero* 3. ad asserendum prædictas conditiones à matrimonio reiici. Non inquam obest, quia in his quæ pendent à jure positivo non licet argumentum sumere ad extendendum correctorium decretum, & faciunt ea quæ statim in §. *sequenti* dicam.

§. IV.

De matrimonio sub conditione turpi contracto,

1 *Conditio turpis substantiæ, bonisque matrimonii non repugnans reiicitur.*
2 *Ea conditio*: Si te in concubitu virginem invenero, *ut turpis reiicienda est.*
3 *Conditio turpis substantiæ, bonisque matrimonii repugnans matrimonium vitiat.*
4 *Quæ censeantur conditiones matrimonio contrariæ.*
5 *Si contrahas sub conditione nunquam reddendi debitum, negant plures subsistere matrimonium.*
6 *Verius est oppositum, si attentè consideretur.*
7 *Satisfit oppositis rationibus.*
8 *Quid si contrahas sub obligatione vitandi prolem:*
9 *Si conditio matrimonio contraria ab uno ex contrahentibus apponatur, tametsi ab alio non acceptetur, matrimonium vitiat.*

1. CONditionem turpem, quæ substantiæ, bonisque matrimonii non repugnat, decernit Pontifex *in dicto cap. fin. de conditionibus appos.* habendam esse pro non adjecta, eo quòd præsumit non seriò, sed jocosè appositam fuisse. Quapropter si contrahas cum Maria ea conditione, ut tecum furetur, aliàve peccata committat, valet contractus statim rejecta illa conditione. Præterquam quod hæc conditio reputari debet ut impossibilis, quia id possumus, quod jure possumus. Et licèt in aliis contractibus hæ conditiones turpes non reiiciantur, neque ut impossibiles reputentur, at in matrimonio utpotè Sacramento æquum non erat id admittere, ideóque ob ejus favorem fuerunt à Pontifice rejectæ. Quod intelligendum est de conditionibus futuris, non præsentibus, vel præteritis. Nam si cum Maria contrahas sub ea conditione, *si furtum commisit* prædicta conditio non reiicitur, quia non est propria conditio, neque ad peccatum inducit, uti dixit Sanch. *disp.* 15. *n.* 5. Lessius, *lib.* 2. *de just. capite* 18. *numero* 122.

2. Ex his decidendum est, an ea conditio: *Si te in concubitu virginem invenero: Si mihi in concubitu placueris*, reiicienda sit ut turpis? Et respondeo semper ut turpem esse reiiciendam (quidquid Thom. Sanch. *disp.* 16. *num.* 5. dicat) quia nunquam intelligi potest de concubitu licito, siquidem concubitus licitus esse nequit ante matrimonium. At prædictus concubitus utpotè sub conditione ad matrimonium expostulatus necessariò matrimonium antecedere nequit, ergo nequit esse licitus, ut benè notavit Basil. Ponce, *lib.* 3. *cap.* 8. *à numero.* 3. 5. & 7.

3. Dixi conditionem turpem, quæ substantiæ, bonisque matrimonii non repugnat reiiciendam esse, ut tacitè insinuarem conditionem substantiæ matrimonii contrariam à matrimonii contractu non reiici, sed illum omnino vitiare, ut expressè habetur in dicto *cap. fin. de conditionibus appos.* & tradunt omnes. Et ratio est manifesta, quia apponens conditionem matrimonio contrariam manifestè convincitur non verum matrimonium contrahere velle.

4. Illæ autem conditiones censendæ sunt matrimonio contrariæ, quæ cum matrimonio, ejúsque vinculo consistere non possunt. Quocirca cùm matrimonium essentialiter contineat perpetuam, & mutuam corporum traditionem ad conjugalem copulam, & mutuam obligationem servandi fidem, reddendi debitum quoties legitimè fuerit petitum, itémque obligationem non impediendi generationem, & prolem Christianè educandi, quælibet conditio, quæ prædictis contraria sit matrimonium vitiat, uti tradunt omnes Doctores. Quare si contrahas cum Maria sub ea conditione *donec pulchriorem, ditiorémve invenias.* manifestè vitias contractum, quia non intendis te Mariæ in perpetuum tradere, quod est de essentia matrimonii. Idemque est si contrahas sub ea obligatione, ut sterilitatem procuret, prolem enecet, alteri se copulandam tradat, quia hæ illicitæ obligationes excludunt directè obligationes, quæ ex matrimonio proveniunt. Sub iis conditionibus enumerandam censeo obligationem abiiciendi prolem alendam, si de abjectione illicita sermo sit, quippè jure naturæ parentes prolem alere tenentur, cùm possunt, neque alii sunt, qui voluntariè hoc munus suscipiant.

5. Solùm est difficultas, si contraheres sub conditione nunquam reddendi debitum an subsistat matrimonium? Negat subsistere Sotus *in* 4. *d.* 29. *quæst.* 2. *art.* 3. Covaruv. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 1. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 4. Sanch. *lib.* 5. *disput.* 10. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 9. Moventur, quia hæc obligatio subsistere non potest cum obligatione reddendi debitum, quæ secum trahit matrimonium. Item obligatio vitandi prolem contraria est matrimonio secundùm communem sententiam: at obligatio nunquam se copulandi est virtualis obligatio vitandi prolem, cum absque copula proles esse non possit.

6. Nihilominùs verius est prædictam conditionem, si sano modo sumatur contrariam non esse matrimonio, quippè matrimonium ex sua essentia includit obligationem justitiæ reddendi debitum, quoties legitimè fuerit petitum, at justè non petitur, si contrahens juri petendi cessit simplici sua promissione, vel voto. Ergo obligatio non reddendi debitum suppositâ cessione juris petendi obligationi conjugali non obstat. Si enim post contractum matrimonium ex mutuo consensu cedere possunt juri petendi, &

ea ceſſione facta nullus alteri obligatur reddere, cur à principio eam ceſſionem præſtare non poterunt, & ab obligatione reddendi excuſari ? Atque ita docent Rebell. *lib.* 2. *q.* 10. *ſect.* 3. Ægid. *diſp.* 24. *dub.* 4. Gaſpar Hurtado *diſp.* 7. *de matr. diffic.* 9. *num.* 35.

7. Ex quibus ſolutum eſt oppoſitæ ſententiæ fundamentum. Non enim quælibet exemptio à redditione debiti, eſt contraria obligationi reddendi debitum, quæ ex matrimonio conſurgit; aliàs contracto matrimonio non liceret ob unius fornicationem divortium, neque ex unius conſenſu poſſet alter religionem ingredi, neque ſibi invicem cedere juri petendi, nam in his omnibus ceſſat obligatio actualis reddendi ob illegitimam petitionem, manente obligatione per ſe reddendi quoties legitimè fuerit debitum petitum. Ad confirmationem nego quamlibet obligationem vitandi prolem eſſe matrimonio contrariam, ſed ſolùm obligationem iniquè vitandi prolem, hæc enim eſt quæ opponitur obligationi generandi.

8. Notanter dixi, *ſi contrahis ſub obligatione vitandi prolem, &c.* nam ſi contrahis non ſub obligatione, ſed ſub conditione propria prolis iniquè vitandæ Ludovic. Lopez, 2. *part. inſtruct. capite.* 42. & plures relati à Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 9. *numero* 8. cenſent contractum ſubſiſtere rejecta illa conditione utpotè turpi. Sed verius eſt oppoſitum, eo quòd illa conditio conſenſum requiſitum ad matrimonium deſtruat. Nam eo ipſo quo vis contrahere ſub ea conditione vitandi prolem, vis contractum non eſſe perfectum, quouſque proles vitetur, aliàs non eſſet appoſita ſub conditione rigoroſa. Econtrà verò prolem vitare intendis poſt matrimonium contractum. Ergo hæ voluntates ſibi mutuò repugnant, ac proinde matrimonium vitiant, ſicuti docent Covarr. 2. *part. c.* 3. §. 1. *num.* 7. Sanch. *lib.* 5. *diſp.* 9. *num.* 9. Coninc. *diſp.* 29. *dub.* 3. *n.* 40. Baſil. Ponce, *lib.* 3. *capite* 9. *à numero* 11.

9. Sed quid ſi conditio matrimonio contraria ab uno ex contrahentibus apponatur, & ab alio non acceptetur; Covarvu. 4. *decret.* 2. *part. capite* 3. §. 1. *num.* 11. cenſet non vitiare contractum, quia ſecluſa acceptatione nullam vim conditio habet, ſed rejecta cenſetur. Cæterùm verius cenſeo cum Sanch, *lib.* 5. *diſp.* 13. *n.* 5. matrimonium vitiare, nam eſto ab alio qui conditionem acceptare debebat rejecta ſit, nullámque habeat vim obligandi, at denotat apponentem illam conditionem velle ſub illa tantùm conſentire, & non aliter dominium ſui corporis transferre, ideóque ex defectu conſenſus matrimonium non ſubſiſtit.

§. V.

An tempus, cauſa, & modus matrimonio appoſitus obſtet illius valori ?

1 *Tempus futurum adjectum matrimonii contractui æquè ſuſpendit matrimonium, ac conditio.*
2 *Cauſa, ſeu demonſtratio non obeſt valori matrimonii, niſi ſit error in perſona, vel conditione.*
3 *Modus matrimonii eſſentiæ contrarius contractum non vitiat, etſi alij contrarium ſentiant.*

1. TEmpus futurum adjectum matrimonii contractui per verba de præſenti æquè matrimonium ſuſpendit, quouſque adveniat tempus, ac ſuſpendit conditio futura, quia in utroque caſu non eſt conſenſus perfectus adventus temporis, vel conditionis. v.g. contrahis cum Maria in Quadrageſima per verba de præſenti, illamque accipis in uxorem à die Paſchatis, ex Paſchatis aſſignatione conſtat te nolle Mariam in conjugem ante habere, benè tamen adveniente. Paſchate.

2. Cauſa verò, ſeu demonſtratio matrimonii valori non obeſt, niſi ſit error in perſona, vel libertatis qualitate. Quocirca, ſi contrahas cum Maria, quia credis nobilem, divitem, &c. quæ ſic non eſt, aliàs non contracturus, matrimonium tenet, quia cauſa nobilitatis, & divitiarum exiſtimata non eſt finis, & objectum conſenſus, ſed cauſa illius motiva, cujus error licèt in aliis contractibus præſtet ſufficientem diſſolutionis cauſam, ſecùs in matrimonio, in quo ſolus error perſonæ jure naturæ matrimonium vitiat, quia eſt error conſenſus in objectum; & jure poſitivo error in conditione libertatis, tametſi cauſa conſenſus motiva ſit.

3. Modus matrimonii eſſentiæ contrarius contractum vitiat ſecundùm Sanchez *lib.* 5. *diſp.* 19. Ægidius Coninch. & *diſp.* 29. *dub.* 4. *concl.* 6. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *cap.* 7. *circa finem*, eo quòd ſic contrahens conſentit in matrimonium ſub intentione, quod aliter ſubeat obligationem matrimonio contrariam. Sed rectiùs Sotus *in* 4 *d.* 29. *q.* 2. *art.* 1. & Petr. de Ledeſma. *quæſt.* 47. *art.* 5. *dub.* 3. contrarium firmant; nam ea eſt differentia inter conditionem, & modum, quòd conditio ſuſpendit conſenſum quouſque adveniat; modus autem conſenſum non ſuſpendit, ſed potiùs perfectum ſupponit: at matrimonio perfectè conſtituto nequit ex ullo modo diſſolvi. Ergo. Et explicatur amplius. Contrahis cum Maria ea intentione, ut ipſa obligetur vitare prolem ſterilitatis venena ſumens, & còntractus ſine dubio tenet ipſa non obligata, quia illius obligationem non poſtulaſti, ut conditionem ad conſenſum, ſed tuo conſenſu voluiſti Mariam excitare ad eam obligationem ſubeundam, quam ipſa contractu admiſſo prudentiſſimè reiicit.

PUNCTUM XII.

De matrimonio ob metum inito.

1 *Qui metus, & qualiter reddat irritum matrimonium ?*
2 *Cogens ad matrimonium peccat mortaliter.*
3 *Coactus non peccat, ſi ex animo verba proferat.*
4 *Princeps Eccleſiaſticus, vel ſæcularis cogere minis, vel terroribus ad matrimonium nequit.*
5 *Excommunicantur ſæculares Principes ad matrimonium cogentes.*
6 *Parentes non poſſunt cogere filios ad matrimonium, ſi velint religionis, vel cœlibatus ſtatum eligere.*
7 *Ex ſuppoſitione quod velint filij matrimonium contrahere, affirmant plures obligari à parentibus poſſe ad determinatum matrimonium.*
8 *Oppoſitum verius eſt.*
9 *Explicatur doctrina.*
10 *Satisfit.* cap. 1. de deſponſat. impuber.
11 *Qualiter filij obligati ſint conſilium à parentibus requirere, cum matrimonium voluut contrahere ?*
12 *Qualiter parentes poſſint filios contra ſuam voluntatem nubentes exhæredare ?*
13 *Plures exiſtimant leges exheredantes filios Jure Canonico eſſe abrogatas.*
14 *Contrarium cenſeo probabilius.*
15 *Solvitur oppoſita ratio.*
16 *Cauſæ juſtæ exhæredationis ſufficiunt, ut alimenta denegentur præter ea quæ neceſſaria ſunt ſuſtentationi.*
17 *Filiæ minori* 23. *annis nubenti abſque patris conſenſu, & ſine promiſſione dotis, non tenetur pater dotem conſtituere.*
18 *Si filia major ſit* 25. *annorum tenetur pater eam dotare.*

1. PLura, quæ in hoc puncto eſſent tractanda pro tenuitate noſtra deciſa reliquimus 1. *part. tract.* 2. *de peccatis diſput.* 1. *à punct.* 6. ibi enim explicui quis ſit metus gravis, quis levis, & quæ illum conſtituant, & qualiter probetur, & an ex illo reſcindatur contractus, vel veniat reſcindendus quáque ratione metus gravis obſtet, reddatque contractum nullum; Nam eſto in aliis contractibus metus gravis injuſtè incuſſus nullitatem

tatem ipso jure non inducat, inducit tamen in matrimonio. *c. cùm locum*, 14. *c. veniens de sponsi. & cap.* 2. *de eo qui duxit. consang. uxor.* & tradunt omnes, eo quòd alij contractus etsi validi rescindi possunt authoritate Judicis, at matrimonium semel validum nulla authoritate humana rescindi potest. Dixi. *metus grævis*, nam metus levis nec matrimonium annullat, neque alios contractus rescindit; ut *loco citato* latiùs probavi, & colligitur apertè ex *capit. cùm dilectus* 6. *de his quæ vi, metúsve causa fiunt. leg. nec timorem* 6. *Digestis de eo quod metus causa.* Aliàs omnia essent incerta, cùm rarò à metu levi contractus excusentur. Insuper dixi *injustè incussus*, nam justè; & licitè incussus contractum invalidare nequit, quia tunc metus non tam infertur ab extrinseco, quam ab ipso patiente metum qui illius causam dedit, neque tam incutitur metus ad extorquendum contractum, quàm contractus proponitur ut medium vitandi metum, cujus causam ipse dedit.

2. Quocirca quadruplex difficultas enodanda venit. Prima, Quæ obligatio oriatur in cogente ad matrimonium, & tam ipse, quàm coactus peccent sic contrahendo? Qua in re certum est cogentem ad matrimonium peccare mortaliter, eo quòd per injuriam extorqueat ab alio rem gravem, & difficilem, qualis est matrimonium, non tamen videtur obligatus in matrimonium consentire, coacta postmodum liberè voluntate, nisi fortè ad injuriam factam reparandam judicatum fuerit necessarium, quia solùm ex ratione injuriæ, & damni illati obligari potest, non ex contractu, qui etiam in exteriori foro nullus est, ergo si aliunde injuria, & damnum datum reparari potest, non tenebitur cogens matrimonium inire, ut benè notavit Sanch. *lib.* 4. *disp.* 15. *num.* 15. Ochagavia *de matr. tract.* 3. *q.* 30. Gaspar. Hurtado *disput.* 6. *diffi.* 4. adversus Navarr. *c.* 22. *num.* 51. Henriq. *lib.* 11. *c.* 10. Coninch. *disp.* 28. *n.* 7. Basil. *lib.* 4. *c.* 17. contrarium sentient.

3. Coactus tamen non peccat matrimonium contrahendo, si proferat verba animo se obligandi, etiamsi cognoscat se obligatum non esse, quia tunc nullum committit mendacium, cùm idem quod habet in mente verbis proferat, vult enim quantum est ex se obligari, & hanc voluntatem verbis explicat. Ex alia parte nullam injuriam Sacramento irrogat: quia contractus metu extortus irritus est, & consequenter nec materia, nec forma Sacramenti esse potest. Secùs contingit, quando quis compelleretur proferre formam Sacramenti super materiam indebitam; quia tunc injuriam irrogat Sacramento, cùm ejus formam irritam faciat, sicuti docuit Navarr, *cap.* 28. Sotus *in* 4. *d.* 29. *q.* 1. *art.* 3. *vers. utrum verò.* Coninch. *disp.* 28. *dub.* 3. Sanch. aliis relatis *lib.* 4. *disp.* 16. *num.* 6. Si verò non verè, sed fictè verba proferret nulla restrictione mentis retenta, peccatum committeret ob mendacium: leve tamen; quia non tenetur consentire, à quo peccato posset facilè excusari, si cum æquivocatione, restrictionéque intellectus ea verba proferret, scilicet: *Accipio te in meam*, si teneor, ut benè notarunt Sanch. *dicta disput.* 16. *num.* 2. Coninch. *disputat.* 28. *dubit.* 3. *initio* Basil. *lib.* 4. *cap.* 26.

4. Secunda difficultas, Qualiter Princeps Ecclesiasticus, vel sæcularis cogere subditos possit ad matrimonium? Et quidem minis, & terroribus cogere illicitum est, & inutile, cùm matrimonium metu contractum nullum sit.

5. Quapropter Concilium Trid. *sess.* 24. *cap.* 9. *de re. format.* dominos temporales injustè cogentes ad matrimonium anathematis pœna ipso facto incurrenda punit: & licèt Alphons. *in appendic. ad spec. conjug.* 1. *part. art.* 9. *concl.* 6. censeat hanc pœnam esse maledictionem quandam solemnem, non excommunicationem, siquidem Concil. *eadem sess.* 6. *capite* 6. volens raptorem pœna excommunicationis ferire id expressit. Nihilominus verius & receptius est Concilium nomine anathematis excommunicationem intellexisse: tum quia nomine anathematis excommunicatio major intelligitur, Argument. Textus, *in cap. debent.* 11. *quæst.* 3. & *capite fin.* 30. *quæst.* 4. Tum quia maledictio solemnis cùm à Judice ferenda sit, non potest ipso facto incurri. Atque ita tradunt Sanchez *lib.* 4. *disputatio n.* 22. *numero* 8. Suar. *de censur. sect.* 2. Gutierr. *capite* 79. *num.* 10. Coninch. *disp.* 28. *dub.* 5. *num.* 48.

Notanter dixi *Cogentes ad matrimonium*, non enim impedientes matrimonium hac pœna excommunicationis feriuntur, ut benè advertit Henriq. *lib.* 11. *cap.* 6. Gaspar Hurtado *disp.* 6. *difficult.* 7. *num.* 26. Deinde *Cogentes injustè*, nam justè nulla pœna digni sunt, cùm nullam injustitiam committant. Quare si obligatus sis contrahere matrimonium, vel quia promisisti, vel quia virginem violasti, vel alia de causa, & Princeps sæcularis te mediis justis cogat, nulla pœna afficitur, quia pœna supponit culpam, quæ in tali coactione nulla est. Præterea non omnes cogentes hanc pœnam excommunicationis incurrunt, sed solùm domini temporales jurisdictionem in foro sæculari habentes, adversus enim hos excommunicatio fertur, quia de illis tantùm est sermo in *prædicto capite.* Si ergo tenebantur ex proprio officio subditos à coactione tueri, meritò ergo puniuntur, si coactionem inferant. Quocirca neque parentes cogentes filios ad matrimonium hanc excommunicationem incurrunt, quia jurisdictionem in foro sæculari non habent, neque item Parochus ob eandem rationem, neque Episcopus qui Dominus temporalis, non est, ut benè notarunt Sanchez *lib.* 4. *disp.* 22. *num.* 9. Coninch. *disp.* 28. *dub.* 5. Henriq. *lib.* 1. *cap.* 6 Gutierr. *cap* 79. *num.* 1. adversus Ludovic. Lop. 1. *part. instruct. cap.* 44. Albornoz, *lib.* 4. *de arte contractuum, c.* 1. Neque item Rex, aut Imperator, nam esto sint Domini temporales propter eorum dignitatem debebant necessariò exprimi, ut excommunicatione innodarentur juxta Conc. Trident. *sess.* 22. *c.* 11. *de reformat.* & in *Bulla cœnæ*, & tradit Henriq, Sanch. & Gutierr. *loc. alleg.*

6. Tertia difficultas, Qualiter possint parentes cogere filios ad matrimonium contrahendum, ipsique teneantur obedire? Si filij aliàs non tenentur matrimonium contrahere, sed volunt religionis, vel cœlibatus statum eligere, nequaquam possunt parentes etiam leviter eos ad matrimonium contrahendum obligare, quia injusta est obligatio, quæ status melioris electionem impedit, sicuti bene docent ex communi sententia Sanchez *disp.* 23. *numero* 4. Gutierr. *de matrim. cap.* 79. *num.* 17. Econtrà verò si filij matrimonium contrahere tenentur, vel quia promiserunt, vel quia id necessarium est, ut gravi parentum necessitati succurrere possint, aut ob aliam causam, possunt à parentibus coactione moderata obligari, quia potestatem habent obligandi filios, ut jure naturæ debitis satisfaciant, ut rectè advertit Ægid. Coninch. *disp.* 28. *de matrimonio. dub.* 5. *num.* 50. Gutierr. plures referens *de matrim. cap.* 79. *numero* 16.

7. Ex suppositione autem, quòd filij nolunt statum religionis, aut cœlibatus eligere, neque obligationem habeant cum determinata persona matrimonium contrahendi affirmant Sotus, *in* 4. *d.* 19. *quæst.* 1. *art.* 4. *colum* 3. Navarr. *in sum. c.* 14. *num* 15. Rodrig. 1. *t. sum. in* 2. *edit. cap.* 231. *num.* 6. Ludovic. Lopez *in sua instruct.* 1. *part. cap.* 54. §. *sed advertitur.* Capua, *lib.* 2. *decis. cap.* 55. *num.* 19. Rebell. *quæst.* 14. *sect.* 2. Bellarm. *lib.* 1. *de matr. cap.* 19. obligatos esse filios sub culpa lethali illud matrimonium inire, quod vel parentes promiserunt, vel aliàs judicant conveniens, & ut sic contrahendum præcipiunt. Moventur ex Textu *in cap.* 1. *de desponsat. impuber. in fine.* ubi de matrimonio, quod à parentibus promissum est, inquit Pontifex: & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem omnino debet, hoc

hoc adimplere. Notandum enim eſt verbum *debet*, quod neceſſitatem, & obligationem importat ex Gloſſa in *cap. propoſuit. verbo, non debet, de appellationibus* & in *Clement. attendentes de Statu monachor. in princ. verb. debeant*, & aliis relatis à Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 23. *num.* 2. Neque hoc alienum judicandum eſt à poteſtate parentum, quibus incumbit filiorum nuptias procurare, quique ſolent graviſſimè offendi, ſi contra eorum voluntatem filij audeant matrimonium inire.

8. Rectiùs tamen Richard. *in* 4. *d.* 29. *art.* 1. *quæſt.* 4. Abulen. 1. *Reg. cap.* 18. *quæſt.* 24. Sanch. aliis relatis, *lib.* 4. *diſp.* 23. *numero* 3. Gutierr. *de matrim. cap.* 79. *numero* 15. Coninch. *diſp.* 28. *dub.* 5. *numero.* 50. cenſent nulla per ſe obligatione aſtringi filios ad matrimonium contrahendum. quod vel parentes ſpoponderunt, vel contrahi præcipiunt, eo quòd matrimonium eſt quædam perpetua ſervitus graviſſima ſecum onera adducens, quam non decet aliena, ſed propria voluntate ſubire, præcipuè cùm debeat hæc ſervitus ſub mutuo conjugum amore conſtitui, qui rarò habetur ex matrimonio aliena voluntate contracto.

9. Notanter dixi *per ſe*, nam per accidens obligari filij poſſunt ad matrimonium quod parentes contrahere præcipiunt ex ſuppoſitione quòd velint matrimonialem ſtatum eligere. Si enim rationabiliter præſumant ob ſpretam voluntatem parentum rixas, odia, aliáve gravia inconvenientia ſubortura eſſe, tenentur ſub gravi culpa ex lege charitatis hæc vitare, ſi commodè poſſunt, ut benè notavit. Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 23. *num.* 10. & 11. Gutierr. *de matr. c.* 79. *n.* 20. Coninch. *diſp.* 28. *de matr. dub.* 5. *in fine.*

10. Neque his obſtat Textus adductus ex *cap.* 1. *de deſponſat. impub.* nam ut rectè Gloſſ. *ibi*: Hoſtienſ. *in fine.* Joann. Andr. *num.* 8. Sanch. *diſp.* 23. *num.* 3. Gutierr. *cap.* 79. *num.* 14. verbum *debet* non de præcepti, ſed de honeſtatis debito intelligendum eſt propter ſubjectam materiam, quæ ſummam libertatem expoſtulat. Et licèt parentibus incumbat providere filiis nuptias, ſicut & alium ſtatum, non tamen tenentur filij eorum voluntatem ſequi, ſicuti non tenentur religionem ingredi, quam parentes optant, etſi velint eum perfectiſſimum ſtatum eligere, nam in electione ſtatus etiam determinati, quilibet eſt ſui juris.

11. Communiter verò Doctores affirmant obligatos eſſe filios nuptias contrahere volentes ſub gravi culpa conſilium à parentibus, vel eorum locum tenentibus inquirere, etſi illud ſequi non teneantur; quia cenſetur gravis contemptus in re ita gravi conſilium eorum ſpernere, quibus à natura incumbit filiorum bono proſpicere, quippe credendi ſanum, & conveniens concilium eſſe daturi. Sic. Sanch. *diſp.* 23. *in fine.* Gutierr. *lib.* 1. *cap. qq. capit.* 20. *numero* 3. & *de matrim. cap.* 79. *numero* 20. Ægid. *d. diſp.* 28. *dub.* 5. *concl.* 3. Quod intelligendum eſt, quando filij indifferentes ſunt ad hoc, vel illud matrimonium ineundum: nam ſi in unum determinati; tametſi parentes contrarium conſulant; nullatenus credo obligari filios conſilium à parentibus requirere, utpotè nullius fructus, & quod parentibus gravioris offenſionis occaſionem præbere poteſt, ideóque prædicti Doctores conſultò dicunt hanc filiis obligationem ineſſe conſilium à parentibus requirendi, cùm nulla in contrarium rationabilis cauſa exiſtit.

12. Quarta difficultas, Qualiter poſſint parentes filium, aut filiam contra ſuam voluntatem nubentem exhæredare, dotémque negare? Licèt aliqui exiſtiment jure communi, & regni Caſtellæ filiam indigno nubentem invitis parentibus exhæredari ab eis poſſe, ut conſtat ex his, quæ adducit Gutierr. *lib.* 2. *pract. q.* 1. & 5. Sanch. *lib.* 4. *de matr. diſp.* 24. & 25. At oppoſitum probabilius eſt, niſi puella quæ vigintiquinque annos nondum attigerit, & luxurioſam vitam degat relicto matrimonio à parentibus propoſito, ut expreſsè traditur Authent. *ut cùm de appellat. cognoſc.* §. *aliud quoque ad finem* & *leg. regiæ* 4. 5. *tit.* 7. *part.* 6. ibi: Otroſi quando el padre qui ſieſe caſarſu fiia, ela dotaſe ſegun la riqueça que el ovieſe, e ſegun que perteneçieſe a ella ea aquel conquien la queria caſar. Si ella contra voluntad del padre dixeſe que no queria caſar, e deſpues deſto ficieſe vida de mala mujer en puteria, podet laia el padre desheredar por tal raçon. Pero ſi el padre alongaſe el caſamiento deſu fixa de manera que ella paſaſe de edad de veynte yçinco annos, ſi deſpues deſto ficieſe ella yerro, o enemiga deſu cuerpo, o ſe caſaſe contra voluntad de ſu padre, no popria el desheredarla por tal raçon.) Et licèt aliquæ leges noſtri regni videantur affirmare poſſe filiam invitis parentibus nubentem exhæredari ob hanc præcisè rationem, præcipuè cùm à parentibus matrimonium aptum, decens, & conveniens offertur, uti decidi videtur *leg.* 10. *tit.* 1. *part.* 4. ibi: (Magner que la no pueda a premiare que cumpla lo que el avia prometido puede la desheredar, &c. E eſto ſe entiende ſi deſpues deſto ſe caſare ella con otio contra la voluntad de ſu padre, o ficieſe maldad de ſu cuerpo.) Et *leg.* 11. extenditur ad filios. Verùm leges hæ per *l.* 8. *tit.* 7. *part.* 6. correctæ ſunt, ſiquidem ibi dicitur. (Mas ſi por alguna otra raçon qualquier que no fueſe de las ſobredichas en eſtas leyes des heredaſe el padre a ſu fijo, novaldria el tal desheredamiento.) Et ita tenet Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 24. Mol. Theolog. *tract.* 2. *de juſtit. diſp.* 176. *pag.* 1039.

13. Dubitant autem Doctores, & meritò, An leges hæ, & aliæ ſimiles loquentes de pœnis appoſitis contrahenti matrimonium contra rationabilem voluntatem parentum. Jure Canonico ſint abrogatæ. Affirmant abrogatas eſſe Panormit. aliiſque relatis Covar. 2. *p. de matr. cap.* 3. §. 8. *num.* 5. Cujac. 3. *obſervat. cap.* 6. Azor. 1. *p. lib.* 5. *inſtit. cap.* 25. *pag.* 473. Sanch. *lib.* 4. *diſp.* 25. *num.* 2. Vaſquez *diſp.* 4. *de matr. cap.* 2. *num.* 24. Gaſpar Hurtado. *diſp.* 6. *difficult.* 9. *num.* 35. Moventur, quia jus Canonicum ſummam libertatem in matrimonio contrahendo requirit; ideóque pœnam ſponſalibus appoſitam annullat *cap. gemma, deſponſal.* Exhæredatio autem graviſſima pœna eſt libertati matrimonii maximè obſtans. Præterea condere leges circa matrimonium, & de illarum obſervatione judicium ferre poteſtatis Eccleſiaſticæ eſt, non civilis. *cap. tuam de Ordine cognit.* & *capite cauſam el* 2. *Qui filij ſint legitimi. capit. de ſponſalibus.*

14. Verùm contraria ſententia mihi probabilior eſt, quàm defendunt Julius Clarus *pract. q.* 82. *num.* 12. Sotus *in* 4. *d.* 29. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 4. Ant. Gomez. *ad leg.* 49. *Tauri, num.* 2. Molina Jeſuita. *tract.* 2. *de juſtit. diſp.* 176. *num.* 24. *pag.* 1043. Ferdinand. Rebell. *de matr. quæ.* 14. *ſect.* 3. Petr. Gregor. *lib.* 1. *ſyntagm. cap.* 3. *n.* 21. Baſil. Ponce, *lib.* 2. *de matrim. cap.* 1. *numero* 29. & alij plures ab eiſdem relati. Moveor, quia appoſitio pœnæ filiæ nubenti contra voluntatem parentis rationabilem, maximè ſi nubat indigno, & luxurioſam vitam degat, non eſt cauſas matrimoniales judicare, neque matrimonii contractum impedire, ſed bono filiorum providere, & conjugij abuſus impedire, inimicitias, odia, & diſſenſiones vitare, quæ regulariter ex matrimonio contra voluntatem parentum inito oriri ſolent. Adde hanc exhæredationem non pœnam, ſed præmij negationem eſſe judicandam, quippe filiis jure naturæ ſolùm debentur alimenta, quæ illis ad vitam neceſſaria fuerint: hæreditas autem, & ſucceſſio jure poſitivo eſt introducta. Meritò ergo jus ipſum poſitivum prædictam ſucceſſionem denegare poteſt filiis voluntati parentum juſtæ in re tam gravi contradicentibus, ſicuti ſolent majoratus denegari iis qui nuptias contrahunt.

15. Hinc contraria ratio ſoluta manet, nam eſto exhæredatio pœna ſit, non tamen eſt conſtituta ad impediendum matrimonium, ſed ad impediendum illius abuſum.

abusum. Neque Textus *in cap. gemma, de sponsal.* Nobis adversatur, ibi enim prohibetur pœna conventionalis apposita recedentibus à matrimonio utcunque contracto, ex qua prohibitione non licèt inferre prohibitam esse pœnam appositam nubentibus contra justam voluntatem parentum, quia hæc appositio pœnæ nullum matrimonio præjudicium affert, sed potiùs ejus finem promovet, & contrahentium bono, Reipublicæque paci consulit.

16. Causæ autem justæ, ut filia à parentibus exhæredari possit, sufficiunt ut ei alimenta denegentur, præter ea quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria, ut rectè docuit Molina Jesuita *disp.* 168. *in fine, & disp.* 176. *n.* 20. *pag.* 1050. Quinimo inquit Molina Jurista, *lib* 2. *de primogen. cap.* 16. *num.* 3. Et probabile reputat Sanch. *lib.* 4. *disp.* 26. *num* 1. Licitum esse prædictæ filiæ alimenta denegare. Sed rectius Covarruv. 4. *decret.* 2. *p.* c. 8. §. 6. *n.* 17. Sanch. *lib.* 4. *de matr. disp.* 26. *n.* 1. Molin. Theolog. *supra.* Gutierr. *de matr. cap.* 79. *num.* 4. contrarium firmant, eo quòd alimenta jure naturæ debita sunt quæ denegari non debent ob id quod licitè filii præstare possunt.

17. Filiæ vero minori 25. annis nubenti absque patris consensu, & sine promissione dotis non tenetur pater dotem constituere, etsi digno nubat, si aliunde habeat bona, quibus sustentari possit, uti probabilius defendit Covarruv. 2. *p. decret. c.* 3. §. 8. *num.* 8. Sanch. *disp.* 26. *num.* 17. Colligiturque *ex leg.* 8. *tit.* 1. *part.* 4. Eo quòd reverentiam debitam patri non habuit. Sed contrarium satis probabile est, siquidem dos non solum ad vitæ sustentationem conceditur, sed ut oneta matrimonii portari possint faciliùs juxta Textum *in cap. salubriter de usuris.* At pater tenetur dotare filiam, etiamsi aliunde habeat alimenta, & dotem non promiserit, ut docet Glossa *in cap. de raptoribus, in fine* 36. *q.* 1. Et decidi videtur *leg.* 8. *tit.* 11. *part.* 4. Ibi: (El padre quando casa sufija en su poder, quier aya ella algo de suyo o de otra parte o non, tenudo es el padre de la casar, e de la dotar.) Ergo ipsa nubens digno rectè negotium patris gessit, fecit enim quod ipse pater facere tenebatur. Non ergo conqueri potest de matrimonio contracto à filia absque ejus consensu, & consequenter nec pœnam privationis dotis luere debet.

18. Verum si filia major sit 25. annorum, etiamsi indigno absque patris consensu nubat, tenetur pater eam dotare, quia ipsi patri tribuendum est quòd indigno nupserit, cum tam longo tempore matrimonium distulerit; favetque lex regia 5. *tit.* 7. *part.* 6. Et tradit aliis relatis Sanch. *dicta disp.* 26. *num* 1. Quod censerem limitandum, ut solum concederetur dos necessaria ad vitæ sustentationem tam ipsius, quàm viri, quia licèt culpam mortalem in contrahendo matrimonio cum indigno non commiserit, at commisit civilem, & politicam gravi nota parentem, & familiam afficiens, ob quam causam meritò potest privari alimentis, & dote, quæ nec promissa est, nec jure naturæ debetur, ut bene judicat Sanch. *num.* 18. *in fine.* Vide Covarruv. & Gutierr. & Molinam *loc. alleg.*

PUNCTUM XIII.

De matrimonio clandestino.

§. I.

Quid sit matrimonium legibus Civilibus, Ecclesiasticisque punitum.

1 *Duplex est species matrimonii clandestini.*
2 *Quæ sit differentia inter has species?*
3 *Matrimonium omissis denunciationibus culpabiliter celebratum pœnis clandestini matrimonii afficitur.*

1. ETsi aliqui Canonistæ plures species matrimonii clandestini enumerent, verior sententia affirmat solam duplicem speciem legibus civilibus, Ecclesiasticisque punitam enumerandam esse, nempe si matrimonium fiat sine Parocho, vel testibus, vel si fiat omissis denunciationibus, ut benè comprobant Sotus *in* 4. *d.* 28. *q.* 1. *art.* 1. *paulò post princ.* Salzedo *in pract. crimin. c.* 73. *in princ.* Sanch. *lib.* 3. *disp.* 1. *n.* 3. Gutierr. *lib.* 2. *pract. q.* 4. *num.* 13. *& de matr. cap* 55. *num.* 1. Conich. *disp.* 27. *in princ.* Neque ab hac clandestinitate excusatur matrimonium publicè celebratum, si ei Parochi, vel testium præsentia, denuntiationumve præmissio desit, quippe est factum omissis à jure requisitis quod sufficit, ut clàm factum esse dicatur juxta doctrinam Bart. *in leg. fin. in princ. vers. qualit. ff. de ritu nuptiar.* Et tradit Glossa *cap. fin. verbo, clandestina, de clandestina desponsat.* fit *cap.* 2. *verbo publicè. Qui filii sint legitimi.* Et docuit Gutierr. *lib.* 2. *pract. q.* 4. *sub num.* 3. *& de matr. cap.* 55. *num.* 7.

2. Inter has species clandestini matrimonii duplex est differentia; *Prima*, & præcipua, quod matrimonium sine Parocho, vel testibus contractum illis in locis, in quibus Trident. Concilium publicatum est nullum est, & irritum; secùs verò contractum omissis denunciationibus. *Secunda* differentia est, quod pœnæ impositæ tum in *leg* 49. *Tauri exhæredationis*, quæ est lex 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *recopil.* Tum in aliis antiquis Textibus *tit. de clandestina desponsat.* Locum non habeant comparatione matrimonii clandestini, quod nullum est, quia spectabant matrimonium clandestinum, quod verum matrimonium esset, non verò matrimonium quod nullum est, nullamque obligationem parit, ut rectè considerarunt Did. Perez *l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *ord.* §. *item solent.* Palaçios Rubios *leg.* 49. *Tauri*, *n.* 3. *& 4. & ibi* Castillo *n.* 17. Matienzo *leg.* 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *recopil. gloss.* 7. *in fine. Et ibi* Azeved *n.* 46. Molina Jesuita *t.* 1. *tract.* 2. *disp.* 179. §. *observ.* Sanchez *lib.* 3. *disp.* 2. *num.* 5. Gutierr. *lib.* 2. *pract. q.* 4. *à num.* 1. *& de matr. c.* 55. *num.* 3. Adversus Gratian. *reg.* 83. *num.* 11. *& reg.* 194. *num.* 9. Zevallos *in pract. qq. q.* 5. *num.* 13.

3. Matrimonium verò præsente Parocho & testibus celebratum omissis culpabiliter denunciationibus, quia ex communi sententia clandestinum est, pœnas omnes contrahit, quæ matrimonio clandestino jure antiquo impositæ erant, ut colligitur *ex cap. fin.* §. *si quis verò de clandest. desponsat.* Ibi enim matrimonium clandestinum appellatur, cui monitiones non præmittuntur. Neque à Concilio Trident. hac in parte aliquid mutatum est, quin potius confirmatum *cap.* 1. *& 5. sess.* 24. *de reformat. matr.* Illis verbis: *Et Lateranens. Concilii vestigiis inhærendo.* Et tradit aliis relatis Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 1. *num.* 7. Gutierr. *lib.* 2. *pract. quæst.* 4. *n.* 8. *& de matr. cap.* 55. *num.* 5. Quapropter filii nati ex prædicto matrimonio illegitimi censendi sunt ex Textu *in cap. cùm inhibitio*, §. *si quis verò, de clandest. desponsat.* sicuti pluribus relatis docet Zevall. *in suis qq. pract. q.* 697. *num.* 4. Sanch. *lib.* 3. *disput.* 1. *num.* 12. Gutierr. *cap.* 55. *de matrimon. num.* 8. Sed vide quæ diximus 2. *part. tract.* 13. *de benefic. disp.* 4. *punct.* 1. §. 1. *& seq.* & quæ sunt dicenda §. *ult. hujus Punct.* Ubi de pœnis clandestini matrimonii.

Dixi *omissis culpabiliter denunciationibus*, quippe si ex dispensatione Episcopi, vel aliàs ob causam urgentem omittantur, matrimonium clandestinum censendum non est, nec clandestini matrimonii pœnis afficiendum, ut benè advertit Sanch. *lib.* 3. *disp.* 1. *num.* 3. Gutierr. *de matr. cap.* 55. *num.* 4.

§. II.

Qualiter potuerit Eccleſia matrimonia abſque Parocho, & teſtibus celebrata irritare?

1 *Matrimonia abſque Parocho, & teſtibus celebrata valida fuiſſe, & eſſe illis in locis, in quibus* Concil. *non eſt receptum.*
2 Concil. Trident. *irrita fecit.*
3 *Qualiter hac poteſtate irritandi matrimonium gaudeat* Concil.
4 *Satisfit objectionibus, quæ proponi poſſunt.*

1. CErtum de fide eſt ante Trident. prædicta matrimonia valida fuiſſe, eſſeque in præſenti illis in locis, quibus Concil. Trident. publicatum non eſt, colligitur apertè ex Alexand. 3. *cap. 2. de clandeſtin. deſponſat.* Et ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.* Culpa tamen lethalis ex præcepto Eccleſiæ erat ſic contrahere, ſicuti denotat Trident. *loc. alleg.* dicens: *Eccleſ. ſemper hæc matrimonia deteſtata eſt.* Dixi *ex præcepto Eccleſiæ*, jure namque naturæ verius eſt contractum clandeſtinum prohibitum non eſſe, ut indicavit D. Thom. *in 4. d. 28. art. 2. ad 3.* Sotus *ibi*, *quæſt. 1. art. 2. Concl. 1.* Et Caïet. *t. 1. opuſcul. tract. 12. de matr. quæſt. 2.* Coninch. *diſp. 27. dub. 1. num. 4. concl. 1.* Licet enim ex prædicto contractu plura inconvenientia regulariter oriantur, id tamen non eſt ratione ipſius contractus, ſed ex pravo hominum affectu, & malitia, quod non eſt ſufficiens, ut ipſe contractus in ſe malus reddatur, ſicuti excludo, & ex portatione armorum nocturna plura ſolent damna accidere, non tamen inde fit ſecluſa lege poſitiva eſſe peccatum ludere, aut arma noctu portare, maximè ſi bonus aſſiſtat finis. Quare infideles clam contrahentes non peccant mortaliter, ſi ex tali contractu nullum grave damnum timeatur, ut benè Sotus *ſuprà*, *concl. 1.* Petrus de Ledeſma *d. 45. art. 5. pag. 171.* Caïetano & Coninch. *locis alleg.*

2. Hæc igitur matrimonia clandeſtina Trident. Concilium irrita fecit non abſolutè, ſed illis in locis, quibus ipſum Concilium publicatum eſt poſt menſem à die publicationis, ut conſtat ex *ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformat.* Ibi: *Qui aliter quàm præſente Parocho vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia & duobus. vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos in præſenti decreto irritos facit, & annullat.* Et in fine inquit. *Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.* Ex quibus verbis conſtat duplici ex capite Eccleſiam hæc matrimonia clandeſtina irrita feciſſe, primò directè, annullando ipſum contractum, ſecundò indirectè inhabilitando perſonas.

3. Quod autem Eccleſia hac gaudeat poteſtate convincitur hac ratione. Reſpublica civilis nulla alia de cauſa irritare ſubditorum contractus poteſt, niſi quia ei ſubduntur in ordine ad commune bonum, politicamque gubernationem, ideoque impedivit, ne minores abſque authoritate tutorum dominium ſuorum bonorum in alios transferre poſſent, neve majoratu gaudentes illum alienarent. Sed Eccleſia poteſtatem habet ſuper fideles, ut eos regere, & gubernare poſſit, prout ipſis, communique bono expedire judicaverit, poterit ergo in ordine ad hujuſmodi finem contractus aliàs validos, & legitimos irritos, & nullos facere, uti fecit irritam commutationem ſymoniacam béneficiorum, *cap. olim. & capite quæſitum de rerum permutat.* & profeſſionem in religionem emiſſam ante decimum ſextum annum, & novitiatum expletum, ut habetur in Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 16.* Simili modo probatur habere Eccleſiam poteſtatem reddendi perſonas inhabiles ad ſic contrahendum. Cùm Reſpublica ob poteſtatem quam erga ſubditos habet reddere poſſet aliquos inhabiles ad contractus, ut patet in muliere, quæ non poteſt abſque licentia viri, & in minoribus, & prodigis, qui nequeunt abſque authoritate tutorum celebrare contractus, ſuntque inhabiles ad ſic contrahendum. Quid mirum ſi Eccleſia ſuos ſubditos inhabiles reddiderit ad matrimonia clandeſtina contrahenda, præcipuè cùm notum omnibus ſit conſanguineos ex conſtitutione Eccleſiæ redditos eſſe inhabiles ad contrahendum inter ſe abſque diſpenſatione, *toto tit. de cognat. ſpirit. Et tit. de conſang. & affinit.*

4. Neque his obeſt quòd matrimonium non tantùm ſit contractus, ſed etiam ſit Sacramentum, & Eccleſia ſubſtantiam Sacramentorum mutare non poſſit, ut deciſum eſt in Conc. Trid. *ſeſſ. 21. cap. 2.* Non enim poteſt Eccleſia facere ut panis, & vinum materia Euchariſtiæ non ſit. At contractus celebratus inter virum, & fœminam abſque Parochi, & teſtium præſentia materia & forma fuit Sacramenti matrimonii, ergo Eccleſia non videtur potuiſſe prædictam ſufficientiam derogare. Non inquam obeſt, fateor namque non potuiſſe Eccleſiam mutare materiam, & formam propriam, & formalem Sacramentorum: contractus clandeſtinus abſque Parochi, & teſtium præſentia non fuit materia, & forma Sacramenti matrimonii, niſi ex ſuppoſitione quòd eſſet contractus legitimus, & à legitimis, & habilibus perſonis ad ſic contrahendum celebratus. Cùm ergo potuerit Eccleſia prædictum contractum illegitimum reddere, & perſonas ad ſic contrahendum inabiles conſtituere, potuit materiam Sacramenti matrimonii non proximam, & formalem, ſed remotam mutare. Sicuti ſi poſſet Eccleſia efficere, ut hic panis jam non eſſet panis, & hæc vox *Corpus* non ſignificaret corpus conſequenter efficere poſſet indirectè, & remotè, ut id quòd erat materia Sacramenti jam non eſſet, non quidem per mutationem materiæ, ſed per illius fundamentalem deſtructionem.

Neque item obeſt, quod præſentia Parochi, & teſtium ad ſolemnitatem contractus videatur requiſita non ad illius eſſentiam, ſicuti plures conditiones requiruntur in teſtamentis, & in alienatione rerum Eccleſiæ. Non inquam obeſt: nam eſto ad ſolemnitatem contractus matrimonii requiratur præſentia Parochi, & teſtium; requiritur tamen ad ſolemnitatem non extrinſecam, ſed intrinſecam, & eſſentialem ipſius contractus, & ſine qua contractus validus eſſe nequit. Secùs verò contingit in aliorum contractuum ſolemnitatibus, quæ non tam pro foro interno, quàm externo exiguntur, ideoque etſi validi ſint in foro interno, ſolvi in externo poſſunt: at matrimonium ſemel in foro conſcientiæ validum, nequit in exteriori foro ſolvi.

§. III.

Qualiter denuntiationes matrimonio contrahendo præmittendæ ſint?

1 *Proponitur decretum* Trident.
2 *Ter contrahentes denunciandi ſunt in propria Parochia.*
3 *Item tribus diebus continuis, vel feſtivis ſunt denunciandi.*
4 *Sub qua culpa prædicta obligent.*
5 *Aliquando abſque culpa poſſunt contrahentes propria authoritate omiſſis denunciationibus contrahere.*

1. TRident. Conc. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. matrimonii*, veſtigiis ſacri Concilii Lateranen. inhærens præcipit, ut in poſterum antequam matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium Parocho

tribus

tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum, quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrandum matrimonium in facie Ecclesiæ procedatur.

2. Ex quo Textu constat ter contrahentes denunciandos esse in propria Parochia. Unde si contrahentes ad diversas Parochias pertineant, in utraque parochia denunciandi sunt, aliàs non esset contrahens in propria Parochia denunciatus, neque fini Concilii satisfactum, qui est, ut impedimentum si fortè adsit detegatur, quod rectè non præstaretur, si tantùm in aliena Parochia ubi quis ignotus est publicaretur, ut rectè advertit *ex declar. Cardinalium* Segura *2.part. direct. judic. cap.16. num.19.* Henriq. *lib.11. de matr. cap.7. num.2.* Petr. Ledesm. *tract. de matr. quæst.45. art.5. punct.3. & in sum. 1.part. de Sacram. matrimonii cap.6. concl.7. vers. a sede advert.* Zerola *prax. Episc. 1.part. verbo Matrimonium, §.3.* Sanch. *lib.3. disp.6. num.4.* Rebell. *lib.1. de matr. quæst.7. num.19.* Reginald. *prax. lib.31.n 225.* Coninch. *de Sacram. t.2. disp.27. num.46. dub.5.* Gutierr. *de matr. cap.56. num.5.* Gaspar Hurtado *disp.5 de matr. diffic.18. num.61.* Excipe tamen nisi in aliquo loco contrarium esset consuetudine receptum, quod mihi est ignotum, tametsi de aliquibus testetur Layman. *lib.5. tract.10. de matr. 2.part. cap.4. num.9.*

3. Secundò constat tribus diebus continuis, & festivis denunciandos esse: continuis, inquam, qui sibi non succedunt immediatè, aptiùs enim detegetur impedimentum, si inter unam, & aliam denunciationem tempus aliquod etsi breve intercedat, uti benè docuit Ægid. Coninch. *disp.27. num.47. dub.5.* Petr. Zevedo *collect. ad decret 5. num.58. num.11.* Sanch. *disput.6. num.8.* Gutierr. *cap.56. num.6.* Hurtado *difficult.18. num.60.*

Tertiò constat debere fieri in Ecclesia inter Missarum solemnia à Parocho; vel alio ex Parochi licentia, tum ob decentiam, & majorem matrimonii Sacramenti reverentiam. Tum quia regulariter omnes Parochiani ibi assistunt, qui impedimentum (si est) denunciare possunt.

4. Sed an prædicta omnia sub gravi culpa observanda sint; non conveniunt Doctores. Quippè omissionem unius tantùm denunciationis ante vel post, ante consummationem matrimonii, quando non præsumitur impedimentum, censent aliqui graves Doctores levem esse materiam, neque excedere venialem culpam, ut videre est in Petro de Ledesm. *tract. de matr. quæst.45. art.5. punct.3. dub.1. concl.3.* Sanch. *l.3. disp.5. num 7.* Rebell. *lib 2. quæst.7. num.10.* Gaspar Hurtado *difficult.18. num.59.* At ut benè Ægid. Coninch. *disp.27. dub.3. conclus.3.* Absque gravi causa hæc doctrina admitti facilè non debet. Deinde si uno, vel altero die festo etiam non immediato denuntiationes intermittantur, vel econtrà si ita continuè, & successivè denunciationes fiant, ut nullius diei sit intermissio, non videtur gravis materia ad peccatum mortale sufficiens, sicuti docet Sanch. & alii nuper relati. Quinimo à mortali excusandum est, si tribus diebus etiam non festivis, sed feriatis stante magno populi concursu proclamationes fierent, uti docuit Sanch. *lib.3. disp.6. num.9.* Reginald. *lib.31. num.227.* Gutierr. *tract. de matr. cap.56. num.8.* Hurtado *dicta difficult.18.* Laym. *tract.10. de matr. 2.part. cap.4. num.10.* Qui id ipsum docent, esto proclamationes fierent extra Ecclesiam in locis competentibus, ut in prædicationibus magna populi copia confluente, eo quòd fini Concilii qui est, ut matrimonium contrahentium ad multorum notitiam perveniat fiat satis, si diebus feriatis, vel in loco publico, ubi ingens populi concursus adest publicentur.

5. Quod si contingat casus, in quo matrimonium statim contrahi bono communi, vel speciali contrahentium expediat maximè, neque sit recursus ad Ordinarium, qui in prædictis denunciationibus dispenset, poterunt contrahentes absque ulla culpa matrimonium contrahere coram Parocho, & testibus, Parochusque, & testes adesse poterunt quia leges Ecclesiasticæ non censentur eo rigore obligare, ut benè docent Sotus *in 4. d.28. q.1. art.2. conclus.3. §. ex his.* Ludovic. Lopez *1.p. instruct. cap.39. § ex prædictis.* Coninch. *disp.27. de matr. dub.5. num.52.* Sanch. *aliis relatis, lib.3. disp.10. num.27.* Paul. Layman. *tract 10. 2.part. cap.4. num.10.* Indicat Gutierr. *cap.57. de matr. num.6.*

§. IV.

Qui possint in denuntiationibus dispensare & quæ sit causa legitima dispensationis?

1 *Ordinarius potestatem habet in denunciationibus dispensandi*
2 *Vicarius Episcopi hanc potestatem habet ex vi vicariatus, etsi alii negent.*
3 *Parocho non est datum in his denunciationibus dispensare.*
4 *Potestas dispensandi in his denunciationibus delegari potest.*
5 *Nequit Ordinarius dispensare absque causæ cognitione.*
6 *Non est opus judicialis cognitio.*
7 *Quæ sint causæ justæ ad dispensandum?*
8 *Proponuntur singillatim causæ dispensationis.*
9 *Quid Ordinarius observare debeat, antequam dispenset.*

1. CONcil. Trident. *sess.24. cap.1.* Hanc potestatem concedit Ordinario, ibi: *Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut denunciationes omittantur.* Nomine Ordinarii non solùm Episcopus, ut de se constat, sed Abbates, Priores, aliique plures jurisdictionem quasi Episcopalem habentes intelliguntur, ut benè tradunt Navarr. sub *tit. de sponsalib. in 1.edit. cons.5.* & sub *tit. de clandestinata desponsat. in 2.edit. cons.2.* Henriquez *libro undecimo, capite quinto, numero quinto.* Rodriguez *1.t. sum. capite 217. numero quarto, in 3.edit.* Sanchez *disputatione 7. numero 4.* Quocirca Magister Scholæ Salmanticensis poterit in his denunciationibus dispensare cum Scholasticis, qui in matricula descripti sunt, ut docuerunt Rodriguez & Sanchez *suprà.* Et Gutierr. *de matrimon. capite 56. numero 9.* Idem testatur de Commendatario perpetuo ob jurisdictionem quam habet Navarr. *dicto cons.2. de clandestina desponsat.* Gonzalez *ad reg.8. Cancell. gloss.5. Paragrapho octavo, num.28.*

2. Vicario Episcopi ex vi Vicariatus absque speciali delegatione hanc potestatem denegant Henriq. *lib.11. de matr. cap.5.* Basil. Ponce *lib.5. cap.3.* Anton. Gomez *in explicat. cruciat. cap.4. quæst.4.* Menoch. *cons.69. num.55. volum.1. & lib.2. de arbitr. casu 453. n.5.* Cephalus *cons.421. a num.72. volum.3.* Pazin. *suæ pract. 2.t. præludio 3. in fin.* Spino *in speculo testam. gloss.15. num 29.* Sed rectiùs eam illis concedunt Sanch. *lib.3. disp 7. num.10.* Ægid Coninch. *disp.27. dub.6. n.55.* Riccius *in prax. decis.259.* Gaspar Hurtado *disp.5. diffic.19. num.63.* Zevallos *in suis pract. qq quæst.604.n.91. ad finem.* Gutierr. *cap.56. num.11.* Quia Vicarius Episcopi est Ordinarius, quippè idem cum Episcopo tribunal constituit.

3. Parochum autem stante suspicione malitiosi impedimenti posse in denunciationibus dispensare docuerunt Veracruz *in appendic. ad speculum. dub.1.* Candelab. aureum *1.part de matr. num.243.* Petr. de Ledesm. *de matr. quæst.45. art.5. circa 3.punct. dub.1.* Eo quòd Conc. Trident. Parocho commisisse videatur. Nam postquam Concilium dixit Parochum debere contrahentes conjungere nullo oppositio legitimo impedimento, subdit. Quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio

picio matrimonium malitiosè impediri poſſe, ſi tot præceſſerunt denuntiationes, tunc vel una tantùm denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Cùm ergo nullam Ordinarii mentionem fecerit Concilium, videtur negotium hoc Parocho remittere. Contrarium tamen omnino tenendum eſt, non poſſe Parochum in his denuntiationibus diſpenſare, quia ante Trident. omnes fatentur non poſſe. Tridentinum verò decreta Lateranenſis Concilii non mutavit, ſed potiùs illis inhærens deciſionem conſtituit. Neque verba relata contrarium indicant; ſupponunt namque denuntiationum diſpenſationem factam eſſe ab Ordinario, cujus judicio ipſum Concilium negotium paulò inferiùs remittat, ibi, *Niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut denunciationes remittantur, vel urgere caſum matrimonii contrahendi, & diſpenſationem obtineri non poſſe*, juxta ea quæ diximus §. *præcedenti in fine*. Atque ita ex declaratione Cardinalium docuit Henriquez *lib.*11.*cap.*5.*n.*5. Menoch. *volum. conſil. conſ.*6. *num.*61. Sanchez *lib.*3. *diſp.*7. *num.*7. Gutierr. *lib.*1. *canon. quæſt. cap.*19. *n.*6. *Et de matrim. cap.*56. *num.*1. Coninch. *diſp.*27. *dub.*5. *in fine num.*53. Paul. Layman. *tract.*10. *de matr.* 2. *part. cap.*4. *num.*10.

4. An autem poſſit Epiſcopus, aliique Prælati juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes poteſtatem diſpenſandi in his denunciationibus delegare? Negant Menoch. *dicto conſ.*69. *à num.*55. *volum.*1. Eo quòd videatur electa induſtria perſonæ, ſiquidem ejus judicio, & prudentiæ Concilium hanc diſpenſationem remittit: at quoties ad aliquod munus induſtria perſonæ eligitur, nequit id munus delegari: *cap fin.* §. *is autem, de offic. de leg.* Item negotium hoc utpote tangens cauſam matrimonialem videtur eſſe arduum, ergo cenſetur ad illud induſtria perſonæ eligi, ut pluribus comprobat Menoch. *de arbitr. lib.*1. *q.*54. *num.*11. & *q.*68. *num.*15. Et colligitur *ex cap. is cui, de offic. deleg. lib.*6. Sed rectiùs firmant contrarium Spino *de teſtament. gloſſa* 15. *num.*29. Sanchez *lib.*3. *diſp.*7. *num.*20. Zevallos *in ſuis qq. pract. quæſt.*604. *num.*93. & 99. Gutierr. *de matr. cap.*56. *num.*13. Reginald. *lib.*31. *num.*235. *in princ.* Ægid. Coninch. *diſp.*27. *num.*55. *concl.*3. Quippè hæc poteſtas non Ordinariis, quatenus perſonæ ſingulares ſunt, ſed quatenus juriſdictione ordinaria gaudent, conceditur, ac proinde delegari poteſt. Non enim cenſetur electa induſtria perſonæ ex eo quòd negotium arduum ſit, ejuſque prudentiæ commiſſum, ſi delegatio perſonæ incognitæ, & indeterminatæ fiat, ſicuti contingit in præſenti, fit enim omnibus Ordinariis tam præſentibus quàm futuris. Adde ipſum etiam Vicarium generalem Epiſcopi poſſe hanc poteſtatem delegare, nam eſto non poſſit alium Vicarium conſtituere, *cap. clericos de officio Vicarii*; at poteſt unam, vel alteram cauſam delegare, ut docet Gloſſa *cap.*1. *de officio Vicar. in* 6. *verbo, ipſius*. Et tradit Sanch. *dicto lib.*3. *diſp.*7. *n.*21. Gutierr. *de matrim. c.*56. *n.*13. Coninch. *diſp.*27. *dub.*6. *n.*55.

5. Hanc autem diſpenſationem nequit Ordinarius facere abſque juſtæ cauſæ cognitione, committitur enim à Concilio illius prudentiæ, & judicio. Quæ verba arbitrium prudentiale, & ratione regulatum important, ut benè Menoch. *de arbitrar. lib.*1. *quæſt.*8. *num.*26. Quod nequit conſiſtere abſque juſtæ cauſæ cognitione. Atque ita tenet idem Menoch. *conſ.*69. *n.*62. Salcedo *pract. cap.*37. §. *diſpendet*. Zevall. *pract. quæſt. commun. contra commun. quæſt.*604. *n.*103. Sanchez *lib.*3. *diſp.*8. *num.*1. Gutierr. *lib.*1. *canon. qq. cap.*19. *num.*4. & *de matr. cap.*57. *num.*1. Et alii plures ab eiſdem relati. Quocirca ſi abſque ulla cauſa Ordinarius omnes denunciationes omittendas permitteret, credo mortaliter peccaturum, quia poteſtate ſibi conceſſa abutitur, ut benè Sanch. *dicta diſp.*8. *num.*2. Neque ejus doctrinæ adverſatur (quidquid dicat Gutierr. *d. cap.*57. *n.*1.) quod aliquando permittitur Parocho abſque gravi culpa aſſiſtere matrimonio, cui una denunciatio omiſſa eſt' & proceribus conceditur nulla præmiſſa denunciatione matrimonium celebrare, quia omiſſio unius denunciationis levis materia cenſetur, dignitas verò Procerum cauſam indulgentiæ præſtat.

6. Prædictæ juſtæ cauſæ cognitio aliquibus Doctoribus videtur judicialis futura, eo quòd non ſolum pro conſcientiæ foro, ſed etiam pro foro externo deſerviat, ſic docuerunt Henriq. *lib.*11. *c.*5. Et Segura Davalos *direct. judic.* 2. *p. c.*16. *n.*17. Sed oppoſitum ut probabilius defendunt Zevallos *in ſuis qq. pract. quæſt.*604. *num.*104. Sanch. *lib.*3. *diſp.*8. *num.*4. Gutierr. *de matr. cap.*57. *num* 2. *Et lib.*1. *canon. qq. cap.*19. *num.*12. Quia Concilium arbitrio Ordinarii remittit, quod ſufficienter ratione regulari poteſt, ſi ex teſtibus etiam non juratis agnoſcant adeſſe cauſam remittendi denunciationes. Neque hinc fit nullam eſſe differentiam inter hanc diſpenſationem, & eam quæ datur pro conſcientiæ foro: eſt enim lata differentia, quippè diſpenſatio pro conſcientiæ foro ex ſola relatione petentis, & affirmantis cauſam eſſe legitimam conceditur; ſecus verò hæc diſpenſatio, quæ aliunde, quàm ex contrahentibus conſtare Ordinario debet cauſam diſpenſandi juſtam ſubeſſe.

7. Quæ ſint cauſæ juſtæ ad diſpenſandum tradunt Doctores, ut videre eſt in Sylveſt. *verbo Matrimonium* 6. *quæſt.*7. Zerola *in praxi* 1 *part. verbo Matrimonium*, §.9. Ludovic. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.*87. Stephan. Gratian. *diceptat. forenſ. cap.* 83. *num.*15. Henriquez *lib.*11. *cap.*16. Sanchez *lib.*3. *diſp.*9. Reginald. *lib.*31. *n.*214. Coninch. *diſp.*27. *dub.*6. *n.*57. *concl.*5. Gutierr. *de matrim. cap* 57. *à num.*3. Paul. Layman. *lib.*5. *tract.*10. 2. *part. cap.*4 *num.*11. Baſil. Ponce *lib.*5. *cap.*32. & aliis. Nam licèt Concilium ſolum timorem malitioſi impedimenti ut cauſam juſtam deſignaverit, quia tamen arbitrio Epiſcopi reliquit hanc diſpenſationem, poteſt Epiſcopus aliis ex cauſis utpotè juſtis, & legitimis diſpenſationem concedere. Adverto tamen aliquando cauſam adeſſe juſtam, ut denunciationes ad matrimonii contractum omnino omittantur, aliquando vero ut ſolum poſtponantur contractui, permittanturque conſummationi.

8. Prædicti Doctores plures ſpecialiter cauſas deſignant, prima eſt, quam tradit Concilium, timor malitioſi impedimenti, id eſt quando iniquè, & contra rationem timetur matrimonium impediendum eſſe, hæc eſt ſufficiens, ut poſtponantur denuntiationes. Secunda cauſa, ut omnino omittantur, eſt infamia, qualiter contingit, ſi diu exiſtimati conjuges publicentur, ut benè teſtatur Gutier. *de jur. confirm. c.*51 *n.*12. Steph. Gratian. *diſcept. forenſ. c.*83. *n.*27. Coninch. *diſp.*27. *dub.*6. *n.*56. Valer. Reginal. *lib.*31. *n.*235. Tertia eſt diſparitas conditionis, ætatis, divitiarum, & qualitatis, uti docent Navarr. *c.*22. *n.*70. Salzedo *pract. c.*73. *ad fin.* Spino *de teſt. gloſſ.*15. *n.*18. Sanch. *diſp.*9. *n.*3, Steph Gratian. *diſcept. forenſ c.*83. *n.*25. Eo quòd paſſim in circulis de eorum facto ſermo habetur, quod pudorem ingerit, quæ cauſa regulariter eſt ſufficiens ad omnimodam denunciationum omiſſionem. Quarta & ſufficiens ad integram diſpenſationem, eſt periculum animæ ſive proprium, ſive alienum, quale cenſetur eſſe timor gravis ſcandali, quod inito ſtatim matrimonio vitiari poteſt, vel ſi contrahentes pravo ſe amore fuerint proſecuti, timeaturque in eo forte perſeveraturos, niſi matrimonium nulla dilatione facta contrahatur. Et idem eſt de meretrice in lupanari expoſita, oportet enim permittere, ut matrimonium ſtatim contrahatur, tum ut à malo ſtatu deſiſtat, tum ne ipſa, vel ſponſus voluntatem contrahendi mutent. Sic Sanch. *diſp.*9. *n.*17. aliique Doctores *ſuperiùs* relati. Quinta ſufficiens ad poſtponendas denunciationes, eſt legitimatio prolis in mortis articulo, & ſecuritas decedendi in bono ſtatu, ut ex communi omnium ſententia teſtatur Covar. 2. *p. de ſponſ c.*6. *n.*11.

Sarmiento *lib.* 1. *select. c.*6.*n.*7. Henriq. *lib.* 11. *c.*5. §.5. Sanch. *disp.*9.*n.*19. Gratian. *c.*83.*n.*16. Sexta sufficiens ad omnimodam dispensationem, est periculum consummandi matrimonium ante benedictionem nuptiarum, eo quòd sit vicinum tempus, in quo benedictiones nuptiales prohibentur, ut tradit Zerola, *prax.* 1. *p. verbo, Matrimonium*, §.9. Regin. *lib.* 31.*n.*255. Sanch. *disp.*9.*n.*14. Ægid. Coninch. *disp.*27. *dub.*6.*n.*50. Septima sufficiens ad integram dispensationem denunciationum est favor in bonum Ecclesiæ cedens, qualis sæpè censetur Magnatibus factus, si ab honore publicationis eximantur, uti concedit Navarr. *cap.*16. *num.*36. Sotus *in* 4. *d.*28. *q.*1. *art.*2. *post* 3. *concluſ.* Coninch. *disp.*27. *dub.*6. *n.*57. Tandem quæcunque notabilis contrahentium commoditas sive temporalis, sive spiritualis præstat causam justam omittendi, vel saltem postponendi denunciationes, ut ex Doctoribus *suprà* relatis facilè colligitur.

Illud verò est omnino advertendum obligatum esse Ordinarium antequam dispenset ne præmittantur denunciationes investigare diligentes, tum an causa, quæ illi proponitur adsit, tum ne contrahentes sint aliquo impedimento ligati; sicuti advertit Sanch. *disp.*9.*n.*20. Coninch. *disp.*27. *dub.*6. *num.*57.

§. V.

An teneatur Ordinarius aliquâ ex supradictis causis concurrente dispensare, contrahentesque possint negata dispensatione contrahere?

1 *Non est obligatus Ordinarius dispensare, nisi quando bono communi, vel particulari contrahentium maximè expedit.*

2 *Satisfit cuidam objectioni.*

3 *Quæ causæ bono communi, vel particulari contrahentium maximè expediant?*

4 *Si Ordinarius obligatus concedere dispensationem deneget, poterunt contrahentes omissis denunciationibus contrahere.*

5 *Non potest Ordinarius pro iis dispensationibus aliquam mulctam imponere.*

6 *Aliquando denunciationes ante consummationem matrimonii debent præmitti, si anteà præmissæ non fuerint.*

7 *Probabile videtur non esse peccatum mortale consummare matrimonium non præmissis his denunciationibus si contrahentes certi sunt nullum subesse impedimentum.*

8 *Non est peccatum mortale consummare matrimonium ante benedictiones Ecclesiæ.*

9 *Quibus conjugibus hæ benedictiones concedendæ sint?*

1. ETsi plures Doctores relati à Sanch. *lib.*3. *disp.*20. *n.*2. censeant existente legitima causa dispensationis obligatum esse Ordinarium dispensare: at verius & receptius est solùm hanc obligationem inesse quoties bono communi, vel particulari contrahentium maximè expediat prædictam dispensationem concedere, uti benè docuerunt Sanch. *lib.*3. *disp.*10.*n.*6. Guttier. *lib.*1. *canon. qq.c.*20.*n.*23. *& de matr. c.*52.*n.*4. Coninch. *disp.*27. *dub.*6. *n.*57. Basil. Ponce *lib.*5. *c.*31. *post medium.* Quippè Prælatus ex officio tenetur bono communi, & speciali subditorum providere, quare si dispensationem huic bono convenientem deneget contra proprium munus graviter delinquit, poteritque à denegatione facta appellari, saltem quoad effectum devolutivum, ut rectè notavit Gutierr. *de matr. d.c.*57. *n.*5. Quòd si pensatis omnibus non graviter bono communi, vel subditorum dispensatio conducit, sed leviter tantùm censenda est gratiosa dispensatio, eo quòd hæc levis commoditas abundè compensetur observatione rigida legis communis. Probarique potest hæc doctrina duplici Textu, primò ex *c. expostulasti de cleric. excomm. ministr.* Ubi inquit Pontifex, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum. Expendo verbum *misericorditer*; quod gratiam denoat, non obligationem, tametsi causa justa dispensandi subsit, aliàs dispensatio concedi non posset, esset enim dissipatio, & abusio potestatis. Itemque *cap. at si clerici, de judiciis*, §. *de adulteriis*, libertati Episcopi relinquit dispensationem, ubi Glossa ait, dispensationem, aliquando esse debitam, aliquando gratis fieri. Econtrà verò *cap. cum ex eo, de Elect. in* 6. Ubi conceditur Episcopo, ut possit cum Clerico dispensare, ne septennio resideat ob studiorum causam; Doctores communiter asserunt esse obligationem gravem dispensandi ob bonum commune, & speciale subditi, & quia in Textu causa exprimitur. Sic Joan. Andr. Archid. & Franc. ibi.

2. Neque obest, quòd Concilium in gravissima causa malitiosi impedimenti arbitrio Ordinarii dispensationem remittat, ut inde inferatur nunquam Ordinarium obligatum esse dispensare, quia Concilium Ordinario remittit judicare, an malitioso impedimento stante expediat, vel non expediat denunciationes omittere? eo quòd alia via malitiosum impedimentum auferri possit. Non autem Ordinario concedit libertatem negandi dispensationem, eo ipso quò judicet matrimonium expedire, & malitiosum impedimentum alia via non posse tolli.

3. Quod si roges; Quæ causa ex supradictis expressis graviter, vel leviter bono communi, vel particulari contrahentium conducat? Breviter respondeo omnes causas *superius* assignatas graviter bono communi, vel speciali contrahentium conducere, exceptâ tertiâ, quia oritur ex verecundia ob disparitatem ætatis, conditionis, nobilitatis, vel divitiarum, & exceptâ septimâ de gratia, & favore Magnatibus faciendo: quippè hæ duæ causæ etsi justæ sint, non tamen ita graves, quin sæpè gravius urgeat, & Ecclesiæ convenientius sit legem hanc Ecclesiasticam de denunciationibus præmittendis observare, uti tradit Sanch. Coninch. Gutierr. Basil. & alii *suprà*.

4. Verùm, si stante justa causa, ob quam graviter bono communi vel particulari subditorum expediat dispensationem concedere, Ordinarius deneget, poterunt contrahentes omissis denunciationibus contrahere, quia leges Ecclesiasticæ non obligant cum gravi jactura, ut benè docent Navarr. *cap.*22. *num.*70. Sotus *in* 4. *d.*28. *q.*1. *art.*2. *concl.*3. Henriq. *lib.*11. *c.*5. *num.*5. *&c.* Et aliis relatis Sanchez *disp.*10. *num.*27. Gutierr. *de matr. cap.*57. *n.*6. Coninch. *disp.*27. *dub.*6. *n.*59.

5. Modus ab Ordinario observandus in hac dispensatione, liberalis esse debet, atque adeò nullam pecuniariam mulctam imponere potest, uti generaliter decisum est à Concil. Trid. *sess.*25 *c.*18. *de Reform.* Neque valet dicere gratis dispensationem concedi, tametsi præcipiatur dispensando, ut eleemosynam alicui pio loco tribuat, quia esto dispensando nihil recipiat, ut ob ejus actionem onus dispensando imponitur: non igitur gratis conceditur, sicut non concederetur gratis sacrum ei qui stipendium alteri dandum obligaretur, ideoque omnes Doctores conveniunt non posse Episcopum concedentem dimissorias ad Ordines obligare ordinandum, ut pro dimissoriis eleemosynam pio loco elargiatur, quia non esset liberalis, & gratiosa dimissoriarum concessio, ut exigit Trid. *sess.*21. *c.*1. *de Reform.* Quod si instes, cui est data potestas dispensandi, & commutandi conceditur ex *Reg. cui licet, quod plus licet, utique quod est minus, de Regul. juris in* 6. Ergo esto via dispensationis non possit dispensaturo Ordinario mulctam pecuniariam imponere, poterit via commutationis? Respondeo ex concessa facultate dispensandi in lege non infertur legem commutare posse: aliàs posset Episcopus denunciationum omissionem permittere ex eo solùm quòd in pium opus obligationem commutaret. Et ratio est, quia ad commutationem legis requiritur, ut commutans potestatem habeat imponendi legem. Cùm verò hanc non habeat inferior Pontifice, nequit legem à Pontifice latam in aliam materiam transferre. In voto autem licet ipse qui dispensat, & commutat, non habeat potestatem imponendi

nendi alteri obligationem voti, at ipſe cui fit computatio ſibi imponit, legem verò nequaquam imponere poteſt. Unde ex conceſſione ad diſpenſandum in lege non conceditur poteſtas ad illius commutationem. Pontifex verò, quia eſt ſupremus Legiſlator poteſt in ſuis legibus diſpenſare, earumque obligationem in aliam materiam commutare, quod eſt novam legem edere juxta Textum *in cap. licèt, de feriis.* Cum hoc tamen ſtat, ſi diſpenſatio fiat ob aliquam cauſam ortam ex culpa imponi poſſe obligationem alicujus pecuniæ erogiendæ, non quidem pro diſpenſatione, ſed pro culpa commiſſa, & in pœnitentiam illius pro qua conceditur, ſicuti advertit Sanch. *d. diſp.*10. *num.*10.

6. Ad extremum advertendum eſt, ſi diſpenſatio facta eſt ab Ordinario non integrè, ſed ſolùm pro matrimonii contractu obligatos eſſe contrahentes ſub peccato mortali denunciationes ante conſummationem præmittere, niſi fortè aliqua gravi, & urgenti cauſa excuſentur: ut docuit Navarr. *cap.*16. *num.*38. Sanch. *lib.*3. *diſp.*11. *num.*5. Gutierr. *de matr. cap.*58. *num.*1. & 2. Et colligitur ex Conc. Trid. *dicta ſeſſ.*24. *cap.*1. Ubi præcepit denunciationes ante conſummationem præmitti, niſi Ordinarius contrarium expedire judicaverit, quod præceptum cùm materiam gravem reſpiciat ſub culpa mortali videtur obligare. Quare contrahentes quoties petunt, redduntque debitum mortaliter peccant, utpotè qui contra legem gravem Eccleſiaſticam procedunt, & quantum eſt ex ſe periculo fornicationis exponuntur, eo quòd poterunt eſſe impediti ad contrahendum, neque diligentiam juridicam præſtiterint, qua ſe ſecuros reddere debent.

7. Verùm etſi prædicta ſententia omnino tenenda, & conſulenda ſit, oppoſitam tamen ſcilicet non eſſe peccatum mortale matrimonium conſummare, quando contrahentes certi ſunt nullum impedimentum ſubeſſe, ut probabilem defendit Man. Rodrig. *in ſum. cap.*222. *num.*1. Et pluribus relatis Sanch. *diſp.*11. *num.*2. Eo quòd Concilium jubeat denunciationes præmitti, ut faciliùs detegi impedimentum poſſit, ſi fortè adſit. Quando verò contrahentes certi ſunt nullum impedimentum adeſſe, ceſſat ratio legis, & conſequenter ipſa lex videtur ceſſare. Sed negari poteſt rationem legis ceſſare, quippè lex de denunciationibus præmittendis non hunc, vel illum caſum ſingularem ſpectat, ſed omnes, in quibus mortale periculum eſt conſummari matrimonium ab impeditis, ſi denunciationes non præmittantur: aliàs ſi prædicta ratio efficax eſſet ad excuſandum contrahentes à denunciationibus præmittendis conſummationi matrimonii, eadem excuſari poſſent à præmittendis contractui, quod nullus dicet. Henriq. verò, *lib.*11. *cap.*16. *num.*1. Aliique plures etſi admittant eſſe peccatum mortale conſummare matrimonium abſque denunciationibus, quando in eis integrè diſpenſatum non eſt, at affirmant ſolùm in prima copula, quando matrimonium conſummatur peccatum committi, ſed non in reliquis, eo quòd ceſſat tale præceptum, utuntur exemplo jejunii, quod à bis comedente obſervari nequit, ideoque non peccat, etſi pluries poſtea comedat. Tridentinum namque ſolùm videtur imperaſſe denunciationes præmitti, tum matrimonii contractui, tum illius conſummationi: at poſtquam conſummatum eſt nullum de denunciationibus præmittendis præceptum impoſuit.

8. Quantum ad benedictiones Eccleſiæ vulgò *velationes* attinet, exiſtimo ex ſe, & ſecluſo ſcandalo peccatum mortale non eſſe, imò nec veniale conſummare matrimonium illis non præmiſſis: eo quòd Trident. *ſeſſ.*24. *c.*1. loquendo de iis benedictionibus hortatur fideles, ut eas conſummationi præmittant. Ergo non præcipit, ſed conſulit, conſilium autem omittere ex ſe peccatum non eſt. Idemque videtur deciſum *cap. noſtrates* 30. *q.*5. Ubi Nicolaus Papa poſtquam enumeravit concurrentia ad nuptias, & inter ea benedictiones ſolemnes, inquit; hæc omnia non ſervare non eſt peccatum. Atque ita docent Navarr. *c.*22. *n.*38. & 83. Covarruv. 4. *decret.* 2. *part. c.*9. §.2. *n.*2. Sotus *in* 4. *d.*28. *q.*1. *art. in c. ad fin.* Petr. de Ledeſm. *de matr. q.*48. *art.*5. *punct.*3. *dub.*1. Sanch. aliis relatis *lib.*3. *d.*12. *n.*7. Coninch. *diſp.*27. *dub.*8. *in princ.* Ubi ſolùm ratione ſcandali peccatum agnoſcit Gutier. *c.*58. *de matr. n.*3. Paul. Laym. *lib.*5. *ſum. tract.*10. 2. *part. c.*4. *n.*13.

9. Hæ benedictiones ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine primas nuptias, non ſecundas contrahentibus conferuntur, ut multis comprobat Laym. *dicto cap.*4. *num.*13. Et probat Textus *cap. vir.*3. *de ſecundis nuptiis*, nam ut *ibidem* dicitur, res ſemel benedicta iterum benedici non debet. Conſuetudo tamen obtinuit, ut quoties aliquis ex contrahentibus primò nubat, etiamſi alius viduus ſit, ejus nuptiæ benedicantur, quinimò ſi unus ex ſponſis etiamſi vidui ſint benedictiones non receperit, uterque benedici poterit ex conſtitutione Joan. XXII. ſicuti probat Henriq. *lib.*11. *cap.*2. *n.*3. Covarr. 2. *part. de ſponſal. c.*8. §.11. *n.*2. Navarr. *c.*22. *n.*83. Sanch. *lib.*7. *diſp.*82. *n.*11. Eman. Sà *verbo Benedictio, n.*2. Paul. Laym. *dicto cap.*4. *num.*13. Coninch. *diſp.*27. *dub.*8. *num.*7. Vide Gutierr. *c.*16. *per totum*, latè hanc materiam diſputantem.

§. VI.

An ex prædictis denunciationibus teneatur qui impedimentum agnovit, etiamſi Parochus ſit, denunciari?

1 *Impedimentum publicum, vel quod probari facilè poteſt obligatus eſt quilibet denunciare.*
2 *Si impedimentum occultum fuerit, impetrataque fuerit diſpenſatio pro conſcientiæ foro, nulla eſt obligatio denunciandi.*
3 *Si ſolùm ex auditu noviſti, nec recordaris à quo acceperis, non es obligatus.*
4 *Si tu ſolus noſti impedimentum, & eſt infamatorium, plures negant te eſſe obligatum denunciare.*
5 *Oppoſitum verius eſt.*
6 *Contrahens tenetur fateri impedimentum vel à contractu deſiſtere.*
7 *Solvuntur fundamenta num.*4. *adducta.*

1. CErtum eſt, ſi impedimentum publicum ſit, vel probari facilè poſſit obligatum eſſe quemlibet illius conſcium denunciari; ſiquidem denunciatione impeditur, ne conjuges impediti contrahant. Sic Baſil. Ponce *lib.*5. *cap.*34. *num.*3.

2. Secundò eſt certum, ſi impedimentum occultum ſit, impetrataque fuerit diſpenſatio pro conſcientiæ foro nullam eſſe denunciandi obligationem, quia nullum eſt impedimentum, ad cujus denunciationem præceptum fertur, ſecùs verò ſi publica eſſet vox de prædicto impedimento, quia eo caſu diſpenſatio non prodeſt, ſicuti advertit Sanch. *lib.*3. *diſp.*14. *à n.*4. Gutierr. *de matr. c.*59. *n.*13.

3. Tertiò eſt certum, ſi ſolùm ex auditu noviſti impedimentum, nec recordaris à quo acceperis non eſſe obligatum denunciare, quia ea denunciatio nullius eſt utilitatis, uti tradit Farinac. *de teſtib.* 2. *part. q.*69. *n.*75. & *ſeqq.* Sanch. *lib.*3. *diſp.*124. *n.*7. Gutierr. *c.*59. *n.*12. Quod procedit maximè quando impedimentum eſt infamatorium, nam ſi nullam infamiam irrogat, optimè poteris illud denunciare, quia nullum eſt periculum in ea denunciatione, & forte veritas manifeſtabitur, ut rectè advertit Sanch. & Gutierr. *ſuprà.* Econtrà verò ſi recordaris à quo impedimentum acceperis, diſtinguendum eſt, ſi accepiſti à perſona fide digna, obligatus es denunciare, quia poterit Prælatus illam perſonam fide dignam citare ejuſque teſtimonium recipere, ut benè tradit Navarr. *cap.*15. *numero* 45. *Et cap. inter verba,*

*corol.*66.

corol. 66. n. 290. & seqq. Sanch. *disp. 13. n. 7.* Gutierr. *cap. 59. num. 10.* Basil. Ponce, *lib. 5. cap. 34. num. 1.* Si verò à persona suspecta impedimentum acceperis, nulla tibi est obligatio denunciandi, maximè si impedimentum infamatorium sit, quia nullum est prædictum testimonium, Arg. *c. licèt ex quadam de Testibus.* Et docuit Farinac. *d. q. 69. n. 85.* Navarr. Sanch. Gutierr. & Basil. *loc. cit.* Coninch. *disp. 27. num. 62.*

4. Quare difficultas eo procedit, An tenearis denunciare, si tu solus impedimentum noveris? Negant te esse obligatum, si impedimentum ex peccato procedit. Supplementum Gabrielis *d. 28. q. 2. art. 3. dub. penult.* Major. *4. d. 21. q. 2. argum. 3.* Et de quocunque impedimento docet Eman. Sa, *verbo*, *Matrimonium*, *n. 23.* Basil. Ponce, *lib. 5. c. 34. à n. 6.* Moventur primo, quia commune est neminem obligatum esse denunciare quod probare non potest ob periculum reputandi impostoris, & calumniatoris, uti docuit Navarra, *de restit. lib. 3. c. 1. in secunda edit. n. 358.* Et aliis relatis Gutierr. *lib. 1. canon. qq. cap. 11. num. 21.* Secundò, vel conjuges bona fide procedunt, ignorantes se esse impedimento ligatos, vel mala fide procedunt, si adest bona fides nullum peccatum committunt in eo contractu, nullámque irreverentiam Sacramento præstant, at injuriam irrogant, cùm nullum efficiatur Sacramentum, proli autem nullum damnum inferunt, siquidem legitima est. Ergo ex nullo capite obligari potest ad denunciationem faciendam. Si verò ex mala fide procedant conjuges, adhuc non videris obligatus, quia ex tuo dicto tantùm nec probari impedimentum potest, nec matrimonium impediri: *Cap. licèt ex quadam, de testibus.* Quod efficaciùs procedit, si impedimentum ex delicto procedat, non enim absque fructu alicui est irroganda infamia.

5. Cæterùm verius est, & omnino consulendum te impedimenti conscium obligatum esse revelare, si præmissa correctione fraterna revelationem præstare potes absque tuo damno, tametsi impedimentum probare nequeas. Sic Navarr. *cap. 22. num. 83.* Covarruv. *in 4. decret. 2. part. c. 6. §. 10. n. 21.* Henriq. *lib. 11. cap. 14. num 5.* Sanch. aliis relatis, *lib. 3. disp. 13. n. 2.* Gutierr. *de matr. c. 59. num. 9.* Coninch. *disp. 27. dub. 7. concl. 1. num. 61.* Gaspar Hurtado *de matr. disput. 5. difficult. 21. num. 75.* Moveor quia tuum dictum etsi insufficiens sit dissolvere conjunctos, at sufficiens esse videtur impedire, ne conjungantur ex Textu *in c. super eo 22. de Testib.* ibi: *Super illa verò quæstione, quam fecisti, an mulier conjungenda non sit viro pro eo quòd sola mater alterutrius eos esse consanguineos confitetur. Respondemus quod si non est firmatum inter eos matre asseverante ipsos esse consanguineos non debent conjungi, quia præsumptio est non modica, quod linea consanguinitatis attingant. Si verò matrimonium est firmatum, non debent sine plurium juramento dissolvi.* Unde Glossa *ibi* inquit *ad dictum unius impeditur matrimonium contrahendum.* Deinde præcepto revelandi impedimentum astringeris, quoties commodè potes revelare, tum ne contrahentes peccent, si mala fide procedant, tum ne irreverentia Sacramento fiat, tum ne proles sit illegitima. Si verò procedant bona fide astringeris ad impedimenti revelationem, ne contrahentes materiale peccatum committant, néve sit Sacramenti fictio, & proles etsi illegitima, & vitetur difficultas, quæ in ratificatione matrimonii intervenire solet detecto postmodum impedimento. Hæc enim omnia sufficienter honestant impedimenti revelationem, tametsi sub secreto acceperis, juraverisque non revelaturum, uti benè notarunt Sanch. Gutierr. Coninch. & alii *suprà.*

Notanter dixi, *si absque gravi tuo incommodo revelare impedimentum possis?* quia si ex revelatione facienda grave damnum times, excusaris, quippè leges Ecclesiasticæ eo casu cessant: est enim lex Evangelica *jugum suave, & onus leve*, sicuti advertit Sanch. *d. disput. 13. num. 10. & 23.* Petr. Navarra *lib. 2. de rest. cap. 4. num. 228.* Basil. Ponce, *lib. 5. cap. 34. num. 2.* Coninch. *disput. 27. dub. 7. num. 61.* Gutierr. *de matr. cap. 79. num. 4.* & alii ab eisdem relati. Deinde dixi *correctionem fraternam præmittendam esse, si speratur ex ea fructus*, id enim exigit charitatis regula vitare inquam inconvenientia cum minori damno proximi, quo fieri possit, juxta doctrinam D. Thom. *2. 2. quæst. 33. art. 8.* Et tradit Sanch. *dub. disp. 13 num. 5.* Gutierr. *de matr. cap. 79. num. 3.* Petr. Navarr. & Basil. Ponce, *suprà.*

6. Ex quibus manifestè infertur etiam ipsum contrahentem, si impedimenti conscius est, teneri fateri, vel à contractu desistere, quia iniquè, & injustè se ingerit contractui, quem celebrare jure nequit, uti benè comprobant variis Textibus, & ratione Henriq. *lib. 10. de Sacramento Ordinis cap. 18. num. 2.* Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 14.* Ægid. Coninch. *disp. 27. dub. 7. concl. 2. num. 63.*

7. Neque argumenta *n. 4.* adducta urgent. Ad primum fateor illam doctrinam veram esse, cùm ad punitionem proceditur, secùs, quando ad vitanda damna, vel peccata lex fertur, & obligatio revelationis imponitur. Ad secundum constat ex probatione nostræ sententiæ ad impediendum matrimonium sufficiens esse dictum unius testis. Adde etsi ad impediendum matrimonium non sufficeret unius testis dictum, sufficit autem, ut Judex eo officio contrahentes urgeat, & inquisitionem diligentiorem faciat, quibus fortè detegetur impedimentum. Tandem impedimentum, quod credis te solum nosse, fortè est alius qui agnoscat, cujus manifestatione optimè probabitur. Quare ut sententia Basil. Ponce aliquam probabilitatem videatur habere, debes certus esse nullum alium à te impedimentum nosse, tuámque revelationem nullius fore utilitatis, quod vix. accidere potest. Ex quo constat quam levi fundamento ductus processerit Basilius adversus communem, certámque sententiam: neque hoc mirum esse debet, cujus finis in scribendo non tam veritatem investigare, quàm Thom. Sanch. dictis contradicere videtur.

§. VII.

Qua ratione Parochus, & Ordinarius se gerere debeant, cùm apponitur impedimentum matrimonio contrahendo, aut ipsi norunt?

1 *Nullo impedimento appositio factis denunciationibus ad matrimonium procedendum est.*

2 *Appositio impedimento debet Parochus contrahentibus matrimonium interdicere.*

3 *Si Parochus novit impedimentum extra confessionem, & matrimonium publicè petatur, negare tenetur, & rem ad Ordinarium deferre præmissa correctione fraterna.*

4 *Solvitur quædam objectio.*

5 *Si in confessione tantùm novit impedimentum, non potest matrimonium contrahentibus denegare.*

6 *Delato impedimento ad Ordinarium ipsi incumbit veritatem investigare.*

7 *Si Ordinario constat de impedimento non ex alterius relatione, sed ex propria notitia, nequit contrahentes à matrimonio removere.*

1. COnstat si nullum apponatur impedimentum factis denunciationibus teneri Parochum ex proprio officio contrahentes in matrimonium jungere juxta Trident. *sess. 24. cap. 1.* ibi: *Quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.* In facie Ecclesiæ id est coram Parocho, & testibus, Ecclesia enim dicitur congregatio fidelium:

Cap. Eccleſia de conſecrat. diſt. 1. & cap. relatum, el 2. de teſtament. verſ. nomine autem Eccleſiæ. Quo circa non eſt neceſſe, ut in Eccleſia materiali vel limine, aut cæmeterio celebretur, ut bene Navarr advertit, *cap. 22. n. 70. initio.* Sanch. *diſp. 15. n. 20.* Gutierr. *cap. 60. n. 1.* Matrimonio celebrato debet Parochus ſcribere nomina contrahentium, & teſtium, locum, & tempus contracti matrimonii in libro ad hunc finem deputato ſecundùm formam à Trident. Præſcriptam: & licèt Trident. non utatur verbis ideò rigidis, ſed ſolùm dixerit, *habeat Parochus librum*, &c. ex ſive tamen quem intendit ſcilicet ut Eccleſiæ conſtet de matrimonio, & lites quæ ſuboriri ſolent vitentur, colliguntur ſub mortali obligare voluiſſe ad hanc diligentiam præſtandam, ut benè docuit Henriq *lib. 11. c. 7. n. 4.* Sanch. *lib. 3. de matr. diſp. 15. num. 22.* Gutierr. *cap. 60. num. 9.* Baſil. Ponce, *lib. 5. cap. 36. num. 8.*

2. Verùm ſi facta denunciatione impedimentum apponatur coram Parocho ſive ab uno ex contrahentibus, ſive ab alio tertio obligatus eſt parochus matrimonii celebrationem interdicere, non tamen poteſt inveſtigare, an illud impedimentum de facto ſubſit, Verùmque ſit, ſed deferenda res eſt ad Ordinarium ut ipſe cognoſcat, quia Parochus judicialem poteſtatem non habeat, quam tamen requirit cognitio impedimenti matrimonii juxta Textum *in cap. fin. de clandeſt. deſponſat*, juncto Textu *in c. 1. de conſanguinit.* ibi: *Non ſunt cauſæ tractandæ per quoſlibet ſed per judices qui poteſtatem habeant.* Interdictio autem facta à Parocho non eſt judicialis, ſed extrajudicialis. Sic. Hoſtienſ. Gregor. Lopez. Segura, & allii, quos refert, & ſequitur Sanch *diſp. 15. n. 5.* Gutierr. *cap. 60. n. 2.*

3. Quod ſi Parochus ſolus novit impedimentum extra confeſſionem, & publicè matrimonium petatur, negare tenetur, & rem ad Ordinarium deferre, cujus eſt veritatem inveſtigare: ſi enim quilibet alius juxta dicta §. *præcedenti* tenetur impedimentum denunciare, ne ligati contrahant, à fortiori Parochus, cui ex officio incumbit ſaluti ſubditorum, & illorum bono conſulere: præcipuè cùm commune ſit ejus teſtimonio matrimonium impediri: debet tamen prius fraternè, & ſecretò contrahentes monere, quòd ſi ipſi monitioni non acquieſcunt, ſibi imputent, ſi ex revelatione impedimenti aliqua eis nota proveniat? uti benè advertunt Henriq. *lib. 1. de Sacram. c. ult. num. 6.* Sanch. *diſp. 15. num. 6.* Gutierr. *c. 60. n. 10.* Coninch. *diſp. 27. dub. 7. concl. 3. & 4. n. 65. & 66.* quidquid in contrarium dicat Baſil. Ponce *lib. 5. c. 35. n. 6.*

4. Quod ſi dicas occulto peccatori indignè Sacramentum petenti miniſtrandum eſt, ſi publicè petat, uti Chriſtus proditori Euchariſtiam creditur miniſtraſſe, ergo Parochus impedimento occulto ligatos jungere matrimonio debet, ſi publicè petant, neque ſecretò moniti deſiſtere velint.

Reſpondeo cum Sanch. *d. diſp. 15. à n. 15.* Gutierr. *c. 60. n. 5. & ſeqq.* Coninch. *diſp. 27. dub. 7. num. 67. & 68.* dupliciter contrahentes impediri poſſe à matrimonio; primò ex impedimento; quod reddit Sacramenti ſuſceptionem indignam, neque ulteriùs procedit quale ſolùm eſt peccatum mortale. Secundò ex impedimento, quod præter ſuſceptionem indignum occaſionem præſtat plurium damnorum, pluráque peccata poſtmodum committendi, uti eſt quodlibet impedimentum dirimens matrimonii, & etiam votum caſtitatis impediens. Si primo tantùm impedimento contrahentes afficiantur, & publicè petant, Parochus eorum matrimonio aſſiſtere debet, ſecùs verò ſi ſecundo impedimento ligati exiſtant, eo quòd primum impedimentum cedere tantùm videatur in occulti peccatoris damnum; at ſecundum impedimentum in aliorum damnum cedit, & plurium peccatorum occaſio exiſtit, cùm tamen, primum impedimentum unico peccato commiſſo abſolvatur.

5. Dixi *extra confeſſionem*, ſi enim in confeſſione tantùm Parochus impedimentum noverit, etſi plures Doctores, quorum meminit Sanch. *d. diſp. 15. à n. 6. & ſeqq.* Gutierr. *cap. 60. à num. 10.* censeat poſſe, imò teneri denegare contrahere volentibus aſſiſtentiam, ſi abſque fractione ſigilli id facere poſſit. Verius tamen eſt non poſſe; quia nequit Confeſſarius uti notitia in confeſſione accepta ad exteriores actus, ex quibus confeſſio onerosa pœnitenti reddi poteſt, juxta ea quæ latiùs diximus *tract. de pœnit. diſp. de obſervat. ſigilli*, & tradit Suar. *tom. 4. in 3. part. diſp. 13. ſect. 7. num. 10.* Sanch. *diſp. 16. num. 14.* Gutierr. *c. 60. de matr. n. 11.* Coninch. *diſp. 27. dub. 7. num. 70.* An autem pœnitentem monere teneatur, vel poſſit *ibidem* diſputavimus, ubi concluſimus ex communi ſententia debere priùs petere à pœnitente licentiam, ut eum de auditis in confeſſione moneat: ſi ut inquit Coninch. *diſp. 27. dub. 7. concl. ult. num. 70.* creditur monitio profutura. Et pœnitens non ægrè laturus ſibi veniam peti, probabile tamen eſſe hanc obligationem petendi licentiam non habere, ſed omnino ſe gerere poſſe, ac ſi in ejus notitiam nihil deveniſſet, uti præter ibi citatos approbat Gutierr. *dub. cap. 60. in fine.*

6. De latâ re ad Ordinarium ipſe ex officio tenetur veritatem diſcutere, & impedimentum appoſitum inveſtigare, cui ſi dicatur impedimentum ſublatum eſſe per diſpenſationem, videre debet; an diſpenſatio lata fuerit pro ſolo conſcientiæ foro, an etiam pro foro externo? Si diſpenſatio lata eſt pro ſolo conſcientiæ foro nullius eſt effectus ut poſſit illos conjungere; quia pro impedimento ad forum contentioſum delato non prodeſt prædicta diſpenſatio; quia non operatur ultra intentionem concedentis, juxta *leg. non omnis, ff. ſi certum petatur.* Quod adeò verum eſt, ut etiamſi poſt contractum matrimonium apponatur impedimentum dirimens, cujus diſpenſatio ſolùm pro foro conſcientiæ obtenta eſt, ſeparare Ordinarius debet conjuges, ut cœlibem vitam degant, quouſque pro foro externo diſpenſatio obtineatur, ut benè advertit Sanch. *diſp. 16. n. 15.* Gutierr. *cap. 60. n. 60.* Coninch. *diſp. 27. dub. 7. num. 60.* Quod ſi contrahens falſis teſtibus probaverit impedimentum ſibi appoſitum nullum eſſe, poterit Judex eos matrimonio jungere, tametſi falſitatem agnoſcat, quia eo caſu publicitas fori externi ſublata eſt, ſicuti advertit Baſil. Ponce, *lib. 5. de matr. cap. 36. num. 7.*

7. His addendum eſt, ſi Ordinario conſtaret de impedimento non ex alterius relatione, ſed ex propria notitia obligatum eſſe conjungere contrahentes, tametſi ignoraret diſpenſationem obtentam eſſe: quia nequit ſimul eſſe teſtis, & Judex: ac proinde ejus ſcientia nullius eſt efficaciæ, ut poſſit matrimonium impedire. Et conſtat in irregulari petente publicè Ordines, quem Epiſcopus non videtur repellere poſſe ex irregularitate ſibi tantùm nota, juxta Textum *in cap. ex tenore, de Temporib. ordinandor.* & *ibi* Gloſſa. Et tradit in præſenti Sanch. *diſp. 15. num. 14.* Gutierr. *c. 60. num. 5.* Coninch. *diſp. 27. dub. 7. num. 59. & 67.* Ex quo inferendum eſt, ſi Ordinarius præcipiat Parocho ſcienti impedimento appoſito ſe purgavit, obligatum eſſe obedire, quia caret jure repellendi, eo quòd ſcientia impedimenti nullius ſit efficacitatis.

§. VIII.

De præſentia Parochi, & teſtium pro matrimonio contrahendo à Concilio requiſita.

1 *Proponitur decretum* Concilii.

2 *Nullum eſt matrimonium etiamſi publicè, & coram omni populo contrahatur, ſi Parochus abſit.*

3 *Contrahentes in illa Parochia, in qua* Concilium *publicatum eſt, nec ejus decretum receptum, valide abſque*

absque parocho & testibus contrahunt.

4 *procedit etsi contrahentes incolæ sint locorum ubi* Concilium *receptum sit.*

5 *Incolæ locorum, in quibus* Concilium *publicatum non est, si divertant ad locum in quo est publicatum contrahere debent coram Parocho, & testibus.*

6 *Infideles non arctantur hac lege Concilii.*

6 *Fideles etiam ignorantes lege Concilii astringuntur.*

8 *Item qui commorantur in pagis, ubi nullus est Pastor, aut vicem ejus obtinens, quidquid alii contrarium sentiant.*

9 *Ob urgentem necessitatem omitti non potest observatio prædicti decreti.*

10 *Matrimonium quod in facie Ecclesiæ celebratum est, & fuit nullum occultum impedimentum, revalidari poterit absque Parocho, & testibus.*

11 *Qualiter Parochus, & testes præsentes esse debeant?*

12 *Quæ verba Parochus assistens matrimonio proferre debeat?*

1. HUcusque actum est de denunciationibus matrimonio præviis, nunc agendum de solemnitate à Concilio præscripta. Concilium namque Trident. *sess. 24. c. 1. de reformat. matrimonii*, statuit, ne deinceps matrimonium contrahatur, quin Parochus, & duo vel tres testes assistant sub decreto irritante contractum, inhabilitante personas ad aliter contrahendum, subdit tamen prædictum decretum vim esse habiturum post triginta dies à die primæ publicationis in qualibet Parochia.

2. Hinc fit nullum esse matrimonium, tametsi publicè, & coram omni populo contrahatur, si Parochus absit, quia deficit solemnitas requisita à Concilio, ut benè ex communi sententia advertunt Navarr. *cap. 25. num.* 144. Henriq. *lib.* 11 *cap.* 3. *num.* 5. Sanch. *disp.* 17. *num.* 7. Gutierr. *de matr. cap.* 61. *num.* 8.

3. Secundò fit, contrahentes matrimonium in illa Parochia, in qua Concilium publicatum non est, vel ejus decretum non est receptum, aut si receptum fuit, est tamen consuetudine abrogatum validè contrahere absque Parochi, & testium præsentia, quia Concilium exigit publicationem decreti in qualibet Parochia, ut vires habeat, & robur obtineat: si autem post publicationem receptum non sit, vel consuetudine abrogatum, censendum est ac si publicatum non esset, ex Textu *in cap. 1. de treuga, & pace.* Et constat ex dictis *tract. 3. de legib. disp.* 1. Et in præsenti tradit Sanch. *lib. 3. disp. 18. num.* 1. Gutierr. *cap.* 61. *in fine, n.* 12. Coninch. *disp. 27. dub. 1. num.* 10.

4. Neque his obest, quod sic contrahentes incolæ sint locorum, ubi Concilii decretum receptum est, animóque contrahendi in ea loca divertant, quia hoc decretum non personas utrumque afficit, sed contrahentes in locis, ubi Concilium publicatum est, neque censendi sunt in hoc contractu fraudem ullam committere, cùm nulla lege prohibeantur illis in locis contrahere, sed jure proprio utantur. Si tamen omnino clandestinè contraxerint peccabunt, sicuti peccant incolæ illorum locorum clandestinè contrahentes, sic firmant ex communi sententia Sanch. Gutierr. & Coninch. *suprà.* Et Rebell. *lib. 2 q. 7. sect.* 3. Gaspar Hurtado *disp. 5. de matr. difficult. 5. num.* 15.

5. Econtrà verò incolæ locorum, in quibus Concilium publicatum, non est, si à loco ubi est prædictum decretum publicatum, & receptum divertant animo matrimonii contrahendi, tenentur absque dubio contrahere Parocho, & testibus præsentibus aliàs invalidè contrahent: tum qua secundùm probabiliorem sententiam peregrini tenentur legibus qua transeunt, uti diximus *tract. 3. de leg. disp. 1. punct. 24. §. 3.* Tum quia esto non tenerentur legibus bonum subditorum speciale spectantibus: at tenentur legibus bonum commune respicientibus, quæque non tam personas, quàm eorum actiones sufficiunt. Ob quam doctrinam ferè ab omnibus receptum est in materia contractuum quemlibet obligatum esse contrahere juxta consuetudinem, & legem illo in loco receptam, quia ratione contractus sortitur forum, juxta Textum *in c. ult. de foro competenti.* Et *leg. si fundus 6. ff. de evictionib.* Et tradit Sanch. *d. disp.* 18. Coninch. *dub. 1. in fine*, Basil. Ponce, *d. lib. 5. cap. 7. §. 1. num. 6. & seqq.*

6. Supereſt dicendum. An sint aliqui casus à prædicta doctrina excepti? Et nemini est dubium de infidelium matrimonio, tametsi Ecclesiæ sint temporaliter subjecti, quia legibus Ecclesiasticis, qualis hæc est, non alligantur.

7. De fidelibus verò commorantibus in locis, ubi Trident. publicatum est aliquos casus Doctores excipiunt. Primò excipiunt aliqui, quos tacito nomine refert Coninch. *disp. 27. dub. 1. n.* 11. ignorantes prædictam legem, nam sicut liberantur à culpa, & à pœna irritationis liberari debent. Sed rectiùs contrarium censet ipse Ægid. de Coninch. *ibi*, & pluribus relatis Sanch. *lib. 3. disp. 17. n.* 10. Gutierr. *c. 61. à n.* 10. Basil. Ponce, *lib. 5. c. 6. in fine, num.* 18. quia irritatio actus non in pœnam contrahentium clandestine imponitur, sed in odium talis contractus, inconvenientia inde orta vitentur, ac proinde sive ignoranter, sive scienter matrimonium clandestine contrahatur, nullius est valoris. Argum. Textus *in cap. 1. de conces. præbendæ, in 6.* ibi, *sive ignoraverit, sive non, non valebit.*

8. Secundò excipiuntur contrahentes, ubi nullus pastor, aut vicem ejus obtinens haberi, aut in proximis locis adiri potest, ob declarationem Clement. VIII. teste Coninch. *d. disp. 27. dub. 1. n.* 12. Quem approbare videtur Gaspar Hurtado, *disp. 5. de matr. diffi ult. 3. num.* 10. dicens hanc declarationem dispensationem fuisse. Sed contrarium censeo omnino dicendum cum reliquis Doctoribus. Tum quia non constat authenticè prædicta declaratione, vel dispensatione. Tum quia esto constaret, debebat publicari publicatione legis, ne legem universaliter latam restringeret, ut ex communi firmavimus *Tract. de legib. disp. 1. punct. 10. num. 5.*

9. Tertiò excipi solet casus urgentis necessitatis, videlicet, quando in mortis articulo, vel extra maximè expedit matrimonium contrahi, neque adest Parochus qui assistat: quia non est credendum Pontificem voluisse hunc casum sua lege comprehendere: sic tenet tanquam probabile Veracruz *in append. ad speculum conjug. dub. 5. solut. 2. ad objectionem positam post. 7. concl.* Vega *lib. 3. sum. casu* 361. Capua *lib. 2. dec. 8. num.* 8. Et sub dubio Azevedo *in leg. 1. n.* 38. *tit. 1. lib. 5. nova collect.* Oppositum tamen communiter Doctores defendunt, ut videre est apud Henriq. *lib. 11. cap. 8. num. 5. & 8.* Sanch. *disp. lib. 3. disp. 17. num.* 4. Gutierr. *c. 61. de matr. à num.* 7. Zevall. *in suis seqq. communib. q. 604. num. 63. & 73.* Coninch. *disp. 27. dub. 1. num.* 11. Basil. Ponce *lib. 5. c. 6. n.* 3. & plures alios ab eisdem relatos. Moventur ex eo quòd præsentia Parochi, & testium fuerit à Concilio ut forma contractui opposita, quæ ad valorem contractus ad unguem servanda est ex Textu, *in c. cùm dilecti de Rescript.* maximè in præsenti casu, in quo nulla epicheia admitti debet, quia pluris præstat viam esse præclusam clandestinis conjugiis, quam quòd aliqui damnum aliquod patiantur ex matrimonio non contracto. Quod adeò verum est, ut neque Episcopus in casu dictæ necessitatis in quo Pontifex consuli nequit dispensare possit, ut benè Novarr. *cap. 22. num.* 70 Sanch. *disp. 17. n. 6.* Gutierr. *cap. 61. n. 7. in fine* Basil. Ponce, *cap. 6. num.* 16. Zevallos *d. q. 604. num.* 100. Et colligitur manifestè ex ipso Concilio, quod cùm potestatem dispensandi in denunciationibus concedat, tacitè eam negat in præsentia Parochi, & testium. Argum. *cap. Nonne de præsumptione*, sicuti probat Glossa *in cap. ad audientium, verbo, ut duo de clericis non residentib.*

10. Quarto excipitur matrimonium, quod priùs in facie Eccleſiæ celebratum eſt, fuit autem nullum ob occultum impedimentum : hoc autem matrimonium ratificari poterit abſque Parochi, & teſtium præſentia. Sed hic caſus, ut poſtea dicemus, non comprehenditur ſub prædicto decreto, ac proinde non eſt cenſendus à regula exceptus.

11. Modus autem, quo Parochus, & teſtes præſentes eſſe debent matrimonio humanus, & moralis requiritur, quia per ipſos Eccleſiæ conſtat matrimonio contracto : ſicuti ex communi ſententia reſolvunt Ledeſm. *de matr. quæſt. 45. art. 5. verſ. eſt ſecundum dubium.* Henriq. *lib. 11. cap. 3. §. 1.* Gutierr *de matr. cap. 69.* Zenedo *pract. qq. lib. 1. quæſt. 20 à numero 33.* Coninch. *diſp. 27. num. 44.* Non eſt autem opus, ut rogati, vocatique ſint, voluntariéque aſſiſtant, quia id à Concilio non requiritur, ſed etſi vi vel dolo matrimonio aſſiſtere cogantur matrimonium valet ; eo quod injuria non impedit, quin Parochus, & teſtes de matrimonio teſtari poſſint, qui eſt finis Concilii, apertéque probat *lex coram Titio 309. de verbor ſignificat* Et *leg. 11. ff. de Teſtibus.* Sic docent Salcedo *ad pract. c. 73. verſ. tertiò.* Petr. de Ledeſm. *d. tract. de matr. q. 45 art. 5. punct. 3. dub. 2. verſ quo ſuppoſito.* Zevallo *pract. qq. q. 604. n. 70.* Gutierr. *c. 60. n. 10.* Sanch. *lib. 3. diſp. 39. num. 9.* Rebell. *de obligat. juſtit. 2. part lib. 2. quæſt. 8. n. 4.* Peccabunt tamen mortaliter contrahentes, ſi abſque gravi cauſa Parochum cogant matrimonio vi, vel dolo aſſiſtere, tum ob graviſſima inconvenientia, quæ ex tali aſſiſtentia oriri ſolent : tum quia intendunt matrimonium celebrare abſque approbatione Eccleſiæ, cujus vices Parochus gerit. Atque ita cenſent Sanch. *diſp. 39. num. 12.* Coninch. *diſp. 27. n. 44. & 45. in fine.* Gutierr. *cap. 69. n. 13.* Dolo autem teſtes inducere ut aſſiſtant ſecluſa injuria, affirmant Sanch. & Gutierr. *ſuprà*, peccatum mortale non eſſe, quod firmum non videtur. cùm tam ipſi, quàm Parochus nomine Eccleſiæ matrimonio aſſiſtant tametſi non æquè principaliter. Et ratio generalis deducta ab inconvenientibus, quæ per ſe ex tali deceptione naſcuntur æque in Parocho, & teſtibus procedit.

12. Parochus prædicto matrimonio aſſiſtens conjuges benedicere debet, ea verba proferens : *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti.* Quæ licèt non ſint de eſſentia Sacramenti, ſiquidem Parochus non eſt Miniſter, ex declaratione Cardinalium probant Sanch. *lib. 3. diſp. 38. n. 4.* Zevallos *in ſuis qq. practicis, lib. 2. q. 604. n. 53.* Gutierr. *cap. 69. num. 3.* At peccatum eſt veniale illorum omiſſio, cùm ſub præcepto à Concilio lato contineantur, ſed quia alia plura continentur, ideò Sanch. *n. 6. & ſeqq.* Gutierr. *num. 15.* cenſent horum verborum òmiſſionem levem eſſe materiam.

§. IX.

An debeat ad valorem matrimonii, & licitum illius contractum Parochus utriuſque contrahentis, & in propria Parochia aſſiſtere ?

1 *Parochus unius contrahentis, ſi in ejus Parochia matrimonium celebratur validè, & licitè matrimonio aſſiſtit.*
2 *Parochum extra propriam Parochiam aſſiſtentem aliqui cenſent nec validè, nec licitè aſſiſtere.*
3 *Verius eſt validè aſſiſtere.*
4 *Solvitur oppoſitum fundamentum.*
5 *Licitè extra propriam Parochiam aſſiſtit, etſi alii contrarium ſentiant.*
6 *Negant plures validè aſſiſtere Sacerdotem extra propriam Parochiam contrahentis.*
7 *Oppoſitum verius eſt.*
8 *Quam habitationem contrahentes habere debeant in Parochia, ut eos Parochus conjungere poſſit. Proponuntur varia placita.*
9 *Quid ſit tenendum.*
10 *Parochus illius Parochiæ, in qua decernis majore parte anni habitare te in matrimonio poteſt conjungere.*
11 *Vagantium Parochus eſt ille in cujus Parochia tranſeunter commorantur.*

1. Communis eſt ſententia Parochum unius contrahentis, ſi in ejus Parochia matrimonium celebretur validè matrimonio aſſiſtere, eo quòd matrimonium eſt vinculum individum duo extrema conjungens. Nequit ergo Parochus poteſtatem habere ſuum Parochianum alteri jungendi, quin conſequenter habeat poteſtatem alienum jungendi ſuo Parochiano. Cui enim aliqua juriſdictio conceditur conceduntur ea, ſine quibus juriſdictio conſiſtere non poteſt juxta *leg. 2. ff. de juriſd. omnium judic.* Et *cap. præterea, de officio delegati :* at Parocho conceditur juriſdictio ſuum Parochianum in matrimonium jungendi, ergo cenſetur conceſſa juriſdictio alienum cum ſuo ſubdito conjungendi, ex eo namque quòd ſit unius Parochus utriuſque, ut ex declaratione Cardinalium teſtatur Navarr. *cap. 25. in fine*, Henriq. *lib. 11. de matr. c. 3. n. 2.* Salcedo *pract. c. 73. verſ. decimo quartò.* Cavalcan. *dec. 12. n. 21.* Spino *de teſtem. gloſſ. 15. n. 41.* Zerola *praxi Epiſcop. 2. part. verbo Parochus, §. 1.* Sanch. *diſp. 19. n...* Zevallos. *in ſuis qq. pract. q. 604. n. 16* Gutierr. *cap. 62. n. 4.* Coninch. *de matr. diſp. 27. num. 19.* Comitol. *reſponſ. moral. lib. 1. quæſt. 131. numero 2.* Baſil. Ponce, *lib. 5. cap. 16. num. 2.* & convincitur argumento ex *leg. ſi communem, ff. quemadmodum ſervitutes amittant.* ibi : *Si communem fundum ego & pupillus haberemus, licèt uterque non uteretur, tamen propter pupillum, & ego viam retineo.*

2. Verùm ſi ille Parochus non in propria Parochia, ſed extra aſſiſtat, cenſent Navarr. *c. 25. num. 144.* Ludovic. Lopez. *1. p. inſtruct. c. 86. § præterea.* Et *2. part. de matr. c. 39.* Henriq. *lib. 11. c. 3. n. 2.* Rodrig. *1. p. ſum. cap. 218. num. 5.* Zevallos *d. q. 604. num. 60.* Baſil. Ponce, *lib. 5. cap. 16. n. 4.* nec licitè, nec validè matrimonio aſſiſtere. Moventur ex eo, quòd Concilium non ſit cenſendum Parocho extra propriam Parochiam concedere juriſdictionem, præcipuè cùm id neceſſarium non ſit inquit Baſil. Ponce. Nam ſi contrahentes peregrinantur Parochus illius loci qua tranſeunt eos conjungere poterit, ſi verò in Parochia fœminæ vir exiſtat, Parochus fœminæ eos conjungere poterit. Nulla ergo eſt cauſa, ob quam Parochus in aliena Parochia matrimonio aſſiſtat. Quòd ſi dicas in præſenti juriſdictionem voluntariam exerceri, cujus axercitium extra territorium permittitur ? Obſtat : quia id verum eſt, quando juriſdictio voluntaria exerceri poteſt extra territorium abſque juſtè querela illius qui in eo territorio juriſdictionem habet. At Parochus illius territorij juſtè conqueri poteſt quòd alienus ibi aſſiſtat, cùm ipſe poſſit aſſiſtere. Præterea aſſiſtentia Parochi non eſt actus juriſdictionis, ſed cujuſdam authenticæ teſtificationis, quæ cùm præjudicio tertii non eſt cenſenda à Concilio conceſſa. Cui doctrinæ videntur favere declarationes Cardin. relatæ à Baſil. *d. lib. 5. cap. 16. num. 4.* dicentes : *Quando matrimonium contrahitur inter virum & mulierem diverſarum Parochiarum, Parochum viri in ejus Parochia & Parochum fœminæ in ejus Parochia debere ſponſos benedicere.* Expendo verbum, debet, quod neceſſitatem importat.

3. Cæterùm verius eſt, & omninò tenendum Parochum viri in Parochia fœminæ, vel extra utriuſque Parochiam validè aſſiſtere eorum matrimonio : ſic ex communi ſententia docent Spino *de teſtam. gloſſ. 15. n. 42.* Sanch. *lib. 3. diſp. 19. n. 8. & 14.* Coninch. *diſp. 27. n. 22.* Gutierr. *tract. de matr. c. 62. num. 5.* Ratio videtur manifeſta,

manifesta, nam Concilium solùm exigit Parochi assistentiam, non autem exigit quòd in propria Parochia assistat, neque ejus fini necessarium erat, cùm ex ejus assistentia ubicunque matrimonium celebretur, clandestinæ nuptiæ vitantur, ob ejus causam assistentia Parochi à Concilio postulatur.

4. Neque fundamentum Basilii urget, nam prædicta assistentia esto non sit actus jurisdictionis voluntariæ, nullo modo est actus jurisdictionis contentiosæ, neque illam ullo modo imitatur, ac proinde extra territorium exerceri potest, Et licèt non esset necessarium prædictam quasi jurisdictionem Parocho concedere, fuit tamen convenientissimum, ut sic faciliùs matrimonium celebrari posset concessa pluribus Parochis facultate ei assistendi. Neque declarationes Cardinalium contrarium probant: nam explicari possunt non de assistentia præcisè, sed de benedictione in Ecclesia inter Missarum solemnia facienda. Et esto de assistentia intelligantur, solùm convincunt Parochum viri in propria Parochia assistere debere, non ex necessitate, sed ad majorem matrimonii securitatem, & certudinem.

5. Sed an licitè extra propriam Parochiam assistat? Negant Salced. *pract. c.* 73. §. *undecimò*, *in nova edit.* Henriq. *lib.* 11. *c.* 3. *n.* 2. Rodrig. 1. *t. sum. c.* 219. *n.* 7. Basil. Ponce *d. lib.* 5. *c.* 16. *n.* 11. Coninch. *disp.* 27. *dub.* 2. *n.* 19. Moventur, quia nequit sponsos ibidem benedicere, ergo neque matrimonio assistere. Verius tamen cessante scandalo oppositum existimo cum Spino *Gloss.* 15. *n* 42. Segura Davalos *director. judic. Eccles. ast.* 2. *part. c.* 15. *n.* 49. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 19. *n.* 18. & 19. Gutierr. *c.* 62. *n.* 6. eo quòd prædicta assistentia nullibi prohibita inveniatur, & licèt sponsos benedicere non possit, ut tradit Concil. *sess.* 6. *c.* 5. & *c.* 24. *sess.* 6. *de reform.* non inde refertur eorum matrimonium non posse assistere, cum hæc assistentia magis urgeat, & benedictioni solemni necessariò conjuncta non sit.

6. Gravius tamen dubium est, An validum sit illorum matrimonium, cui Sacerdos ex commissione Parochi assistit extra Parochiam committentis? Negant plures relati à Sanch. *lib.* 3. *disp.* 34 *num.* 1. Moventur primò, quia esto Ordinarius exercere possit extra territorium jurisdictionem voluntariam, at Delegatus inferioris à Principe eam exercere nequit, ut ex *leg.* 2. *de officio proconsul.* tenent Bart. *in leg.* 1. *n.* 40. *Cod. de summa Trinit. & fide cathol.* Et *in deleg.* 2. *num.* 2. Francisc. Marchio *dec. Delphinat* 117. *in fine* 2. *part.* Et Sanch. *d. disp.* 34. *n.* 1. Secundò, Episcopus tanquam Ordinarius potest extra diœcesim Beneficia conferre, non tamen ejus Vicarius, cui hæc potestas delegata fuerit, sicuti docent Franciscus Marchio *ubi suprà.* Et Anaclas. Germon. *de indultis Cardinal.* §. *tibi quoad vixeris numero* 88. Tertiò Confessores Ordinarii in loco suæ jurisdictionis audire confessiones possunt, secùs Delegati, ut docet Navarr. *cons.* 14. *clandest. desponsat. n.* 3. *edit. Lugdunens.*

7. Sed longè verius est, & omnino tenendum æquè Delegatum assistere matrimonio posse extra Parochiam committentis, ac potest committens, quia suam illi potestatem delegat, neque est ullus Textus, aut ratio, ex quibus hæc delegatio restricta censeatur, ut pluribus firmat Gutierr. *d. cap.* 62. *de matr. num.* 10. Neque verum est jurisdictionem voluntariam, quam hæc assistentia imitatur non posse extra locum committentis delegatum exercere; potest utique tum in audiendis confessionibus, tum in conferendis beneficiis, ut probabilior fert sententia apud Sanch. *lib.* 3. *disput.* 34. *à numero* 2.

8. Superest dicendum de habitatione, quam contrahentes habere debent in Parochia, ut Parochus eos in matrimonium conjungere possit? Aliqui minus strictè in hac materia loquuntur affirmantes necessariò contrahi domicilium debere, ut possit Parochus illorum matrimonio assistere. Sic Rota *in noviss. de c.* 643. *n.* 2. & 3. *vol.* 1. Segura 2. *part. director. jud. c.* 15. *num.* 48. Man. Rodrig. 1. *t. sum.* 2. *edit. c.* 219. *num.* 6. Henriq. *lib.* 11. *de matr. c.* 3. *n.* 3. Spino *speculo testament. gloss.* 15. *num.* 41. Petr. de Ledesm. *de matr. q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *post. dub.* 4. §. *dico tertiò.* Moventur, quia habitantes alicubi animo redeundi ad propriam domum, tametsi diuturno tempore habitaverint hospites sunt, & peregrini, ut manifestè videtur probare *leg.* 1. §. *hac autem verba, vers. hospes, ff. de his qui dejecerunt*, ibi: *Tantùm autem interest inter habitatorem, & hospitem, quantum interest inter domicilium habentem, & peregrinantem.* At hospites, & peregrini contrahere matrimonium non possunt coram Parocho illius Parochiæ in qua peregrinantur, ut dicemus. Ergo ad contrahendum matrimonium habitatio domiciliaris requiritur. Et confirmatur *ex c. is qui de Sepultur. in* 6. ubi dicitur transferentem se ad villam, vel ruralia recreationis causâ, non effici villæ parochianum.

Alii verò econtrà nimis extendunt habitationis jura; censent namque Parochum illius Parochiæ, in qua etiam per transitum habitas esse tuum Parochum, ut te possit in matrimonium jungere: Sic docet Basil. Ponce *de matr. lib.* 5. *c.* 15. §. 1. Movetur, quia ille est proprius Parochus ad matrimonium qui fuerit ad confessionem; & Eucharistiam ministrandam, quia Concilium nihil aliud exigit, nisi quod Parochus præsens assistat, vel alius de ejus licentia: sicuti idem dicit *cap. omnis utriusque sexus de pœnitent. & remission.* & pluribus comprobat Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 23. *n.* 10. At peregrinorum, aliorúmque hospitum proprius Parochus ad confessionem, & Eucharistiam est Parochus illius Parochiæ, in qua etiam brevi tempore commorantur, teste Eugen IV. relato in *Compend. privileg. mendicant. verbo Absolutio* 1. *quoad facultates, n.* 5. Ergo, &c.

Cæterùm hæc postrema sententia Basilii nullam speciem probabilitatis habet. Tum quia est adversus communem sententiam, & praxim receptam, gravissimisque incommodis subjecta, si quilibet posset fugiens domicilii Parochum contrahere matrimonium coram Parocho cujuslibet loci. Neque ejus fundamentum alicujus est efficacitatis: nam esto Sacramenta confessionis, & Eucharistiæ ministrare Parochus possit commorantibus in sua Parochia peregrinationis causa, id ex delegatione Pontificis habetur in favorem peregrinorum ob horum Sacramentorum necessitatem, sed non quia illorum Parochus constituatur, aliàs non possent religiosi prædictis Eucharistiam in Paschate ministrare absque licentia illius parochi, sed in excommunicationem inciderent, juxta *Clem.* 1. *de privileg.* quod nullatenus est dicendum. Primam verò sententiam probabilissimam censeo, tum ob ejus rationem, tum ob authoritatem Doctorum.

9. At media via censeò procedendum, atque adeo affirmandum non solùm illum verum Parochum tui esse ad matrimonium, in cujus parochia habes domicilium, id est habitationem animo perpetuo manendi, dum commodior non se obtulerit, sed etiam illum in cujus parochia decernis majori parte anni commorari animo postmodum in proprium domicilium revertendi, qualiter procedunt scholastici in universitate, & mercatores in curia, & mercenarii locantes operas: sic latè probat pluribus relatis Sanch. *lib.* 3. *disp.* 23. *à num.* 12. Gutierr. *cap.* 63. *de matr. à num.* 13. Moveor in hanc sententiam, quia esto ex tali habitatione proprium domicilium non acquiras; acquiris tamen quasi domicilium, ibique conveniri potes, ut probat *lex hæres absens*, §. *proinde, in fine, ff. de judiciis.* Et *leg.* 2. *C. ubi de crimine agi oportet.* Et *leg. quisquis, C. si certum petatur*: at habitatio constituens quasi domicilium sufficit per se parochianum constituere, Argum. *cap. fin. de Parochiis.* Et *c. in nostra, de sepultur.* & probari praxis recepta, quippe scholaribus, & mercenariis diuturno tempore habitantibus in parochia solus illius paro-

chiæ parochus Euchariſtiam, & extremam unctionem miniſtrat. Ergo ſignum eſt illorum parochum eſſe cenſendum; ex qua ratione fundamentum primæ ſententiæ ſolutum eſt.

10. Notanter dixi *te in matrimonium conjungere poſſe Parochum illius Parochiæ, in qua decernis majori parte anni habitare*, quia non eſt opus, ut de facto habites, ſatis enim eſt, ſi eo animo habitare incipias, Argum. *l. domicilium, ff. ad Municipal.* juncta Gloſſ. *verbo domicilium*, ut benè notavit Sanch. aliis relatis *d. diſp. 23. num. 14.* Neque eſt ullum inconveniens coram duplici parocho te contrahere poſſe, altero domicilii, altero habitationis diuturnæ, ſicuti ab eiſdem confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta recipere vales, ut colligitur ex *c. 2. de ſepultur. in 6.* & probat Sanch. *diſp. 24. n. 5.* & Gutierr. *c. 64. n. 4.*

11. Verùm quia ſunt alii, qui nec domicilium alicubi habent, neque ex animo habitationem diuturnam, ſed modo hic, modo illic aſſiſtunt, & hinc inde vagantur; horum enim parochus ſine dubio eſt in cujus parochia tranſeunter commorantur, quia nullus alius eſt, cui ſubjici poſſint. Et idem eſt dicendum de iis, qui deſerto domicilio ad novum acquirendum proficiſcuntur extra illam civitatem, dum enim ſunt in via, vagari cenſendi ſunt, & quaſi vagi judicandi: ſic docet Sanch. *diſp. 25. num. 23.* Gutierr. *diſp. 65. num. 2. & 14.* At ut prædictus parochus abſque peccato mortali horum matrimonio interſit, debet priùs licentiam ab Ordinario petere juxta Conc. Trident. *ſeſſ. 24. c. 7. de reformat.* Quod verum eſt, etiamſi unus tantùm ex contrahentibus vagus ſit, alius vero firmum domicilium habeat, ut notavit Sanch. *lib. 3. diſp. 25. n. 9.* Gutierr. *cap. 65. num. 8.* Qui rectè advertunt in ordine ad licentiam petendam ab Ordinario non eſſe cenſendum vagum, qui ex una parochia, vel oppido domicilium mutavit, & in aliam parochiam tranſit non animo ibidem permanendi, ſed inquirendi locum commodiorem, hic enim notus eſt ea in parochia, in qua longo tempore habitavit, ibique denunciationes fieri poſſunt, ceſſatque finis, ob quem Concilium præcepit parochis, ne vagos abſque licentia Ordinarii matrimonio conjungerent, ſcilicet quia ſunt ignoti, & fortè alicubi erunt matrimonio copulati.

§. X.

Quæ conditiones requirantur in Parocho, vel ejus Delegato, ut matrimonio aſſiſtat?

1 *Aliqui exigunt, in Parocho Sacerdotalem dignitatem.*
2 *Verius eſt oppoſitum.*
3 *Satisfit oppoſito fundamento.*
4 *Parochus non Sacerdos matrimonio licitè aſſiſtit, eſto contrà cenſeat* Petr. de Ledeſm.
5 *Qui ex commiſſione Parochi matrimonio aſſiſtit, neceſſariò debet eſſe Sacerdos.*
6 *Parochus eſto excommunicatione innodatus ſit, validè matrimonio aſſiſtit.*
7 *Idem dicendum eſt, ſi ob ejus crimen privatus ſit adminiſtratione Sacramentorum.*
8 *Prædictus Parochus excommunicatus, & interdictus validè concedit licentiam aſſiſtendi matrimonio.*
9 *An ſufficiat Parochum eſſe ſic communiter exiſtimatum.*
10 *Parochus beneficium parochiale obtinens invalidè, matrimonio poteſt aſſiſtere.*
11 *Item Sacerdos, cui Parochus verbis tantùm abſque intentione licentiam conceſſit.*

1. ALiqui exigunt in Parocho ſacerdotalem dignitatem, ut validè matrimonio aſſiſtat, moti ex decreto illo Concilii *ſeſſ. 24. cap. 1.* dicente: *Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote.* Dictio namque *aliud* eſt ſimilium repetitiva. Juxta *l. quidam relatus, ff. de rebus dubiis.* Et tradit Gloſſa *in Auth. Qui ſemel, Cod. quomodo, & quando judex, in verbo aliud.* Et *in leg. ſi fugitivi, C. de ſervis fugitivis.* Archidiac. *cap. ult. de Regularib. in 6.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. q. 80. num. 122.* Et pluribus comprobat Sanch. *lib. 3. de matr. diſp. 20. num. 2.* At in Delegato omnes requirunt ſacerdotalem dignitatem, ergo etiam in Parocho delegante, præcipuè cùm ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine neceſſariò Sacerdos nuptiis aſſiſtebat. Ut conſtat ex his, quæ congerit Gratian. *30. q. 5.* Atque ita docent Navarr. *lib. 1. conſ. tit. de officio Ordin. conſ. 1.* aliàs *lib. 4. tit. de clandeſt. deſponſat. conſ. 10.* Salcedo *pract. c. 73. verſ. decimo quarto, in nova edit.* Alph. à Vemerum. *in append. ad ſpecul. conjug. dub. 5. concluſ. 2.* Et probabilem reputat Petr. de Ledeſm. *de matr. quæſt. 45. art. 5. punct. 3.* Sanch. *dicta diſp. 20. num. 2.*

2. Sed rectiùs contrarium cenſent idem Navar. *lib. 4. conſil. tit. de ſponſalib. conſ. 30.* aliàs *tit. de clandeſt. deſponſat. conſ. 9.* Henriq. *lib. 11. cap. 3. num. 5.* Zeval. *qq. pract. q. 604. num. 56. & 57.* Sanch. *lib. 3. diſp. 20. n. 3.* Gutierr. *de juram. confirm. 1. p. cap. 14. num. 15.* Et *de matr. cap. 62. num. 16* Zenedo *pract. lib. 1. q. 30. n. 54. & ſeqq.* & alii apud ipſos. Ratio eſt, quia hoc decretum Concilii cùm ſit juris communis correctivum, ejus verba non amplianda ſunt, ſed potiùs reſtringenda. At *in prædicto cap.* ſæpè mentionem Parochi fecit, nulla facta mentione ſacerdotis. Non igitur ea qualitas expoſtulanda eſt, quæ ſi neceſſaria eſſet, non omitteretur à Concilio. Adde præſentia Parochi requiritur, ut Eccleſiæ conſtet de matrimonio, quod optimè præſtari poteſt à Parocho non Sacerdote.

3. Neque fundamentum contrarium urget. Fateor namque dictionem *alius*, vel *aliud* aliquando diſſimilia, quod ex ſubjecta materia colligendum eſt, ut benè comprobat Gloſſa *in cap. cœnomatienſis, diſt. 36.* & *cap. ſedes, de reſcript. verbo majores ad finem.* Et *in leg. num. ſolùm, ff. de procuratorib. §. quatuor.* Per Textum *ibi* Et *in leg. 1. ff. de conſtituta pecun. §. debitum.* Et *in leg. in cauſæ verbo competere, ff. de Minorib.* Quare *in Auth. ut defuncti ſeu funera eorum, collat. 5. in princ.* dicitur, *Milites, & ſervus alios plurimos, cùm tamen ſervi milites eſſe nequirent. Leg. ſuper ſervis. C. qui militare poſſunt, vel non, lib. 12.* Et *in Authent. de mandat princ. §. oportet. coll. 3.* inquit textus. *Nulla alia actio, niſi officium Judicis, cùm tamen officium Judicis actio non ſit.* Et in ſacris litteris, Matth. 28. Marc. 15. Et Lucæ, 21. *Ducebantur alii duo nequam. Crucifixi ſunt cum eo alii duo latrones.* Non igitur ex prædicta dictione rectè colligitur Parochum Sacerdotem eſſe debere, præcipuè cum aſſiſtentia Parochi in matrimonium non ex ordine, ſed ex officio Parochi, & quatenus Parochus eſt, juriſdictionem habet, illi competat. Adde etſi concedamus dictionem *alius* in præſenti decreto eſſe repetitivam ſimilium, dicendum eſt factum fuiſſe non ex neceſſitate, ſed quia frequenter, & regulariter contingit Parochum Sacerdotem eſſe. Sicuti *cap. omnis utriuſque ſexus. de pœnitent. & remiſſion.* cavetur neminem poſſe alieno ſine licentia proprii Sacerdotis confiteri; cùm tamen Parochus non Sacerdos hanc licentiam concedere poſſit. Et *c. nuper. de ſentent. excommun. verſ. In ſecundo verò caſu*, committitur abſolutio ab excommunicatione non reſervata proprio Sacerdoti, cùm tamen Parochus non Sacerdos eam præſtare poſſit. Et eandem licentiam poteſt concedere Parochus non Sacerdos Religioſo, ut Sacramenta miniſtret, vitétque excommunicationem latam *in Clem. de privileg.* tametſi ſibi caveatur, ne Religioſus abſque licentia Presbyteri parochialis Euchariſtiam miniſtret. Utuntur enim prædicti Textus nomine *Sacerdotis* non ex neceſſitate, ſed ratione frequentioris uſus, ut benè comprobat aliis relatis Sanch. *diſp. 20. à n. 2.* Gutierr. *de matr. cap. 62. à num. 17.*

4. Sed an licitè Parochus non Sacerdos matrimonio aſſiſtat?

assistat ? difficultate non caret. Nam Petr. de Ledesm. *q.* 45. *de matr. art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 3. *concl.* 3. censet esse peccatum mortale, partim, quia non potest conjugibus benedicere, partim, quia est causa, quòd contrahentes materia probabili utantur in matrimonii contractu, reddántque Sacramentum nullum; cùm negari non possit probabile esse requiri à Concilio præsentiam Parochi Sacerdotis. At contrarium tenendum est cum Sanch. *dicta disp.* 20. *num.* 4. Gutierr. *dict. c.* 62. *n.* 20. eo quod benedictio, quæ non sit inter Missarum solemnia, vulgò *velationes*, sed privatim prolatione illorum verborum: *Ego vos conjungo, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, optimè à non Sacerdote præstari potest. Usus autem materiæ probabilis in administratione Sacramentorum non est per se illicitus, sed solùm quando ex speciali Ecclesiæ præcepto, vel consuetudine vim legis obtinente prohibetur, ut latè probavimus *tract.* 1. *de conscientia, disp.* 2. *punct.* 5. Quare non solùm licitè & validè assistere matrimonio Parochus non Sacerdos potest, sed licentiam assistendi alteri concedere, ut præfati Doctores advertunt, quia cùm in hac potestate utatur jurisdictione ordinaria, potest eam alteri delegare.

5. Ille verò cui Parochus assistendi matrimonio concedere licentiam potest, necessariò Sacerdos est futurus, eo quòd Concilium expressit, *Vel alio Sacerdote*, & verba intelligenda sunt propriè, & juxta communem usum, *c. ex literis, el* 1. *de sponsalib.* Non tamen opus est esse ab Ordinario approbatum ad Sacramenta ministranda, quia concilium eam approbationem non exegit; sic docent aliis relatis Sanch. *disp.* 20. *n.* 10. Zevall. *in suis qq. pract. commun. contra commun. quæst.* 604. *n.* 58. Gutierr. *cap.* 62. *n.* 22.

6. Secundò alii exigunt in Paracho, ne aliqua censura innodatus existat maximè excommunicatione denunciata, qua jurisdictione privatur. Sed oppositum verius existimo, eo quod excommunicatus, suspensus, vel irregularis non eo ipso beneficii possessione privatur, sed verè Parochus est. Concilium autem solùm requirit Parochi presentiam. Ergo sive sit excommunicatus, sive suspensus, & irregularis; sufficit.

Præterea assistentia Parochi requisita est à Concilio, ut authoritatem præstet contractui, non ut actum jurisdictionis exerceat, cùm esto invitus assistat, validè assistit, jurisdictio autem semper voluntariè exercenda est. Neque his obstat, quod excommunicatus nominatim nequeat esse testis, ejusque testimonium nullum sit, *cap. veniens, el* 2. *de Testibus, & attestationib.* & *cap. decernimus, de sentent. excommun.* Et *ibi* Doctores, uti refert Mascard. *de prolat. concl.* 705. Non inquam obstat, quia esto communiter, & regulariter excommunicatus à testimonio proferendo reppellatur, admittitur tamen aliquibus casibus, in quibus infames admittuntur, cum autem ob favorem matrimonii etiam infames admittantur in testes, ut dicemus, & Parochus excommunicatus admitti poterit, ut benè docuit Mascard. *loc. allag.* Atque. ita in terminis docent Petr. de Ledesm. *dicta. q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 3. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 3. *n.* 4. *&.* 5. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 21. *num.* 4. Zevall. *qq. pract. q* 604. *num.* 65. Gutierr. *c.* 62. *num.* 23.

7. Quinimò esto Parochus ob ejus ignorantiam, vel crimen privatus generaliter sit administratione Sacramentorum, vel ob aliquam specialem causam, ne has illas personas matrimonio conjugat, non obinde matrimonium nullum erit, si de facto assistat, quia illa prohibitio tantùm reddit actum illicitum, sed non auferat Parochi qualitatem, quæ solùm est à Concilio requisita, ut benè *ex congregat. cardinal.* tradit Salcedo *in pract. crim. c.* 73. *vers. primum igitur dubium, in nova edit.* Henriq *lib.* 11. *de matr. c.* 3. *num.* 4. Zeval. *d. quæst.* 604. *num.* 71. Sanch. *lib.* 3. *disp.* 21. *numero* 11. Gutierr. *cap.* 62. *de matr. numero* 25. & alii apud ipsos.

8. Hinc infero adversus aliquos Doctores quorum meminerunt Sanch. Zevall. Gutierr. & alii referendi prædictum Parochum excommunicatum & interdictum validè concedere alteri Sacerdori etiam excommunicato, & interdicto licentiam matrimonio assistendi, siquidem Concilium eam potestatem communicandi licentiam permittit Parocho, qui assistere matrimonio potest, neque in Sacerdote, cui Parochus licentiam concedere debet, aliam qualitatem præter Sacerdotium Concilium exigit. Neque. est verum quod tradit Coninch. *disp.* 27. *dub.* 2. *num.* 25. concessionem licentiæ esse actum jurisdictionis, vel dominii, quo excommunicatus nominatim privatur; eo quòd Sacerdotem non Parochum qualificatum, & aptum reddat ad solemnem matrimonii assistentiam, ad quam secluſa illa licentia ineptus erat. Nam esto sit actus dominii, & potestatis, sicuti est suorum bonorum cùm nec sententiam ferat, nec jurisdictionem communicet. Excommunicatus autem non relatus etsi omnino privatus sit jurisdictionis usu, non tamen dominii communicatione, quòd in alium validè transferre potest. Atque ita ut probabilius defendunt Navarr. *cap. placuit, de pœnit. dist.* 6. *num.* 73. Et aliis relatis Sanch. *disp.* 21. *num.* 8. Zeval. *d. quæst.* 604. *num.* 120 Gutierr. *c.* 62. *num.* 24. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *numero* 5. Et *lib.* 13. *cap.* 7. *num.* 7.

9. Tertiò solet ab aliquibus postulari in Parocho, ut validè matrimonio assistat, ut verè Parochus sit, non existimatus. De qua conditione plurima congerit Sanch. *disp.* 22. *per totam*, quorum examinatio potius ad *tractatum de excommun.* vel *pœnitentia* pertinet, quàm ad *præsentem.* Brevitet tamen aperiam quid in hac parte tenendum sit. Et quidem si Parochus intrusus sit in beneficium absque titulo à legitimo Superiore concesso, communis sententia tenet nullatenus valere matrimonium, cui ipse assistit, deficit titulus coloratus, quem jus requirit, gesta ab inhabili valida reputentur, ut latè probat Sanch. *disp.* 22. *num.* 49. & 50. tametsi probabile sit, & rationi consonum solùm communem populi errorem sufficere ad jurisdictionem concedendam, ut latè probat Basil. Ponce, *lib.* 5. *c.* 20. *à num.* 2 quia prescriptione, & consuetudine jurisdictio acquiritur, eámque tribuere potest qui est in possessione delegandi, tametsi verum titulum non habeat. Argum. Textus *in Authent. de Tabellionib.* seu *Novella* 44. *capite* 1. *in fine.* ibi *Documentis propter utilitatem contrahentium non infirmandis, quippè utilitati publicæ maximè expedit, ne gesta ab eo qui communiter potens existimatur, invalida sint, cùm Respublica defectum supplere possit.*

10. Illud verò est certùm, si Parochus beneficium parochiale obtinuit invalidè tamen: quia excommunicatus, vel irregularis erat, vel si validè obtinuit, postea fuit illo titulo privatus, vel à jure, vel per sententiam, sed non beneficio spoliatus stante communi errore vulgi putantes probabiliter ipsum verum Parochum esse, tam matrimonium, quàm alia gesta per ipsum valida sunt: juxta *leg. Barborius Philippus. ff. de officio prætor.* Et *cap infamis*, 3. *quæst.* 7. & pluribus comprobat Henricq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 4. Rodriq. 1. *t. sum. cap.* 2. 9. *num.* 8. Sanch. *disp.* 22. *n.* 5. *c.* 13. 60. & 92. Gutierr. *cap.* 62. *num.* 26. & 27. Jus namque propter vitanda scandala, graviáque inconvenientia, quæ ex nullitate actuum oriri possunt tribuit potestatem iis, qui communiter habere jurisdictionem existimantur. Quod verum est tame si à contrahentibus inhabilitas cognoscatur; quia singularis scientia communem errorem non impedit, ob quem jurisdictio conceditur. Argum. *leg. num. ad ea ff. de legib.* ut notavit Sanchez *dicta disp.* 22. *num.* 42. Gutierr. *cap.* 62. *num.* 26.

11. Ex qua doctrina inferes validè matrimonio assistere Sacerdotem, cui Parochus verbis tantùm absque intentione licentiam assistendi concessit, quia adest communis error, cùm nullitas tituli occulta sit, uti ad-

verſus Petr. de Ledeſm. *quæſt. 45. art. 5. pun. 3. dub. 4. colum. 2.* tradit Sanch. *dicta. diſp. 22. num. 62.* Gutierr. *cap. 62. num. 28.* Quinimò valere matrimonium, eſto verè Sacerdos non ſit, ſed tantùm communiter exiſtimatus, quia licèt Parochus non poſſit licentiam aſſiſtendi non Sacerdoti concedere; at ea conceſſa adeſt titulus præſumptus ſcilicèt licentia, & inſuper communis error, ob quem Eccleſia defectum jure humano inductum ſupplet, ut optimè Sanch. *num. 27.* Gutierr. *num. 26.*

§. XI.

Quis ſit Ordinarius valens aſſiſtere matrimonio, & aſſiſtendi licentiam concedere?

1 *Qui ſint. Ordinarii ex recepta omnium ſententia.*
2 *Vicarium generalem ſecluſa ſpeciali conſuetudine negant plures eſſe Ordinarium.*
3 *Verius eſt oppoſitum.*
4 *Solvuntur oppoſita fundamenta.*

1. COnveniunt omnes Epiſcopum, vel Archiepiſcopum in ſua diœceſi eſſe Ordinarium, non tamen comparatione ſubditorum Suffraganeorum, quia comparatione horum Ordinarius non eſt niſi in caſibus ſpecialibus, deciditur *capite paſtoralis in princ. de officio Ordinarii.* Caſus autem ſpeciales ſunt, Primò, ſi actu viſitaret Suffraganeos; etenim eo tempore Ordinarius cenſetur, teſte Henriq. *lib. 19. c. 13. num. 3.* Sanch. *lib. 3. diſp. 28. n. 3. & 4.* Suar. *t. 4. in 3. p. diſp. 25. ſect. 1. num. 14.* Coninch. *de matr. diſp. 27. nu. 17.* Secundò, extra tempus viſitationis, denegata ab Epiſcopo licentia, fueritque cauſa ad Archiepiſcopum per appellationem devoluta: tunc enim cauſa cognita, & ſententia prolata, cui locus appellationibus non ſit poterit eo matrimonio aſſiſtere, vel licentiam concedere, ſicut reſolvunt Spino *de Teſtam. gloſſ. 15. n. 39.* Segura *director. judic. Eccleſiaſt. 2. p. cap. 15. num. 50.* aliis relatis Sanch. *lib. 3. diſp. 28. num. 4.* Gutierr. *de matr. cap. 66. nu. 3.* Deinde cenſetur Ordinarius Cardinalis reſpectu ſubditorum Eccleſiæ ſui tituli, quia habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem ex Textu *in cap. his quæ de majorit. & obedient.* Et tradunt Navarr. *lib. 4. conſil. tit. de ſponſal. conſ. 47.* aliàs *tit. de clandeſtina deſponſat. conſ. 14. nu. 1.* Sanch *dicta diſp. 28. n. 7.* Gutierr. *c. 66. n. 9.* Item ſunt Ordinarii omnes Legati Pontificis in Provincia ſuæ legationis, poſſunt enim quidquid poteſt Epiſcopus, ut probat Sanch. *num. 8.* Gutierr. *num. 10.* Et *lib. 1. canon. qq. c. 11. n. 6.* Coninch. *diſp. 27. dub. 2. num. 16.* Præterea cenſeri Ordinarium capitulum Sede vacante ſeu ejus Vicarium reſolvunt Coninch. *num. 17.* Gutierr. *dicto c. 66. n. 5.* Sanch. *loco alleg.* & alii communiter. Item Ordinarius cenſetur Abbas Eccleſiæ nulli Epiſcopo ſubjectæ, ut colligitur ex *cap. Joannes de Teſtament.* & tradit Henriq. *lib. 1. de matr. c. 3. n. 4.* Petr. de Ledeſm. *de matr. q. 45. art. 5. pun. 3. paulò ante dub. 4.* Sanch. *dicta diſp. 28. n. 6.* Gutierr. *c. 66. num. 6.* Denique omnes illi qui juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent comparatione ſubditorum Ordinarii cenſentur, ut benè comprobat Sanch. Gutierr. Coninch. *loc. alleg.*

2. Supereſt difficultas de Proviſore, ſeu Vicario generali Epiſcopi, An ſecluſa ſpeciali commiſſione poſſit matrimonio aſſiſtere, & Sacerdoti licentiam concedere? Negant Sotus *in 4. d. 28. q. 4. verſ. circa conceſſiones.* Ant. Gomez *in bulla cruciatæ c. 4. quæſt. numero 21.* Moventur, quia Vicarius inſtituitur ab Epiſcopo; ab eoque recipit juriſdictionem pro libito Epiſcopi reſtringendam, vel ampliandam. Ordinarius autem à ſupremo Principe ſcilicet Pontifice, vel Rege, ſi ſæcularis ſit juriſdictionem recipit, ut conſtat *ex c. à judicib. 2. q. 1.* & docet Gloſſ. *in c. 2. verbo, conſtituuntur. Ne Prælati vices ſuas.* Secundò. Vicarius vices Epiſcopi gerit, *c. Romana initio de appellat. in 6.* ibi, *eorum vices ſupplendo cognoſc.* At Ordinarius non vices alterius gerit, ſed officio proprio fungitur, *lege 1. §. qui mandatum ff. de officio ejus cui mandata eſt juriſdictio.* Tertiò, morte Epiſcopi juriſdictio Vicarii perit: at ordinaria juriſdictio mortuo inſtituente perſeverat, ſecùs delegata. *capite gratum. capite relatum. capite licèt de officio deleg.*

3. Nihilominus dicendum eſt nomine Ordinarii Vicarium generalem Epiſcopi, & Capituli ſede vacante comprehendi, eo quòd Vicarius generalis Epiſcopi unum tribunal cum Epiſcopo, unamque juriſdictionem conſtituat, *ex cap. Romana de appellation. in 6.* & *c. 2. de conſuetudine in 6.* ideóque de Vicario Epiſcopi ad Epiſcopum non eſt appellatio, ut ex eiſdem Textibus conſtat, niſi in cauſis, quæ ex ſpeciali commiſſione Vicario conceduntur, in quibus ipſe eſt delegatus. Quòd ſi objicias ex vi vicariatus ſolùm habere juriſdictionem in cauſis civilibus, & contentioſis, *c. 2. de offic. Vicarii in 6.* quæ non videtur eſſe aſſiſtentia matrimonialis, & fortè ob hanc rationem inquit Conc. Trident. *ſeſſ. 24. c. 20. de reform.* cognitionem cauſarum matrimonialium ad ſolum Epiſcopum pertinere tacitè ejus Vicarium excludens? Reſpondeo negando Vicarium habere tantùm juriſdictionem in cauſis civilibus, & contentioſis, habet enim in cauſis ſpiritualibus ad adminiſtrationem Sacramentorum pertinentibus, neque contrarium probat Text. *in dicto c. 2. de officio Vicarii:* ibi enim cùm dicitur tantùm habere juriſdictionem in cauſis civilibus: non ſpirituales, & matrimoniales excluſit, ſed criminales, quas ex vi vicariatus judicare non poteſt. Neque item obeſt Trident. quia eſto aſſerat ad ſolos Epiſcopos pertinere cauſarum matrimonialium cognitionem, non obinde Vicarium excludit, oportebat namque expreſsè illum excludere, uti factum eſt *ſeſſ. 14. c. 6.* ibi *eis tantùm, non eorum Vicariis ſit permiſſum*, ſicuti annotavit Flam. *lib. 3. de reſignat. benefic. 12. n. 20. & 21.* Sanch. *l. 3. d. 29. n. 16.* Gutierr. *c. 69. n. 7.* Adde etſi ex ratione vicariatus non haberet cauſas matrimoniales Vicarius Epiſcopi cognoſcere, adhuc non infertur validè aſſiſtere matrimonio non poſſe, ſiquidem Parochus cauſas matrimoniales non cognoſcit, & tamen validè aſſiſtit, & licentiam concedit, quia eſt Ordinarius. Quapropter tenendum eſt Vicarium Epiſcopi, & Capituli, & eſſe Ordinarium, & poſſe licitè & validè matrimonio aſſiſtere, & licentiam alteri Sacerdoti aſſiſtendi concedere, ut benè ex communi ſententia docuerit Petr. de Ledeſm. *in ſum. 1. p. de Sacram. matr. c. 4. concl. 4 dub. 17.* Henriq. *lib. 11. c. 3. n. 4.* Sanch. *lib. 3. diſp. 29. num. 18.* Gutierr. *canon qq. lib. 1. c. 19. n. 13.* Et *tr. de matr. cap. 66. n. 12.* Et *c. 69. n. 9.* Coninch. *diſp. 27. dub 2. n. 17.* Laym. *lib. 5. ſum. tract. 10. 2. p. c. 4. n. 5.* Baſil. Ponce, *lib 5. c. 11. n. 1.* Gaſpar Hurtado *diſp. 5. de matr. difficult. 9. num. 32.*

4. Ex his facilè argumenta oppoſita ſolvuntur. Ad primum concedo pertinere ad Epiſcopum deſignare vicarium, at eo nominato non ab Epiſcopo, ſed à jure, ſupremóque capite juriſdictionem recipit. Quod autem aliquando latiorem, amplioremque juriſdictionem habeat, id eſt, quia ab Epiſcopo ſpecialiter conceditur poteſtas, & juriſdictio ultra à jure conceſſa, quæ juriſdictio ſi ſpecialiter committatur huic perſonæ quatenus talis eſt, eſt juriſdictio delegata: at ſi committatur ratione vicariatus, ut, ſi in litteris diceret Epiſcopus: huic noſtro Vicario, & Officiali concedimus &c. Aut ejus juriſdictio ordinaria volumus, ut ad hanc, vel illam cauſam cognoſcendam extendatur; tunc juriſdictio non delegata, ſed ordinaria erit, ut benè comprobat Sanch. *lib. 3. diſp. 29. nu. 8.* quin principalis juriſdictio trahit ad ſe minus principalem, éique annexam, *cap. quod in dubiis de conſecrat. eccleſſ.* Et expreſsè decidi-

tur

tur *cap. translato de conditionib.* ibi *Quia simul & ab eodem, sub eadem sponsione vtraque data sunt, quod de vno dicitur, necesse est quod de altero intelligatur.* Ad secundum respondeo Delegatum vices gerere delegantis in diverso, tribunali, at Vicarius non gerit vices Episcopi in diverso, sed in eodem tribunali, ut constat ex *dicto cap. Romana*, ob quod non conceditur appellatio à Vicario Episcopi ad Episcopum, nisi in causis, in quibus Vicarius fuerit delegatus. Ad tertium: quando jurisdictio ordinaria non est eadem cum instituente perseverat eo mortuo: at cùm jurisdictio Vicarii eadem sit cum jurisdictione Episcopi finitur Vicarii jurisdictio etiam quoad negotia cœpta, ut multis probat Sanch. *lib. 3. disp. 30. num. 2. & 3.* Gutierr. *de matr. c. 6. n. 14.*

Notanter dixi *Vicarium generalem*, ut excluderem foraneum; hic enim neque Ordinarius est, nec per se assistere matrimonio potest, aut licentiam concedere, nisi ea potestas ei fuerit specialiter commissa, ut ex communi sententia docet Sanch. *d. disp. 29. n. 20.* Gutierr. *cap. 67. num. 16.* Et *cap. 67. num. 12.*

§. XII.

Qualiter Parochus, & Ordinarius licentiam assistendi matrimonio concedere possint, & debeant?

1 *Valet licentia generaliter, & verbo tenus concessa.*
2 *Item metu, vel dolo obtenta.*
3 *Tacitam licentiam in sufficientem esse firmarunt plures.*
4 *Sub distinctione respondetur.*
5 *Qualiter ratihabitio sufficiat.*
6 *Licentia Sacerdoti concessa sub generalibus verbis, vel specialiter debet ipsi Sacerdoti constare.*
7 *Sacerdos non debet credere contrahentes impetrasse licentiam.*
8 *Vice-Parochus potest hanc licentiam sicut & Parochus concedere.*
9 *Parochus interdictus ab Ordinario ne licentiam concedat, si de facto eam concesserit, valida est,*
10 *Licentia semel data revocari potest.*

1. NOn est opus licentiam in particulari concedi, aut in scripto, sed verbò tenus, & generaliter concedi, poterit, ut decisum refert à Congregat. Cardinal. Farinac. *volum. 4. pag. 67.* Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 3. num. 5.* Sanch. *lib. 3. disp. 35. nu. 10.* Zevedo. *pract. 9. lib. 1. quæst. 30. num. 80.* Basil. *lib. 5. cap. 29. num. 12.* eo quòd Concilium solùm exegerit licentiam, neque addiderit in particulari, aut in scriptis. Censetur autem generaliter concessa, si Sacerdoti committas, ut exerceat omnia Parochi munia. An autem concessione ministrandi omnia Sacramenta censeatur concedi? variant Doctores. Nam Coninch. *disp. 27. dub. 3. numero. 30.* Henriq. *lib. 11. c. 3. num. 5.* Gaspar Hurtado *disp. 5. diffic. 11. num. 37.* negant eo quòd matrimonium non administretur à parocho, vel Sacerdote. Sed rectiùs meo judicio procedit Basil. Ponce, *lib. 5. cap. 29. in princ.* affirmans sufficienter prædictis verbis licentiam assistendi matrimonio esse concessam, quia esto in rigore matrimonium non administretur à Parocho, vel Sacerdote, impropriè tamen ministratur, quatenus ejus præsentia nomine Ecclesiæ matrimonii administrationi necessaria est, sicque fuit à sacra Congregat. decisum, teste Farinac. *volumin. 4. pagin. 275.* ibi *Requiritur commissio generalis administrandi Sacramenta, vel si hæc absit expressa, vel specialis licentia.*

2. Rursus valere prædictam licentiam etsi metu vel dolo obtenta sit, firmarunt Sanch. *lib. 3. disp. 39. num. 13. & 14.* Coninch *disput. 27. num 37.* Gutierr. *de matrim. cap. 69. num. 14. & 15.* Gaspar Hurtado *de matrim. disputat. 5. difficult. 11. in fine*, eo quòd per hanc licentiam nihil concedatur Sacerdoti, quod in ejus dominium transeat, quippè solùm conceditur ejus personali assistentiæ valor, ut matrimonium firmet, cùm ergo prædicta licentia sic extorta non irritetur à jure, efficitur validam esse.

3. Difficultas autem est, An tacita licentia sufficiat? Negant Menoch. *de arbitrar. casu 453. n. 13. & 14.* Et *cons. 88. num. 7.* Petr. de Ledesm. *1. part. sum. de Sacram. matrim. cap. 6. conclus. 4. dub. 14.* Henriq. *lib. 11. cap. 3. num. 5. litt. V.* Zevallos *in suis qq. communib. quæst. 604. nu. 114.* Zenedo *pract. canon. lib. 1. q. 30. num. 79. in fine.* Gonzalez *ad reg. 8. cancellar. gl. 47. num. 52.* testatúrque à sacra Congregatione decisum in hæc verba. *Non sufficit tacita licentia, quæ resultat ex tolerantia.* Moventur, quia Concilii verba expostulantis licentiam propriè sunt intelligenda.

4. Cæterùm distinguendum est in tacita licentia, & affirmandum tacitam licentiam de præsenti, quam censetur Parochus concedere videns Sacerdotem nomine suo se disponere ad matrimonium assistendum, cùm facile posset impedire sufficientem esse: sic ex communi sententia docent Sanch. *lib. 3. disput. 35. num. 20.* Coninch. *disput. 27. dub. 3. num. 31.* Basil. Ponce, *lib. 5. cap. 29. num. 1.* Gaspar Hurtado *disp. 5. diffic. 11. num. 38.* Etenim ille tacitus consensus signo illo exteriori expressus vera licentia est actum matrimonii antecedens, ergo sufficit. At si licentia tacita non antecedat matrimonium, sed illud subsequatur, quæque vocatur ratihabitio de futuro, nullatenus sufficit ad valorem matrimonii, ut rectè docent Zenedo *dicto. lib. 1. quæst. 30. num. 78.* Sanch. Coninch. Basil Hurtado *loc. alleg.* siquidem matrimonium non fit præsente Parocho vel Sacerdote qui à parocho habeat licentiam, sed qui habiturus esset, si peteret, præsumitque suam assistentiam non fore illi ingratam, cùm tamen Concilium exigat assistentiam Parochi, vel alterius Sacerdotis ex licentia Parochi.

5. Quod si objicias ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari, regula *ratihabitionem de regulis juris in 6.* etsi mandatum matrimonio præcessisset validum esset matrimonium ex mandato Parochi celebratum, ergo etiam ex ratihabitione postea subsequente? Et confirmari potest quia, administranda Sacramenta Eucharistiæ, extremæ Vnctionis ratihabitio sufficit de futuro, ergo etiam sufficere debet ad matrimonium, siquidem omnia hæc absque Parochi licentia ministrari nequeunt. Clement. *dudum. §. verum ne parochialis de sepultur.* Et Trident. *sess. 24. cap. 13. de reformat.* Respondeo ratihabitionem mandato comparari, & retrotrahere ipsum actum, quando valor actus pendet ex sola voluntate mandantis, at contractus matrimonii pendet à multis capitibus, scilicet à consensu contrahentium, à testium, & Parochi, vel alterius Sacerdotis ex licentia Parochi præsentia, quæ cùm adsit, invalidus est actus, nequit ergo ex voluntate Parochi tantùm reddi postea validus, ad confirmationem dico esse latum discrimen inter administrationem Eucharistiæ, & matrimonii præsentiam. Nam licentia Parochi pro ministranda Eucharistia non exigitur, ut validè ministretur, sed ut licitè ideóque non est necesse, quod præcedat ministrationem, sed sufficit probabilis præsumptio illius futuræ. Secùs in matrimonii præsentia ad cujus valorem licentia Parochi postulatur, cùm igitur illam non habeat sed solùm habeat spem, & præsumptionem dandam fore, non poterit validè assistere, & sic intelligenda est declaratio Cardinalium.

6. Hæc inquam licentia Sacerdoti concessa sub generalibus verbis vel specialiter, & in particulari ut valeat necessariò debet constare ipsi Sacerdoti, vel per epistolam, vel nuncium missum à concedente: est enim quoddam privilegium, & quasi quædam donatio, quæ non prodest quousque accepretur, acceptari autem non potest, nisi agnoscatur. Argum. Textus *cap. si tibi absenti, de prabend. in 6.* Et *cap. 1. ad medium verf.*

ex

ex pater. de conceſ. præb. in 6. Solùm eſt dubium, An ſufficiat, quod nuntius à Sacerdote miſſus licentiam acceptet, ut ipſe Sacerdos validè matrimonio aſſiſtat, tametſi ignoret licentiam datam eſſe, & à ſuo nuncio acceptatam? Negat Gaſpar Hurtado *diſp. 5. de matrim. diffic. 13.* Et Baſil. *cap. 29. num. 8.* moti ea ratione, quia non eſt credendum Conc. Trident. & Parochum velle, ut licentia valeat, quouſque is, cui conceditur ea licitè uti poteſt; at ignorans licentiam ea illicitè utitur ut de ſe conſtat. Rectius tamen contrarium cenſent Sanch. *dicta diſp. 36. nu. 2.* Coninch. *diſp. 27. dub. 3. num. 3* Quorum ratio eſſe poteſt, quia cujuſlibet beneficii, privilegii, diſpenſationis, facultatis, & gratiæ conceſſio à puncto acceptionis factæ à nuncio ad id ſpecialiter deſtinato habet effectum, ut communiter Doctores tradunt, & colligitur *ex cap. ſi tibi abſenti, de præbend. in 6.* Ergo idem eſt dicendum de prædictæ licentiæ conceſſione, cùm nullum ſit fundamentum aliam conditionem novam exigendi; nam quod Sacerdos ea uti non poſſit licitè, quouſque ſibi innoteſcat eſſe conceſſam per accidens eſt, neque valorem licentiæ impedit, ſicut neque cujuſvis alterius facultatis.

7. Monent tamen communiter Doctores Baſil. *lib. 5. cap. 29. num. 8.* Sanch. *lib. 3. diſp. 37. n. 2.* Coninch. *diſp. 27. dub. 3. in fine.* Sacerdotem regulariter non debere credere affirmantibus ab Ordinario; vel parocho impetraſſe licentiam matrimonio aſſiſtendi, præcipuè ſi velint contrahere abſque denunciationibus, quia inde graviſſima inconvenientia oriri poſſunt, niſi fortè perſonæ eſſent tam gravis authoritatis, ut nulla fraudis ſuſpicio adeſſet. Neque obſtat affirmanti ſe habere facultatem à proprio Sacerdote alteri confitendi credi debere, ut inde inferas idem eſſe dicendum in matrimonio: eſt enim diverſa ratio. Nam pœnitentiæ Sacramentum ſolùm reſpicit pœnitentis ſalutem, ideóque non eſt veriſimile ibi fallaciam ſubeſſe: at matrimonium & ad forum externum pertinet, & plura emolumenta temporalia ex eo appeti poſſunt quæ facilè ſolent mentes hominum evertere.

8. Prædictam licentiam non ſolùm Parochus, & Ordinarius concedere poſſunt alteri Sacerdoti, ſed etiam vice parochus ad breve tempus conſtitutus, quia eſto ſint Delegati, ad univerſitatem cauſarum, ideóque unam vel alteram cauſam ſubdelegare poſſunt: Argum. *l. 1. §. ab eo ff. quis, & à quo.* Et *cap. cùm cauſam, verbo delegatus, de appellation.* alium tamen vice curatum conſtituere non poteſt, niſi aliter conſuetudo obtineat, ut obtinere ad breve tempus teſtatur Adrian. & Metimna, quos refert, & ſequitur Sanchez *diſputat. 31. n. 15.* Qui poterit alteri Sacerdoti licentiam ad aſſiſtendum matrimonio concedere, quia non eſt delegatus à delegato, ſed ab Ordinario tacente, & conſentiente in tali conſuetudine, ut per abſentiam vicecuratus alius ad breve tempus ſubſtituatur. ut bene Sanchez *ſuprà*, quibus conſentit Gaſpar Hurtado *diſputat. 5. difficultat. 10. num. 34. & 35.*

9. Sed quid ſi Parocho interdictum ſit ab Ordinario, ne ulli Sacerdoti licentiam ad aſſiſtendum matrimonio concedat? Reſpondeo conceſſionem ſi fiat illicitam fore; validam tamen eſſe, dum prohibitioni non eſt adjectum decretum irritans, ut deciſum à congregatione Cardinalium teſtatur Sanch. *lib. 3. diſp. 31. n. 2.* Salcedo *c. 73. ſuæ practicæ §. primum igitur dubium.* Zevall. *quæſt. 604. num. 71.* Gutierr. *cap. 67. per totum.* Et colligitur manifeſtè *ex cap. 2. de matrim. contracto contra interdict. Eccleſ.* Idem cenſeo dicendum de licentia conceſſa Sacerdoti ſub onere præmittendi denuntiationes, indagandi impedimentum, aliàmve diligentiam præſtandi, dum enim non additur decretum irritans, cenſeri debet prædictam diligentiam præcipi non in vi conditionis, ſed oneris, & obligationis maximè ſi ſit diligentia, quam jus commune poſtulat, uti tradit Sanch. *dict. diſp. 32. & 33.* & Coninch. *diſp. 27 dub. 3. à n. 33.*

10. ad extremum licentia ſemel data revocari poteſt, at non eſt cenſenda revocata, quouſque revocatio per epiſtolam vel certum nuntium ſignificata ſit ei cui eſt licentia conceſſa, ut benè docuit Sanch. *lib 3. diſp. 36. n. 9.* Coninch. *diſp. 27. dub. 3. num. 32. verſ. ſeriò* Gaſpar Hurtado *diſp. 5. diffic. 13. in fine num. 45.* Quod ſi aliquis poſt contractum matrimonium opponat Sacerdotem caruiſſe licentia, vel quia fuit revocata, tenetur probare, aliàs credi non debet, ut notat Maſcard. *de probat. concl. 982.*

§. XIII.

De teſtibus pro matrimonio contrahendo à ſacro Canonico requiſitis.

1 *Quid Concilium de teſtibus decernat.*
2 *Aliqui affirmant teſtes omni exceptione majores requiri.*
3 *Oppoſitum omnino tenendum eſt.*
4 *Satisfit fundamento* num. 2. *adducto.*

1. SAcrum Concilium Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. matrimonii* exigit; ut ſimul cum Parocho, vel alio Sacerdote de licentia Parochi duo, vel tres teſtes aſſiſtant matrimonio contrahendo, aliàs contractus irritus, & nullus ſit. Hos tamen teſtes neceſſarium non eſt eſſe rogatos, quia ea qualitas à Concilio non exigitur, ut benè notarunt Gregor. Lop. *leg. 1. verbo, ſin teſtigos, tit. 3. part. 3.* Caldas Pereira *de empt. & vend. cap. 6. numero 22.* Henriq. *lib. 11. cap. numero 9.* Sanch. *lib. 3. diſp. 41. num. 7.* Gutierr. *de matrim. cap 44. num. 77.* Et *cap. 55 in fine.* Quinimo ſufficiunt, quamvis vi detenti, & repugnantes interſint, modò percipiant contractum celebratum, ſicut de Parocho diximus, quia ea vis non impedit, quin poſſint de matrimonio teſtari, uti tradit Zevall. *in ſuis qq. pract. quæſt. 604. num. 82.* Sanch. *lib. 3. diſp 39. num. 9.* Coninch. *diſp. 27. n. 44.* Cenedo *pract. & canon. qq. lib. 11. quæſt. 80. num. 108. ad finem.*

2. dubium tamen eſt, an ii teſtes debeant eſſe omni exceptione majores? Affirmant aliqui Neotherici, eo quod Concilium eorum præſentiam exigat, ut de matrimonio conſtet ex eorum teſtimonio, at teſtes minus idonei non plenè probant. Quinimo ſæpe à teſtimonio dicendo repelluntur, uti ſunt infames, aut alio vitio notati, ut ergo fini Concilii fiat ſatis, neceſſario teſtes omni exceptione majores debent adhiberi, quales, ſpectato jure antiquo ad probationem matrimonii requirebantur, juxta Textum *in cap. ſuper eo el 2. de teſtibus.* Et *leg. 16. tit. 9. part. 4.* Et tradit aliis relatis Maſcard, *de probat. concl. 1023. num. 4.* Anton. Gab. *tom. 3. commun. opin. lib 1. tit. de teſtib. concl. 8. num. 3. verſ. contrarium*, adde cauſa matrimonialis eſt cauſa ardua, & gravis, neque tractari per quouſque judices ex Textus *in cap. 1. in fine de conſanguinit. & affinit.* At in cauſa ardua non amittitur teſtis, cujus fides ob aliquam rationem infirmari poſſit. *Cap. licèt §. quanquam autem de probat.* Ergo.

3. Cæterùm communis ſententia, & omnino tenenda aſſerit quoſcumque teſtes modo rationis uſum habeant ſufficientes eſſe ad matrimonii valorem, illiuſque probationem, tametſi conſanguinei, & parentes ſint contrahentium, vel illorum ſervi, & familiares, vel eſto ſint fœminæ, & infames, & excommunicati, quia Concilium ſolùm exigit duorum teſtium præſentiam nulla illis addita qualitate, ergo non eſt à nobis addenda, maximè cùm hoc decretum ſit correctorium juris communis, ubi nulla teſtium præſentia pro valore matrimonii requiſita erat, ac proinde interpretandum eſt, ut quam minus fieri poſſit prædictum jus commune corrigat. Præterea eſto teſtes per ſe admittendi non eſſent ad matrimonium ob eorum vitium, & defectum quia tamen admittuntur ſimul cum Parocho,

ex

ex ejus præsentia eorum vitium suppletur, ut multis comprobat Anton. Gab. *loc. cit. concl. 5. n. 1.* Denique suppletur eorum defectus, quia regulariter sunt à contrahentibus electi, & rogati, ut ex communi sententia testatur Farinac. *de oppos. contra testes, quæst. 54. num. 40.* Et *quæst. 62. num. 110.* Sanch. *disp. 41. num. 5.* Gutierr. *cap. 44 num. 74.*

4. Ex is facilè solvitur oppositum fundamentum, testes namque requisiti à Concilio non sunt ad probationem matrimonii aliàs contracti, sed ad probationem matrimonii. Quod ex eorum præsentia contrahitur, de cujus probatione nihil jura statuerunt, ideóque standum est naturali legi, quæ cujúsvis testimonio rationis usum habentis contenta est. Adde eorum vitium ex præsentia Parochi suppleri.

§. *Ult.*

De pœnis Matrimonii clandestini.

1 *Probabile est matrimonium omissis denunciationibus clandestinum non esse, nec subjectum pœnis. Sed oppositum est probabilius.*

2 *Pœnæ contrahentium clandestinè est quòd filii illegitimi sint.*

3 *Requiritur esse matrimonium in gradibus prohibitis contractum.*

4 *Item ut soboles suscepta sit durante inhabilitate, & clandestinitate.*

5 *Matrimonium clandestinum validum legitimat prolem.*

6 *Secunda pœna contrahentium clandestinè est ne conjux spoliata viro ei restituatur.*

7 *Tertia, ut matrimonium publicum præferendum sit clandestino.*

8 *Quarta ut spe dispensationis careant contrahentes, si in gradibus prohibitis contraxerint.*

9 *Quinta redduntur inhabiles ad sic contrahendum.*

10 *Subduntur gravi pœnæ arbitrio Ordinarii imponendæ. Imo judex secularis sic contrahentes punire potest.*

11 *Qualiter exhæredationis pœna afficiantur contrahentes clandestinè.*

12 *Parochus, vel alter Sacerdos de ejus licentia assistens matrimonio omissis culpabiliter denuntiationibus triennio suspensus est.*

13 *Non est extendenda hæc pœna ad Sacerdotes vagos absque Ordinarii licentia conjungentes.*

14 *Ab hac triennali suspensione nequit Episcopus absolvere, etsi alii contrarium sentiant.*

15 *Parochus, vel alius Sacerdos assistens matrimonio non sibi subditorum, aut prædictos sponsos benedicens suspensus est, quousque Ordinario illius Parochi visum fuerit.*

1. PLurimùm pendet decisio hujus quæstionis ex his quæ §. 1. diximus, quodnam sit matrimonium clandestinum? Nam propriè, & in rigore clandestinum censendum sit, quod est præsente Parocho, testibus celebratum, ut diximus *illo* §. 1. communem esse sententiam, pœnis antiquo jure impositis matrimonio clandestino affici dicendum est: sed quia prædictum matrimonium clandestinum non esse docuerunt Palacios *in 4. d. 28. disput. 3.* Petr. de Ledesm. *q. 45. art. 5.* Molin. *t. 1. de justit. tract. 2. disp. 176.* Gaspar Hurtado *disp. 5. difficult. 22.* Candelab. autem, *1. p. num 243.* Ideò probabile est ab illis pœnis prædictum matrimonium excusari. Ex his sententiis prior utpotè communior nobis probatur, quam docent Sanch. aliis relatis, *lib. 3. disp. 1. num. 7.* Henriq. *lib. 11. cap. 6. num. 2.* Gutierr. *cap. 75. per totum.* Basil. Ponce, *lib. 5. cap. 37. n. 6.* Coninch. *disp. 27. dub. 9. in fine.* Moveor ex *cap. fin. §. si quis verò, de clandest. de sponsat.* ubi clandestina conjugia appellantur, quæ prætermissis denunciationibus contrahuntur, tametsi publicè contrahantur, quia contrahuntur absque solemnitate à jure requisita, ut benè Bart. *in leg. fin. ff. de Ritu nuptiar.* Neque obstat Concilium *sess. 24. cap. 1.* matrimonia clandestina irritans, & annullans, cùm tamen celebrata præsente Parocho, & testibus omissis denuntiationibus non irritaverit, quia non irritavit quòdlibet clandestinum, sed clandestinum absque ea solemnitate factum tametsi coram omni populo fieret. Neque item obstat quod *dicta sess. 24. c. 1.* pœnam apponens contrahentibus in gradu prohibito non præmissis denuntiationibus, nullam clandestini matrimonii mentionem fecerit? quia non negavit: præterquàm quod id factum est, ut locus daretur opinioni neganti propriè clandestinum esse, & in pœnam appositam in *dicto cap. fin.* incidere. Cùm ergo ab antiquo jure recedendum non sit nisi quatenus novo sit expressè correctum, efficitur sanè clandestinum matrimonium dici, quod omissis denunciationibus celebratur, siquidem in Conc. Trident. non invenitur expressè correctum Hoc posito.

2. Prima pœna, quæ contrahentibus clandestinè, hoc est omissis denuntiationibus ipso jure apponitur, est illegitimitas filiorum, qui ex tali matrimonio concepti fuerint, si forte contraxerint in gradibus ab Ecclesia prohibitis. Habetur expressè *c. fin. de clandest. desponsat.* ibi. *Si quis verò hujusmodi clandestina, vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione concepta prorsus illegitima censetur de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cùm illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur.* Pari modo proles illegitima censetur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserunt.

3. Circa hanc pœnam adverte requiri matrimonium esse invalidum, ut constat ex illis verbis *si quis in gradibus prohibitis.* Aliquibus tamen placet ex quocunque capite hæc nullitas proveniat hanc pœnam habere locum.

Nam esto *in prædicto cap. fin.* apponatur pœna contrahentibus in gradibus prohibitis, ratio verò decidendi eadem est in quocunque impedimento, quod per denunciationes manifestari poterat, cùm parentes censeantur affectatores ignorantiæ, impedimento aliquo ligati, quod denunciationibus agnosci poterat contrahant omittentes denunciationes. Secundo *c. 2. & 14. Qui filii sint legitimi* deciditur eos legitimos esse, qui bona fide saltem unius conjugis suscepti sunt, & in facie Ecclesiæ. Tacitè ergo à legitimitate excluduntur filii, qui mala fide suscipiuntur, ut contingit in his qui omissis denunciationibus impedimento ligati contrahunt. Atque ita tenet Coninch. *disp. 27. dub. 9. à n. 77.* Sanch. *lib. 3 disp. 42. n. 4.* Sed rectiùs Basil. Ponce, *lib. 5. de matr. c. 37. n. 7.* censet hanc pœnam illegitimitatis solùm habere locum in contrahentibus clandestinè in gradu prohibito, scilicet consanguinitatis, vel affinitatis, quia Textus *in d. c. fin.* id tantùm expressit, & pœnæ extendendæ sunt, tametsi eadem ratio procedat. Neque obstant Textus in contrarium allegati. Fateor namque esse judicandos legitimos, qui bona fide parentum suscepti sunt; inde tamen solùm inferri potest omnes susceptos mala fide parentum illegitimos esse censendos, sed non eos qui ex mala fide præsumpta suscipiuntur, quales sunt suscepti omissis denunciationibus à parentibus qui credebant nullum impedimentum subesse.

4. Secundo nota ad prædictam pœnam incurrendam requiri sobolem susceptam esse de tali conjugio invalido durante inhabilitate, & clandestinitate. Si enim tollitur clandestinitas, quia publicatur nimis matrimonium, & insuper per sententiam ab Ecclesia validum judicatur, filii nati post talem publicationem, & approbationem legitimi esse censentur, etiamsi forte post-

modum

modum detegatur impedimentum, quia caſu, & per accidens antea detectum non fuit, habetur expreſsè *c. quod nobis, qui filii ſint legitimi*, ibi: *Si qui de matrimonio clandeſtino poſtmodum ab Eccleſia comprobato nati fuerint eos legitimos judices filios, & hæredes, ideſt ſi generati fuerint, aut nati ex cladeſtino matrimonio, ab Eccleſia tamen tempore conceptionis, vel nativitatis ut valido comprobato.* Et *c. 2. de clandeſt. deſponſat.* inquit Textus. *Verùm ſi perſonæ contrahentium hæc voluerint publicare, niſi rationabilis cauſa præpediat ab Eccleſia recipienda ſunt & comprobanda tanquam a principio in conſpectu Eccleſiæ contracta.* Quod ſi objicias filii nati à conjugibus impedimenti conſciis etiamſi publicè contrahant, & ab Eccleſia eorum matrimonium poſtmodum per diſpenſationem approbetur, non efficiuntur legitimi, quia tempore conceptionis, vel nativitatis non poterant validè contrahere *c. tanta, qui filii ſunt legitimi*: Sed qui prætermiſſis denunciationibus invalidè contraxerunt tanquam conſcii impedimenti judicandi ſunt, cùm mala fide, & ignorantiæ affectatores proceſſerint. Ergo quantumcunque poſtea eorum matrimonium ab Eccleſia approbetur, filii inde nati non ſunt judicandi legitimi impedimento detecto? Neganda inquam eſt conſequentia, & ratio differentiæ eſt, quia matrimonium illorum qui conſcii erant impedimenti tam de facto, quàm ſecundùm eorum exiſtimationem invalidum erat. Secus verò matrimonium illorum, qui ignorantes in gradibus prohibitis contrahunt, quia ſaltem quo ad eorum exiſtimationem eſto culpabilem validè contrahunt. Quapropter nihil mirum ſi talis defectus approbatione Eccleſiæ ſuppleatur, à qua ſimilia matrimonia, ut inquit Textus *in cap. 2. de clandeſt. deſponſat.* recipienda ſunt, & comprobanda, niſi rationabilis cauſa præpediat, hoc eſt niſi aliquod impedimentum tali approbationi offeratur.

5. Tertiò eſt notandum, matrimonium clandeſtinum validum legitimare prolem ſuſceptam à parentibus, qui tempore conceptionis, vel nativitatis prolis erant ad contrahendum; quia in *ſupradicto cap. fin.* ſolùm redduntur illegitimi filii, qui ex matrimonio clandeſtino in gradibus prohibitis ſuſcepti ſunt. Quod extendendum non eſt ad caſum diſſimilem, ut pluribus comprobat Sanch. *lib. 3. diſput. 44.*

6. Secunda pœna contrahentium clandeſtinè ex jure antiquo eſt, ne conjux ſpoliata à viro ei reſtituatur ante omnia. Nam eſto regulariter ſpoliatus debeat ante omnia reſtitui *cap. ex conqueſtione. Capite litteras, de reſtitut. ſpoliat.* at in pœnam clandeſtinitatis hoc beneficio privatur juxa Gloſſam. *verbo legitimè, in cap. ex tranſmiſſa, de reſt. ſpoliat.* & tradunt ibi Doctores apud Sanchez *dict. lib. 3. diſput. 45.*

7. Tertia eſt ut matrimonium publicum præferendum ſit clandeſtino, niſi hoc efficaciter probetur. Sed huic duplici pœnæ poſito Conſil. Trident. ferè non eſt locus, nam ſi matrimonium contractum eſt abſque Parocho, & teſtibus cùm matrimonium non ſit, numquam ſpoliatus reſtituendus eſt, neque ejus matrimonium præferendum. Si verò, & teſtibus præſentibus ſit celebratum, eſto omiſſis denunciationibus ante omnia conjux alteri reſtituitur? neque adverſus hoc matrimonium legitimè probatum aliud quodcunque poſtea ſubſequens vim habere poteſt.

8. Quarta pœna contrahentium clandeſtinè, hoc abſque præviis denunciationibus præſentibus tamen Parocho, & teſtibus à Concilio requiſitis eſt, ut ſpe diſpenſationis careant, ſi fortè in gradibus prohibitis etiam ignoranter contraxerint, quia ut inquit Conſil. *ſeſſ. 24. cap. 5. de reform. matrimonii.* Non eſt dignus qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cujus ſalubria præcepta contempſit. Quod ſic debet intellegi, ut Pontifex non cenſendus ſit diſpenſaturus ex qualibet cauſa, ſed gravi, & urgenti, ne gubernationi communi Eccleſiæ præjudices, cui convenit ſe in hac parte difficilem oſtendere; ideóque diſpenſandus debet mentionem talis delicti facere: aliàs diſpenſatio impetrata nulla erit, ut benè Sanch. *diſp. 45. numero. 3.* Coninch. *diſp. 27. dub. 9. numero 81.* Gutierr. *de matr. cap. 75. numero. 2.*

9. Quinta pœna contrahentibus clandeſtinè abſque Parocho, vel teſtibus ſtatuitur à Concilio *ſeſſ. 24. cap 1. de reformat.* ut inhabiles ſint ad ſic contrahendum, hoc eſt ad contrahendum eo clandeſtino modo. Quare ſi volunt poſtmodum publicè, & juxta Eccleſiæ ritum contrahere, non eſt dubium, quin habiles exiſtant, ut pluribus firmant Gutierr. *c. 75. n. 4.* Sanch. *ſuprà, diſp. 46. n. 2.* Baſil. *lib. 5. cap. 37. n. 13.* Coninch. *diſp. 27. dub. 9. n. 80.*

10. Inſuper ſubduntur gravi pœnæ arbitrio Ordinarii imponendæ, ita ut Ordinarius ſub gravi culpa eos punire teneatur, ut conſtat ex illis verbis Concilii, quæ præceptum ſignificant. Necnon & ipſos contrahentes arbitrio Ordinarii graviter puniri præcipit, & notarunt Sanch. *d. diſp. 46. numero 7.* Gutierr. *cap. 75. n. 3. & 9.* Coninch. *dub. 9. num. 83.* Quinimo non ſolùm Ordinarius, ſed etiam Judex ſæcularis poteſt prædictos contrahentes punire, ſicuti relatis Gutierr. Azevedo, & aliis docuit Sanch. *d. lib. 3. diſp. 54. n. 4.* eo quòd ſæcularis Judex habet juriſdictionem in perſonam, & ex alia parte conſtat de delicto. Si verò neceſſarium fuerit prius cognoſcere, an contrahentes clandeſtinè contraxerint placet Covaruv. *4. decret. 2. part. cap. 8. §. fin. num. 2.* cognitionem remittendam eſſe Judici Eccleſiaſtico. Sed oppoſitum eſt ſatis probabile, nam eſto cauſæ matrimonialis cognitio per ſe ſolùm Epiſcopis concedatur: attamen cùm cognitio non eſt de jure, ſed de facto, an ſcilicet clandeſtinè contraxerint, non eſt cur laicis hæc poteſtas denegetur. Non enim ipſi cognoſcunt, an validum ſit matrimonium, vel non, vel quale matrimonium clandeſtinum ſit dicendum, ſed his poſitis, ab Eccleſiáque definitis procedunt inquirentes, an contractum ſit matrimonium contra Eccleſiæ ſtatuta? Unde quæſtio per ſe non eſt de jure, ſed de facto; in qua quæſtione inquit Sanch. *loc. cit.* poteſt Judex ſæcularis ferre ſententiam.

11. Ultra prædictas pœnas clandeſtinè contrahentibus impoſitas jure civili regio additur exhæredatio, quam facere poſſunt parentes filiis ſic contrahentibus: ſicuti habetur *l. 49. Tauri*, quæ eſt lex *1. tit. 1. lib. 5. recop.* ibi: [Y puedan desheredar ſi quiſieren a ſus, hijos, yhijas, que tal matrimonio (hoc eſt) el que la yglesia tubiere por clandeſtino contraxeren. Circa quam legem notandum eſt ob matrimonium abſque Parocho, vel teſtibus celebratum non incurri hanc pœnam illis in partibus, in quibus Concilium Trident. receptum eſt, quia eſto ſit clandeſtinè factum, non tamen eſt matrimonium, ac proinde non habet effectum; paria enim ſunt non eſſe, & eſſe nullum, *leg. duo ſunt Titii, ff. de Teſtam.* & quod de jure non ſortitur effectum, non præſtat impedimentum. *Regula non præſtat, de Reg. juris in 6.* Et tradit Sanch. *lib. 3. de matr. diſp. 2. & 47. per totam.* Gutierr. *lib. 2. pract. qq. q. 1. & ſeqq.* Unde hæc pœna ſolùm habet locùm ſtante opinione communi aſſerente matrimonium celebratum coram Parocho, & teſtibus omiſſis denunciationibus eſſe, dicique ab Eccleſia clandeſtinum. Nam eo caſu filii ſic contrahentes exhæredari poſſunt à parentibus. Quod tamen intelligendum eſt ſi abſque parentum conſenſu matrimonio copulentur. Hæc enim lex non tam pro clandeſtinitate ſtatuta eſt, quàm quia reverentia debita parentibus contempta fuerit eo contrahendi modo. Quocirca, ſi aliqua cauſa urgeat, ne hæc licentia à parentibus poſtuletur; eo quod parentes malitiosè matrimonium impedient, non poterit filius, aut filia exhæredari, ut benè Sanch *d. diſp. 47 n. 8.* Gutierr. *ſuprà.* Hæc exhæredatio filiorum poteſt à parentibus ante judicis ſententiam fieri, ſed non habebit effectum, quouſque ipſi

parentes,

parentes, vel eorum hæredes probent habuisse causam legitimam exhæredandi, ut patet *ex leg.* 10. *tit.* 7. *part.* 6. ibi: (Ha menester que quando el patre quisiere que vala su testamento, o hubiere sabor de desheredar a su hijo que muestre raçon porque lo façe: pero no debe ser creido a menos de lo probar el mismo o a quellos que estableçiere por herederos.) Hucusque de pœnis contrahentium clandestinè.

12. Parocho autem, vel alteri Sacerdoti de ejus licentia assistendi matrimonio omissis culpabiliter denunciationibus triennalis suspensio ab officio indicenda est ex Textu in *c. fin. de clandest. de sponsat.* Ibi *Suspendatur*, quod verbum non latam sententiam, sed ferendam indicat, ut aliis relatis probat Sanch. *disp.* 48. *n.* 2. Gutierr. *c.* 75. *num.* 13. Basil. *lib.* 5. *cap.* 37. *n.* 11.

13. Eandem pœnam extendit Sanch. quotiescunque interfuerit matrimonio à jure interdicto, quale est si vagos absque Ordinarii licentia conjungat, contempseritve similes conjunctiones impedire. Sed oppositum verius credo: nam Textus *in c. fin.* tantùm loquitur de matrimoniis, quæ ob suspicionem impedimenti dirimentis interdicta sunt. Illud verò tenendum omnino est prædictam pœnam suspensionis non incurrere Parochum, vel alium Sacerdotem matrimonio assistentem absque sufficienti numero testium, quia non assistit matrimonio cùm nullum sit, sed loco suspensionis in *d. c. fin.* impositæ arbitrio Ordinarii puniendus est, ut optimè advertunt Sanch. Gutierr. Basil. & Coninch. *loc. alleg.*

14. Ab hac autem triennali suspensione ab Episcopo imposita posse ipsum Episcopum absolvere docuerunt Hostiens. Joann. Andr. *n.* 11. Præpos. *n.* 12. Bartol. à Ledes. *dub.* 21. *de matr. post.* 6. *concl.* Tum quia Episcopus eam imponit, commune autem est censuram tollere posse qui eam imposuit. Tum quia non est reservata in *d. c. fin.* A censuris autem non reservatis potest Episcopus absolvere ex Textu in *c. nuper de sentent. excomm.* Tum denique quia ita Trident. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* Conceditur Episcopis potestas, ut ab omnibus censuris etiam reservatis Summo Pontifici possint absolvere in foro conscientiæ. Sed rectiùs alii Doctores hanc potestatem Episcopis denegant, ut pluribus comprobant Sanch. *lib.* 3. *disp.* 52. *n.* 2. Gutierr. *c.* 75. *n.* 22. Basil. Ponce, *lib.* 5. *c.* 37. *n.* 11. Eo quòd illa suspensio triennalis, à Concilio generali lata sit ac proinde ab ipso Concilio præfinitum est tempus, quo suspensio durare debet. Nequit ergo Episcopus qui inferior est legem à Superiore latam relaxare. Secùs verò est in censuris nullo determinato tempore præfinitis, in quibus Episcopus dispensare poterit, quia nihil contra Superioris legem agit, cùm Superior solùm tulerit censuram, non autem declaravit tempus, quo deberet ligare. Et ex his solvitur ratio dubitandi: non enim ab Episcopo lata est triennalis suspensio tanquam à principali, sed tanquam à ministro Concilii generalis, ideoque nequit eam relaxare, neque in omnibus censuris potest dispensare etiam stante Trid. concessione: sed solùm in his, quæ nec publicæ fuerint, neque ad forum exterius deductæ: at hæc triennalis suspensio cùm non incurratur ipso facto, sed per sententiam Judicis, jam est censura publica, ad forumque externum deducta.

15. Verùm si Parochus, vel alius Sacerdos sine legitima facultate matrimonio non sibi subditorum assistat, aut prædictos sponsos benedicere ausus fuerit, tam diu suspensus est ab officio, & beneficiis quousque Ordinario illius Parochi qui debebat assistere visum fuerit, ut expressè habetur *in dicto decreto Trident.* Et tradunt Sanch. Gutierr. & Coninch. *suprà.* A qua suspensione excusat ignorantia modò crassissima non sit, ut benè Sanch. *num.* 7. Gutierr. *num.* 16. Testes verò assistentes matrimonio absque Parocho, vel assistentes matrimonio in quo denunciationes fuerint culpabiliter omissæ arbitrio Ordinarii puniendi sunt, ut benè tradit Sanch. *disp.* 46. *n.* 7. Gutierr *cap.* 75. *num.* 9.

DISPUTATIO III.

De bono conjugii, illiusque ratificatione.

CONjugium plura secum affert bona, de quibus sanct. August. librum edidit, cujus titulus est de bono conjugii, ea tamen sub iis capitibus comprehenduntur, quod sit unum non plura, illudque insolubile, aptum ad sobolem gignendam, concupiscentiam sedandam, pariens obligationem coëundi simulque habitandi. De quibus omnibus sigillatim dicemus, ac tandem qualiter matrimonium, quod à principio irritum, & nullum factum est, ratificari possit.

PUNCTUM I.

De unitate Matrimonii.

1 *Unitati matrimonii non obstat, quòd dissoluto vinculo per mortem aliud contrahatur.*
2 *Unitati matrimonii obstat pluralitas uxorum.*
3 *Illicitum fuit à principio plures habere uxores, tametsi in lege antiqua fuerit dispensatum.*
4 *Qualiter hæc dispensatio subsistere potuit?*
5 *Lege Evangelica abrogata est concessio plurium uxorum.*

1. UNitati matrimonii non obest, quòd dissoluto vinculo matrimonii morte unius conjugis aliud matrimonium contrahatur, quia ille contractus est unius cum una, verumque habet illud Genes. 2. *Erunt duo in carne una*, sicuti pluribus exornant adversus aliquos hæreticos Bellarm. *libro tertio, de matrimon. capite nono.* Sanchez *libro septimo, disputatione* 81. Coninch. *disputatione vigesima sexta, dub.* 1. *numero secundo.* Paul. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 3. *p. c.* 6. *q.* 2. Neque his obest quod secundis nuptiis denegentur benedictiones, non enim denegantur, quia illicitæ sunt, sed ne repetitæ benedictiones vilescant. Neque item obest quod in Concil. Laodiceno, *can.* 1. imponatur pœnitentia ad secundas nuptias transeuntibus, quia hæc imponitur ob eorum præsumptam intemperantiam: Neque denique obest, quòd sic transeuntes afficiantur irregularitate; ea namque afficiuntur, quia eorum matrimonium deficit à perfecta significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia. Quare unitati matrimonii solùm obstat, si vir unus plures uxores simul habeat, & à fortiori si unica uxor plures viros.

2. Et licèt aliqui hæretici licitam esse polygamiam plurium uxorum simul asserant: at Catholica veritas definita in Trident. *sess.* 24. *can.* 2. Id non permittit, inquit enim Trident. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Divina lege esse prohibitum, anathema sit.* Quippè Christus Dominus Matth. 19. decidit adulterum esse, qui dimissa prima uxore aliam duxerit, at non esset adulter, si vivente prima uxore plures ducere posset, sicuti tradit Bellarmin. *lib.* 1. *de matrim. c.* 10. Gregor. de Valencia *disp.* 10. *generali de matrim. quæst.* 1. *punct.* 3. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 80. Et alii communiter.

3. Quinimo ex Divina lege à principio mundi publicata illicitum fuit plures simul habere uxores, ut constat ex illo Genes. 2. *Erunt duo in carne una.* Si enim vir plures habere simul uxores posset, non duo, sed plures in una carne divide rentur, ut optimè colligit Innocent. III. *in cap. gaudemus* 8. *de divortiis.* In qua lege, cum Israelitico populo dispensatum fuit, eo quod exiguus erat, ut multiplicaretur. Uti supponitur *Deuteron.* 21. Et colligitur tum ex *dicto c. gaudemus*, *de divortiis*,

vortiis, tum ex exemplo, Isaac, Jacob, David, aliisque sanctissimis Patriarchis, qui plures simul uxores habuerunt, quod nullatenus facerent, si adversus legem Divinam procederent, ut optimè tradit Hieron. *in epist. ad Oceanum.* Et August. *lib.3. de doctrina Christiana, c.12.* Et habetur, *c.objiciunt.32. q.4.* Neque his obest, quòd sola unica appelletur uxor, reliquæ verò concubinæ dicantur, quia id factum est, ut indicaretur primam assumptam esse tum ad prolis generationem, tum in familiæ gubernationem; reliquas verò solùm ad prolem generandam. Præterquàm quod sæpè concubinæ uxores appellabantur, ut constat ex illo Genes. 16. & 25. *n.1. &* 6. & Judic.19. Ubi unica uxor Levitæ concubina dicta est. Exemplo igitur Israelitici populi, gentiles plures accipiebant uxores non quia cum illis esset dispensatum, sed quia licitum sibi esse credebant ob Israelitici populi exemplum, ut colligitur ex *c.16. &* 28. Genes. & notavit August. *lib.16. de civit. c.38. & lib.22. contra Faustum, c.47.* De quo Covarr. *2.p. decr cap.7. §.3. à n.1.* Sanch. *lib.7. disp.80. à n.11.*

4. Difficultas autem est. Qualiter hæc dispensatio potuit subsistere? Nam esto aliqui Doctores, ut Abulens. 1.Reg. *cap.8. q.25.* Durand. *in 3.dist.33. q.1.* Palacios *ibi, disp.1.* Cajet. *c.26. in Genes. &* 1. *ad Tim.3.* In illa verba: *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum.* Et Marc.10. *Quicunque dimiserit uxor. &c.* Vemerum. *2.p. speculi art.15.* Censeant non naturali lege, sed tantùm Divina pluralitatem uxorum interdici, quibus favet August. *lib.16. de civit. Dei c.38.* Dum inquit pluralitatem uxorum nulla lege fuisse prohibitam scilicet naturali: attamen communior sententia defendit non solùm Divina lege, sed naturali pluralitatem uxorum prohiberi, ut videre est apud Covarruv. *2.p.c.7. §.3.* Bellarm. *lib.1. de matr. c.11.* Henriq. *lib.12. c.6.* Sanch. *lib.7. disp.80. à n.12.* Gutierr. *de matr. c.106. n.3.* Cominch. *disp.26. dub. 2. à n.13.* Basil. Ponce *lib.7. c.46. à n.2.* Paul. Laym. *lib.5. tract.10. 3.p c.6. q.2.* Gaspar Hurtado *disp.9. diffic.1. n.3.* Et alios: & colligitur ex *c. gaudemus de divortiis*, ibi: *Nemini unquam licuit plures habere uxores, nisi cui fuit ex Divina revelatione concessum.* Quippe pluralitas uxorum libidinem fovet, ut de se constat; prolis generationem, minuit sæpè, ut contigit in Salomone; concupiscentiæ uxoris non satis consulit, cùm vir in alias divisus minus potens sit debitum reddere; socialem cohabitationem labefactat: non enim integrè cum viro domina, & gubernatrix familiæ constituitur, rixas discordiasque inter uxores excitat, tum ob zelotypiam amoris, tum quia quælibet prætendet domus gubernationem integrè sibi deberi: tollit æqualitatem hujus contractus; siquidem quælibet uxor integrè se tradit viro, secùs vir cùm in plures dividatur. Econtrà vir integrè familiam gubernat, secùs uxor, quæ omnia offenditur naturali juri, & legi pluralitatem uxorum adversari. Quo supposito.

Omissis aliis dicendi modis placet mihi quem tradit Sanchez Ægid. Basil. Hurtado, Paul. Layman. *loc. alleg.* Videlicet Deum ipsum penès quem nostrorum corporum est dominium non aliter potestatem corporum ad usum generationis concessisse nisi medio conjugio unius cum una ob supradicta inconvenientia: at ob favorem Israelitici populi de quo nasciturus erat permississe, ut vir se dimidiate cuilibet uxori traderet, cùm tamen uxor viro integrè tradita sit. Neque enim rationi naturali adversatur ob aliquem honestum finem pericula aliquorum damnorum permittere. Si enim Deus occisionem innocentis, & bonorum alienorum acceptionem concedere potest ob aliquos honestos fines: quia tum nostrorum bonorum, tum vitæ dominus est, quare non poterit usum corporum in matrimonium hoc vel illo modo concedere? Quâ concessione factâ omnis inordinatio cessat. Ex quo fit non solùm potuisse Deum concedere matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus, sed plurium uxorum cum uno viro, ut benè comprobant Sanchez, Coninch. Basil. Hurtado & Laym. *suprà*, tametsi hoc nunquam concessum sit.

5. Illud verò est certum à lege Evangelica concessionem plurium uxorum cessasse, ut constat ex illo Matth.5. & 19. Ubi Christus Dominus matrimonium reduxit ad primævam sui institutionem, & constat ex *cap. gaudemus, de divort.* Et ex Trid. *sess.24. can.2.* Et Diximus *suprà.* Deinde est certum non posse Pontificem in hac uxorum pluralitate dispensare, cùm neque ipse sit dominus nostrorum corporum, neque Christus Dominus hanc illi potestatem concessit, neque ulla hujus concessionis congruentia apparet, uti omnes Doctores tradunt.

Punctum II.

De Matrimonii indissolubilitate.

§. I.

Quale sit matrimonium legitimum, ratum, & consummatum; & quo jure sit indissolubile?

1 *Quod sit matrimonium ratum, & consummatum expenditur.*
2 *Copula extra bimestre, & etiam intra bimestre vi extorta consummat matrimonium.*
3 *Si intra bimestre consummatio fiat non impeditur à religionis ingressu.*
4 *In foro externo matrimonium censetur consummatum, quando sponsa non virgo traducta est in domum viri.*
5 *Matrimonium ratum vinculum est perpetuum, & inaissolubile ex se.*
6 *Quo jure habeat hanc insolubilitatem?*

1. CUm matrimonium ratum ex pluribus causis dissolvi possit, ut videbimus, & matrimonium consummatum si Sacramentum sit, sola morte conjugis dissolvatur, præmittendum est quod sit matrimonium ratum, quod consummatum. Ratum matrimonium appellamus, quod baptismo suscepto legitimo contrahentium consensu perficitur nulla carnali copula subsequuta. Dixi *baptismo suscepto*, nam ante baptismum, esto infidelium matrimonium dicatur legitimum, ratum tamen non appellatur, uti docuit Innoc.III. *in c. quanto de divortiis* ibi: *Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum, & ratum existit matrimonium, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut jam in conjugibus illo durante perduret.* Et tradit Magist. *in 4. d.39. quæst. ult.* Paludan. *ibi q.1. concl.3.* Richard. *art.1. quæst.2.* Major. *quæst. unica.* Alens. *4.part. q.9. memb.5. art.2. §.1. quæst.2.* Ad argumenta Anton. *3.part. tit.1. cap.6.* Et alii. Neque desinit esse ratum tantùm ex eo quòd vir vas fœmineum penetraverit, si tamen intra illud semen non effuderit, quia usque semen ibi effusum sit, non efficiuntur conjuges una caro, ut colligitur ex *cap. lex.27. quæst.2.* Quippe matrimonium ad generationem ordinatur, debet ergo consummari copula generationi apta, quæ nullatenus est absque seminatione, ut pluribus firmat Sanch. *d. disp.21. n.5.* Gutierr. *c.54. n.24.* Quapropter ut matrimonium consummatum sit, necessariò requiritur, & sufficit, ut vir intra vas fœmineum seminaverit, tametsi factum fuerit absque vasis fœminei penetratione. Etenim ea copula generationi sufficit, & conjuges una caro efficiuntur, uti ex communi sententia docet Sylvest. *verbo Matrimonium, q.15. dicto 2.* Dominic. Sot. *in 4. dicto 27. quæst.1. articul 4. vers. causa.* Gregor. Lopez *leg.5. verbo carnalmente, tit.6.*

tit. 6. part. 4. Sanch. lib. 2. disp. 21. num. 2. Gutierr. de matr. cap. 54. num. 22. Neque ad hanc consummationem opus est, quod fœmina seminaverit, nam esto aliqui Doctores, quorum meminit Sanchez d. disput. 21. n. 11. non improbabiliter asserant semen fœmineum generationi necessarium esse, & consequenter matrimonii consummationi, contrarium communi Doctorum sententia firmatum est, teste eodem Sanchez & Gutierr. loc. alleg. quibus favet. Franc. Suar. tom. 2. in. 3. part. quæst. 32. art. 1. disput. 10. sect. 1. affirmans ex sanguine à fœmina ministrato generationem confici. Debet autem hæc copula matrimonium consummans subsequi ejus contractum, non præcedere. Nam copula præcedens matrimonii contractum matrimonialis non est, sed fornicaria. Non igitur consummare matrimonium potest, ut optimè probat Covarr. in 4. decret. 1. part. cap. 4. §. 1. num. 15. & 16. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præs. 1. Navarr. cap. 22. n. 84. Sanchez disp. 21. n 13. Gutierr. cap. 54. numero 25. Neque obstat, quod filii ex copula fornicaria nati subsequenti matrimonio legitimentur. c. Tanta, qui filii sint legitimi, quia id factum est in favorem prolis, quæ non deliquit.

2. Quæstio est, An sufficiat copula, vi vel metu extorta ad matrimonium consummandum; Et quidem si copula sit post bimestre datum ad deliberandum de religionis ingressu, matrimonium consummare, ita ut neutri liceat ad religionem transitus, fatentur ferè omnes Doctores, ut refert Sanch. lib. 2. disputat. 22. num. 1. Gutierr. de matr. c. 54. num. 16. Quippè ex nullo capite impediri potest consummatio, maximè nulla subsistente causa denegandi debitum petitum, sicuti nulla est transacto bimestri. At si copula intra bimestre extorqueatur, etsi aliquibus videri possit insufficiens ad consummandum matrimonium, communis sententia contrarium firmat cum Sanch. & Gutierr. loc. alleg. Et Coninch. disp. 26. dub. 4. n. 53. eo quòd efficiuntur una caro, c. debitum de Eigamis, estque accessus non ad alienam, sed ad propriam, nascunturque ex tali copula affinitas, c. discretionem de eo qui cognovit consang. uxor. Negarique non potest ex parte viri sufficientem esse ad matrimonium consummandum, siquidem est liberè facta. At consummato matrimonio ex parte unius, necessariò ex parte utriusque consummatum est, quia est unicum vinculum respiciens duo extrema.

3. Inde tamen inferunt Joan. Andr. in reg. quæ contra jus, de Regul. jur. in 6. Cardinal. in cap. 2. q. 2. de convers. conjug. Præpos. in cap. fin. 55. dist. Sylv. in sum. verbo divortium. q. 5. & ibi Armilla n. 6. Greg. Lop. in leg. 4. in fine titul. 1 part. 4. Gutierr. c. 54. numero 28. & 29. uxorem non posse religionem ingredi, quia talis ingressus ante consummationem permissus erat, sed non matrimonio consummato. Rectiùs tamen sentit plures referens Sanch. dicta disp. 22. numero 6. & 13. Coninch. disput. 26. dub. 4. num. 53. posse religionem ingredi, sicuti poterat ante consummationem, quia æquum non est, ut licentia, & facultas à jure concessa de religionis ingressu absque sua culpa privetur. Argum. c. discretionem ad finem, de eo qui cognovit consanguineam. Adde ob adulterium, hæresim, aliave crimina potest conjux innocens religionem ingredi, ergo poterit ob hanc injuriam, quæ matrimonio contraria est. Per accidens tamen impediri potest, si damnum grave proli sequatur ex ejus ingressu, sicuti notant prædicti Doctores. Sponsus verò qui copulam vi extorsit nullo modo potest religionem intrare renuente sponsa, quia ex parte ejus matrimonium liberè consummatum est, ac proinde cessit juri ingrediendi, ut benè advertit Sanch. d. disp. 22. numero 5. & 8.

4. In foro autem externo matrimonium consummatum censetur, quando sponsa non virgo traducta est in domum viri, præsumuntur enim se cognovisse; neque illis in contrarium creditur, etsi jurent. Argum. capite super eo, de eo qui cognovit consanguin. uxor. sicuti docent Bald. in leg. Deo nobis in princ. numero 7. Cod. de Episcop. & Cleric. Hostiens. in sum. titul. de convers. conjugat. numero 9. vers. quod si quis. Ancharran. in cap. ex publico de convers. conjugat num. 3. Sanchez lib. 2. disp. 23. n. 1. & 2. Gutierr. c. 54. in fine. Si tamen virgo erat, & postmodum aspecta sic appareat, tametsi in domum viri fuerit traducta, creditur matrimonium non consummasse, quia quælibet præsumptio cessat usu contrarium probante, ut benè relati Doctores docent.

5. Quoad insolubilitatem attinet nemini est dubium, matrimonium etiam non consummatum ex se vinculum esse perpetuum, ita ut libero contrahentium consensu nequeat dissolvi, ut colligitur ex illo Genes. 2. Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Et ex illo Matth. 19. Quos Deus conjunxit, homo non separet. Et ad Rom. 7. Mulier vivente viro alligata est legi. Et tradit Gregor. in c. fin. de conditionibus appositis. Et Trid. sess. 24. in princ. de reform. matr. Et ratione ab inconvenienti convincitur. Si enim matrimonium libero contrahentium consensu contrahi, & solvi posset sicut alii contractus, malitiam fornicationis facile quis vitare posset accedens ad propriam, quam ut talem solùm pro eo tempore accepit. Quod nullatenus est dicendum. Est igitur omnino certum, & omnium sententia firmatum quodcumque matrimonium insolubile esse.

6. Quo autem jure hanc habeat indissolubilitatem? Variant Doctores. Nam alii hanc insolubilitatem asserunt provenire ex Divina institutione positiva, alii partim ex Divina institutione, partim ex jure naturali alii ex solo jure naturali. Sed matrimoniis fidelium insolubilitatem concedunt, tum ex Divina lege, tum ex significatione, quam habet unionis hypostaticæ Verbi cum carne assumpta. Quas omnes sententias latè refert Sanchez lib. 2. disputat. 13. à numero 4. Basil. Ponce, de matr. lib. 1. c. 12. per totum. Gutierr. c. 53. Coninch. disputat. 26. dub. 2. Ex his sententiis ea semper mihi probabilior fuit, quæ hanc insolubilitatem ex jure naturali affirmat, matrimonio convenire, quam docuerunt Covarruv. 2. p. decret. c. 7. §. 3. numero 5. Viguerius in instit. Theolog. capite 16. §. 7. vers. 9. Cordub. lib. 1. qq. quæst. 25. §. secunda opinio. Petr. de Ledesm. de matr. quæst. 67. artic. 1. dub. 1. Joann. Azor. tit. 1. instit. moral. lib. 6. quæst. 3. in fine. Joann. de Salas de legib. disputat. 5. sect. 81. in fine. Gab. Vazq. disput. 1. de matrim. c. 2. numero 17. & disputat. 2. cap. 7. Basil. Ponce lib. 1. de matrim. cap. 13. per totum. Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 12. Rebell. lib. 2 de obligation. justit lib. 2. quæst. 15. sect. 1. Gaspar Hurtado, disputat 8. de matrim. difficult. 2. à numero 4. Paul. Layman. lib. 5. tract. 10. 3. p. cap. 6. quæst. 1. con. l. 2. Moveor, quia matrimonium ex sua natura ordinatur, tum ad conjugum mutuum amorem fovendum, tum ad prolem generandam illamque bene instituendam, quæ sine dubio ex se perpetuitatem exigunt, ideóque Deus rerum omnium Dominus, cùm à principio concessit mutuam corporum traditionem ad conjugalem usum, non aliter concessit, quàm perpetuum utpote convenientem ad consequendos fines in conjugio intentos. Huic tamen concessioni, & institutioni non obest, quod aliquando ob aliquam gravem causam permiserit Deus vinculum matrimonii dissolvi, sicuti in lege scripta factum est Judæis permittens libellum repudii, & in lege Evangelica concedit in favorem fidei matrimonia infidelium dissolvi, & matrimonia rata fidelium in favorem status religiosi. Hæ namque solubilitates extrinsecæ sunt, neque naturam conjugii mutant, sicuti non mutat perpetuitatem status religiosi, quod possit aliquando solvi. Quapropter perpetuitas intrinseca matrimonii æquè matrimonio rato, ac consummato competit, & æquè matrimonio infidelium, ac fidelium. Sed hanc perpetuitatem sola matrimonia fidelium consummata integre retinent, reliquorum verò matri-

moniorum perpetuitas favore fidei, vel religionis suspenditur.

§. II.

An ex dispensatione Pontificis matrimonium dissolvi possit?

1 *Matrimonia consummata fidelium, & qualibet infidelium solvi non possunt.*
2 *Plures Doctores affirmant matrimonium ratum fidelium solvi ex Pontificis dispensatione posse.*
3 *Verior est oppositа sententia.*
4 *Satisfit fundamentis num. 2. adductis.*

1. CONveniunt omnes Catholici matrimonia consummata fidelium nullam ob causam solvi à Pontifice posse; quia nullibi invenitur hæc concessa facultas, neque expediebat concedi, ut sic aliquo matrimonio significaretur aptius, & perfectius unio Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, quàm nunquam dimisit. Deinde conveniunt, matrimonia infidelium sive consummata, sive non dissolvi à Pontifice non posse, eo quòd Pontifex nullam extra Ecclesiam potestatem habeat. De illis verò conversis; qualiter eorum matrimonium dissolvi possit, *inferius* dicemus.

2. Quocirca controversia inter Doctores versatur circa matrimonium ratum fidelium, an ex Pontificis dispensatione solvi possit? Affirmant Caietan. *t. 1 opusc. tract. 28. quæst. unica.* Antonin. *3. p. tit. 1. cap. 21.* Henriq. *lib. 11. cap. 8. num. 11.* Navarr. *cap. 22. num. 21.* Sanchez *lib. 2. disp. 14. num. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 40. num. 146.* Gutierr. *ex parte lib. 1. canon. qq. c. 12. & 17. Et de matr. c. 53. num. 3.* Hurtado *disp. 8. de matr. difficult 3. num. 11.* Gabr. Vasquez *1. 2. disp. 163. cap. 7.* Moventur, quia matrimonium ratum fidelium non significat unionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, sed per gratiam, quæ sæpè in hominibus dissolvitur. Neque de hoc matrimonio, sed de matrimonio consummato dictum est à Christo Domino, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Nulla igitur causa est, ob quam credi non possit Pontifici relictam esse potestatem prædictum matrimonium dissolvendi; maximè cùm hæc dissolutio paci, & tranquillitati Reipublicæ sæpè necessaria sit. Quippe solet matrimonium primò contrahi secretò, & eo non obstante publicè celebrari secundum, & consummari, quo casu si Pontifex non dispensat, graves rixæ, dissensiones, & odia nascentur. Ut ergo iis omnibus remedium adhibeatur, dissolvit Pontifex matrimonium ratum, & cogit in secundo consummato persistere, uti sæpè fecit, teste Antonio *3. p. tit. 1. c. 21. §. 3.* Navarr. *c. 22. n. 25.* Henriq. *lib. 11. c. 8. n. 11.* Affirmare autem in re tam gravi Pontificem erraturum valdè temerarium est, ut inquit Valent. *3. p. disp. 10. q. 1. punct. 7.* Quod si roges ex qua causa possit Pontifex hanc dissolutionem matrimonii concedere? Respondet Sanctus, & ferè omnes alii Doctores eam sufficientem esse, si graves discordiæ, & rixæ inter conjuges: vel consanguineos timerentur, vel si mutua cohabitatio esse non posset, eo quod unus est lepra affectus, vel sterilis.

3. Cæterùm etsi prædicta sententia probabilissima sit, veriorem existimo, quæ Pontifici negat hanc facultatem, quam docent ferè omnes Theologi, specialiter Sotus *in 4. dist. 31. q. 1. vers. tertio.* Bonavent. *disput. 27. art. 3 quæst. 2.* Victor. *de matrim. in sum. n. 281.* Dominic. Sot. *lib. 7. de just. quæst. 2. art. 5. vers. & licet peregrè. Et in 4. d. 27. quæst. 1. art 4.* Greg. de Valent. *in 4. 1. disp. 10. quæst. 1 p. 7.* Basil. Ponce *lib. 9. c. 3. n. 3.* Ducor hac ratione, cùm matrimonium sive ratum, sive consummatum jure Divino & naturali insolubile sit, nequit nisi Deo concedente dissolvi, ut expressè decidit Innocent. III. *in c. ex parte de convers. conjugat.* Ex quo matrimonium inter legitimas personas contrahitur in nullo casu illis viventibus dissolvi potest, nisi forte secus fuerit ex revelatione Divina. At neque ex Ecclesiæ traditione, neque ex ullo textu constat Deum Pontifici concessisse facultatem, ergo asserenda non est. Id ipsum probatur *ex c. hi qui matrimonium 32. quæst. 7.* Ubi Nicolaus Papa inquit? *Ob favorem, amentiam, aliamve infirmitatem supervenientem conjugia solvi non possunt.* Nec valet dicere loqui Pontificem de conjugiis consummatis, quia nullum est verbum, quo id indicetur. Præterea si in favorem status clericalis & cœlibatus nequit Pontifex matrimonium fidelium ratum dissolvere, quomodo ob sedandas inimicitias, ob vitandam sterilitatem, aliaque minora mala hæc facultas censenda est concedi? Adde omnia argumenta; quibus Doctores oppositæ sententiæ moventur ad astruendam hanc potestatem in matrimonio rato procedunt in matrimonio consummato. Si igitur in consummato matrimonio denegatur hæc potestas, etiam in matrimonio rato denegari debet. Ut ergo assumptum probemus, satisfaciamus sigillatim prædictis fundamentis.

4. Ad primum: Satis dubium est matrimonium ratum fidelium assumptum non esse ad significandam unionem Verbi cum natura assumpta; potest enim hanc significare, sicut in plurium Doctorum sententia eam unionem significat matrimonium infidelium consummatum, quinimo matrimonium in sua primæva institutione. Sed non obinde convincitur in nullo casu solvi posse, sed solum à posteriori, & tanquam à signo convincitur ex se insolubile esse. Sed demus matrimonium ratum assumptum non esse ad significandam unionem Christi cum natura assumpta, sed Unionem Verbi cum fidelibus per gratiam, inde solum fit matrimonium ratum solvi aliquando posse, scilicet religionis ingressu; Deique dispensatione, non tamen ex dispensatione Pontificis. Ad secundum nego verba illa Christi Matth. 19. *Quos Deus conjunxit homo non separet,* non esse intelligenda de matrimonio rato. Sunt etenim etsi principaliter de matrimonio consummato intelligantur. Nam ut ex contextu constat Christus Dominus voluit libellum repudii, & polygamiam plurium uxorum Judæis permissa auferre, & matrimonium in primævum suum statum reducere, ut constat ex illis verbis. *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos, & propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ex quo Exemplo concludit. *Quos Deus conjunxit homo non separet.* Ut ritus prosequitur Basil. Ponce *lib. 1. cap. 4. a num. 4.* Non igitur ex significatione unionis hypostaticæ, sed ex natura primæva matrimonii statuta est à Christo ejus indissolubilitas. Ad tertium dico, si ob vitanda aliqua inconvenientia fatendum esset pontificem potestatem habere dissolvendi matrimonium ratum, cum ferè eadem inconvenientia ex matrimonio consummato sequi possunt, ut expendenti facilè constabit, affirmandum esset circa matrimonium consummatum eadem potestate gaudere. Cum ergo circa matrimonium consummatum nullus affirmet, neque de matrimonio rato asserenda est. Quartum probat maximè probabilitatem illius opinionis, cui Pontifices adhærentes sæpè in matrimonio rato dispensarunt. Inde tamen non convincitur omnino esse certum Pontificem hac gaudere potestate, sed solum esse valdè probabile: quippè hæc probabilitas sufficit, ut Pontifices dispensando securè, tutaque conscientia procedant, nullumque errorem in praxi committant, tametsi speculativè loquendo errent, quod non est inconveniens; cum error non sit de jure, sed de facto, & non communi, sed particulari.

§. III.

Qualiter matrimonium infidelium ſolvi poſſit?

1 *Durante utriuſque infidelitate ſolvi nequit.*
2 *Si uterque ad fidem convertatur, etſi aliqui probabiliter cenſeant eorum matrimonium ſolvi poſſe ex Pontificis diſpenſatione. Verius eſt oppoſitum.*
3 *Si unus infidelis ad fidem convertatur alio renuente converti triplici in eventu conjugium diſſolvitur.*
4 *Aliqui cenſent eo ipſo, quo unus ad fidem convertitur, alio renuente converti, diſſolvi conjugium.*
5 *Verius eſt non diſſolvi, quouſque fidelis ſecundum matrimonium contrahat.*
6 *Fit ſatis fundamento num. 4. adducto.*
7 *Ut fidelis converſus licitè ſecundum matrimonium ineat, debet ei conſtare infidelem nolle converti.*
8 *Si infidelis non diſcedit à fideli nec ejus cohabitatio cedit in contumeliam Creatoris, affirmant plures non poſſe fidelem diſſolvere matrimonium alio inito.*
9 *Verius cenſeo oppoſitum.*
10 *Satisfit fundamentis contrariis.*
11 *Matrimonium fidelis converſi Ordine aſſumpto, non diſſolvitur.*
12 *Item nec profeſſione religionis diſſolvitur tametſi contrarium cenſeat* Sanch.
13 *Diſſoluto matrimonio à fideli aliqui negant poſſe infidelem licitè aliud matrimonium inire.*
14 *Verius eſt poſſe validè, & licitè.*

1. MAtrimonium infidelium durante utriuſque infidelitate, tametſi conſummatum non ſit, nullatenus ſolvi poteſt. Quia nec ſolvi poteſt authoritate Principis, cui infideles ſubjiciuntur, cùm in diſſolutione matrimonii nullam à Deo poteſtatem acceperint, neque item authoritate Pontificis, cum ejus poteſtas extra Eccleſiam non extendatur.

2. Si verò uterque ad fidem fuerit converſus, aliqui nec improbabiliter cenſent eorum matrimonium etiam conſummatum authoritate Pontificis diſſolvi poſſe cauſâ juſtâ intercedente: ſic docuit Navarr. *lib. 3. conſtit. de converſ. infidel. conſ. 1.* Aliàs 3. *in ſolut. ad 2. dub. num. 12.* Sanch. *lib. 2. diſp. 17. num. 2.* Et moventur, quia matrimonium infidelium etiam conſummatum cum Sacramentum non ſit, non habet eandem firmitatem, ac matrimonium ratum fidelium, ut colligitur *ex cap. fin. 28. quæſt. 1.* Et ex Innoc. III. *cap. quanto de Divort.* Ubi inquit *matrimonium fidelium inſolubile eſſe, quia eſt Sacramentum.* Cum ergo infidelium matrimonium Sacramentum non ſit, non ſic erit inſolubile. At matrimonium fidelium ratum ſolvi poteſt authoritate Pontificis juxta probabilem opinionem, ergo etiam ſolvi poterit matrimonium infidelium etiam conſummatum. Sed oppoſitum verius, & probabilius eſt, ſicuti ex communi ſententia teſtatur Azor. *2. part. lib. 5. cap. 2. §. His poſitis.* Ægid. Coninch. *diſp. 26. dub. 5. n. 66.* Baſil. Ponce *lib. 9. cap. 4. num. 15.* Nam matrimonium ſolvi non poteſt niſi in caſibus à jure expreſſis, ut inquit Panormit. *in cap. ex parte de converſione conjugat. verſ. Nos autem.* At nullibi eſt expreſſum matrimonium conſummatum fidelium ſolvi poſſe: illud autem matrimonium etſi in infidelitate fuerit contractum, jam eſt matrimonium fidelium, & conſummatum, nulla ergo via ſolvi poteſt. Neque obeſt, quod Sacramentum non ſit, nam eſto id admittamus, quod plures negant poſt utriuſque converſionem, non inde efficitur ſolubile eſſe, cùm nullus jam adſit caſus, in quo à Chriſto ſolutio concedatur: conceditur autem prædicto matrimonio caſu, quo conjux unus ad fidem convertatur alio renuente converti, in quo à matrimonio, quod eſt Sacramentum differt.

3. Quod ſi unus infidelis ad fidem convertatur alio renuente converti, conjugium quoad vinculum diſſolvitur triplici in eventu. Primò, ſi infidelis non ob aliam cauſam legitimam, quàm quia alter converſus ad fidem eſt, diſcedit nolitque cum fideli habitare, habetur expreſsè *in cap. ſimili modo. Capit. ſi uxor. 28. quæſt. 1. Cap. quanto. Et cap. gaudemus de Divort.* Secundò: ſi velit habitare contumeliam tamen creatori irrogans, quod præſtat, ſi nomen Chriſti deſpicit, ejus laudes prohibet, converſionem domeſticorum impedit, uti deciditur *cap. infidelis 28. quæſt. 2. Et dicto cap. ſimili modo. Cap. quanto. Et cap. gaudemus.* Tertiò ſi infidelis incitat fidelem ad aliquod peccatum committendum, quia tunc etiam indirectè Creatori irrogatur injuria, ut colligitur *ex cap. idololatria Cap. non ſolum. Cap. ſi uxor. 28. quæſt. 1. Et cap. quanto; Et cap. gaudemus de Divortiis.* In his igitur eventibus ex Chriſti diſpenſatione à Paulo promulgata 1. Corinth. 7. Matrimonium diſſolvitur, inquit enim Paulus. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: neque enim ſervituti* (id eſt conjugii vinculo, quod ſervitutem vocat) *ſubjectus eſt ſoror, aut frater converſus, quin poſſit ad alia vota tranſire;* Diſceſſio autem infidelis phyſica, & moralis eſſe poteſt, & de utraque Paulus locutus eſt, ut conſtat *ex textibus allegatis.* Diſceſſio phyſica contingit, ſi nolit infidelis cum fideli habitare: moralis, ſi nolit habitare pacificè, ſed Creatori irrogans contumeliam, cùm enim Eccleſia poteſtatem non habeat coërcendi infidelem, meritò fidelem ab ejus ſervitute liberat.

4 Sed an eo ipſo, quo alius ad fidem convertitur, alio converti renuente diſſolvatur conjugium? Non eſt conſtans Doctorum ſententia. Nam Gloſſa *in cap. quantò de Divort. Et ibi* Panormit. *num. 6. & 7. Et in cap. gaudemus eodem, num. 15.* Richard. *in 4. diſt. 39. art. 2. quæſt. 2.* Angel. *verbo Matrimonium 3. num. 3.* Rodrig. *1. tom. ſum. cap. 250.* Affirmant, & videtur colligi ex Paulo 1. Corinth. 7. Affirmante ob diſceſſum infidelis fidelem conjugii vinculo ſubjectum non eſſe, ergo à puncto diſceſſionis ſolutus fidelis eſt. Et fortè ob hanc cauſam dictum eſt *in cap. infidelis 28. quæſt. 2.* Contumeliâ Creatoris ſolvit jus matrimonii in eo qui relinquitur. Ratione verò probari hæc ſententia poteſt, quia matrimonium à fideli relicto contrahi validè non poteſt priori matrimonio cum infideli non diſſoluto. Cùm igitur à puncto diſceſſionis infidelis poſſit fidelis validè novum matrimonium contrahere, neceſſariò dicendum eſt ab eo puncto matrimonium eſſe diſſolutum.

5. Cæterùm omnino dicendum eſt, prædictum matrimonium non diſſolvi, niſi fidelis ſecundum contrahat, ab eo enim puncto, & non antea, quo fidelis ſecundum matrimonium contrahit, primum diſſolutum eſt. Sic D. Thom. *in 4. diſt. 39. quæſt. 2. art. 5.* Paludan. *ibi quæſt. 1. art. 2. concluſ. 3.* Major. *quæſt. unica.* Sotus *quæſt. unica, art. 4.* Sylveſt. *verb. Matrimonium 8. quæſt. 10. caſu 6.* Armilla *eodem n. 63.* Gregor. de Valent. *diſp. 10. quæſt. 1. punct. 7.* Coninch. *diſp. 26. n. 63.* Sanch. *lib. 7. diſp. 75. num. 4.* Rebell. *2. part. de obligat. juſtit. lib. 3. quæſt. 10. ſect. 2.* Baſil. Ponce *lib. 7. cap. 48. num. 17. Et lib. 9. de matrim. cap. 4. num. 7.* Gaſpar Hurtado *diſp. 8. de matrim. difficult. 13. num. 48.* Et colligitur apertè *ex cap. gaudemus de divortiis*: Ubi Innocent. III. inquit. *Quod ſi converſum ad fidem & illa converſa ſequatur, antequam per cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem eam recipere compellatur.* Si igitur poſt converſionem ad fidem compellendus eſt fidelis recipere uxorem denuò converſam, ſi matrimonium nondum eſt contractum, manifeſtè infertur vinculum primi matrimonii ſolutum non eſſe. Nam eſto Gloſſa *dicto cap.* reſpondeat in favorem fidei matrimonium diſſolutum reſtitui jure poſtliminii, id verum eſſe non poteſt, cùm matrimonium non niſi contrahentium conſenſu libero

libero perficiatur: at converſus ad fidem abſque novo conſenſu compellitur uxorem denuò converſam recipere, ſi aliud matrimonium denuò contractum non ſit.

6. Ad fundamentum oppoſitum reſpondemus: fidelem converſum, alio in infidelitate perſeverante, ſubjectum non eſſe, matrimonii vinculo, non quia matrimonii vinculum ſolutum ſit, ſed quia eo non obſtante nec tenetur cum infideli cohabitare, neque impeditur à novo matrimonio contrahendo. Et in eo ſenſu dictum eſt *in cap. infidelis* contumeliam Creatoris jus matrimonii ſolvere. Ad rationem autem dico ſecundum matrimonium contrahi non poſſe, niſi primo diſſoluto; quæ diſſolutio fit, cùm ſecundum contrahitur ſicuti introductione formæ ſubſtantialis denuò advenientis, præcedens expellitur.

7. Ut autem fidelis converſus licitè poſſit ſecundum matrimonium inire, debet ei conſtare infidelem nolle converti; quia non aliâ viâ hoc illi privilegium conceditur, niſi quatenus infidelis ab eo diſcedit. Quapropter ſi commodè fieri poteſt, debet prius moveri, & conſultum eſt, eſto non neceſſarium, ut monitio coram teſtibus, & authoritate Judicis fiat, ut non ſolùm in foro interiori, ſed etiam in foro exteriori conſtet de obſtinata infidelis voluntate, ut latiùs proſequitur Sanch. *lib.7. diſp.74. à num.11.* Baſil. Ponce, falsò referens Sanch. pro contraria ſententia, *lib.9. cap.4. num.22.* Coninch. *diſp.26. dub.5. num.62.* Et colligitur apertè *ex litteris* Pii V. relatis Sanch. *Et ex litteris* Greg.XIII. quas Baſil. refert.

8. Sed quid ſi infidelis non diſcedit à fideli converſo, neque ejus habitatio cedit in contumeliam Creatoris, aut eſt occaſio, & incitamentum alicujus peccati, poteritne tunc fidelis converſus diſſolvere matrimonium alio inito? Affirmant Henriq. *lib.11. cap.8.* Rebell. *2.part. de obligation. juſtit. lib.3. quæſt.10. ſect.2.* Sanch. *lib.7. diſput. 74.* Ubi plures refert Coninch. *diſp 26. dub.5. num.62.* Moventur, tum quia eſto primis Eccleſiæ temporibus poſſet infidelis cum fideli habitare abſque contumelia Creatoris, vel pertractione ad peccatum, quinimo cum probabili ſpe converſionis, ideoque dixit Paulus mulierem infidelem ſanctificatam eſſe per virum fidelem, & econtra, hoc eſt diſpoſitam ſanctificari. At in præſenti tempore, quando infidelium animi ſic obſtinati ſunt, ut ferè nulla ſubſit ſpes converſionis, eorum habitatio cedit in contumeliam Creatoris, & moraliter incitat ſuo exemplo conjugem, & domeſticos ad peccatum. Ergo poteſt fidelis eo relicto matrimonium inire, quia verè infidelis moraliter diſcedit. Et confirmari poteſt ex Concilio Toletan.IV. *can.62.* prohibente, ne uxor Judæa ad fidem converſa cum viro Judæo in infidelitate permanente habitet: quod decretum ad omnes fideles converſos ex quacunque ſecta extendi firmarunt plures Doctores, quos refert, & ſequitur Baſil. Ponce *lib.9. cap.4. n.10.* Sanch. *lib.7. diſp.73. à n.7. & ſeqq.* Quod ſi fidelis nequit cum infideli habitare, jam cogitur recedere, & conſequenter videtur privilegium à Paulo conceſſum ſibi competere.

9. Cæterùm verius exiſtimo in prædicto caſu fidelem converſum non poſſe aliud matrimonium inire: quia hæc poteſtas diſſolvendi conjugium conceditur fideli ex eo præcisè, quod infidelis diſcedat, ut conſtat ex verbis Pauli ſæpè relatis. At ex eo præcisè, quòd in ſua infidelitate perſeverare velit, non infertur quòd diſcedat nec phyſicè, nec moraliter irrogando Creatori contumeliam, aut conjugem pertrahendo ad peccatum, ut ex *eodem loco* Pauli ſatis colligitur, dum conſulit, ne fidelis infidelem dimittat, ſi infidelis velit pacificè cum eo habitare, ſanctificatus eſt enim, &c. Supponiturque in *cap. quanto. Et cap. gaudemus, de Divortiis.* Quapropter niſi verbis, aut frequenti uſu ſuæ perfidiæ cenſeatur moraliter conjugem, aut filios ad infidelitatem pertrahere, nullatenus cenſeo fidelem poſſe, aliud matrimonium inire, tametſi non teneatur cum infideli habitare: ſic docent Sylveſt. *verb. matrimonium 8. quæſtione 10. dicta 6.* Navarr. *capite 22. num.29.* Valent. *de matrim. diſp.10. quæſt.1. punct.7. circa princ.* Tolet. *lib.7. ſum. cap.7. n.3.* Et alii plures relati Sanch. *lib.7. diſp.74. n.8.*

10. Argumentis in contrarium reſpondeo, non ſolùm primis illis Eccleſiæ temporibus, ſed etiam in præſenti poſſe fidelem cum infideli habitare abſque morali periculo perverſionis, ſed potiùs cum ſpe fructus, uti in India, & Æthiopia contingit. Neque decretum illud Concilii Toletani univerſale fuit, ſeu provinciale ſuam diœceſim aſtringens, neque omnes ad fidem converſos ſpectat, ſed ſolùm converſos ex Judaiſmo, imo neque hos, ſed ſolùm uxores in quibus ob ſubjectionem viri erat ſpeciale periculum. Adde, eſto omnibus converſis eſſet hæc communicatio interdicta, non inde infertur infidelem diſcedere ſed diſcedere fidelem non ob infidelitatem alterius, ſed ob ſingulare præceptum ſibi impoſitum: quod cùm per accidens ſit, jus diſſolvendi conjugium non concedit.

11. Supereſt tamen duplex difficultas Prima, an prædictum matrimonium fidelis converſi ſolvi poſſit Ordine ſacro aſſumpto, vel profeſſione in religione emiſſa? Supponimus non poſſe fidelem hos ſtatus aſſumere, quin ei de infidelis obſtinatione conſtet, quia quouſque infidelis diſcedat, non habet jus fidelis converſus ſtatum diverſum aſſumendi, ut optimè ex communi ſententia tradit Sanch. *lib.7. diſputat.76. num.1. & ſeqq.* Quod ſi infidelis monitus converſionem reſpuat, poterit converſus fidelis ad Ordines, & Religionem tranſire, illis vero aſſumptis etſi poſtmodum infidelis convertatur, non eſt ei fidelis converſus reſtituendus, ut notavit Sanch. *dicta diſput.76. num.6.* Ægid. Coninch. *diſp.26. dub.5. num.62.* Quia jure, & legitimè ſtatum incompatibilem aſſumpſit, ſicut ſi celebrato divortio innocens ad religionem, vel Ordines tranſiret. Placet tamen mihi quod inquit Sanch. *dicta diſp.76. num.7.* Si tempore converſionis infidelis primo converſus nondum profeſſionem emiſerit, ſed ſolum habitum aſſumpſerit eſſe infideli converſo reſtituendum; quia nondum aſſumpſit ſtatum incompatibilem, & cauſa divortii omnino ceſſat. Hoc ſuppoſito. Etſi aliqui Doctores non infimæ notæ cenſeant Ordine ſacro aſſumpto vinculum matrimonii in infidelitate contractum diſſolvi: at communis ſententia oppoſitum veriſſimè firmat, ut videre eſt apud Sanch. *d. diſp.76. circa finem.* Quia nullibi invenitur hoc privilegium ſtatui clericali conceſſum maximè cum matrimonium ratum fidelium eo ſtatu aſſumpto non diſſolvitur.

12. Profeſſione autem religionis pluribus relatis probat Sanch. *d. diſp.76. num.9.* Diſſolvi, & præcipuè ratione motus, quia profeſſio religionis ſolvit matrimonium ratum fidelium quod eſt vinculum fortius, & efficacius, & cùm ſit non ſolum contractus, ſed Sacramentum, ergo diſſolvit matrimonium conſummatum infidelium. Argum. Textus *in leg. de accuſationibus, 24. ff. de diverſ. & tempor. præſcript.* Qui enim vincit vincentem, vincit victum.

Sed verius oppoſitum exiſtimo cum Abulenſ. *1.Reg. cap.8. quæſt.68. & 74.* Coninch. *diſp.16. dub.5. n.65.* Baſilio Ponce *lib.9. cap.4. num.19.* Gaſpar Hurtado *de matrim. diſput.8. difficult.14. num.52.* Eo quod diſſolutio matrimonii fieri non poteſt niſi ex Divina conceſſione. At nullibi invenitur conceſſum profeſſione religionis dirimi matrimonium conſummatum infidelium. Nam eſto matrimonio contracto dirimatur, id provenit, ne conjux converſus cogatur vel cœlibem vitam degere, vel habitare cum infideli obſtinato, & periculum perverſionis inducente, reddaturque ei converſio onerosa. Quæ ratio omnino ceſſat religione aſſumpta, cum jam ipſe liberè aſſumat vitam cœlibem. Non igitur ex privilegio conceſſo dirimendi matrimo-

nium

nium alio matrimonio assumpto inferri potest dirimi religionis professione. Neque item censenda est hæc dissolutio concessa ex concessione dissolutionis matrimonii rati fidelium. Tum quia est casus diversus. Tum quia non militat eadem ratio ; aliàs sicut potest fidelis non obstante matrimonio rato ad religionem transire, poterit etiam infidelis conversus post matrimonium consummatum , tametsi alius convertatur,quòd meritò ipsemet Sanch. *disp. 76.n. 3. & 7.* negat. Quare lex *illa de accusationibus* intelligenda est de casibus jure ordinario,& naturali contingentibus , non de iis , quæ à jure positivo, & extraordinario proveniunt.

13. Secunda difficultas est, An dissoluto matrimonio à fideli converso possit infidelis non solùm validè,quod certum est , sed licitè aliud matrimonium inire?Negant D. Thom. *in 4. d. 37. quæst. 2. art. 5. ad 5.* Bonavent. *ibi art. 2. quæ. 2.* Turrecremata *in c. simill. modo 28. quæst. 2. ad 3. argum.* Basil. Ponce , *lib. 9. c. 4. n. 25.* Plures relati à Sanch. *disp. 77. n. 3.& 4.* Ex his Authoribus alii censent non posse infidelem contrahere novum matrimonium , nisi convertatur,bene tamen subsequente conversione,alij verò censent etiam post conversionem indigere dispensatione. Ducuntur , quia infidelis renuens converti peccat in Deum,& in matrimonium , ut dixit Ambros. *c. si infidelis. 28. quæst. 2.* meritô ergo non jure Ecclesiastico, sed Divino arcetur à novo conjugio contrahendo.

14. Rectiùs tamen Glossa *in c. fin. 28. q. 2. verbo,& in matrimonium.* Durand *in 4. d 39. quæst. 2. num. 25.* Abulens. *1. Reg. 8. quæst. 127.* Henriq. *lib. 11. c. 8. n. 15.* Et aliis relatis Sanch. *lib. 7. disp. 77. num. 6.* Gaspar Hurtado *disp. 8. difficult. 13. in fine.* censent licitè posse infidelem obstinatum dissoluto jam matrimonio à fideli aliud matrimonium inire. Quia nullo Textu, nec ratione firma ostendi potest ademptam illi esse hanc potestatem.Si enim mortuo fideli conjuge omnes fatentur posse novum matrimonium inire , etiam poterit illud inire dissoluto conjugio per aliud matrimonium à fideli initum ; æquè enim , ac per mortem dissolutum est.

§. IV.

Qualiter matrimonium fidelium solvi possit ?

1 *Ordine sacro assumpto matrimonium etiam ratum fidelium non solvitur , sed solùm professione Religionis.*
2 *Professionem solemnem dirimere ex se matrimonium ratum affirmant aliqui.*
3 *Alij censent ex jure Divino positivo.*
4 *Refellitur prædicta sententia.*
5 *Adstruitur sola authoritate Pontificis à Christo accepta dirimi matrimonium ratum professione Religionis.*

1. DIximus superius matrimonium consummatum nulla via solvi posse, neque etiam ratum ex dispensatione Pontificis. Superest verò dicendum, an solvi possit Ordine sacro assumpto , vel professione Religionis , & quo jure solvatur ? Conveniunt omnes Ordine sacro assumpto matrimonium etiam ratum non solvi,ut videre est apud Sanch. *lib. 2. disput. 18. num.9.*Gutierr. *c. 4. de matr. num.6.* & deciditur *in extravag. Antiquæ Joan. XXII. de Voto.* Econtrà verò professione Religionis dirimi matrimonium ratum omnes Catholici firmant , decisúmque est *in cap. desponsat. 27. q. 2. c. decreta legalia eadem causa , & q. & ex publico. Cap ex parte tua de convers. conjug. extrav. Antiquæ. Joan. XXII. de Voto.* & in Trident. *sess. 24 can. 6.* ibi : *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem alterius conjugis non dirimi , anathema sit.* Quocirca emissione votorum, quibus nec solemnis professio constat , nec verum Religiosum constituunt , nequaquam matrimonium ratum solvitur , uti constat ex *suprad. extravag. Antiquæ de Voto.* Et tradit Sanchez,& Gutierr. *suprà.* Unde vota emissa à quibusdam tertij Ordinis D. Francisci , & Dominici , quæ solemnia non sunt , nec Religiosum propriè constituunt , nequaquam matrimonium ratum valent dissolvere. Secùs de iis qui in communi vivunt , & veram emittunt professionem , ut benè advertit Sanch. *dicta disp. 18. numero 4.* Gutierr. *c. 45. num. 2.* Basil. Ponce , *lib. 9. c. 8.* De votis religiosorum ordinum militarium Sancti Jacobi,Alcantaræ Calatravæ , qui nec vivunt in communi , neque illis excluduntur à conjugio, satis certum videtur matrimonium non solvi , cùm matrimonium consistere possit cum eorum professione.Solùm de Equitibus professis in Ordine Sancti Joannis est controversia, an eorum profecto matrimonium ratum dissolvat:Qui censent eorum professionem verum , & proprium statum religiosum non constituere , consequenter negabunt dissolvi, sicuti docuit Dominic. Sotus *in 4. d. 27. qu. 1. art. 4. vers. Quocirca.* Et *lib. 7. de just. & jure, q. 5. art. 3. ad 3.* Sarmiento, *lib. de reddit. Eccles. 4. p. c. 1. num. 13.* At cùm communis sententia meritò defendat hos Equites verè Religiosos esse , & ex alia parte eorum votum castitatis cum matrimonii usu non posse subsistere, consequenter affirmat eorum professionem matrimonium ratum dissolvere : sicuti docent Navarr. *lib. 3. Consil. tit. de convers. conjugat. cons. 1.* aliàs 2. Henriq. *lib. 11. de matr. c. 8. num. 6.* Cordub. *in sum. quæst. 178.* Barbosa Rubrica *ff. soluto matrimonio 2. p. num. 82.* Sanch. *lib. 2. disp. 18. num. 8.* Gutierr. *c. 54. n. 7.* Basil. Ponce, *lib. 9. c. 7. n. 3.* Azor. *t. 1 lib. 13 c. 6. quæst. 4.*

2. Sed quo jure professio solemnis matrimonium dirimat , variant Doctores , ut videre est apud Sanch. *lib. 2. disputat. 19. per totam.* Nam aliqui affirmant professionem ex se hanc vim dissolvendi matrimonium habere , utpote quæ constituit statum perfectiorem , & cum matrimonio repugnantem, & ex alia parte est mors spiritualis juxta illud Pauli *ad Colossens. 3.* Mortui enim estis , & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Ergo potens est dirimere matrimonium carnale saltem ratum. Sic docent D. Thom. *in 4. d. 27. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. corp.* Richard. *eadem d. art. 4. q. 2.* Durand. *quæ. 2. n. 9.* Bellarm. *lib. 2. de monachis, capit.*, 8. Covarru. *4. decret. 2. part. c. 7. §. 4. n. 7.*& alij relati à Sanch. *dicta disp. 19. numero 1.*

Verúm hæc sententia nullo firmo fundamento nititur , nam si ob perfectionem status , & quia est mors spiritualis, haberet professio vim dirimendi matrimonium ratum ex natura sua , & consummatum dirimeret , eadémque efficacitas concedenda esset statui clericali ,& episcopali , quam tamen nullus ex supradictis Doctoribus audet admittere.Ratio verò à priori est manifesta ; nam professio religiosa consistere potest cum matrimonio non solùm rato , sed consummato, ut contingit cùm ex consensu conjugis , vel divortio facto alter profitetur. Sunt enim traditiones diversæ. Ergo ex natura rei , & secluso Christi , & Ecclesiæ institutione nequaquam professio matrimonium ratum valet dirimere.

3. Secunda sententia attribuit professioni hanc vim dissolvendi matrimonium ratum ex jure Divino positivo , credit enim Christum Dominum statui religioso hanc vim concessisse : sic docent pluribus relatis Sanch. *lib. 2. de matr. disp. 19. num. 3.* Gutierr. *lib. 1. canon qq. cap. 17. num. 26. 35. & 43.* Et *de matrim. cap. 54. num. 8.* Basil. *lib. 9. capit. 5.* Ducuntur , quia nullo positivo, & Ecclesiastico jure invenitur concessum professioni religiosæ , ut matrimonium ratum dirimat , sed omnes Textus de hac materia loquentes supponunt aliunde concessum , scilicet à Christo Domino , à quo hæc traditio in Ecclesia derivata censetur. Ut videre est *in cap. desponsatam. 26. quæstion. 2.* ibi enim (inquit Eusebius Pontifex) *desponsat. puellam non licet parentibus alij viro tradere ;*

tradere ; licet tamen illi monaſterium ſi voluerit eligere , hæc enim juris ſtatuti declaratio fuit , & non illius prima conſtitutio. Idem conſtat *ex c. ex publico de converſ. conjugat.* Ubi Alexand. III. ex ſacri eloquii interpretatione hanc efficaciam deducit. Et Innocent. III. *in cap. ex parte eodem tit.* inquit. *Quod etſi poſſit non inconſultè videri, quod ex quo matrimonium inter legitimas perſonas per verba de præſenti contrahitur , illis viventibus in nullo caſu poſſit diſſolvi , ut vivente reliquo alter ad ſecunda vota tranſmigret , etiamſi unus fidelium , inter quos eſt ratum conjugium fieret hæreticus , & nollet permanere cum altero ſine contumelia Creatoris , niſi forte ſecùs fieret in revelatione Divina , quæ ſuperat omnem legem , ſicut à quibuſdam Sanctis legitur eſſe factum.* In quo decreto expendenda ſunt illa verba , *in nullo caſu* , & illa , *niſi ex revelatione Divina.* Idem traditur *in cap. verùm , eodem titul.* Confirmant prædicti Doctores ſuam ſententiam variis exemplis. Primò exemplo Joannis Evangeliſtæ , quem Chriſtus Dominus ex nuptiis ad Apoſtolatum vocavit , teſte Beda *in præfat. in Evangel. Joan.* Ruperto 2. *lib. in Joan.* Anton. 3. *p. ſum. tit.* 1. *Et p.* 1. *Hiſtor. titulo* 5. Lyra *ad locum Joann. de nupt.* Ubi inquit , *dicitur communiter, quòd hæ nuptiæ fuerunt Joannis , à quibus eum Chriſtus vocavit ante conſummationem matrimonii , ex hoc in Eccleſia obſervatur , quod ante carnalem copulam poteſt licitè alter conjugum intrare Religionem.* Secundò adducitur Tecla, quam ante matrimonium conſummatum Paulus convertit teſte D. Ambroſio *lib.* 2. *de Virginib. parum à princ.* Epiphanio *hæreſi* 58. Auguſt. *lib.* 30. *contra Fauſtum.* Tertiò de Valeria refert Mart. *epiſt.* 2. *ad Toloſanos, c.* 8. *cum eſſet ſponſa Regis terreſtris , facta eſt ſponſa regis cœleſtis per meam prædicationem virginitatem mentis , & corporis Deo devovens.* Quartò Julian. Martyr. ab ſponſa Baſiliſſa ſeparatus eſt, & monachus factus, prout refert ex Metaphraſte. Surius *in ejus vita menſe Januario.* Quintò de Macario , Alexio , Cæcilia, Amnon. & aliis tradit Gratian. *c. ſcripſit.* 27. *quæſt.* 2. Ratione vero ſic ſuadetur. Diſſolutio matrimonii rati eſſe non poteſt niſi à Chriſto Domino immediatè, vel ex ejus authoritate : at nullibi conſtat Chriſtum Dominum hanc authoritatem diſſolvendi matrimonium per profeſſionem religioſam Pontifici tribuiſſe , potius quàm per ſtatum clericalem , aut cœlibatum. Ergo fatendum eſt non à Pontifice , ſed à Chriſto hanc proveniſſe diſſolutionem.

4. Sed neque hanc ſententiam probandam cenſeo : nam ſi Chriſtus Dominus hanc efficaciam ſtatui religioſo conceſſiſſet , cùm ſtatum hunc non ſolùm promiſſio votorum ſolemnium , ſed etiam ſimplicium , & quæ ex voluntate Prælati diſſolvi poſſunt , conſtituat, ut definitum eſt à Gregor. XIII. in Bulla quæ incipit. *Quanto fructuoſius* edita anno 1582. ex hujus ſtatus aſſumptione matrimonium ratum diſſolvetur : cùm ſolemnitas votorum ſolo jure Eccleſiaſtico introducta ſit. Hanc ſequelam immerito concedit Baſil. Ponce *lib.* 9. *cap.* 6. Tum quia Conc. Trident. *ſeſſ.* 24. *can.* 6. Hunc effectum profeſſioni ſolemni attribuit , ibi : *Si dixerit matrimonium ratum , & non conſummatum per ſolemnem Religionis profeſſionem alteritus conjugum non dirimi , anathema ſit.* Cùm igitur expreſſerit ſolemnem , tacitè non ſolemnem excluſit. Unde Joann. XXII. *in extravag. Antiquæ de Voto* , expreſsè decidit votis ſimplicibus matrimonium non dirimi , & licèt Innocent. III. & alii Pontifices non expreſſerint verbum *ſolemne*, ſed ſolùm dixerint per profeſſionem regularem matrimonium ſolvi , id factum eſt , quia eo tempore nulla erat profeſſio regularis , quæ ſolemnis non eſſet. Neque his adverſantur exempla illorum Sanctorum adducta. Non primum , nam verius eſt Joannem Evangeliſtam non adfuiſſe ut ſponſum in illis nuptiis Cana Galiææ , ſed ut diſcipulum , ut optimè probat Cardin. Tolet. *in cap.* 2. *Joann. à num.* 15. Cæſar Baronius *tom.* 1. *annal. à n.* 31. *fol.* 106. Neque ex illis nuptiis ad Apoſtolorum vocatus eſt , cum conſtet *ex Matth.* 4. *& Marci* 1. ante illud tempus fuiſſe vocatum. Neque decebat ex illis nuptiis , quas approbare intendebat ſponſum ad ſe vocare nuptiis diſſolutis. Gratis verò conceſſo exemplo non inde infertur neque vinculum matrimonii ſolutum eſſe, neque Joannem Evangeliſtam caſtitatis votum emiſiſſe, neque ex conſenſu alterius conjugis ſeparationem non fuiſſe factam , neque Chriſtum Dominum uſum non fuiſſe ſua poteſtate excellentiæ abſque eo , quòd regulam in poſterum ſervandam tradiderit. Secundum exemplum S. Teclæ non eſt ad rem , ſiquidem ejus conjugium erat cum infideli , à quo etſi conſummatum eſſet meritò potuit ſeparari , præcipuè cum veriſſimile ſit non potuiſſe cum eo habitare ; abſque contumelia Creatoris , ſiquidem ab ipſomet ſponſo damnata fuit, & igni objecta. Minus congruit tertium exemplum de Valeria , cum ex conſenſu ſponſi caſtitatem ſervaverit , prout ipſemet Martial. *citato loco* refert. Et idem dicendum eſt de Juliano , & Baſiliſſa , cum ſatis probabile ſit ex mutuo conſenſu ſe ſeparaſſe , & caſtitatem ſervare voluiſſe , quod fieri poterat , etſi matrimonium conſummatum eſſet : neque ex illorum hiſtoria colligi poteſt vel vinculum matrimonii ſolutum eſſe, vel ipſos profeſſionem non emiſiſſe. Eadem reſponſio applicanda eſt ad exemplum Amonii , Ceciliæ , Macharii, & aliorum. Alexius verò Romanus eſto non ex conſenſu ſponſæ diſceſſerit ; diſceſſit tamen ex Divina revelatione quæ ſuperat omnem legem , ut dixit Innoc. *in cap. ex parte. De converſ. conjugat.* Neque ob illius diſceſſum fuit conjugium ſolutum , ut ſatis indicant illa verba ſponſæ , quæ poſt ejus mortem protulit : *Tot annos propter te vixi ſolitaria , & hodiè vidua relinquor.* Ad rationem verò addictam concedo ex nullo jure ſcripto colligi poſſe , potius Pontifici conceſſam fuiſſe facultatem diſſolvendi matrimonium ratum per profeſſionem religionis , quàm per ſtatum ordinis , aliumve perfectionem. Ex facto tamen ipſo juncta Eccleſiæ traditione ſatis colligi hanc poteſtatem ſtatui religioſo reſtrictam eſſe. Adde non videri improbabile cuilibet alteri ſtatui perfectionis hanc vim diſſolvendi matrimonium ratum concedere potuiſſe.

5. Supereſt ergo dicendum profeſſionem religionis hanc vim diſſolvendi matrimonium ratum habere authoritate Pontificis à Chriſto Domino accepta , quam authoritatem Pontifici communicatam eſſe ex traditione Eccleſiæ ſi tempore Apoſtolorum colligimus , decebat namque Chriſtum Dominum ſuo Vicario relinquere poteſtatem inſtituendi aliquem ſtatum perfectionis, quo matrimonium ratum diſſolveretur : cum enim certum ex fide ſit profeſſione Religioſa matrimonium ratum ſolvi , probatumque eſt id non poſſe ex natura profeſſionis provenire , neque etiam immediatè ex inſtitutione Chriſti , reſtat dicendum , ut proveniat ex inſtitutione Pontificis per authoritatem à Chriſto Domino acceptam. Præterea compertum eſt profeſſionem religioſam matrimonium contrahendum dirimere non ex jure Divino immediatè , ſed Pontificio provenire , ideoque aliquando contigit in Societate Jeſu profeſſionem religioſam votorum ſimplicium non diremiſſe matrimonium contrahendum , ſed hanc vim habuiſſe à tempore Gregor. XIII. *per extravagantem Aſcendente Domino.* Ergo neque ex jure Divino , ſed Pontificio immediatè habet quod dirimat matrimonium contractum : cum enim facilius ſit impedire effectum contractus antequam fiat , quàm ejus natura diſſolvere poſtquam factus eſt , ut decidit Textus *in cap. quemadmodum , de jurejurando.* Si igitur ex jure Divino dirimeret profeſſio matrimonium contractum, potius reſpectu contrahendi hanc vim haberet , quàm cum non habeat , ſed ſolum ex jure Pontificio , aſſerendum eſt ex jure Pontificio provenire profeſſioni religioſæ vim , & efficaciam matrimonium ratum diſſolvendi. Atque ita docent Hoſt. *cap. ex publico , verbo conſummatum,*

consummatum, de converſ. conjugat. Et ibi Joan. Andr. n.9. Anton. n.16. Ancharran. repert. ſuper caput canonum, n.28. de conſt. Felin. conſ.16. n.19. Gandavo quodlibet 5. q.35. Michaël de Medina lib.5. de ſacror. homin. contin. c.86. & ſeq. Leonard. Leſſius lib.2. de juſt. c.41. dub.8. n.69. Coninch. diſp.26. dub.3. concl.4. num.37. Gaſpar Hurtado diſp.8. diffic.4. n.17. Franciſc. Suar. 3.t. de relig. lib.9. c.6. per totum, præcipuè à num.20. Paul. Layman. lib.5. ſum tract.10. 3.p. c.6. à n.3.

§. V.

De tempore conceſſo conjugibus ad deliberandum de Religionis ingreſſu.

1 *Quid in hac parte jure decretum ſit.*
2 *Bimeſtre conceſſum eſt ad ingreſſum in novitiatum.*
3 *Poteſt Judex compellere ingredientem, ut vel profeſſionem faciat, vel ad conjugem revertatur.*
4 *A quo puncto bimeſtre computandum ſit?*
5 *Authoritate Judicis poteſt hoc bimeſtre arctari, vel prorogari urgente cauſa.*
6 *Bimeſtri tranſacto adhuc poteſt conjux in continenti Religionem ingredi.*
7 *Omnibus conjugatis hoc bimeſtre conceſſum eſt, tametſi de ingredienda religione non cogitaverint.*

1. DIximus §. *præcedenti*, licere conjugibus ante conſummatum matrimonium religionem ingredi. Supereſt videndum quanto tempore negare ſibi invicem conſummationem poſſint, ut liberum habeant tranſitum in religionem: Qua in re reſpondet Alexand. III. *in cap. ex publico de controverſ. conjugat.* Epiſcopo Brixienſi, apud quem vir quidam conquerebatur, quòd ejus uxor, quæ diu litigaverat de matrimonii valore, & condemnata adhuc renuebat cum eo habitare prætextu religionis ingrediendæ. *Mandamus*, inquit Alexand. *quatenus ſi prædictus vir eam carnaliter non cognoverit, & eadem ad religionem tranſire voluerit, recepta ab ea ſufficienti cautione, quòd vel ad religionem tranſire, vel ad virum ſuum redire intra duorum menſium ſpatium debeat, ipſum abſolvas, &c.*

2. Ex quo decreto manifeſtè conſtat bimeſtre conceſſum eſſe conjugi, qui matrimonium non conſummavit ad deliberandum de Religionis ingreſſu. Et licèt Abbas *d.c. ex publico, n.11.* Præpoſit. *in cap. fin. 55. diſt.* Navarr. *c.16. n.27.* Et alii cenſuerint prædictum bimeſtre conceſſum eſſe ad ingreſſum Religionis cum effectu, ſcilicet ad profeſſionem, uti conſtat ex *cap. ex parte eodem, tit. de converſ. conjugat.* At longè verius eſt ad ſolum ingreſſum in novitiatum concedi, uti pluribus relatis docent Henriq. *lib.12. cap.5. n.8.* Sanch. *lib.2. de matr. diſp.24. num.4. & ſeqq.* Gutier. *de matr. c.54. num.11.* Baſil. Ponce *lib.9. c.9. n.2.* Coninch. *diſp.26. dub.4. n.41. & 48.* Gaſpar Hurtado *diſp.8. de matr. difficult.8.* Eo quod ſine manifeſto Textu, & ratione recedendum non ſit à jure concedente annum novitiatus ante profeſſionem. Et licèt in *cap. Ad Apoſtolicam, de regularib.* Concedatur, ut hic annus tum ex conſenſu Novitii, tum religionis coarctari poſſit, nullibi tamen invenitur, quòd ex conſenſu conjugis manentis in ſæculo coarctetur. Et certè illis in locis ubi Trident. receptum eſt, omnino veriſſimum exiſtimo prædictos duos menſes non pro profeſſione, ſed pro aſſumptione habitus eſſe intelligendos, concedendumque eſſe integrum novitiatus annum juxta decretum *ſeſſ.25. cap.15. de regul.* A quo decreto ſolum eximit eos, qui monaſterium in commendam accipiunt, qui poſt ſex menſes tenentur ibidem profiteri, vel commendam renunciare: ut dicitur *d. ſeſſ.25. cap.21.* præſumuntur enim ii ſatis religionem agnoſcere, & religioni notos eſſe, quod ſecus procedit in conjugibus, qui regulariter nunquam de Religione cogitarunt, & ſæpè ob odium conjugis religionem amplectuntur, ut refertur *cap. ex parte de converſ. conjugat. Et cap. veniens. Qui clerici, vel voventes.* Quare ſi conjux, cum annos pubertatis attingit religionem ingreditur, tenetur conjux in ſæculo manens expectare uſque ad 16.annum, quo poſſit profeſſionem emittere, ut ex declaratione Concilii advertit Baſil. Sanch. & alii *ſuprà.* Neque obeſt quod *in cap. ex parte*, ingreſſus pro profeſſione ſumatur, quia ille Textus eſt diverſi Pontificis, ſcilicet Innocentii, & nomen *ingreſſus* aliquando aſſumptionem habitus, aliquando profeſſionem ſignificat.

3. Quod ſi ingrediens religionem ibidem profiteri renuat, & aliam amplecti velit, ne conjugi relicto præjudicium ſit, poteſt Judex compellere deſignato termino peremptorio, ut in una Religione profiteatur, vel ad virum redeat, ut optimè notarunt Henriq. *lib.12. c.5. n.8. in fine.* Sanch. *diſp.24. n.9.* Gutierr. *de matrim. c.54. n.13.* Coninch. *diſp.26. dub.4. n.45.* Baſil. Ponce *d. lib.9. c.9. in fine, n.10.*

4. A quo autem puncto bimeſtre computandum ſit? Communiter Doctores aſſerunt computandum eſſe à die matrimonii contracti. Nam etſi *in d. cap. ex publico de converſ. conjugat.* Bimeſtre computatum non fuit à die contracti matrimonii, cum longum tempus præceſſerit poſt bimeſtris conceſſionem, ſed à die per Judicem deſignato, id factum eſt; quia illa mulier prætendebat matrimonium eſſe nullum, at valido declarato bimeſtre illi fuit deſignatum, quod duobus menſibus communiter occurrentibus completur, ſicuti communi latè probat Sanch. *d. lib.2. diſp.24. à n.3.* Baſil. Ponce *lib.9. c.9. à n.4.*

5. Gravior tamen eſt dubitatio: An authoritate Judicis poſſit hoc bimeſtre coarctari, vel prorogari? Affirmant communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Sanch. *d. diſp.24. n.12.* Gutierr. *c.54. num.16.* Baſil. Ponce *lib.9. c.9. num.8. & ſeqq.* Nam hoc bimeſtre eſto à lege præſcribatur miniſterio Judicis imponendum; tempus tamen à lege præſcriptum, & maximè imponendum per Judicem ex cauſa urgenti coarctari, vel prorogari poteſt. *Ex leg.2. qui pro tribunal. ff. de ſentent. & re judicata. Et ibi* Bart. *n.4.* Molin. *lib.2. de primogen. c.14 n.19.* Et pluribus comprobat Baſil. *d. cap.9. n.8.*

6. Bimeſtri autem tranſacto non ita arctatur conjux ad reddendum debitum conſummandumque matrimonium, ut nequeat, ſi velit Religionem ingredi, quia dum conſummatum matrimonium non eſt, electio ſtatus religioſi conceditur, uti tradunt ex Innocent. Cardinali, Hoſtienſ. Butrio, & aliis Sanch. *lib.2. diſp.14. n.27.* Gutierr. *c.54. n.19* Coninch. *diſp.16. dub.4. n.49.* Gaſpar Hurtado *diſp.8. difficult.8 n.30.* Et colligitur *ex cap. ex publico de converſ. conjugat.* Ut benè ponderat Coninch. *ſuprà.*

7. Quibus verò hoc bimeſtre concedatur? communis eſt ſententia omnibus conjugatis concedi, tametſi de religione ingredienda propoſitum non habeant, eo quòd illud habere poſſunt, & caſu quo religionem non ingrediantur majori affectu poſtmodum conjunguntur, quia deſideria dilata creſcunt. Ob quas rationes fuiſſe hoc bimeſtre conceſſum aſſerunt Gloſſa *in c. conjuges 27. q.2. verbo primum.* Sylveſter *verbo debitum, q.1. cauſa 4.* Roſella *ibidem num 2.* Armilla *n.5.* Et plures referens Sanch. *lib.2. diſp.24. num.25.* Baſil. Ponce *lib.9. c.9. n.7.* Sed verius exiſtimo cum Angelo, *verbo debitum, num.14.* Coninch. *diſp.26. dub.4. num.46.* Gaſpar Hurtado *d. diſp.8. difficult.8.* Hoc bimeſtre ſolum concedi iis conjugatis qui animum habent religionis, capeſſendæ. Ducor, quia à puncto contracti matrimonii tenentur conjuges ſibi invicem reddere debitum, niſi jure Pontificio ob bonum religionis aliquo tempore hæc obligatio ſuſpendatur. At nullis aliis conjugibus invenitur ſuſpenſa, niſi iis qui de religionis

ligionis ingreſſu tractant;ut conſtat *ex cap. ex publico de converſ. conjugat.* ubi hoc bimeſtre,& non alibi inventur conceſſum. Ergo, &c.

§. VI.

De probationibus requiſitis,ut matrimonium contractum nullum eſſe judicetur.

1 *In foro conſcientiæ nulla alia probatio præter teſtimonium ipſorum contrahentium requiritur.*
2 *In foro externo inſufficiens eſt contrahentium teſtimonium etiam de ficto conſenſu.*
3 *Quæ ſint conjecturæ ficti conſenſus latè examinatur.*
4 *Si matrimonium diſſolvendum ſit ob impedimentum affinitatis, vel conſanguinitatis unico teſti non eſt fides adhibenda neceſſario.*
5 *Non eſt licitum regulariter conjugibus propria authoritate recedere , etiam dum conſtat nullum eſſe matrimonium.*

1. IN foro conſcientiæ nulla alia probatio videtur requiſita præter teſtimonium ipſorum contrahentium.His enim fides adhibenda eſt;niſi aliunde colligatur manifeſta deceptio,cùm in hoc foro ſola ſalus deponentium ſpectetur, ut notavit Coninch. *diſp. 26. dub. 6. in princ.* Covarrvu. 4. *decret.* 1. *part.c.*4.§.1.*n.*9. Et 2. *part.c.*2.*n.*2. Menoch. *de præſumpt. lib* 1. *præſumpt.* 77.*n.* 16. Et *lib.* 3. *præſumpt.* 1. *n.* 29.*&* 37. Et *conſil.* 385.*à n.* 21. *vol.* 4. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 45. *n.* 2.

2. At in foro externo inſufficiens eſt contrahentium teſtimonium, ut matrimonium contractum diſſolvatur, tametſi cauſa diſſolutionis ſit fictio conſenſus.Nam eſto hæc cauſa utpotè interna ſolùm ei qui eam opponit nota eſſe poſſit , ejus tamen probatio eliditur matrimonio exteriùs contracto , ut colligitur apertè *ex c. per tuas de probat.* ibi:*Nimis indignum eſt juxta legitimas ſanctiones, ut quod quiſque ſua voce lucidè proteſtatus eſt, valeat proprio teſtimonio infirmare.* Quocirca niſi aliæ conjecturæ adſint, quæ fictionem adfuiſſe certò moraliter perſuadeant,pro matrimonii valore ſtandum eſt , ut tradunt Sotus *in* 4. *d.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 3. *propoſit.* 1. Navarr. *capit.* 22. *numero* 28. Covarvu. 2. *part. decret. capite* 2. *numero* 4. Sanch. *lib* 2.*diſputatio* 45. *numero* 3. *& ſeqq.* plures referens.

3. Conjecturæ autem hujus ficti conſenſus aliquæ referuntur. Prima ſi cùm vir protulit verba conſenſus incontinenti revocat , præſumi poteſt per inadvertentiam, & inconſiderationem ea protuliſſe, juxta Textum *in cap. præterea , de teſtibus cogendis:*ſicuti tradit aliis relatis Sanchez *dicta diſput.* 45. *numer.* 6. Quod ſtante decreto Trident. vix locum habere poteſt, cùm Parochus teneatur contrahentium conſenſum diligenter explorare, ut benè advertit Coninch.*diſp.* 26.*dub.* 6.*numer.*70. Secunda , ſi poſt contractum matrimonium paulò poſt affirmet ſe fictè conſenſiſſe,& matrimonium aliud ineat, quia non eſt præſumendus ita citò revocaturus conſenſum præſtitum , & cum damno prioris uxoris ad alias nuptias tranſiturus: quod à fortiori procedit, ſi ad Ordinem ſacrum aſcendat , vel Religionem ingrediatur. Credi enim non debet hos ſtatus ita perfectos aſſumpturus graviſſimum peccatum mortale committens. Sic Angelus, *verbo Matrimonium* 2. *numero* 16. Sylveſt. *eodem* 4. *quæſt.* 9. *dicto* 1. *&* 2. Navarr. *cap.* 22. *num.* 77. Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 45. *numero* 7. Cæterùm veriùs cenſeo hanc conjecturam ficti conſenſus plenam non præſtare probationem. Qui enim auſus eſt Sacramentum matrimonii eludere, & conjugem decipere, quid mirum ſi audeat Ordinem , vel religionem contra legitimas ſanctiones aſſumere. Quare niſi aliæ cauſæ adhibeantur ficti conſenſus , hanc inſufficientem judicarem , ut benè notavit Coninch. *diſp.* 26. *dub.* 6. *num.* 71. Tertia ſi conjux aſſerens fictè conſenſiſſe diſparis conditionis ſit ab alio tum in divitiis, tum in nobilitate , ſatis præſumi poteſt fictum conſenſum præbuiſſe inquit Menoch. *de præſumptionibus lib.* 3. *præſump.* 1. *num.* 25. Et *conſ.* 385. *num.* 20. *volum.* 4. Covarvu.4. *decret.* 2. *part.cap.* 2. *n.* 4. Victoria *de matrim. num.* 249. Palacios *in* 4. *d.* 28. *diſp.* 1. Sed neque hanc crederem ſufficientem conjecturam ficti conſenſus , cum ſæpè videamus viros cæco amore ductos conjuges pauperes , & ignobiliores aſſumere , ut benè notavit relatis Roſella, Navarr. Sylveſt. & Bartholom. à Ledeſma Sanchez *dicta diſp.* 45. *numero* 8.Unde etſi fœminæ permitti poſſit ex vi hujus teſtimonii in foro conſcientiæ alteri nubere;at viro in foro externo nequaquam permittendum eſt,ut rectè dixit Coninch.*dicta diſp.*26. *dub.* 6. *n.*71.Quarta ſi teſtimonium ficti conſenſus comitetur metus gravis,etſi per ſe inſufficiens ad irritandum matrimonium , quia tunc illa citiſſima manifeſtatio ficti conſenſus ſimul cum metu moralem certitudinem inducunt defuiſſe verum animum contrahendi. Sic Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 3. *præpoſit.* 1. Bartholom. à Ledeſm. *dub.* 19. *de matrim.* quos refert , & ſequitur Sanchez *lib.* 2. *diſput.* 45. *numer.* 12. Coninch. *dicta diſput.* 26. *dub.* 6. *numer.* 71.Et hanc conjecturam probandam cenſeo , maximè ſi ex parte puellæ contingat.Quinta refertur, ſi uterque conjux fateatur fictè conſenſiſſe , quia ficti conſenſus nulla alia lucidior probatio haberi poteſt , juxta doctrinam Baldi *in leg. fin. numer,* 21. *Cod. de Hæredibus inſtituendis.* At hæc conjectura mihi inſufficiens videtur , cùm ſæpè contingat utrique conjugi matrimonii contracti pœnitere , qui ſi hac via illud diſſolvere poſſent multis fraudibus pateret oſtium. Faciliùs enim credi poteſt , ut rectè inquit Coninch. *dicto dub.* 6.*num.*71. eos tunc mentiri , quàm anteà fictè matrimonium contraxiſſe , præcipuè ſi publicè contractum eſt , vel conſummatum. Debent ergo aliam cauſam ſui ficti conſenſus exhibere. Sexta , quam Doctores plures ſufficientem judicant,alii inſufficientem aſſerunt eſt proteſtatio contractum matrimonii antecedens. Si enim aſſertor ficti conſenſus proteſtatus fuerit antecedenter ad matrimonium ſe fictè conſenſurum , cenſent Joann. Andreas , Calderinus, Petrus de Ledeſma , Manuel Rodriguez relati à Sanch. & Gutierr. *locis ſtatim referendis* ſufficienter probare invalidè contraxiſſe. Econtrà Gloſſa *in cap. tua de ſponſalibus verbo Mulierem* communiter approbata à Doctoribus teſtè Covarvu. 14. *decret.* 2. *part. cap.* 2. *in princip. numero* 3. Navarr. *cap.* 22. *numero* 78. Maſcard. *de probationibus concluſ.* 1243. *numero* 10. & ſequentibus prædictam proteſtationem non prodeſſe , ſed ab ea fuiſſe receſſum facto contrario, ſcilicet matrimonii contractu. Sed communis ſententia,quam multis allegatis tradunt Covaruvias , Maſcard. *ubi ſupra,* Thom. Sanchez *diſput.* 44. *numero* 19. Gutierr. *de matrim.cap.* 52.*numero* 2.prædictas ſententias conciliant , ut prima procedat, ſi proteſtatio facta eſt altero conjuge ſciente, & conſentiente; ſecunda , ſi facta eſt proteſtatio altero conjuge ignorante, vel repugnante. At ut rectè advertit Coninch. *dicta diſput.* 26. *dub.* 6. ſcientia alterius conjugis non infert receſſum à proteſtatione , quia conſenſum non inducit magis quàm ignorantia , ſed ſolùm præſtat , ne contractus factus injurioſus ſit alteri contrahenti ? Quapropter perquirendæ ſunt diligenter cauſæ , quæ ad prædictam proteſtationem movent, quæ ſi moraliter loquendo inducant diſſenſum, & hæc tempore contractus perſeverant , invalidus judicari debet contractus , ut contingit ſi ad matrimonium metu cadente in conſtantem virum cogaris , & clam coram teſtibus proteſteris non conſenſurum , nullatenus contractu celebrato cenſendus es à proteſtatione receſſiſſe , ut colligitur *ex cap. Lotharios* 32. *quæ.* 2. Et *c.* 1. *de his quæ vi , metúſve cauſa fiunt.* Et ibi Gloſſ.& Doctores communiter teſte Sanch. *lib.* 2. *diſput.* 45. *numero* 22. Maſcard. *concl.* 1243.*n.* 13.

Et

Et Gutierr. *dicto cap.52. num.4.* Prædictam doctrinam comprobantibus authoritate Dini *in leg. qui in aliena ff. de acquirenda hæredit.* Notanter dixi, *si causa protestandi, & dissentiendi tempore contractus perseverat*, nam si cessavit, præsumi potest à protestatione recessisse, ideoque si metu ductus protestatus es dissensum, & sic contraxisti invalidus est contractus. At si post contractum copulam libere habuisti censeris à protestatione recedere, & matrimonium denuo contrahere illis in locis, ubi Tridentin. receptum non est, & matrimonium clandestinè contrahi potest, ut colligitur ex *cap. insuper 4. Qui matrimonium accusare possunt.* Secùs verò ubi est Tridentinum receptum, & matrimonia clandestina nulla sunt, sicuti notat Navarr. *cap.22. num.78.* Gregorius Lopez *leg.3. verbo carnalmente, tit.4. part.4.* Sanchez *lib.2. disp.45. num.21. & 23.* Gutier. *cap.52. num.10.*

4. Hucusque dictum cùm agitur de dissolvendo matrimonio ob defectum consensus: Si autem ob impedimentum aliquod affinitatis consanguinitatis, &c. Lis intentetur, unico testi fidem non necessariò adhibere debes, imò nec potes, ut propter ejus testimonium vel matrimonium dissolvatur, vel debitum petenti denegetur, quia jura matrimonii possidentis non debent minui ob probationem tantùm probabilem, uti constat ex *cap. cùm à nobis de Testibus, & attestationibus.* Solùm enim illud testimonium te obligat ad veritatem diligenter investigandam; ea autem diligentia facta, si nova probatio non superveniat, qua impedimentum plenè probetur, dubium deponere debes, & in matrimonio, ejusque usu perseverare. Sicuti pluribus firmat Sanchez *dicta disput.45. à num.24.* Doctores namque communiter conveniunt ad probationem impedimenti, quæ pro dissolvendo matrimonio necessaria est debere duos testes omni exceptione majores concurrere ex *cap. super eo, cap. cum à nobis de Testibus, & attestationibus.* Hi autem censentur etiam consanguinei si probatæ vitæ sint, & matrimonium illis esset expediens: tunc enim eorum testimonium de matrimonii impedimento nulla exceptione repelli potest, sicuti repellumtur domestici *in cap. in litteris, de Testibus.* Ut bene docuit Gutierr. *de matrim. cap.44. præcipuè à num.83.* Quinimo ipsimet contrahentes, vel alter illorum, si constaret matrimonium cupere sufficientes essent, ut eis deponentibus de impedimento fides adhiberetur, maximè si cum eorum depositione fama concurreret, ut advertit Sanchez *d. lib.2. disp.45. num.34.* Coninch. *disp.26. dub.6. concl.3.*

5. Ad extremum adverte esto concurrant illæ conjecturæ, quæ fictum consensum interfuisse demonstrant, vel illæ probationes, quæ impedimentum adesse concludunt adhuc non licere conjugibus propria authoritate matrimonium dissolvere, si matrimonium publicum sit, sed necessariò Judicis authoritas requirenda est, ne scandalum generetur. Secùs videtur dicendum, si de matrimonio contracto non constat quia fuit clandestinum, vel si publicum fuit, jam testes obiere, neque ullum adest manifestationis periculum, cessat enim ratio, ob quam authoritas judicis requisita est. Atque ita docent Henriq. *lib 11. cap.11. n.4.* Bartholomæus à Ledesma *de matr. dub.19. in fine.* Sanchez *lib.2. disp.45. num.13.*

Punctum III.

De filiis gignendis, concupiscentiaque sedanda.

1 *Matrimonium in filiorum generationem, & in concupiscentiæ remedium institutum est.*
2 *Nullum est peccatum, si conjuges copulentur ob aliquem ex dictis finibus.*
3 *Qualiter ob alios fines extrinsecos eis liceat copulari?*
4 *Qualiter matrimonium prolem legitimam reddat? Respondetur remissivè.*

1. MAtrimonium ut de se constat institutum præcipuè est in filiorum generationem, ut hac via genus humanum conservaretur, & multiplicaretur. Deinde institutum est in concupiscentiæ remedium: quippè post lapsum primi parentis opportunum fuit hoc institui remedium, ne caro quæ adversus spiritum concupiscit voluntatem ad illicitos concubitus pertraheret, ideoque Paulus 1. Corinth. 7. inquit: *Propter fornicationem scilicet vitandam, unusquisque suam uxorem habeat.* Et paulò inferius: *Revertimini in idipsum ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram.* Neque his obstat, quod *eodem loco* dixerit de conjugibus: *Tribulationem tamen carnis patientur hujusmodi.* Nam ut rectè explicant D. Thom. Cajetan. Cornelius, Justinian. aliique expositores *ibi*, noluit Paulus significare conjuges graviores carnis tentationes pati, quàm eos qui matrimonio juncti non sunt: sed declarat anxietudines, & tribulationes, quas conjuges frequenter patiuntur tum in filiis procreandis, tum in domesticis alendis, tum in se invicem supportando: hæc enim omnia cùm ad corpus pertineant, tribulationem carnis Paulus appellavit, ut fatentur præcitati Doctores.

2. Ex his infertur nullum esse peccatum, si conjuges copulentur ob aliquem ex prædictis finibus, quia operantur ad finem à Deo præordinatum, ut benè tradit Durand. *in 4. d.31. quæst.4.* Paludan. *quæst.2. art.3.* Joan. Major. *quæst. unica, concl.4.* Navarr. *cap.16. n.32.* Michaël de Medina *de sacrorum homin. continentia, lib.3. c.13.* Philiarc. *de officio Sacerd. part. lib.4. c.19.* Coninch. *disp.34. dub.7. concl 1.* Sà, *verbo debitum, n.5.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.10. 3.part. c.4. num.2.* Gaspar Hurtado *disp.10. difficult.2.* Neque hanc rectitudinem tollit, tametsi conjuges, orationibus, aliisve mediis possent concupiscentiam sedare, quia etsi consultum esset illis uti nullo tamen præcepto astringuntur ob eorum usum ab usu conjugalis copulæ abstinere, cùm sit medium à Deo institutum, & ab Apostolo commendatum, ut rectè notavit Layman. *d. cap.4. num.2.*

3. Verùm si ob alios fines extrinsecos copulam habeas scilicet, ob voluptatem carnis, communiter Doctores docent te peccatum veniale committere; quia alienum est à rationali natura velle bonum delectabile consequi medio nullam per se honestatem habente: uti ex communi sententia tradit S. Thom. *in 4. d.31. q.2. art.3.* Bonavent. *art.3. q.3.* Sanch. aliis relatis, *lib.9. disp.11. n.4.* At oppositum verius credo, & quidem de copula habita ob sanitatem corporis docent, Joan. Major. *in 4. d.31. q. unica, concl.3.* Henriq. *lib.11. c.15. num.5.* Coninch *disp.34. dub.1. concl.2. n.10.* Basil. Ponce *lib.10. cap.8. n.9.* Si enim licitum est, & rationi rectæ consonum conjugali copula uti in conservationem speciei, cur non licebit ea uti ob conservationem proprii individui, cùm ad hujus conservationem secundariò saltem referatur? sicuti bene aliis relatis arguit Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.10. part.3. c.4. n.3.* De copula verò ob voluptatem inde capiendam, si nimia non sit, probat aliis allegatis Basil. Ponce *dicto c.8. n.8.* Non enim rationi dissonum est velle delectationem annexam copulæ conjugali, quæ ex se actus est justitiæ, ut latiùs dixi *dict. præced. punct.10.*

4. Supererat dicendum qualiter matrimonium possit illegitimam prolem legitimam reddere? Sed de hac qualitate satis abundè diximus, *tract.13. de benefic. disp.4. punct.1.* Neque aliquid novum occurrit notandum.

PUNCTUM IV.

De poteſtate petendi debitum, & obligatione reddendi, quam conjuges habent.

§. I.

Qualiter conjuges petere debitum poſſint, & teneantur reddere?

1 *Vnuſquisque conjux alteri tenetur debitum reddere.*
2 *Debet tamen peti tanquam debitum.*
3 *Nec eſt neceſſe verbis exprimi petitio, ſed ſufficit ſignis.*
4 *Non eſt tacita petitio, quod aliter periculum incontinentiæ habeat.*
5 *Negatio debiti legitimè petiti, peccatum mortale eſt.*
6 *Obligatus eſt conjux ſimul cum conjuge habitare, niſi neceſſitas conſervandi familiam urgeat.*
7 *Item obligatus eſt conjux conſervare vires neceſſarias ad debitum reddendum.*

1. EX poteſtate à Deo accepta unuſquiſque conjux alteri ſe tradit ad conjugalem copulam, ex qua traditione in unoquoque reſultat poteſtas utendi corpore alterius, & obligatio reddendi, ſi petatur. Sic omnes Doctores Catholici eam doctrinam colligentes ex Paulo, 1. Corinth. 7. *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro*, Non enim dixit Paulus: *Vir debitum petat, ſed redat*, quia petitio coitus libera neque conjugem arctat quamtumvis variis tentationibus vexetur, poteſt enim orationibus, jejuniis, aliiſque mediis periculo incontinentiæ conſulere. Quapropter ſola redditio eſt in præcepto, & obligat, ſub mortali, cùm debitum petitur tanquam debitum ſive expreſsè, ſive tacitè, ſeriò, conſtanter & rationabiliter, uti ex omnium ſententia tradunt S. Thom. *in* 4. *diſt.* 32. *q. unica, art.* 2. *quæſtiunc.* 1. Durand. *q.* 1. *art.* 1. Navarr. *cap.* 16. *n.* 26. Paul. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10 *part.* 3. *c.* 1. *num.* 1. Coninch. *diſput.* 34. *de matr. dub.* 2. *concluſ.* 3. Gaſpar Hurtado *diſp.* 10 *difficult.* 11. *num.* 50. Baſil. Ponce, *lib.* 10. *de matr. c.* 2. *n.* 4.

2. Expendenda ſunt verba hujus obligationis, Ut igitur obligeris ſub mortali reddere debitum. Nam ſi conſtet ſolùm tibi peti ex gratia, & benevolentia abſque animo inducendi obligationem negatio debiti eo caſu peccatum non erit, quia non eſt petenti injurioſa, cùm non ex juſtitia petat, uti benè advertit Rebell. *de matr. lib.* 2. *q.* 16. *ſect.* 1. Gaſpar Hurtado *d. diſp.* 10. *difficult.* 11. *n.* 51. Deinde debet peti ſeriò, & conſtanter, quomodo petenti judicatur peti tanquam debitum: ſibique moleſtum eſſe ſi denegetur. Item debet petitio rationabilis eſſe, non immoderata quod prudentis arbitrio ſpectata conjugum conditione dijudicandum eſt.

3. Neque oportet prædictam petitionem verbis exprimi, ſufficit ſi aliquibus ſignis indicetur: ſæpè enim fœminæ naturali pudore impeditæ non audent expreſsè debitum petere, ſed ſolùm aliquibus ſignis ſuum animum indicant, quod ſufficiens eſt, ut vir teneatur reddere, ut eſt omnium ſententia. Et Idem niſi rariùs contingere poteſt in viro comparatione fœminæ, à qua ob ejus authoritatem, vel morum aſperitatem debitum non audet expreſsè petere, ſed tacitè, cui fœmina tenetur ſub obligatione annuere, ut rectè notavit Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 2. *n.* 4. *&* 5. Baſil. Ponce *lib.* 10. *cap.* 2. *n.* 1.

4. Addit Baſil. eſſe tacitum petendi genus, ſi conjugi periculum incontinentiæ ſubſit, niſi tu cum ea copulam habeas, tametſi ad illam habendam neceſſarium ſit quod debitum exigas, illa enim debiti exactio, redditio eſt debiti à neceſſitate petiti. Quippe matrimonium in concupiſcentiæ remedium inſtitutum eſt, ac proinde ex illo videntur conjuges obligari invicem pericula incontinentiæ removere. Sed rectiùs Coninch. *diſp.* 34. *dub.* 2. *concluſ.* 2. *num.* 14. Gaſpar Hurtado *diſp.* 10 *difficult.* 11. *n.* 46. cenſent ex matrimonii contractu te obligatum non eſſe ab alio debitum exigere, ut periculum incontinentiæ in eo vites, quia per matrimonium tuum corpus alteri tradis, ut eo utatur, cùm ſibi rationabiliter placuerit, non autem ut eum obliges ad illius uſum: aliàs obligatus eſſes petere debitum, tametſi agnoſceres conjugem non conſenſurum. Quòd verò matrimonium in concupiſcentiæ remedium inſtitutum ſit, id ſolùm probat quemlibet conjugem poteſtatem habere corpore alterius utendi, ut in ſe concupiſcentiam ſedet, & obligationem reddendi cùm ſibi fuerit poſtulatum ut in altero incontinentiam evitet. Illud verò eſt certum obligatum eſſe quemlibet conjugem incontinentiæ pericula ab alio conjuge removere, ſicuti & quodlidet aliud peccandi periculum: ratione enim mutuæ ſubordinationis unuſquiſque alterius ſaluti conſulere tenetur, ut benè notavit Coninch. *d. dub.* 2. *n.* 5.

5. Verùm etſi negatio debiti ſic petiti regulariter peccatum mortale ſit, ſi nulla ſubſit legitima cauſa negandi, aliquando, inquit Eman. Sa, *verbo debitum, n.* 18 Sanch. *lib* 9. *diſp.* 2. *à n.* 10. Baſil. Ponce, *lib.* 10. *cap.* 2. *n.* 5. Paul. Layman. & Coninch. *ſuprà*, veniale peccatum eſſe ob levitatem materiæ, ut ſi non abſolutè negaſti ſed aliquantulum diſtulifti, aut ſi aliqua tergiverſatione à petitione conjugem avertiſti. Quinimo Baſilio placet, ſi negatio continua non ſit, ſed una, vel altera vice aut parenti manè reddas nocte non eſſe mortale ſecluſo incontinentiæ periculo. Quod probandum non cenſeo. Tum quia unica negatio debiti ſeriò inſtanter, & legitimè petiti gravis materia eſſe videtur, & ſufficiens occaſio excitandi rixas, diſcordias, & inimicitias inter conjuges. Tum quia periculum incontinentiæ frequenter timeri poteſt, ſi renuas debitum concedere tempore quo conjux ad coitum excitatus eſt, neque huic periculo conſulis nocturna conceſſione debiti manè poſtulati. Quocirca cautè procedendum eſt, & potiùs præſtat petenti abſque difficultate annuere, quàm aliquam in redditione difficultatem oſtendere, ne conjugalis amor minuatur, & ad illicita percurrat.

6. Hinc inferes, obligatum eſſe conjugem ſimul cum conjuge habitare, neque poſſe ea renuente longam peregrinationem, & rebus domeſticis augendis, vel conſervandis non neceſſariam inſtituere. At ſi neceſſitas alendæ familiæ poſtulet non debet peregrinationem omittere, ut voluptati conjugis ſatisfaciat. Breves autem peregrinationes uſus, & conſuetudo in viris permittit, ſecùs in fœminis viro non conſentiente, ut hæc omnia tradit Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 4. *per totum.* Coninch. *dub.* 2. *in fine.*

7. Secundò inferes obligatum eſſe conjugem conſervare vires neceſſarias, ut debitum juſtè petitum reddere poſſit, quia eſt medium neceſſarium, ut obligationi reddendi debitum ſatisfacias, ſicuti notavit Baſil. Ponce, *lib.* 10. *c.* 2. *n.* 6. Unde ſi advertit pollutionibus voluntariis aut copula cum alienis, ſe reddi notabiliter impotentem ad conjugalem uſum, ſine dubio peccat contra juſtitiam, & jus debitum matrimonio, ut advertit Sanch. *lib* 9. *diſp.* 3. *n.* 3. Baſil. Ponce, *d. cap.* 2. *num.* 6. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. 3. *part. cap.* 1. *n.* 2. Quinimò obligatus eſt à jejuniis, & pœnitentiis etiam præceptis abſtinere, ſi ob illorum executionem advertat ab uſu conjugali impediri, quia obligatio juſtitiæ, quam excutere non poteſt cuilibet alteri obligationi præferenda eſt: rarò tamen hic effectus ex obſervatione præcepti Eccleſiaſtici provenit; ad ſummum namque vires minuuntur aliquantulum, quod nullius conſiderationis eſt, neque à præceptis exequendis excuſat. Atque ita docent Navarr. *c.* 21. *n.* 16. Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 3. *n.* 10. Valent. 2. 2. *diſp.* 9. *q.* 2. *punct.* 5. *verſ.*

vers. necessitas excusat. Coninch. *disp.* 34. *dub.* 2. *n.* 18. Gaspar Hurtado *disp.* 10. *de matr. difficult.* 11. *num.* 50. Basil. Ponce, & Layman. *suprà.* Ob eandem rationem uxor advertens ob jejunia se reddi pallidam, vel deformem, itaut viro occasionem præbeat, ut ab ea animum avertat, & ad alienas se applicet, obligata est à prædictis desistere, Sic Sanchez Basil- Hurtado, & Coninch. *suprà.*

§. II.

Qualiter conjugibus, & sponsis liceant amplexus, oscula, & tactus impudici?

1 *Seclusâ causâ urgente tactus impudici mortales sunt, si adsit pollutionis periculum.*
2 *At causâ urgente prædicta licent in conjugibus.*
3 *Prædictos tactus exercitos, ubi copula haberi nequit, aliquibus placet esse mortales.*
Verius est oppositum.
4 *Quando exercentur ab uno conjuge in absentia alterius mortales sunt juxta communem sententiam.*
5 *Probabile est à mortali excusari.*
6 *Tactus, quibus membrum virile, in vas præposterum fœminæ refricatur mortales sunt: quidquid alii contrà sentiant.*
7 *Sponsis de futuro licita sunt oscula, amplexus, & tactus aliàs honesti, secùs de se turpes*

1. FErè omnes Doctores conveniunt, tactus in partibus verendis seclusâ causâ urgente esse mortales, si adsit pollutionis periculum etiam non intentæ. Nam esto hujusmodi tactus liciti sint conjugatis; eo quòd sint via, & medium ad copulam habendam: at cùm sub hac ratione non assumuntur, si periculum adest pollutionis, illiciti omnino redduntur, quippè tam conjugatus, quàm solutus tenetur non procurare seminis effusionem: at adhibere causas proximè & per se pollutionem excitantes, sicuti sunt tactus turpes, est virtualiter pollutionem procurare. Ergo in eo eventu prædicti tactus omnino illiciti sunt. Atque ita ex omnium sententia tradit Sanchez *lib.* 9 *de matrimonium disputation.* 45. *numero* 16. *junctо numero* 34. Vasq. 1. 2. *disp.* 115. *cap.* 2. Coninch. *disp.* 34. *dub. ult. concl.* 2. & alii passim.

2. Notanter dixi *seclusâ causâ urgente*: nam ex hujus interventu pollutio ex prædictis tactibus subsecuta non censetur volita, & procurata, sed permissa, uti Chirurgus tangens verenda læsi cum pollutionis periculo absque periculo consensus à peccato excusatur. Quâ ratione amplexus, oscula, & tactus aliàs honestos à mortali in conjugibus excusarem, etiamsi pollutionis non intentæ periculum adesset, quia adest urgens causa eos exercendi; nempè ad mutuum amorem indicandum, & fovendum, sicuti benè notavit Sanchez *lib.* 9. *disp.* 45. *numero* 38. Secùs verò censeo dicendum de tactibus inhonestis, tametsi ab altero conjuge petantur, quia interveniente pollutionis periculo, non habet jus illos petendi, ideóque cessat causa urgens, quæ illos honestare posset, esto contrarium videatur sentire Sanch. *dicta disput.* 45. *num.* 35. cujus doctrina corruit ex temperamento, & limitatione ab ipso *ibidem* positâ.

Secluso autem pollutionis periculo prædicti tactus aliàs turpes, & inhonesti liciti sunt in conjugibus. Si enim copula conjugalis illis licita est, licere debent media, quæ ad ipsam per se referuntur, sicuti tradunt Doctores prædicti.

3. Solùm est dubium, quando prædicti tactus exercentur eo in loco, in quo copula conjugalis haberi nequit, vel exercentur absque animo habendi copulam, sed solùm ob captandam eorum delectationem. Tunc enim non videntur licere, cùm cesset causa, ob quam permittuntur scilicet juvare naturam ad copulam conjugalem. Sic Antonin. 3. *p. tit.* 1. *capite* 20. §. 6. Sylvest. *verbo Debitum*, *q.* 9. *numero* 7. Margarita Confessorum 6. *præcepto casu* 7. Humada *super leg.* 2. *tit.* 1. *part.* 1. *glossa* 2. *numero* 18. Sed rectiùs Sanchez *lib.* 9. *disp.* 44. *numero* 12. Vasq. 1. 2. *disp.* 113. *num.* 3. & 4. Coninch. *disp.* 34. *dub. ult. in fine.* Gaspar Hurtado *disp.* 10. *difficult.* 10. *num.* 46. excusant prædictos tactus, oscula, & amplexus à culpa lethali, quia non honestantur ex copula, ad quam suaptè natura referuntur, sed ex matrimonio, quod jus ad copulam tribuit, & consequenter ad media, quæ per se ad habendam copulam referuntur.

4. Gravior difficultas est. Quando prædicti tactus ob eorum delectationem exercentur ab uno conjuge in absentia alterius, an eo casu sint mortales? Et quidem si conjux absens speratur proximè venturus, prædicti tactus culpâ vacant, si eos exerceas animo copulam cum illo habendi, quia censendus es quasi in præsentia illos exercere, & te ad coïtum conjugalem præparare, ut benè Vasq. 1. 2. *disp.* 113. *numero* 4. At si habeantur prædicti tactus absque animo conjugalis copulæ sola causa percipiendæ voluptatis, credit Vasq. *suprà*, & Armilla, *verbo Impudicitia*, *n.* 3. esse mortales. Moveri possunt, quia ex matrimonio non habes potestatem tuo corpore utendi, nisi quatenus necessarium est ut ab alterò debitum petas, vel illi reddas, at in præsenti casu nec debitum petere, nec reddere intendis. Non igitur tibi licet prædictus usus. Deinde illi tactus, & carnis commotio ex se referuntur ad pollutionem, vel coïtum. Ad coïtum autem ut impossibilem nequaquam referri possunt. Restat ergo, ut ad pollutionem referantur. Ergo sunt omnino illiciti.

5. Cæterùm etsi prædicta sententia tenenda, & consulenda sit, oppositam autem, quam defendit Sanchez *lib.* 9. *disp.* 44. *num.* 16. Ochagavia, *tract.* 5 *de matr. q.* 12. Gaspar Hurtado *disp.* 10. *difficult* 10. *num.* 47. probabilem esse censeo, eo quòd illi tactus, utpotè conjugis natura sua referuntur ad copulam conjugalem, à qua relatione non eximuntur, esto copulam non intendas, vel impossibilis sit ob alterius conjugis absentiam. Hæc enim per accidens contingunt, quæ relationem intrinsecam illorum tactuum non mutant. Præterea sicut ex matrimonio provenit copulæ conjugali honestas, sic tactibus, qui copulæ deservire possunt, tametsi per accidens non deserviant.

6. Sed quid dicendum de tactibus, quibus membrum virile in vas præposterum fœminæ intromittitur, vel in ejus superficie refricatur animo non ibidem consummandi, sed se excitandi ad consummationem in vase naturali. Aliquibus videri posset hoc non esse peccatum mortale, quia licitum est juvare naturam tactibus ad copulam conjugalem: illi autem tactus etsi videantur ad Sodomiticam copulam referri, de facto tamen non referuntur. Ergo eorum inordinatio culpam venialem non excedit. Quod confirmari potest ex eo quòd tactus, quibus pudendum in os fœminæ intromittitur, vel inter ejus crura refricatur absque animo ibidem consummandi, sed potiùs animo conjugalem copulam habendi, communiter Doctores censent teste Sanchez *lib.* 9. *disp.* 17. *numero* 4. & 5. non esse culpam mortalem, tametsi illa membra conjugali copulæ apta non sint. Ergo idem erit de vase præpostero: atque ita indicat Navarr. *l.* 5. *consilior. tit. de pœnitent. & remiss. cons.* 7. Et de refricatione pudendi in superficie vasis præpostori affirmat expresè Sanch. *d. disp.* 17. *num.* 5. culpam venialem non excedere, tametsi de intromissione pudendi in vas præposterum contrarium sentiat. Cæterùm non solùm de intromissione membri virilis in vas fœminæ præposterum (quod certum esse debet,) sed etiam de refricatione illius in prædicti vasis superficie, existimo esse peccatum mortale, tametsi absit periculum pollutionis, & fiat animo consummandi

ſummandi in vas naturale fœminæ, quia prædicti tactus cenſendi ſunt ſodomiticæ copulæ inchoatio, eo quòd ex ſe, & ſpectata eorum natura ad ipſam referantur, quam relationem non tollit agentis intentio. Secùs eſt cùm os fœminæ, vel ejus crura, aliæque corporis partes tangendæ aſſumuntur ad excitandam naturam, quia ſpectatâ conjugum conditione, & frequenti uſu, & conſuetudine ſe cognoſcendi illis partibus utuntur, ut majori cum voluptate copulam conjugalem habeant: ſic docuit Baſil. Ponce, *lib.* 10. *capite* 11. *num.* 5.

7. Supereſt dicendum de ſponſis de futuro? Breviter reſpondeo illis licitos eſſe amplexus, oſcula, & tactus aliàs honeſtos, ſecùs de ſe turpes, qua ratione contractus initi jus habere videntur utendi illis mediis ex ſe indifferentibus, quæ mutuum amorem excitant, & fovent, ideóque ſic eſt uſu, & conſuetudine introductum. abeſſe tamen debet pollutionis, vel coïtus periculum: ſic docent Navarr. *cap.* 14. *num.* 18. *& cap.* 16. *numero* 12. Valent. 2. 2. *diſp.* 9. *q.* 3. *p.* 3. *ad finem.* Sa *verbo Luxuria*, §. *oſcula, & tactus*, Sanchez plures referens, *diſput.* 46. *numero* 48.

§. III.

Qualiter conjuges uti matrimonio debeant ut à culpa immunes ſint?

1 *Vaſi naturali uti debent, nec eſt mortale, etiamſi in accidenti aliqua ſit variatio.*
2 *Affirmant plures conjuges copulam incipientes, obligatos eſſe eam abſolvere. Alii prædictam ſententiam tẽperant.*
3 *Quid ſemiendum?*
4 *Non eſt opus, ut utriuſque conjugis ſeminatio concurrat.*
5 *Fœmina priùs ſeminans obligata eſt expectare viri ſeminationem.*
6 *Verius eſt recedente viro non eſſe licitum fœminæ ſe provocare ad ſeminandum.*
7 *Si poſt contractum matrimonium nequeat vir intra vas ſeminare, dum eſt dubia impotentia copulari poſſunt, ſecùs ſi certa ſit.*
8 *Omnes conveniunt obligatam eſſe fœminam conceptum ſemen retinere.*
9 *Ob nullam cauſam licèt fœminæ directè procurare aborſum fœtus, qui probabiliter creditur animatus.*
10 *Si fœtus animatus non ſit, plures cenſent licitum eſſe.*
11 *Verius eſt hanc procurationem directam illicitam eſſe.*
12 *Fœtu probabiliter animato negant aliqui licere fœminæ medicamentis uti, ut ſuæ ſaluti conſulat cum periculo aborſus.*
13 *Verius eſt oppoſitum.*
14 *Medico prædicta medicamenta applicare licet, imò obligatur.*
15 *Proponitur dubitandi ratio, an abuſus uxoris contra naturam contineat ſpecialem malitiam?*
16 *Reſolvitur continere.*
17 *Explicandum eſt in confeſſione hujuſmodi abuſum factum eſſe cum propria uxore.*

1. CONveniunt omnes conjuges vaſe naturali ad generationem deſtinato uti debere abſque periculo effundendi ſemen extra vas. Eo autem periculo ſecluſo, etſi aliqui quos refert Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 16. *numero* 2. non improbabiliter ſentiant peccatum lethale eſſe, ſi inverſo ordine coëant. V. g. Si vir ſuccubus ſit, fœmina incuba, & à fortiori ſi more beſtiarum præpoſterè in vaſe tamen naturali copula habeatur: eo quòd prædicti modi naturæ adverſantur, & depravatum animum indicant, nimiæque voluptati affectum. At probabilius eſt ſolam culpam venialem adeſſe, ſive à latere ſive ſedendo, ſive ſtando, ſive præpoſterè fœminam agnoſcas. Nam prædictus modus non impedit (ut ſuppono) quin ſemen intra vas naturale fœminæ recipiatur ob virtutem attractivam, quam mairix habet teſte Ariſtotel. *lib.* 2. *de generat. capite* 4. & conſequenter nec generationem impedit, nec fini matrimonii qui eſt ſobolem concipi obſtat, ergo non eſt gravis deordinatio, quæ peccatum mortale valeat conſtituere. Atque ita defendit Cajet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. *circa ſolut. ad* 4. Navarr. *capite* 16. *num.* 42. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 6. Sa, *verbo Debitum conjugale, verſ. nullus modus* Sanchez pluribus citatis *d. lib.* 9. *diſp.* 16. *n.* 3. Coninch. *diſp.* 34. *dub.* 9. *in fine.* Gaſpar Hurtado, *diſp.* 10. *difficult.* 3. *num.* 19. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 20. & alii. Quod adeò verum eſt, ut etiamſi aliqua pars ſeminis extra vas decidat reliquo intra vas recepto non ſufficiat ad copulam lethalem conſtituendam teſte Baſil. *lib.* 10. *cap.* 11. *numero* 3. Gaſpar Hurtado *d. difficult.* 5. *num.* 20. Sanch. aliis relatis, *num.* 5. eo quòd totum ſemen non ſoleat in matrice retineri, ſed retento quod ad generationem ſufficit reliquum expellitur. Quinimò idem Baſil. & Sanch. prædictum modum à mortali excuſant. Et ſi ſcias non ita certò prolem generari, ac ſi debito modo fuiſſes uſus, quia non teneris generationem convenientiori modo procurare. Satis enim eſt ſi modo convenienti eam procures. Illud certum, ſi ſcias ex prædicto concubitu generationem impediri, eo quòd fœmina vel ob humiditatem, vel laxitatem non valet ſemen retinere, peccatum eſſe mortale, quia perinde eſt, ac ſi ſemen extra vas effunderes. Quod verum cenſeo, etſi ea expulſio, ſeu non retentio procedat ex aliqua infirmitate temporali fœminæ, quæ ſemen retinere poteſt ſervato naturali modo concubitus.

2. Reſtant quæſtiones. Prima, an conjuges copulam incipientes teneantur eam abſolvere? Affirmant Sylveſt. *verbo Debitum, q.* 7. Azor. *t.* 3. *lib.* 3. *cap.* 24. *q.* 9. Petr. de Ledeſm. *q.* 49. *art.* 6. *dub.* 2. & alii eo quòd nemini conceſſum eſt generationem impedire, & debito fine conjugalem coïtum privare. Alii temperant prædictam ſententiam, ut procedat caſu quo alter conjux ſive vir, ſive fœmina ſeminaverit, ne illius ſeminatio fruſtranea ſit, ſi cum alterius ſeminatione non jungitur. Sic Ochagavia *tract.* 5. *de matr. q.* 3. Gaſpar Hurtado *difficult.* 5. *numero* 21.

3. Dicendum tamen eſt, ſi neuter ſeminavit, neque ullum eſt periculum effundendi ſemen, poterunt ex mutuo conſenſu à coïtu deſiſtere, quia conjuges non tenentur generationem procurare, etſi teneantur eam contrariè non impedire. Neque ille incœptus coïtus eſt aliud quàm quidam tactus partium verendarum, qui inter conjuges ſecluſo periculo pollutionis permiſſus eſt. Maximè cùm fieri poſſit ob rectum finem, ſcilicet, ut concupiſcentiam ſedent, & valetudini conſulant, & filiorum copia non abundent, quos nequeunt convenienter alere. Atque ita docent Palud. *in* 4. *d.* 31. *q.* 3. *art.* 2. *numero* 15. Cajet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. *in fine.* Vemetum. 3. *p. ſpeciali art.* 15. *concl.* 5. Sa, *verbo Debitum conjugale, verſ. inchoatam copulam.* Sanch. aliis relatis, *lib.* 9. *diſp.* 19. *numero* 3. Filliuc. *tract.* 10. *c.* 9. Baſil. Ponce, *lib.* 10. *cap.* 11. *n.* 9. Verùm ſi fœmina ſeminavit, vel in eo periculo conſtituta ſit, mortale peccatum erit, ſi vir ante ſeminationem ex propoſito deſiſtat, ut benè Cajet. Veracruz, & aliis relatis docuit Sanchez *d. diſp.* 19. *num.* 5. Quia eſſet occaſio, & cauſa, ut fœmineum ſemen ſuo debito effectu fruſtraretur, & generatio incohata diſſolveretur, cùm fœmineum ſemen impotens ſit ad generandum niſi ſemine virili concurrente. Omnibus autem mandatum eſt non ſolùm ne ſemen effundant, ſed ne permittant fruſtrà effundi, ſi id impedire licitè poſſunt, & abſque gravi incommodo. Quare ſi renuente fœmina vir ſeminare potens deſiſtat à ſeminando, non ſolùm peccat contra naturam, ſed etiam adverſus caſtitatem lædens jus uxoris, quod obligat ad reddendum debitum legitimè petitum, habendámque copulam generationi aptam, ut benè aliis relatis docuit Sanchez *diſp.* 19. *num.* 9. Neque excuſari poteſt niſi ob graviſſimum illi damnum imminens. Econtrà

dicendum

dicendum existimo viro seminante fœminam non esse obligatam seminare, quia secundùm receptionem, communioremque sententiam, quam tradit Aristot. *lib.* 1. *de generat. animal. c.* 2. *Et lib.* 2. *c.* 3. Galen. *lib.* 1. *de sanitate tuenda, cap.* 11. *Et lib.* 2. *de natural. facultat. c.* 3. Avicen. *lib.* 9. *de animal. c.* 1. Albert. Magnus *lib* 5. *de animal. c. ult.* Et D. Thom. quem Theologi sequuntur 3. *p. q.* 31. *art.* 4. *ad* 3. Semen fœmineum generationi necessarium non est. Ergo impedita ejus seminatione virile semen non defraudatur suo effectu, ut rectè Sanch. *lib.* 9. *disp.* 15. *n.* 5.

4. Ex his infertur non esse opus, ut utriusque conjugis seminatio simul concurrat, sed unus alterum prævenire potest, ut ex testimonio universitatis Complutensis docuit Henriq. *lib.* 11. *c.* 15. *n.* 3. *& c.* 16. *n.* 7. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 17. *n.* 9. *&* 10. Basil. Ponce *lib.* 10. *c.* 11. *n.* 3.

5. Secundò fit fœminam priùs seminantem obligatam esse expectare viri seminationem, ne ejus semen frustraneum sit, neve viri semen extra vas effundatur; at virum priùs seminantem obligatum non esse (etsi conveniens sit) fœminæ seminationem expectare, partim quia fœmineum semen generationi non est opus esto sit convenieus, partim quia in viro non recipitur, neque ejus assistentia post emissum semen videtur ad generationem necessaria.

6 Secunda quæstio prædictis annexa; An postquam vir semen intra vas fœminæ effudit, membrumque extraxit, liceat fœminæ quæ nondum seminavit tactibus se provocare ad seminandum? Sanch. *lib.* 9. *disp.* 17. *n.* 12. Censet id licitum esse duplici fundamento nixus: primò quòd satis probabile est semen fœmineum ad generationem esse necessarium, certum verò esse convenientissimum, ergo fœmina semen emittens generationem ad minus perficit, ergo licitum illi est. Secundò quia fœminæ gravissimo peccandi periculo essent expositæ, si viro seminante, & illico recedente, ut sæpè contingit, ipsæ irritatæ libidine continere semen deberent. His consentit Lessius *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 7. *n.* 55. *& dub.* 14. *num.* 94. Cæterùm verius censeo recedente viro jam non esse licitum fœminæ semen effundere, si se continere potest. Tum quia verius est, & ferè certum generationi necessarium non esse. Tum & præcipuè quia conjugibus ea copula illis licita est per quam efficiuntur una caro: at mulier illa effusione seminis non videtur fieri una caro cum viro, utpotè absente, & ab ea separato. Ergo, &c.

7. Tertia, si post contractum Matrimonium vir nequeat seminare intra vas, vel ob impotentiam ipsius quia imbecillis est, aliove morbo oppressus, vel ob impotentiam fœminæ, quæ nimis arcta est, & semen recipere nequit, liceatne iis conjugibus copula vacare? Cui difficultati respondeo, dum est dubia impotentia copulari possunt, tametsi sæpè semen extra vas effundatur, quia per accidens eo casu contingit effusio, cùm ad cognoscendam impotentiam copula assumatur, quæ aliâ viâ certo cognosci non potest, ideoque dubiis de impotentia triennium conceditur, juxta *c. laudabilem de frigidis, & maleficiat.* At si certò moraliter constet nullam seminandi intra vas spem subesse; ab eo puncto quo id constiterit, obligati sunt conjuges à copula abstinere, quia illis sola conjugalis copula, & de se generationi apta permittitur, qualis non est extra vas fœmineum seminatio, quæ pollutio est, & coïtus contra naturam: sic Henriquez *lib* 11. *c.* 15. *n.* 4. Ludovic. Lopez 1. *part. instruct. c.* 79. *ad finem.* Sanchez *lib.* 9. *disp.* 17. *a num.* 20. Basil. Ponce *lib.* 10. *cap.* 11. *n.* 6. Concedunt autem prædicti Doctores his conjugibus oscula, amplexus, & tactus secluso pollutionis periculo, quia eorum impotentia, ut supponimus, matrimonio contracto supervenit, quod prædictis jus tribuit. Illud verò certius est non impediri prædictos conjuges à copula, ex eo quòd fœmina semen acceptum nequeat retinere. Nam eo ipso, quo illud recipit, copula conjugalis consummatur: expulso verò præter intentionem succedens per accidens reputari debet. Præterquam quod sæpè præsumendum est retinere quod ad generationem sufficit, sicuti rectè advertit Sanch. *dicta* 17. *num.* 24.

8 Quarta: Qualis obligatio fœminæ insit conceptum semen retinendi? Omnes conveniunt obligatam esse ne conetur ad illius expulsionem, vel sumendo potionem, vel se erigendo, aut urinam emittendo, quia hæc expulsio parum distat à voluntaria pollutione, cùm in utraque semen suo debito fine defraudetur; uti ex omnium sententia tradit Sylvest. *verbo Debitum, q.* 7. Nav. *cap.* 16. *n.* 33. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 10. *num.* 2. *& seqq.* Basil. Ponce *lib.* 10. *c.* 13. *n.* 1. Neque obinde fœminam astringimus, ut diu immota permaneat, & resupina persistat, sed tantùm ne expulsionem procuret, cum compertum sit recepto semine os matricis claudi, itaut ob diversum corporis situm nullum videatur adesse periculum expulsionis: ut rectè advertit Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 8. Sanchez *d. disp.* 20. *num.* 4. Basil. *dict. cap.* 13. *num.* 1. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. 3. *part. cap.* 1. *num.* 7.

9. Controversia igitur est: An liceat fœminæ ob conservationem vitæ, famæ, & honoris aborsum procurare fœtus nondum animati, vel inanimati? In qua controversia certum est ob nullum finem licere directè procurare aborsum fœtus, qui probabiliter creditur animatus; quia intrinsecè malum est intendere innocentis necem, ejusve periculo illum exponere. Unde nullatenus licet fœminæ medicinas sumere, quæ directè ad fœtus occisionem tendunt, ut sunt potiones venenatæ, percussiones, dilacerationes, quia horum sumptio est directa innocentis occisio, quæ nullo fine honestari potest, uti pluribus firmat Sanch. *d. disp.* 20. *num.* 7. Gabr. Vasq. *c.* 2. *de restit.* §. 1. *dub.* 7. Basil. Ponce *lib.* 10. *c.* 17. *n.* 3.

10. Quod si constet fœtum animatum non esse, plures censent licitum esse aborsum directè procurare ob periculum mortis imminentis evitandum; quia ille aborsus non est homicidium etiam virtualiter, siquidem pereunte matre probabile est nunquam illum fœtum anima rationali esse informandum. Deinde ille inanimatus fœtus est quasi quidam alius humor in corpore existens: at ob conservandam salutem licèt directè conari ad expulsionem humoris noxii. Ergo etiam licebit conari ad expellendum prædictum fœtum. Neque obstat illicitam esse expulsionem seminis superabundantis, & nocivi, quia ejus expulsio non permittitur, ne impediatur conjugalis usus illa voluptate licitè percepta. Cùm ergo in expulsione prædicti fœtus non adsit ea voluptas, ob quam arceantur homines à matrimonio, usuque conjugali, nulla apparet ratio, ob quam licita esse non possit. Atque ita licere docuit S. Antonin. 3. *p. tit.* 7. *c.* 2. §. 2. Sylvest. *verbo Medicus, q.* 4. *dicto* 2. Navarr. *c.* 25. *n.* 62. Covarruv. *Clement. si furiosus de homicid.* 2. *p.* §. 3. *n.* 1. *in fine.* Henriq. *lib.* 11. *c.* 16. *n.* 8. Eman. Sà *verbo Homicidium, in princ.* Et aliis relatis Sanch. *lib.* 9. *disp* 20. *n.* 9.

11. Cæterùm verius censeo hanc procurationem directam illicitam esse, tametsi liceat indirecta sumendo medicamenta saluti necessaria, ex quibus indirectè, & per accidens fœtus inanimatus expellitur. Sic Petr. Navarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *difficult.* 2. *num.* 13. *in* 2. *edit.* Gabr. Vasq. *opusc de rest. cap.* 3. §. 2. *num.* 25. *Et c.* 2. §. 1. *dub.* 7. *n.* 8. Basil. Ponce *lib.* 10. *c.* 13. *n.* 2. Et colligitur ex D. August. relato *in c. aliquando* 32. *q.* 2. appellante meretricem eam quæ prolem antequam vivat interimit. *Et in c. si aliquis, de homicid.* damnatur ut homicida qui mulieri aliquid dederit, vel fecerit, ne possit generare, concipere, aut nasci soboles. Et licèt hic Textus explicari posset, quando nulla adest honesta ratio. At August. loquitur generaliter. Duplicem habet partem conclusio. Prima est illicitum esse directè aborsum procurare; secunda indirectam procurationem

rationem licere. De hac ſecunda ferè nullus dubitat, & ex *infrà* dicendis evidentiùs confirmabitur. Priorem partem ſic probo, quia illa expulſio fœtus, eſto homicidium non ſit, eſt tamen contra naturam æquè ac eſt expulſio ſeminis extra vas: ſi enim ſeminis directa effuſio nullo caſu licet, eo quòd nullum alium præter generationem habeat finem, à fortiori non licebit fœtus expulſio, qui ex ſemine coaleſcit, & ad quem ſemen immediatè refertur. Secundò probat Navarra hac ratione deducta ab inconvenienti: ſi enim ob vitandam mortem matris, ſalutémque illius recuperandam liceret fœtum inanimatum directè expellere, etiam licitum eſſet ob vitandam mortem ex partu ſibi probabiliſſimè imminentem. Item ob conſervandam ſuam famam, & fortè vitam, quæ ex illicito concepto fœtu periclitantur, quæ nullo alio modo conſervari poſſe credit, niſi aborſu procurato. Quam ſequelam Thom. Sanchez *lib. 9. de matr. diſp. 20. num. 10.* non audet concedere, & rationem differentiæ ſubdit: quia periculo mortis imminente fœtus eſt quaſi aggreſſor, ſecùs verò cùm periculum futurum eſt, & longè diſtat, cui fortè aliis mediis ſuccurri poteſt. Sed hæc evaſio non ſatisfacit, cuilibet enim jus æquale eſt defendendi famam, & vitam ab eo qui infallibiliter creditur ereptarus, ſicuti ab eo, qui eam de facto tentat eripere; quia in utroque caſu actu eſt moraliter aggreſſor. Si igitur fœtus reputandus eſt aggreſſor, cùm fœminæ ſaluti nocet, etiam reputandus cùm ejus famam & vitam evidenti periculo exponit. At in neutro caſu reputandus eſt aggreſſor injuſtus, ſed juſtus à natura, ejuſque authore ſic ordinatus: ac proinde ob hanc rationem non licet illum perimere.

12. Gravior dubitatio eſt, An fœtu probabiliter animato liceat fœminæ, ut ſuæ ſaluti conſulat, aliquibus medicamentis uti, ſciens moraliter inde fœtum perieturum? Gabr. Vaſq. *de reſt. capite 2. §. 1. dub. 7. num. 28. & capite 5. §. 2. dub. 6. num. 23. & ſeqq.* quem ſequitur Baſil. Ponce, *lib. 10. cap. 13. num. 6.* concedit miſſione ſanguinis uti poſſe; ſecùs verò purgatione, unguentis, balneis, alliiſve medicamentis, probat priorem partem, quia ſanguis eſto ſit alimentum fœtus, eſt etiam ſimul matris alimentum; poteſt ergo mater in hujus alimenti diſpoſitione ſibi priùs conſulere, quàm fœtui. Cum ergo videat ſibi eſſe nocivum eum ſuperabundari, poterit illum diminuere, tametſi ejus diminutio fœtui noceat, quia non tenetur ob conſervationem fœtus retinere alimentum, quod propriæ conſervationi nocivum eſt. At aliis medicamentis inquit Vaſq. & Baſil. uti fœmina non poteſt, eo quòd æquè præſtant innocentis occiſionem, ac propriam conſervationem, uti autem medio per ſe deſtinato ad occiſionem innocentis, ut vita propria conſervetur, nullatenus licet: ergo.

13. Cæterùm verius cenſeo non ſolùm miſſione ſanguinis, ſed aliis medicamentis propriæ vitæ ſalutiferis uti fœminam poſſe, tametſi inde fœtus pereat, quia mors fœtus eo caſu cenſenda eſt per accidens contingere non ſolùm quoad matris intentionem, ſed etiam quoad executionem, ſiquidem medicamentum aſſumptum ex applicatione agentis directè refertur ad ſalutem matris conſervandam. Cùm ergo mater jus habeat conſervandi propriam vitam, jus habet utendi illis mediis, quæ ad ejus conſervationem neceſſaria judicantur, eſto inde alteri noceant. Quod adeò verum eſt, ut etiamſi medicamentum æquè matri ſalutiferum ſit, ac fœtui nocivum poterit eo uti, quia in eo uſu ſolam ſuam ſalutem quærit, non fœtus necem; hanc enim tantùm permittit ſicuti docent Navarra, *lib. 2. de reſt. capite 3. difficult. 2. numero 131.* Aragon. *2. 2. q. 64. art. 7. §. ad 2.* Banez *q. 40. art. 1. dub. 11. concluſ. 2.* Henriq. *lib. 11. de matr. capite 16. num. 8.* Sa, *verbo Homicidium, in princ.* Sanch. aliis relatis, *diſp. 20. num. 14. & 18.*

14. Neque audiendi ſunt qui negant Medico licere prædicta medicamenta applicare; potiùs enim credo exigente matre obligatum eſſe; cùm ex officio teneatur mederi infirmum mediis, quibus ipſe infirmus licitè uti poteſt, ut advertit Sanchez aliis relatis, *d. diſp. 20. num. 15.* Neque ab hujuſmodi uſu impeditur eo quòd probabiliter credatur matre ab iis medicamentis abſtinente fœtum in lucem proditurum, & aqua baptiſmi abluendum, quia id incertiſſimum eſt, ideóque non videtur mater obligata certam mortem ſubire, ut fœtus ſalutem ſpiritualem dubiam procuret, ut benè notavit Baſil. *d. c. 13. numero 6.*

15. Quæſtio quinta, contineátne abuſus uxoris contra naturam ſive ſodomiæ, ſive pollutionis tantùm ſpecialem malitiam, quam continet idem abuſus inter ſolutos. Ratio dubitandi ea eſt, quia ſi prædictus abuſus aliquam ſpecialem malitiam contineret, ea eſſet injuſtitia adverſus conjugem: at conjux in eo abuſu conſentit, & ad ipſum cooperatur, ergo malitiam injuſtitiæ continere non poteſt. Deinde non eſt adulterium ob eandem rationem, quia non eſt injuſtitia, & quia adulterium eſt alieni thori violatio, ut dixit Gelaſius, *cap. lex. illa 36. q. 1.* Et tradit D. Thom. *2. 2. q. 154. art. 8. in corp.* Tandem non eſt contra fidem in matrimonio datam; hæc enim tantùm videtur obligare, ne debitum petitum negetur, néve alteri conjuges commiſceantur; ſicuti docet D. Thom. *in 4. d. 31. q. 1. art. 2. in corp.*

16. Nihilominus tenendum omnino eſt prædictum abuſum continere ſpecialem malitiam adverſus fidem in matrimonio datam. Etenim per matrimonium ſibi invicem conjuges corpora tradunt ad ſolum conjugalem uſum, & generationi aptum; cui traditioni prædictus contractus eſt. Neque obeſt quod conjuges conſentiant, quia eorum conſenſus nullus eſt, utpotè procedens à non habentibus poteſtatem: ſicut enim poteſtatem non habent, ut alteri commiſceantur, ſic nec ad ſe indebitè cognoſcendum. Quare juſtè appellari poteſt adulterium, ſiquidem eſt thori conjugalis violatio, nam ut rectè dixit Ambroſ. relatus *in c. nemotibi 32. q. 4.* adulterium non eſt ſolùm cum aliena peccare conjuge, ſed omne quod non habet poteſtatem conjugii, quod confirmavit Auguſt. *in capite adulterii 32. q. 7.* Atque ita docent Sotus *in 4. diſt 31. q. unica, art. 4. ad finem.* Petr. de Ledeſm. *de matr. quæſt. 49. art 6. dub. 2. poſt 1. concluſ.* Sanchez *lib. 9. diſp. 18. à numero 3.* Baſil. Ponce, *lib. 10. cap. 11. num. 7.* Joannes de Salas, *1. 2. tract. 13. diſp. 6. ſect. 16.*

17. Advertunt tamen rectè Baſil. Ponce, & Sanchez virum, & idem eſt de uxore, ſic matrimonio abutentem obligatum eſſe, ut ſuum peccatum perfectè explicet manifeſtare cum propria uxore abuſum commiſſum eſſe. Nam ſi diceret cum conjugata in genere abuſum commiſiſſe, plura peccata quàm commiſit ſignificaret, ſiquidem ultra violationem fidei ſui matrimonii denotaret violationem matrimonii conjugatæ, & injuſtitiam adverſus ejus virum. Neque hanc impediret, eſto adderet fuiſſe ex conſenſu proprii viri, cùm ipſe conſentire non poſſet. Si autem diceret abuſum fuiſſe cum ſoluta commiſſum, non explicaret violationem fidei ab uxore factam, cujus ipſe particeps fuit. Tenetur ergo declarare cum propria conjuge peccatum commiſſum eſſe.

§. IV.

An ratione loci, & temporis impediantur conjuges à debiti petitione, & redditione?

1 *Illicita eſt copula conjugalis in loco publico.*
2 *Quid de loco ſacro? Remiſſivè reſpondetur.*
3 *Copula conjugalis non ſuſceptis velationibus licet.*
4 *Ex conſenſu utriuſque intra bimeſtre. Secùs altero reſiſtente.*

5. *Diebus*

5 *Diebus feriatis processionum, vel jejunii licet, etsi convenientissimum sit ab ea abstinere.*

6 *Iis diebus petenti obligatus est alter conjux reddere.*

7 *Tempore fluxus menstrui non est mortale debitum petere.*

8 *An sit culpa venialis ex fine petitionis? decidendum est.*

9 *Ex parte reddentis nulla est culpa.*

10 *Tempore prægnationis, si probabile esset periculum abortus, illicita esset debiti petitio, & redditio. Secùs secluso tali periculo, ut communiter contingit.*

11 *Idem est si periculum absit receptum semen effundendi.*

12 *Secluso prædicto periculo non est mortale eo tempore reddere, vel petere.*

13 *Quod dictum est de copula tempore menstruo dicendum est quando habetur post partum, antequam mulier à sanguine purificetur.*

14 *Tempore quo proles lactatur, nulla est obligatio conjugibus abstinendi à debiti petitione.*

15 *Conjux cui debitum petitur in prædictis casibus obligatus est reddere.*

16 *Utroque conjuge amente copula per se illicita est.*

17 *Uxor rationis compos potest à viro insano debitum petere.*

18 *Conjux sanæ mentis per se non tenetur debitum reddere amenti petenti.*

1. QUod ad locum attinet in confesso est apud omnes illicitam esse copulam conjugalem publicè id est coram aliis, quia esto de facto nemini ruina sit, ex se tamen decentiæ, & honestati adversatur, occasionemque præbet aspicientibus turpis desiderii, vel saltem delectationis morosæ ideóque tentatur Sanchez *lib. 9. de matr. disp. 15. numero 1.* neminem invenisse de hac re dubitantem. Quod non solum intelligendum est de copula conjugali, sed de quibuscunque tactibus aliàs turpibus, utpotè ad Venerem valdè incitantibus, sicuti notavit idem Sanch. *num. 2.*

2. Si verò de loco sacro sermo sit *tract. 11. de immunit. Ecclesiæ, punct. 2.* relatis diversis opinionibus, censui probabilius copulam conjugalem ibidem licitam esse, si alteri conjugum necessaria sit ad vitandum incontinentiæ periculum; eo quòd diu recluſi continentur absque potestate exeundi: secùs verò si ad prædictum finem necessaria non sit, possitque extra locum sacrum haberi, ut præter *ibi* relatos docet Coninch. *disp. 34. dub. 9. concl. 8.* Gaspar Hurtado *disp. 10. diffic. 4. num. 16.* Quæ omnia *loco prædicto* probavi, neque aliquid novum addendum occurrit.

3. Quod ad tempus spectat, variæ difficultates agitari possent. Prima, An non suscepti velationibus copula conjugalis illicita sit; Cui difficultati *disp. præced. punct. 13. §. 5.* respondi, per se nullum esse peccatum, eo quòd Concilium Trident. non verbis indicantibus præceptum, sed consilium utatur.

4. Secunda; An ante transactum bimestre concessum ad deliberandum de religionis ingressu liceat? Et nemini est dubium licere, si ex consensu utriusque habeatur, secùs verò si aliquis resistat intendens religionem ingredi quia jus sibi concessum de religionis ingressu violatur, sicuti latiùs dixi *hac disp. punct. 2. §. 5.*

5. Tertia; An diebus feriatis processionum, vel jejunii liceat prædicta copula? Et nemini est dubium convenientissimum esse prædictis diebus abstinere, ut ferventiùs possint conjuges orationi, aliisque piis operibus vacare: cui fervori non leviter obstat conjugalis usus ob voluptatem sibi innatam. At cùm nullibi sit prohibitus conjugalis usus, nulla est culpa, si prædictis diebus habeatur. Quippe etsi plures sancti relati à Gratiano 33. *quæst. 4.* diebus feriatis, & jejuniorum asserant conjuges à copula debere abstinere, intelligendi sunt ex decentia, & honestate, & ut liberiùs orationi assistant, ut *ibidem* explicat Glossa, & licèt Innocent. Pontifex *in cap. proposuisti 82. dist.* usus fuerit verbo *præcepit*, ibi: Nam sic Paul. ad Corinth. scribit dicens: *Abstinete vos ad tempus, ut expeditius vacetis orationi*, & hoc utique laïcis *præcepit.* Glossa verbum *præcepit* pro persuasit, intellexit. Atque ita pluribus relatis docet Sanch. *lib. 9. disp. 12. à numero 5.* Coninch. *disp. 34. dub. 9. numero 7.* Basil. Ponce, *lib. 10. cap. 9. num. 5.* Gaspar Hurtado, *disp. 10. diffic. 3. num. 9.*

6. Ex quo inferendum est, his diebus petenti obligatum esse conjugem reddere sub gravi culpa; quia ob illam indecentiam obligatio justitiæ non suspenditur, uti docuerunt D. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 20. §. 7.* Paludan. *in 4. d. 32. quæst. 1. art. 1. num. 4.* Sanch. *dicta disp. 12. n. 7.* Coninch. *num. 75.* & alii apud ipsos.

Quæ dicta sunt de diebus feriatis à fortiori procedunt de illo die, quo sacra Eucharistia recepta, vel recipienda est, uti latiùs dixi *tract. de Euchar. punct. 13.* & videri potest Sanch. *lib. 9. disp. 13. per totam.*

7. Quarta: An tempore quo fœmina patitur fluxum menstruum licita sit debiti petitio, & redditio? Duplex est dubitandi ratio. Prima ex parte prolis, quæ si eo tempore concipiatur exponitur periculo nascendi leprosa, vel menstruosa. Secunda ex parte seminis, quod videtur in vanum effundi, cùm rarò, vel nunquam eo tempore apta sit mulier conceptioni. Ob quas rationes plures Doctores, ut videre est apud Sanchez *lib. 9. disp. 21. à numero 2.* censent illicitam esse debiti petitionem, saltem sub veniali culpa. Cæterùm verius existimo culpam mortalem non esse eo tempore debitum petere; quia ex jure positivo nulla stat prohibitio. Ex jure autem naturali non apparet gravis indecentia in eo coïtu: Neque enim conjuges tenentur à copula abstinere, quoties generatio subsequenda non est; aliàs senes, & steriles non se cognoscere possent: damnum autem, quod proli subsequi potest timendum non est, utpotè fere nunquam contingens, & esto aliquando contingeret, melius est proli esse leprà infectam, quàm non esse. Si autem ille coïtus tunc non haberetur, fortè postmodum non esset generatio, aut non esset eadem, ergo ex nullo capite copula illa mortalem culpam constituere potest. Atque ita docet pluribus relatis Sanch. *lib. 9. disp. 21. num. 7. juncto. n. 5.* Gaspar Hurtado *disp. 10. difficult. 3. n. 10.* Basil. Ponce, *lib 10. cap. 14. num. 5. & 6.* Coninch. *disputatio 34. dub. 9. numero 76.*

8. An verò culpa venialis sit eo tempore debitum petere? Ex fine petitionis decidendum est. Si enim ob vitandum in te, vel in altero conjuge incontinentiam, vel aliquod dissidium, aut rixam sedandam, amoremque conjugalem fovendum ducatur, nulla erit culpa, ut rectè Sanchez *d. disp. 21. numero 5. & 7.* Basil. *n. 5.* Hurtado *difficult. 3. n. 10.* Azor. *t. 3. lib. 3. c. 31. quæst. 13.* At si prædictos fines, vel similes secludas, & gratia voluptatis percipiendæ debitum eo tempore exigas, culpam venialem committes, sicuti docent prædicti Doctores, partim quia ille accessus indecentiam continet, & animum indicat nimiæ voluptati deditum: partim quia fœmina eo tempore conceptioni inepta est, præcipuúsque finis conjugalis copulæ, qui est prolis generatio frustraneus redditur.

9. Illud verò certum existimo ex parte reddentis nullam esse culpam debitum sic petitum reddere; quia ea redditio honestissimum finem habet, nempe obligationi ex justitia satisfacere, ob quam tollitur indecentia, quæ in eo actu intervenire posset, sicuti contingit, cùm ob periculum incontinentiæ vitandæ ea copula habeatur. Atque ita verius est non solùm posse fœminam viro petenti debitum reddere, sed esse obligatam, si ipse vir seriò, & constanter petat, ut benè aliis relatis docet Sanchez *d. disp. 21. numero 16.* Coninch. *dub. 9. concl. 2.*

10. Prædictæ quæstioni proxima est quinta, An tempore prægnationis licitum sit conjugibus petere, reddere

reddereque debitum : Et quidem si probabile esset periculum aborsus fœtus animati omnes conveniunt illicitam esse petitionem, & redditionem, neque honestandam ob vitandum incontinentiæ periculum , cui aliis viis succurri potest:vita enim innocentis prædicto periculo præferenda est. Verùm ut rectè advertit Sanch. *lib. 9. disp. 22. num. 1.* Conich. *disp. 34. dub. 9. concluf. 3.* Gaspar Hurtado *disp. 10. difficult. 3.* Basil. Ponce,*lib. 10. c. 14. n. 7.* rarò vel nunquam prædictum contingit periculum,ideóque timendum non est, neque ob illud usu juris sibi debiti privandum.

11. Gravius periculum est receptum semen effundendi , & materiam incipientem coagulari dissipandi , si immediatè post conceptionem conjux cognoscatur. Sed neque in isto casu accessus ad conjugem censendus est mortalis, ut rectè Angel. *verbo. Debitum, n. 33.* Sylvest. *ibid. q.* Sanchez *d. disp. 22. numero 1.* Coninch. *concluf. 3.* Gaspar Hurtado *difficult. 3. num. 12.* Quippè prædictum periculum non est morale,cùm rarò,vel nunquam contingat ; eo quòd post conceptionem matrix omnino claudatur,neque ob irritationem coïtus præsumenda est aperiri.Neque casus evenire potest,in quo conjuges cognoscere possint prædictum periculum subesse. Præterquam quòd dissipatio illius materiæ cùm præter intentionem eveniat, non est tanti momenti, ut ob id conjuges jure se cognoscendi privari debeant.

12. Secluso autem prædicto periculo omnes DD. *suprà* relati testantur non esse mortale eo tempore petere, vel reddere debitum , quia juris positivi nulla stat prohibitio ; ex jure autem naturali etsi videatur aliqua indecentia copulam habere tempore quo mulier conceptioni inepta est. At cùm matrimonium non solùm ad prolis generationem , sed ad concupiscentiæ mitigationem sit institutum, optimè ob prædictum finem copula habetur. Quapropter si petens debitum prædicto fine sedandi concupiscentiam,vel alio simili ducatur non solùm culpam mortalem,sed etiam venialem vitabit.Neque his obstat quòd conjux eo tempore inepta sit conceptioni,& semen suo fine principali privetur , quia per accidens id contingit ob prægnationem, non ex modo concubitus, quod ad peccandum necessarium erat.

13. Si autem copula habeatur immediatè post partum, antequam mulier à sanguine purificata sit, existimo idem esse dicendum ac de conjuge menstruata;quia in utroque casu est quædam indecentia,& nimiæ voluptatis signum. Quare nisi ad vitandum incontinentiæ periculum,sedandámque rixam vel discordiam copula habeatur.veniale peccatum erit. Secùs , verò si aliquo ex prædictis finibus ducatur, sic Basil. Ponce, *d. cap. 14.numero 8.*

14. Illud certius tempore,quo proles lactatur nullam esse obligationem conjugibus abstinendi à debiti petitione:esset enim intolerabile jugum , & ferè impossibile conjuges simul habitantes tamdiu abstinere ; præcipuè cùm proli,quæ lactatur nullum damnum immineat, nec fœtui concipiendo , ut experientia testatur. Quod si ex concepto fœtu agnoscerent conjuges ubera esse siccanda,& ex alia parte carerent divitiis,quibus possent prolem alteri lactandam tradere, adhuc credit Sanch.& rectè *d. disp. 22.n.15.* non esse obligatum virum abstinere à debiti petitione sibi moraliter impossibili ; eo quod proli succurri potest, vel illam exponendo, vel ex eleemosinis alendo,ac si mater obiret.

15. Pro certo tamen habendum est in prædictis casibus hujus quæstionis , conjugem cui debitum petitur obligatum esse reddere;quia esto petens aliquam culpam venialem committat exigendo ob defectum recti finis:at reddens ab ea culpa immunis est,cùm recto fine ducatur satisfaciendi obligationi ex justitia debitæ,sicuti advertit Coninch. Sanch. Gaspar Hurt. *loc. alleg.*

16. Sexta quæstio;An tempore amentiæ licita sit petitio , & redditio debiti?Breviter respondeo utroque conjuge amente copula per se illicita est, ob periculum malæ educationis prolis per accidens tamen à peccato excusatur,quia libertate carent,ideóque separandi sunt, ne se carnaliter cognoscant. Qui verò eos ad coïtum excitaret sine dubio mortale committeret ob damnum, quod proli sequitur carendo parentibus , qui eam instruere possint:sic Ludovic. Lopez, *2. part. instruct. cap. 52. ad finem.* Petr. de Ledesm. *quæst. 58. art. 3. dub. 2.* Sanchez *disput. 23. numero 5.* Basil. Ponce , *lib. 10. capite 14. in fine.* Coninch. *disput. 34. dub. 9. concluf. 6.* Idem est si conjux sit furiosa , & non sterilis , quia adest periculum suffocandi prolem. Secùs verò si aliqua ex prædictis conditionibus cesset , & vir sit sui compos ; quia cessat periculum aborsus , malæque educationis prolis , cùm habeat parentem , qui eam commodè poterit educare , uti nuper relati docuerunt.

17. Illud certius uxorem rationis compotem posse à viro insano debitum petere, quia petit copulam sibi debitam, à qua ob defectum judicii in altero conjuge,privari non debet. Quod adeò verum est,ut etiamsi adsit periculum.Quòd insanus extra vas seminet,non tenetur coojux sanæ mentis à debiti petitione abstinere , quia illa effusio est præter ejus intentionem,neque illi utpotè suo jure utendi tribuenda est. Sicuti docuit Sotus *in 4. d. 34 quæst. unica , art. 4. ad finem corp.* Petr. de Ledesm. *quæst. 58. art. 3. dub. 2. in solut. ad 3.* Henriq. *lib. 11.cap. 15 num. 4. & 10.* Sanch. *disp. 23.n. 7.* Coninch. *dub. 9. concl. 6. num. 79.*

18. Conjux verò sanæ mentis per se non tenetur debitum reddere amenti petenti , quia ea petitio non est usus dominii , cùm non sit humana , & rationalis. Per accidens tamen obligari potest ad graviora mala vitanda : sic Sanch. *d. disp. 23. n. 10.* Coninch. *n. 9.* Quod si redditio debiti amenti nociva sit , pensanda est qualitas damni , ut inde colligitur , an sub gravi, vel sub veniali culpa debeat conjux sanæ mentis à redditione abstinere?uti notavit Basil. Ponce,*lib. 10.cap.14.in fine.*

§. V.

An ratione cognationis spiritualis priventur conjuges debiti petitione , & redditione?

1 *Cognitio spiritualis matrimonio superveniens , impedit debiti petitionem, & qualiter?*
2 *Extenditur prædicta doctrina ad patrinum.*
3 *Si extra necessitatem proles communis,vel alterius conjugis baptizetur , levetúrve è sacro fonte, conjux hujus culpæ immunis debitum exigere potest.*
4 *Prædictum munus culpabiliter exercens debitum nequit petere secundùm communem sententiam.*
5 *Verior est quæ negat sic delinquentem privatum esse debiti petitione.*

1. COgnatio spiritualis,quæ ex Baptismo,vel Confirmatione nascitur supervenire matrimonio potest ut si parens prolem alterius conjugis ex alio matrimonio,vel ex præsenti habitam baptizet,vel de sacro fonte levet,aut in confirmatione teneat. Si igitur hoc fiat ex necessitate , quia non adest alius qui id præstet,nullatenus impedimento est petendi, vel reddendi debitum , ut videtur expresse decisum *in cap. ad limina 30. quæst. 1.*

2. Et licèt hic Textus solùm de baptizante loquatur, communiter DD. extendunt ad Patrinum tam in baptismo , quàm in confirmatione , & meritò ; cùm ratio ob quam in baptismo excusatur impedimentum, est , quia nulla committitur culpa ; at levans de sacro fonte, vel in confirmatione tenens,cùm non adest alius, nullam culpam committit , sed munus ab Ecclesia statutum præstat. Non igitur ullum impedimentum petendi , reddendique debitum contrahere debet , uti

ex

ex communi sententia firmat Sanch. *lib.9. disp.26. n.3.* tamen contrà sentit Henriquez *lib.11. cap.15. num.15.* Petr. de Ledesm. *q.56. art.1. dub.1. in princ.* Basil. Ponce *lib.10. c.6. num.6.* Et idem est quando absque ulla culpa hoc munus à conjuge præstitum fuisset ; eo quòd ignorantiam invincibilem haberet prædictum baptizatum esse suum , uxorisve filium , quia hoc impedimentum, & prohibitio petendi debitum,cum pœna sit, culpam exigit ; ut tradit tanquam omnino certum Coninch. *disp.34. dub.8. initio.* Azor. *t.3. lib.3. cap.31. q.10. difficult.3.* Basil. Ponce *lib.10. c.6. n.9.* Et colligitur *ex cap. si vir de cognat. spirituali.* Quinimò si factum fuit cum ignorantia hujus legis prohibentis , & interdicentis conjugibus prædictum officium , cessat impedimentum ob eandem rationem , quia cessat culpa , ut pluribus firmat Basil. *d. cap.6. n.8.* Quod aliqui extendunt non solum ad ignorantiam prohibitionis , sed etiam ad ignorantiam hujus pœnæ , sub qua est prohibitio facta, ut refert Basil. *num.12.*

3. Si verò ab uno conjuge extra necessitatem , atque adeò culpabiliter proles communis , vel alterius conjugis baptizetur , leveturve è sacro fonte , aut in confirmatione teneat , conjux qui hujus culpæ particeps non est , debitum exigere potest, quod illi necessariò est reddendum , ut ex omnium sententia testatur Coninch. *disp.34. dub.8. n.84.*

4. Quocirca difficultas est ; An culpabiliter exercens prædictum munus à debiti petitione arceatur, itaut si uterque conjux culpabiles existant , neuter possit debitum petere , neque ulla sit illi obligatio reddendi ? Affirmat communis sententia teste Sanch. *lib.9. disp.26. n.6.* Gutierr. *de matr. c.100. n.6.* Moventur ex Textu *in cap pervenit & cap. si quis 30. quæst.1.* Ubi conjuges prædicto impedimento ligati jubentur separari. Secundò *in c. nosse , eadem causa, & quæst.* dicitur non esse separandos conjuges , si utriusque consensu impedimentum non acciderit : tacitè indicans si utriusque consensu contigisset separendos esse. Tertiò *in cap. ad limina*, excusat Textus à prædicto impedimento conjugem , qui in necessitate proprium filium baptizavit, quia laudabiliter fecit : at qui extra necessitatem baptizasset nullam excusationis causam haberet. Quartò *in c. si vir de cognat. spirituali* , malitiosè uxoris filium in baptismo suscipiens non separatur à conjuge , ne ei fraus patrocinetur , at negata ei potestate petendi , & concessa obligatione reddendi nullatenus fraus patrocinatur. Ergo asserendum est sic delinquentem jure exigendi debitum privatum esse.

5. Cæterum etsi prædicta sententia communis sit, verior est quæ negat sic delinquentem privatum esse debiti petitione, ut tradit Glossa *in cap.2. de cognat. spirit. verbo Debitum. Et ibi* Ancharr. Præpolit. & Cardinal. Durand. *in 4. d.42. q.1. art.3.* Suar. *t.3. de Sacram. quæst.67. art.8. §.penult.* Coninch. *dub.8. n.69.* Basil. Ponce ex parte , *lib.10. cap.6. num.4.* Gaspar Hurtado *disp.10. diffic.6. n.24.* Moveor , quia hæc graviſſima pœna nullo jure aperto statuta est , ut constabit ex solutione Textuum qui *n.præced.* referuntur. Quinimò ex aliis Textibus contrarium manifestè colligitur,ergo inducenda non est.Minorem in qua est tota difficultas sic probo.Nam Textus *in c. pervenit* loquitur de fœminis, quæ ante contractum matrimonium filios in concubinatu susceptos levarunt , quas mirum non est ut à viris separentur,cum eorum conjugium nullum sit. Eandem explicationem habet Textus *in cap.si quis filiastrum* , ac proinde hi Textus ad rem non faciunt. Et esto intelligendi sint de impedimento post matrimonium contracto correcti censendi sunt per Textum *in c.nosse. Cap.de eo.Cap.ad limina eadem causa,& quæst.Et c.si vir de cognat. spirituali.*Ex reliquis verò Textibus scilicet *Nosse..Ad limina 30.q.1.*Ex Textu *in c.si vir de cognat. spirit.* solum à contrario sensu argumentum fit , quod in jure firmum non est , maximè in pœnis extendendis : sæpè namque Pontifices sua responsa cum limitatione proferunt,specialemque rationem afferunt , non ut indicent ea limitatione , aut ratione deficiente contrarium esse pro lege habendum ; sed ut interrogatis plenè , & perfectè satisfaciant. Non igitur ex Textibus in contrarium relatis colligi potest , sic delinquentem jure petendi debitum privatum esse. At probemus aliis textibus expressè ei permitti. Nam Textus *in cap. de eo 5. 30. quæst.1.* dicitur ; *Si autem conjuges legitimi unus aut ambo ex industria fecerint , ut filium suum de fonte susciperent si innupti permanere voluerint bonum est* (hoc est si voluerint manere continentiam servantes) *sin autem gravis pœnitentia insidiatori injungatur , & simul maneant.* Si igitur decidit Textus , quòd simul permaneant , sine dubio poterunt debitum exigere , aliàs separandi essent , ne periculo incontinentiæ essent expositi. At apertius doctrina convincitur *ex c.si vir de cognat. spirit.* Ubi Pontifex inquit , *Sive ex ignorantia , sive ex malitia id fecerint , non sunt ab invicem separandi , nec alter alteri debitum debet subtrahere , nisi ad continentiam servandam possint induci , quia si ex ignorantia factum est, eos ignorantia excusare videtur , si ex malitia , eos sua fraus non debet patrocinari , vel dolus.* Notanda sunt verba, *non sunt ab invicem separandi* : Item *neque alter alteri debet debitum subtrahere* , quibus manifestè judicatur utrumque retinere jus exigendi , aliàs possent debitum sibi subtrahere. Item voluit Pontifex providere malitiæ , quia aliqui proprios filios è sacro fonte levabant , ut à conjugibus separarentur ob impedimentum , quod censebatur contractum *ex cap. pervenit. Et c. si quis filiastrum* ; & loco impedimenti jubet gravem eis pœnitentiam injungi , indeque eos quoad mutuam habitationem , petitionem , redditionemque debiti æquales facit iis , qui ignorantes filios è sacro fonte susceperint , quos ex omnium sententia constat debiti petitione privatos non esse. Ergo asserendum est probabilius esse , & mihi certum cognationem spiritualem matrimonio supervenientem non præstare conjugibus impedimentum petendi , reddendique debitum.

§. VI.

An ob affinitatem matrimonio supervenientem impediantur conjuges à debiti petitione , & redditione ?

1 *Affinitas matrimonio superveniens extenditur secundum aliquos ad quartum gradum quoad debiti petendi privationem.*
2 *Verius est spectato Trident. non extendi ultra secundum gradum.*
3 *Qualiter incestuosus à prædicta pœna excusetur ?*
4 *Aliquando privatus debiti petitione permitti potest debitum petere.*
5 *Impetrata dispensatione impedimenti recuperat incestuosus integrum jus petendi.*
6 *Innocens ab incestuoso debitum petere potest , illique est reddendum.*
7 *Incestuoso iniquè petenti non est conjux innocens obligatus reddere, etsi possit.*

1. AFfinitas matrimonio superveniens orta ex incestuosa copula cum conjugis consanguineis ad minus in primo , & secundo gradu impedit debiti petitionem , ut colligitur *ex cap. transmissa. Cap. tuæ fraternitatis, de eo qui cognovit consang. Et cap. si quis viduam. Et aliis 3. q.7.* An autem hæc affinitas , & impedimentum oriatur ex copula cum consanguineis conjugis in tertio , vel quarto gradu ? Difficultate non caret : eo quòd antiquo jure , & matrimonium contrahendum impediebat , & post contractum prohibebat debiti petitionem. At Concil. Tridentin. *sess.24. capite quarto,*

statuit, ne prædicta affinitas matrimonium contrahendum impediret ultra secundum gradum, de privatione autem debiti nec verbum fecit. Cùm ergo à jure antiquo recedendum non sit, nisi quatenus jure novo expressum fuerit & in jure novo nulla quoad debiti petitionem restrictio inveniatur, convinci videbatur usque ad quartum gradum extendi. Atque ita affirmat Paul-Comitol. *lib.1. respons. moral. quæst.138.* Et alii relati à Sanch. *lib.7. d.15.*

2. Cæterùm verius est restrictâ affinitate ad secundum gradum quoad matrimonium contrahendum, eo ipso restringi quoad privationem petendi debitum, quia privatio exigendi debitum imponitur in pœnam copulæ incestuosæ. At sublato impedimento contrahendi matrimonium ob copulam cum consanguineis in tertio, vel quarto gradu, ea copula non est censenda incestuosa; quia non est censenda cum affine habita; sicuti non censentur consanguinei, qui sunt extra quartum gradum; eo quòd extra illum non est impedimentum matrimonii contrahendi. Atque ita docent pluribus relatis Sanch. *lib.9. disp.27. n.14.* Gutierr. *lib.1. canon. qq. c.23. n.21. Et de matr. c.99. in fine.* Henriq. *lib.11. c.15.* Basil. Ponce *lib.7. cap.33. in fine*, decisumque refert à sacrâ Concilii congregatione.

3. Excusatur incestuosus à prædicta pœna, si ignoravit esse consanguineam suæ conjugis ad quam accessit, quia eo casu excusatur ab incestu, ac proinde à pœna ob incestum imposita, uti expresè colligitur ex *cap.1. de eo qui cognovit. consanguineam, &c.* Et tradit Sotus *in 4. d.37. quæst. unica, art.2.* Victoria *de matrim. n.290.* Rodrig. *2.t. sum. cap.243. concl.11.* Sanchez *lib.7. disp.15. & lib.9. disp.32. n.47.* Laym. *lib.4. sum. tract.10. 3.p. cap.1. n.14.* Deinde excusatur si per vim fuit cognitus ob eandem rationem, quia immunis est à culpa, juxta *c. discretionem de eo qui cognovit*, &c. Quinimò non videtur improbabile si metu cadente in constantem virum ea copula habita sit incestuosum retinere jus petendi debitum. Nam cùm hæc pœna jure Ecclesiastico inducta sit, credendum non est peccanti ita coactè impositam esse, ait Sotus *d. art.2.* Basil. *lib.10. c.7. n.6.* Et probabile censet Sanch. *lib.9. disp.31. n.4.* Layman. *d. c.1. n.14.* Illa verò excusatio, quam tradit Sylvest. *verbo Luxuria, q.4. d.2.* Angel. *verbo Incestus, n.4.* Sà *verbo Matrimonii impedimenta dirimentia, num.1.* Nempe si incestus fuit occultus, nullatenus est admittenda: tum quia ex nullo Textu colligitur. Tum quia rarò hoc impedimentum à conjugibus contraheretur, si oporteret incestum publicum esse. Atque adeo ex incestu occulto nasci prædictum impedimentum docuit Glossa *in cap. qui dormierit, verbo neutrum 32. quæst.7.* Gutierr. *lib.1. canon. qq. cap.22. num.8.* Sanchez *lib.7. disp.15. n.13. & lib.9. disp.27. n.2.* Neque sententia Judicis requiritur, ut benè Sanch. *lib.9. disp.30. n.2.* Et Layman. *d. cap.1. n.15.*

4. Verum esto incestuosus privatus sit debiti petitione; aliquando tamen permitti potest ea debiti petitio, videlicet si credat compartem sui delicti gravem suspicionem concepturam; eo quòd à debito petendo abstinet. Neque enim credendum est legem Ecclesiasticam cum gravi honoris jactura obligare. Quod præsertim in uxoris incestu locum habere potest, ut benè notavit Layman. *loco nuper relato.* Deinde in gratiam conjugis innocentis permitti aliquando posse incestuoso debiti tacitam petitionem testantur Sotus *in 4. d.37. quæst.un. art.2. post.2. concluf.* Gutierr. *lib.1. canon. qq. cap.23.* Sanch. pluribus relatis, *lib.9. disp.7. n.1.* Si enim uxor cogeretur semper debitum petere onerosum illi matrimonium esset, & periculo incontinentiæ exponeretur, credereque posset se minus à viro diligi.

5. Illud verò est certum, impetratâ dispensatione prædicti impedimenti integrè incestuosum recuperare jus petendi debitum, ac si nunquam affinitatem contraxisset, neque ad hanc impetrationem consensus innocentis requiritur, ut optimè advertit Sanchez *lib.9. disp.6. num.10.* Quam dispensationem concedere posse Episcopum saltem ex consuetudine testantur Sanchez *lib.8. disp.12. n.4.* Valent. *disp.10. q.5. part.5.* Henriq. *lib.12. cap.2. n.9.* Layman. *lib.5. tract.10. 3.part. c.1. n.15.* Et alii plures apud ipsos. Ex privilegio autem Sedis Apostolicæ Superiores Societatis, & quibus ipsi commiserint eam concedere possint, uti constat ex privilegiis Societatis, *verbo Dispensatio.*

6. Quod ad innocentem attinet, dubitare nemo potest posse ab incestuoso debitum petere, illique necessariò esse reddendum, quia sine culpa privari non debet jure sibi debito ut habetur *cap. discretionem, de eo qui cognovit consanguineam.* Affinitas namque post matrimonium iniquè contracta illi nocere non debet, qui iniquitatis particeps non fuit, ut deciditur *cap. tuæ fraternitatis, eodem tit.*

7. An autem possit, vel teneatur incestuoso iniquè petenti reddere? Difficultate non caret, verius censeo nullam illi esse obligationem reddendi, tametsi reddere possit. Priorem partem docuit Glossa *in c. Nosse 30. quæst.1. verbo defraudentur.* Covarruv. *4.decret. 2.part. cap.7. §.2. n.5.* Gutierr. *lib.1. quæst. cap.23. n.6.* Sanch. plures referens, *lib.9. disp.6. n.8.* Eo quòd incestuosi petitio nulla sit, utpotè qui privatus est jure petendi. Nulla igitur injustitia committitur, si ejus petitionem repellas. Argum. Textus *in leg. si pupillus 127. ff. de verbor. obligat.* Et licèt aliquando ejus petitioni annuas, non obinde obligatus es deinceps reddere; quia privatio quam incestuosus habet petendi debitum non est facta in tui favorem, sed in pœnam delicti commissi, ideoque nequit ob tui cessionem tolli, sicuti benè notavit Sanch. *lib.9. disp.6. num.9.*

Secunda pars conclusionis, scilicet te posse reddere difficilior est, eo quòd videaris cooperari iniquæ actioni petentis: at si attentè consideretur nulla est iniquæ actioni cooperatio: quippè illa copula conjugalis secundum se illicita non est, sed solum quatenus petitur ab incestuoso: at petitioni incestuosi non cooperaris formaliter, siquidem illum ad petendum non incitasti, sed solum cooperaris copulæ petitæ. Ergo nulla in malitiam cooperatio adest. Ex alia autem parte delictum incestuosi te gravare non debet, ut dicitur *cap. transmissæ, cap. tuæ de eo qui cognovit consang.* Ergo æquè debes liber esse ad petendum, & reddendum ac si delictum commissum non esset. Atque ita docet Ledesm. *2. part.4. q.60. art.4. post. princ.* Sanch. *lib.9. disp.6. n.12.* Layman. *lib.5. tract.10. 3.part. c.1. n.15.*

§. VII.

Qualiter voto castitatis emisso ante, vel post matrimonium impediantur conjuges à petitione redditioneque debiti?

1 *Astrictus castitatis voto peccat mortaliter matrimonium contrahens.*
2 *Contracto matrimonio abstinere debet à debiti petitione. Nec reddere debet priori bimestri.*
3 *Religionem ingredi affirmant plures esse obligatum.*
4 *Verius est obligatum non esse.*
5 *Consummato matrimonio tenetur conjux castitatem vovens; reddere petenti, & mortuâ uxore castitatem servare.*
6 *Si votum castitatis emissum sit matrimonio contracto ex licentia conjugis nec petere, nec reddere potest.*
7 *Si emissum sit nesciente conjuge, etsi aliqui censeant invalidum esse; verius est prædictum votum valere.*
8 *Satisfit oppositæ rationi.*
9 *Qui castitatem vovet divortio legitimè facto, non potest conjugi adulteræ reconciliari.*

1. Pro

1. PRo certo habendum est astrictum castitatis voto peccare mortaliter contrahendo matrimonium, tametsi animum habeat ingrediendi religionem ante consummationem. Tum quia manifestissimo periculo exponitur intentum non exequendi. Tum quia conjugem decipit ea intentione contrahendo, quæ si manifestata sibi esset, verosimilius est non contracturum.

2. Contracto matrimonio abstinere omnino debet à debiti petitione, quousque dispensationem obtineat, quia id præstare potest absque conjugis injuria. Reddere autem priori bimestri nequit, quia eo tempore in favorem religionis non astringuntur conjuges ad reddendum, maximè si de religione assumenda cogitaverint. At votum obligat ad castitatem servandam, quoties servari potest.

3. Quæstionem habet; An Religionem ingredi teneatur? Affirmat D.Thom. *in* 4. *d.*38. *quæst.*1. *art.*3. *quæstiunc.*2. *ad* 3. Sylvest. *verbo Matrimonium* 7. *q* 5. *dicto* 2. Navarr. *cap.*22. *n.*73. Joan. Azor. *tom.*1. *lib.*11. *cap.*21. *quæst.*2. Et alii plures. Moventur, quia Religio est unicum medium, quod eo casu habet ut castitatem servet. Nec mirum est, quod obligetur exequi medium ita arduum, & difficilè pro castitate promissa servanda, cùm ipse contrahens indebitè matrimonium in eas se angustias conjecerit.

4. Verius tamen est obligatum non esse Religionem ingredi, tametsi votum emiserit post matrimonium, contractum ante illius consummationem, nisi fortè tempore emissionis voti cogitaverit nullum aliud superesse medium exequendi votum præter Religionis ingressum. Quia non est censendus se velle obligare pro voti executione ad assumendum medium, quod difficilius est ipsa re promissa. Secùs est quando tempore emissionis voti agnoscitur nullum aliud superesse remedium voti exequendi, quia eo casu qui ratus est censetur medium tacitè promitti, ne irrisoria promissio sit. Atque ita docent Sotus *in* 4. *d.*38. *q.*2. *art.*1. §. *quid autem.* Henriquez *lib.*12. *cap.*2. *num.*8. Sà *verbo Matrimonium, de impediment. dirimen. num.*3. Lessius *lib.*2. *de just. cap.*46. *dub.*5. *num.*52. Coninch. *disp.*34. *dub.*5. *n.* 35. Sanch. *lib.*9. *disp.*34. *num.*3. Basil. Ponce *lib.*10. *cap* 5. *n.*12. Gaspar Hurtado *disp.*10. *difficult.*8. *n.*33. Layman. *lib.*4. *tract.*10. 3.*p. cap.*1. *num.*11. & colligitur apertè *ex extravag. Joann. XXII. Antiquæ de voto*, ubi Pontifex decernit eum, qui post contractum matrimonium ante consummationem insignitus fuit Sacris non esse obligatum Religionem ingredi, præsumit enim Pontifex non habuisse intentionem se obligandi ad medium ita arduum, & difficile.

5. Consummato verò matrimonio, sive cum peccato, sive absque illo tenetur conjux castitatem vovens reddere petenti debitum, quoties ipsi fuerit rationabiliter petitum, quia nequit privare conjugem jure ex justitia per matrimonium quæsito: & colligitur manifestè *ex cap. quidam, cap. placet, de convers. conjugator.* Et ut certum docet Basil.Ponce *lib.*10. *cap.*5. *num.*6. Verùm mortuâ coniuge, vel ipsâ adulterium committente, cùm in his eventibus servare castitatem possit, sine dubio voto astringitur, ut ex omnium sententia tradit Coninch. *disp.*34. *dub.*5. *n.*57. Lessius *lib.*2. *c.*41. *num.*53. Paul. Layman. *lib* 5. *tract.*10. 3.*part. c.*1. *n.*11.

6. Quod si votum emissum sit post matrimonium subdistinguendum est, si sit emissum ex licentia coniugis nec petere, nec reddere potest, quia consentiens tacitè iuri, quod habebat petendi, cessit. Et idem est, si ex communi consensu castitatem voverunt, neuter potest petere, aut reddere, sed sunt thoro separandi, ut benè notavit Lessius *lib.*2. *de justit. cap.*40. *dub.*15. *& cap.*41. *dub* 6. Coninch. *disputat.*34. *dub* 6. *initio, numero* 39. *& in fine numero* 53. Basil. Ponce *lib.*10. *capite* 5. *numero* 20. Layman. *libro* 5. *tractatu* 10. 3.*parte capite* 1. *num.*12.

7. At si votum emissum sit nesciente, vel non consentiente coniuge, etsi D.Thom. *in* 4. *d.*32. *quæst.unica, art.*4. *ad* 3. Paludan. *ibi dist.*38. *q.*3. *art.*5. *concl.*4. *in fine.* Petr. de Soto *sect.*16. *de matr.* §. *ult.* Et alii censeant prædictum votum castitatis invalidum esse, eo quòd coniux se obligare non possit ad debitum non reddendum, ut de se constat, neque etiam ad non petendum, cùm cedat in non leve coniugis gravamen, quæ semper petere obligaretur, suspicionemque præberet coniugi vel odii, vel defectus, ob quas rationes superiùs diximus, probabile esse astrictum impedimento affinitatis petere aliquando posse. At longè verius est, & ferè certum validum esse prædictum votum, uti docent aliis relatis Henriq *lib.*11. *cap.*15. *n.*8. Navarr. *cap.*12. *n.*60. Lessius *lib.*2. *c.*40. *num.*99. Sanch. *lib.*9. *disp.*35. *n.*25. Coninch. *disp.*34. *dub.*6. *n.*49. Basil.Ponce *lib.*10. *cap.*5. *n.*19. Laym. *lib* 5. *tract.* 10. 3. *part. cap.*1. *n.*12. Et colligitur apertè *ex cap. quidam. Cap. placet, de convers. conjugat.* Etenim coniux valide se voto castitatis astringit, quæ absque præiudicio alterius coniugis observari potest. At coniux matrimonii lege ad petendum debitum non astringitur, & commisso adulterio ab alio coniuge neque ad reddendum. Ergo ad hæc omnia voto castitatis obligari potest.

8. Neque obstat ratio in contrarium adducta, ob quàm Victoria *in sum. n.*293. Sylvest. *verbo Matrimonium* 7. *q.*5. *d.*4. Angel. *ibi, n.*4. Rosell *verbo Impedimentum, impedim.*4. *n.*7. Et alii plures relati à Sanchez *lib.*9. *disp.*7. *n.*3. Quibus adhæret Layman. *lib* 5. *tract.*10. 3.*part. cap.*1. *num.*12. Censent hic voto castitatis astrictum posse petere debitum, quoties alteri coniugi eius votum onerosum sit, vel periculum incontinentiæ habeat, eo quòd ab ipso debitum non petatur. Nam ut rectè inquit Coninch. *disp.*34. *dub.*6. *num.*47. Non tenetur coniux vitare quidquid in alio coniuge molestum sit; aliàs non tenebitur breves peregrinationes promissas facere, neque aliqua negotia expedire, si id credit aliquantulum molestum esse coniugi, ea enim molesta sibi imputari debet, à qua facile se liberare potest, debitum saltem tacitè petendo. Et eadem ratione periculo incontinentiæ occurrere potest. Quod si nolit convincitur ex malitia peccare, & voventem obligatum non esse adversus suum votum procedere, ut prædictæ incontinentiæ consulat. Nam si vovens simul cum coniuge habitans ob vitandum periculum propriæ incontinentiæ quod necessariò futurum est, non potest debitum petere, à fortiori nec poterit ob vitandum periculum incontinentiæ coniugis, cùm magis periculo proprio, quàm alieno prospicere debeat. Aliàs si uterque ex mutuo consensu castitatem vovissent, posset unusquisque ob alterius incontinentiæ periculum debitum petere, quod nemo concederet. Neque est simile de impedimento affinitatis contracto: hoc enim non potest coniux alteri manifestare, quia esset manifestare propriam turpitudinem, & alienam; ideoque si nunquam petat debitum, occasionem præbet concipiendi vel sic coniugem impeditum esse, vel odio, aut despectui haberi. At votum absque ullo incommodo manifestare coniugi potest. Quo manifestato cessat occasio iniquæ suspicionis, ad quam manifestationem reputo esse voventem obligatum. Quinimo credo ob periculum incontinentiæ obligari dispensationem illius voti petere, ut rectè Coninch. *num.*52.

9. At voto perseverante non probo sententiam Sanchez *lib.*9. *disputat.* 35. *numero* 28. Asserentis prædictum votum castitatis non impedire, quin vovens coniugi adulteræ reconcilietur, illique debitum reddat, eo quòd nunquam fuerit factum de debito non reddendo, sed non petendo. Quippe censendum est factum iuxta præsentem statum, in quo nequaquam obligari poterat ad non reddendum. Hæc inquam sententia mihi nullo modo probatur, aliàs sic vovens absolutè castitatem posset mortuâ coniuge aliud matrimonium inire, quod Sanch. non concedit. Signum

ergo

ergo est sub voto comprehendisse eam castitatem, quam sine præjudicio conjugis præstare posset, atque adeò obligari tum ad non petendum debitum, tum ad non reddendum, quando licitè abstinere à redditione potest, tum ad non contrahendum matrimonium conjuge mortuâ, ut rectè tradit Coninch. *dicta disp.* 34. *dub.* 6. *n.* 50. Basil. Ponce *lib.* 10. *c.* 5. *n.* 19.

§. VIII.

Qualiter votum non contrahendi matrimonium, sacros Ordines suscipiendi, Religionemve ingrediendi impediat debiti petitionem & redditionem?

1 *Vovens matrimonium non contrahere peccat non solùm contrahens, sed consummans.*
2 *Vovens sacros Ordines peccat graviter matrimonium contrahendo.*
3 *Astrictus religionis voto peccat matrimonium contrahens, etsi animum habeat ante consummationem Religionem ingrediendi.*
4 *Quid si ex mutuo consensu conjuges Religionem voveant ante consummatum matrimonium.*
5 *Si post consummatum matrimonium Religionem ex mutuo consensu voveat, nemo tenetur ingredi, alio non ingrediente.*

1. VOvens matrimonium non contrahere peccat graviter matrimonium contrahendo, an verò peccet illud consummans? Alii affirmant, alii negant, ut videre est apud Sanch. *lib.* 9. *disp.* 34. *à n.* 6. Verius existimo peccaturum, si non constet expresè voluisse ad solum contractum se obligare, eo quòd vovens à matrimonio abstinere præcipuè vovere censetur abstinere à copula, quæ matrimonio annexa est, cùm ex affectu castitatis illud votum emiserit. Neque his obstat, quod jurans contrahere matrimonium satisfaciat juramento matrimonium contrahendo, tametsi illud non consummet; quia matrimonii contractus imbibitam in se habet conditionem, nisi meliorem statum elegero, at abstinentia à matrimonio potius imbibit conditionem abstinendi à copula quàm econtrà; ideoque videtur utrumque sub voto comprehendisse. Atque ita docet Joan. Azor. *t.* 2. *lib.* 11. *cap.* 21. *quæst.* 7. Basil. Ponce *lib.* 10. *cap.* 5. *num.* 16. Consummato autem matrimonio licitè poterit petere, & reddere, quia non est verisimile sub prædicto voto ea comprehendisse, aliàs esset votum absolutæ castitatis. Quod convincitur ex his quæ tradit Sanch. *d. disp.* 34. *num.* 7.

2. Deinde vovens sacros Ordines suscipere sine dubio graviter peccas matrimonium contrahendo, maximè si animo consummandi contraxeris; cùm te reddas voti executioni impotentem. Si autem animo ingrediendi religionem contrahas, peccas tum ob periculum desistendi ab ea intentione, & consummandi matrimonium: tum ob deceptionem conjugi factam, quæ nullatenus contraheret, si eum animum agnosceret. Contracto matrimonio non teneris Religionem ingredi, etsi sit medium unicum voti exequendi, quia non censeris obligatus ad assumendum medium ipsa re promissa difficilius, ut expresè decisum est à Joan. XXII. *in extravag. Antiquæ de voto.* Quare & petere, & reddere debitum potes; quia id voto non repugnat, sicuti tradit Coninch. *disp.* 34. *dub.* 7. *n.* 54. Basil. Ponce *lib.* 10. *c.* 5. *n.* 15. Mortua verò uxore, vel adulterante, vel Religionem ingrediente teneris votum implere, quia licitè præstare potes, ut venè advertit Coninch. *suprà.*

3. Si verò astrictus es Religionis voto peccas matrimonium contrahendo, tametsi animum habeas ante consummationem Religionem ingredi, tum ob periculum non exequendi votum, tum ob conjugis deceptionem obligatusque es ante consummatum matrimonium votum implere, nisi fortè consummatio matrimonii necessaria sit, ut obligationi ex justitia debitæ satisfacias, eo quòd sub spe conjugii conjugem stupraveris. Confirmato matrimonio licitè petere, & reddere potes, quia votum religionis cùm non sit votum castitatis non te obligat abstinere à prædictis. At si conjux moriatur, vel adulterium committat, aliamve causam divortii tribuat, obligatus es votum exequi, quia impeditus non es, ut tradit ex communi sententia Sanch. *lib.* 9. *disp.* 33. *quæst.* 2. *& disp.* 35. *n.* 10. Azor. *t.* 1. *lib.* 11. *c.* 21. *q.* 8. Basil. Ponce *lib.* 10. *c.* 5. *n.* 4. Coninch. *disp.* 34. *dub.* 7. *n.* 55.

4. Sed quid si ex mutuo consensu conjuges Religionem ante consummatum matrimonium voveant, peccantne matrimonium consummando: Huic quæstioni optimè respondet Coninch. *d. disp.* 34. *dub.* 7. *à num.* 57. Adhibitâ distinctione, si enim unusquisque voveat Religionem dependenter ab alterius in Religionem ingressu, non peccant matrimonium non consummando, quia nemo obligatus fuit Religionem ingredi nisi altero ingrediente. Quod si uterque nolit ingredi, uterque libere ab obligatione, siquidem deficit conditio ad voti obligationem necessaria. At si unusquisque voveat Religionem, non quidem dependenter ab alterius in Religionem ingressu, sed dependenter ab ejus voto, eo quòd promiserit, Religionem ingredi, si alius similem præstiterit promissionem; promissione ab utroque facta quilibet tenetur Religionem ingredi, esto alius non ingrediatur; quia appositа fuit conditio ad obligationem voti requisita. Quo casu manifestum est, utrumque mortaliter peccare matrimonium consummando, cùm exponatur evidenti periculo votum non exequendi; vel quia alter nolens Religionem intrare compartem cogit ad secum cohabitandum, vel quia ex copula habita redduntur impotentes ad ingressum, si fortè filius concipiatur.

5. Verùm si post consummatum matrimonium Religionem ex mutuo consensu voveant, nemo tenetur Religionem ingredi alio non ingrediente, nisi fortè uxor senex sit, & de incontinentiæ periculo minimè suspecta. Quo casu solùm peccat ille per quem stat, quominus votum impleatur, alius nempe impotentiâ excusatur. At si nolens ingredi moriatur, vel occasionem divortii dederit, alter obligatur ingredi, si Religioni aptus sit. Quandiu verò non ingrediuntur copulæ vacare possunt, nisi periculum sit concipiendi, ob quam causam impediantur à Religionis ingressu: hæc omnia notavit Coninch. *disp* 34. *dub.* 7. *num.* 63. Et consentit Basil. *lib.* 10. *cap.* 4. *n.* 20.

§. IX.

An certitudo, opinio vel dubium de matrimonii contracti nullitate, impediat ejus usum?

1 *Ob nullam causam petere, vel reddere debitum potest certus de matrimonii nullitate.*
2 *Si solum opinionem habeas nullitatis reddere teneris petenti.*
3 *Affirmant* Sanch. *te petere posse.*
4 *Verius est distinctione esse utendum.*
5 *Quoties impeditus es à petitione debiti, alter non tenetur tibi reddere.*
6 *Si dubius es de matrimonii valore & cum eo dubio contraxisti, non potes petere. Secus si bona fide fuit matrimonium contractum.*

1. OMnes Doctores adversus Magistr. *in* 4. *d.* 38. *in fine*, & Hugo de sancto Victore *de Sacrament. part.* 11. *c.* 6. Firmant ob nullam causam posse petere, vel reddere debitum qui certus est matrimonium contractum

tractum esse nullum ; esto nullitas proveniat ex impedimento jure humano introducto, eo quòd accederet ad non suam, & consequenter fornicationem committeret, quæ intrinsecè mala est, & nullo fine honestari potest, sicuti expressè definitur *cap. inquisitioni* 44. *de sententia excommunicat. Et cap. litteris de restitut. spoliat.*

Neque obest, quòd Episcopus sub excommunicatione præcipiat matrimonii usum, quia illud præceptum procedit ex falsa præsumptione, quâ credit nullum subesse impedimentum, ac proinde in conscientia nullam inducit obligationem. Neque item præsumi debet Episcopus ea coactione utens velle in impedimento dispensare : tum quia sæpè impedimentum est quod humana authoritate tolli non potest. Tum quia detecto postea impedimento conjuges separantur, quousque dispensatio obtineatur, & denuò contrahant. Signum ergo evidens est antea dispensatum non esse.

Quapropter conjugi sic astricto nullum supereſt remedium, nisi arripere fugam, vel removere impedimentum, si in sua est potestate, vel illius dispensationem quærere, si dispensabile est. An autem removere impedimentum teneatur, si ejus culpa contractum sit postea dicemus, cùm de revalidatione matrimonii sermo habebitur.

2. Quod si certus non sis de nullitate matrimonii, sed solùm opinionem habeas, reddere teneris petenti, neque ullo modo de matrimonii valore dubitanti, uti cum D. Thom. *in* 4. *d.* 21. *quæst. unica, art.* 5. *qq.* 1. *ad* 3. docent Navarr. *c.* 22. *num.* 81. Henriq. *lib.* 12. *de matr. cap.* 6. *num.* 7. Rodrig. *sum. cap.* 243. *n.* 4. Petr. de Ledesm. *de matr. quæst.* 43. *art.* 1. *dub.* 2. *in solut. ad* 3. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 44. *num.* 3. Gutierr. *de matr. cap.* 49. *à n.* 23. Definiturque expressè *in cap. Inquisitioni de sentent. excommun.* Ibi : *Si habeat conscientiam ex credulitate probabili, & discreta quamvis non evidenti, & manifesta reddere debet.* Item non licet tibi ob opinionem, quæ falsò subesse potest alterum suo jure, & possessione privare : maximè cùm ex parte illius sit, certitudo moralis matrimonium validum esse, cui certitudini præferri tua opinio non debet. Quod si dicas te periculo fornicandi exponere accedens ad eam quam probabiliter credis non esse tuam ? Facilè respondetur negando te periculo morali fornicationis exponi, cùm non accedas ad eam quam moraliter credis esse alienam, sed etiam solum probabiliter credis esse alienam, simulque credere probabiliter esse tuam.

3. Difficilius est, an possis petere debitum, si cum ea opinione nullitatis matrimonium contraxisti ? Affirmat aliis relatis Sanchez *lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 9. Gutierr. *cap.* 49. *n.* 27. Eo quòd tibi licitum sit opinionem probabilem sequi relictâ probabiliori, at opinans illud matrimonium esse nullum, simul opinaris validum esse, potes ergo cui malueris adhærere. Neque obest quòd in dubiis tutior pars sit eligenda, *cap. si quis autem de pœnit. dist.* 7. *c. inveniens, de sponsalib. c. ad audientiam, & cap. penult. de Homicid.* Id enim intelligendum est de dubio, an sit aliquid licitum, vel illicitum, quodque vocatur dubium practicum, non verò de dubio speculativo, quo dubitatur, an hæc res sit tua, vel aliena, an adsit Præceptum, vel non adsit, quo dubio stante certissimum esse potest, te nullo præcepto astringi, prædictaque re uti posse, ut rectè tradunt Sanch. & Gutierr. *loc. alleg.* & Coninch. *disp.* 34. *dub.* 10. *n.* 88. Et diximus latè 1. *part. tract.* 1. *de conscient. disput.* 2. *&* 3.

4. Cæterùm in hac re distinctione utendum est, & examinanda nullitatis causa : si enim impedimentum sit juris Divini, & naturalis, eo quòd probabiliter credas tempore contracti matrimonii conjugem vivere, etsi probabilius existimes mortuum esse, nequaquam debitum petere potes, quia iniquè ob solam opinionem conjugem priorem spolias jure sibi quæsito, & possessione, quam in tuum corpus habet, ideoque *in cap. in præsentia* 19. *de sponsalib.* Statuitur neminem ad secundas nuptias transire posse, quin ei constet de prioris conjugis morte. Neque obest cuilibet licitum esse opinionem probabilem amplecti, quia esto sit opinio probabilis de morte conjugis, & de matrimonii valore, non tamen est probabilis opinio ea solum opinione stante tibi licitum esse matrimonii contractum, neque usum illius. Ab hac tamen doctrina excipi debet impedimentum impotentiæ, cujus opinio, vel dubium matrimonio contrahendo ejusve usui non obstat, eo quòd stat possessio, & præsumptio pro potentia, dum manifestè contrarium non probatur, neque alius est modus investigandi veritatem quàm matrimonii usu, ideoque à jure dubitantibus de impotentia conceditur experientia triennalis, juxta *cap. laudabilem* 5. *de frigid. & maleficiat.* Et notarunt Vasquez *disp.* 66. *cap.* 4. Montesin. *ibi*, *disp.* 29. *q.* 4. Lorca *disp.* 88. Basilius Ponce *lib.* 10. *de matr. cap.* 15. *n.* 14. Hurtado *de matr. disp.* 10. *diffic.* 9. *in fine.*

At si impedimentum solo humano jure inductum sit adhuc subdistinguendum est cum Ægid. de Coninch. *disp.* 30. *dub.* 10. *num.* 104. Si enim tempore contrahendi matrimonii opinionem, vel dubium habeas subesse impedimentum, & diligentia facta ad veritatem investigandam vincere dubium non potuisti ; à matrimonio contrahendo, ejusve integro usu non impediris, quia tum tibi non constat de impedimento jure humano inducto liberum te reputare debes ob possessionem innatæ libertatis. Verum si tibi constat impedimentum sub esse, nescis tamen certò, an dispensatione sublatum sit, sed tantum probabiles rationes habes, inique matrimonium contrahis, & nullatenus debitum petere potes, etsi obligeris reddere : quia stat possessio pro impedimento, secus esset si tibi constaret dispensationem obtentam esse, & probabiliter dubitares de illius nullitate, quia eo casu stat pro dispensationis valore impedimentique cessatione possessio.

5. Illis eventibus quibus malâ fide matrimonium contraxisti ob cujus causam impeditus es à petitione debita ; alius id cognoscens non tenetur tibi petenti debitum concedere ; quia ubi nulla est petitio, nulla est culpa illius negatio. Quod si ex tua alteriusque parte mala fides adfuit in matrimonio contrahendo nec petere, nec tradere potestis, sed thoro separari debetis, quia neuter jus acquisivit, ratione cujus redditus honestari possit, ut benè notarunt Henriq. *lib.* 11. *c.* 11. *n.* 5. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 42. *num.* 7. *& lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 54. *& seqq.* Coninch. *disp.* 34. *dub.* 10. *n.* 102. Gutierr. *c.* 49. *de matr. n.* 30.

6. Tandem si dubius sis de valore matrimonii, omissis opinionibus, quas latè refert Sanch. *lib.* 2. *disp.* 41. *q.* 4. *à n.* 42. Et ex illo Gutierr. *cap.* 49. *à n.* 28. Breviter juxta supradicta dicendum est, si tempore contractus sic dubius de impedimento fuisti, ut illicitè contraxeris ; etsi tenearis debitum reddere alteri bona fide contrahenti ; quia eum jure suo spoliare non potes ; at petere tibi non permittitur ; quia stat pro impedimento possessio, & mala fides impedit, ne matrimonio utaris cum periculo fornicationis, sicuti expressè definitur *in cap. Dominus de secund. nuptiis*, uti tradit D. Thom. communiter receptus *in* 4. *dist.* 38. *in fine.* Sanch. pluribus relatis *lib* 2. *disp.* 41. *num.* 45. Gutierr. *cap.* 49. *n.* 28. Coninch. *disp.* 34. *dub.* 10. *concl.* 3. *n.* 101. At si tempore matrimonii contrahendi bona tibi adfuit fides, ob superveniens dubium vel opinionem de matrimonii nullitate non impediris à debiti petitione, quia ratione contractus bona fide celebrati jus & possessionem acquisisti in alterius conjugis corpus. Non igitur ob superveniens dubium deturbari à possessione debes. Neque contrarius est Textus *in cap. inquisitioni de sentent. excommunicat.* Nam esto indistinctè loquatur,

loquatur, intelligendus est ante veritatis inquisitionem, vel de illis qui dubii fuerunt tempore matrimonii contrahendi. Atque ita docet plures referens Sanchez *lib.2. disp.41. n.46. & 47.* Coninch. *d.disp.34. n.105.*

§. X.

Quibus in eventibus excuseris à debiti redditione?

1 *Excusaris, si conjux adulterium committat te fidem servante.*
2 *Item si divortium legitimè factum sit.*
3 *Præterea si conjux legitimè cedit juri petendi.*
4 *Item excusaris, si prudenter times aliquod grave damnum inde tibi proventurum.*
5 *Deinde excusaris, si proli conceptæ nocumentum afferat.*
6 *Emittenti votum castitatis regulariter non teneris reddere.*
7 *Idem est si affinitatem ex incestu contraxerit.*
8 *Plures asserunt excusare ab obligatione reddendi debitum difficultatem gravem in alendis filiis.*
9 *Verius censeo ob prædictam rationem te excusari non posse.*

1. PRimò certum est te excusatum esse si conjux adulterium committat te fidem servante; debet autem adulterium tibi certum moraliter esse; dum enim tibi non constat, teneris debitum reddere, ipseque adulter legitimè petere potest, dum adulterii crimine non excipitur. Quippe adulterium non ipso jure privat adulterum jure petendi debitum, sed innocenti concedit potestatem ipsum privandi, & repellendi. Aliàs si ipso jure adulter privatus esset jure petendi debitum, ante innocentis exceptionem peccaret petendo, quod ferè omnes Doctores negant. Signum ergo est retinere jus petendi quousque ab innocente excipiatur, atque adeò debitum non solùm ut licitum, sed ut iure debitum postulare possit. Atque ita docent Caïet. *t.1. tract.31. opusc.17. resp.4.* Sotus *in 4. d.36. quæst. unica, art.4.* Petr. de Soto *lect.16. de matrim.* Sanch. *lib.1. disp.68. n.4. & lib.10. disp.10. à n.8.* Coninch. *disp.23 dub.12. num.87.* Paul. Layman. *lib.5. tract.10. 3.p. cap.1. n.4.*

2. Secundò te excusat divortium legitimè factum, sicuti docent omnes Doctores, quippè hæc exemptio præcipuus illius effectus est; ex quibus autem causis divortium fieri possit inferiùs dicemus.

3. Tertiò est certum te esse excusatum, dum conjux legitimè cedit juri petenti. Poterit tamen hanc cessionem revocare periculo incontinentiæ superveniente, nisi hæc cessio mutua sit, vel voto castitatis confirmata, de quibus *infrà.*

4. Quartò liber es ab obligatione reddendi debitum, si ex ejus redditione prudenter times aliquod grave damnum tuæ saluti corporali proventurum, quia non teneris generationi filiorum, & speciei propagationi vacare cum detrimento proprio. Neque enim potestatem tui corporis conjugi tradis ad conjugalem usum, nisi salvâ ejus incolumitate, uti ex communi sententia docet D.Thom. *in 4. d.32. q unica, art.1.* Durand. *ibi quæst.1. num.8.* Gabr. *q.1. art.2. concluf.1.* Sanch. aliis relatis, *lib.9. disp.24. n.17.* Azor. *t.3. lib.3. c.31. q.20.* Layman. *lib.5. tract.10. 3.part. cap.1. num.5.* Basil. Ponce *lib.10. cap.14. à num.2.* Coninch. *disp.34. dub.3. num.20.* Gaspar Hurtado *disp.10. difficult.12. n.53.* Ex quo fit, si conjux sit leprâ, peste, morbo gallico, aliove contagio infectus nequaquam teneris reddere, si ex Medicorum judicio periculum contagionis adsit, ob rationem dictam, quia prius proprio individuo, quàm speciei propagationi providere debes uti expressè prædicti Doctores asserunt, & deciditur expressè *in cap.1. de conjugio leprosorum.* Neque contrarium decidit Alexand. III. *in cap.2. eodem tit.* dicens: *Si virum, vel uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano debitum exigat, generali præcepto Apostoli quod exigitur est solvendum*: nam Alexand. III. intellexit de solutione debiti una vel altera vice facta, eo quòd præsumpsit congressum longo tempore interpolatum nociturum. Quare si hæc præsumptio cesset, & mortaliter constet ex uno coitu grave damnum tibi provenire posse, nequaquam teneris. Quod verum habet, tametsi à principio cognovisses conjugem prædicto contagio infectum esse, quia obligationi conservandi tuam corporalem salutem, illamque præferendi filiorum propagationi cedere non potest, tametsi contra videatur sentire Layman. & Gaspar Hurtado *loc. alleg.*

Ob periculum tamen incontinentiæ docuit Gabr. *in 4. d.32. quæst.1. art.2.* Petr. de Ledesm. *q.64. art.1. circa 2.concluf. difficult.2. concluf.3.* Rodrig. *t.1. sum. c.243. concluf.2.* Te obligatum esse reddere petenti, quia spirituale damnum conjugis præferre debes tuo corporali damno. Sed rectiùs contrarium censuit aliis relatis Sanch. *lib.9. disp.24. n.12.* Basil. Ponce *lib.10. cap.14. num.2.* Coninch. *disp.34. dub.3. n.21.* Layman. *lib.5. tract.10. 3.p. cap.1. n.5.* Quia illa non est extrema necessitas spiritualis, cui obligatus sis succurrere cum damno tuæ salutis corporalis, potest namque patiens periculum alia plura remedia adhibere, quibus divina gratia adjutus illud vincat.

5. Quintò, ob eandem rationem excusaris à debiti redditione, si nociva futura sit proli conceptæ. Neque enim æquum erat cum jactura unius bonum alterius intendere, maximè illius qui nondum in rerum natura exiftit. Quinimo in probabili sententia excusaris, si proli concipiendæ damnum obventurum sit, quia leprosa, vel defectuosa timetur nascitura, si eo tempore concipiatur, ut constat ex iis quæ diximus de licito usu conjugii tempore menstrui, prægnationis, amentiæ, ebrietatis, &c.

6. Sextò emittenti votum castitatis regulariter non teneris debitum reddere, quia ipse in honorem Dei censendus est juri petendi debitum tibi cessisse. Quod si votum castitatis ex tuo consensu emissum sit, non solùm non teneris debitum illi reddere, sed nec potes ab eo exigere, quia ejus voto consentiens juri debitum petendi renunciasti, ut latiùs superius dictum est, & tradit Laym. *lib.5. tract.10. 3.part. c.1. n.12. & 15. in fine.*

7. Septimò affinitatem ex incestu contrahenti durante prædicto impedimento non teneris debitum reddere, ut est omnium sententia, quia ob crimen commissum incestuosus privatus est jure petendi debitum *cap. transmissa, cap. tuæ fraternitatis de eo qui cognovit consang. uxor. suæ.* Probabile tamen est iniquè petenti te reddere posse, ne ex delicto alterius jus tuum petendi, & reddendi debitum diminuatur, uti adversus alios probat Sanch. *lib.9. disp.6. à n.12.*

8. Octavò ab obligatione reddendi debitum sub gravi culpa excusare difficultatem gravem parentum in alendis filiis si multiplicetur, asserunt Sotus *in 4. d.32. quæst. unica, art.1.* Rodrig. *sum. tom.1. cap.243. concl.* Sà *verbo Debitum, n.18.* Quinimò Petr. de Ledesm. *de matr. q.64. art.1. in fine.* Sanchez *lib.9. disp.25. n.3.* Gaspar Hurtado *disp.10. de matr. difficult.12. n.54.* Et alii censent cessante incontinentiæ periculo nullam culpam nec venialem committi in prædicta negatione. Moventur, quia ab aliis debitis solvendis excusat magna incommoditas, & difficultas, cur ergo ab hoc debito non excusabit? Præterea non teneris debitum reddere, si probabiliter times aliquod grave damnum tibi vel proli obventurum: ac si proles nascatur grave tibi, filiisque natis damnum imminet, si quidem cogeris ex eleemosynis emendicatis vivere. Ergo, &c.

9. Cæterùm

9. Cæterùm verius censeo ob prædictam rationem, te debitum non posse negare, nisi conjux juri petendi cesserit; eo quòd incommoditas, & difficultas, quam ex multiplicatione filiorum timere potes, præterquam quod dubia est, & incerta, ex ipsamet solutione debiti ex justitia nascitur. Non igitur ejus solutionem impedire potest. Adde filiorum generationem esse præcipuum matrimonii finem, & primam conjugum obligationem, debet ergo hæc præferri obligationi illos alendi, cui obligationi si parentes nequeunt ex propriis commodè satisfacere satisfaciant ex aliorum eleemosinis, filiósque exponant, obligationem tamen reddendi debitum non omittant. Sic docent expresè Rebell. *lib. 2. quæst. 16. sect. 1.* Coninch. *disp. 34. dub. 3. in fine.* Layman. *lib. 5. tract. 10. 3. p. c. 1. n. 16.* & videtur esse hujus sententiæ, qui indistinctè affirmant esse peccatum mortale negare debitum, ne proles multiplicetur, ut sunt Angel. *verbo Debitum n. 15.* ubi Sylvest. *q. 8.* Navar. *c. 16. n. 25.* Margarita Confessor. *6. præcepto vers. 8. in fine.* Ludov. Lopez, *1. p. instruct. c. 79. §. peccat* Graffis, *1. p. dec. lib. 1. c. 83. n. 1.*

Nonò te excusant aliqui à redditione debiti, si conjux petens excommunicatus sit, quia excommunicatione ligatus privatur communicatione fidelium. Sed hæc excusatio nullatenus est admittenda; quia ob vitanda animarum pericula conjugibus excommunicatis communicatio permittitur. *Cap. quoniam multos 11. q. 3.* Quod esto de uxore loquatur, omnes doctores ad virum extendunt, quia procedit eadem ratio, ut latiùs *tract. de excommunicat.* dicemus.

§. XI.

An debitum iniquè petenti possis concedere

1 *Si petitio debiti iniqua sit ex parte actus nequis petitioni annuere Secùs si ex parte personæ sit iniqua petitio.*
2 *Temperat* Basil. *secundam partem, ne procedat, quando petens nequit à sua petitione malitiam removere.*
3 *Displicet prædicta limitatio.*

1. ALii generaliter negant, eo quòd non liceat iniquæ actioni cooperari. Alii contrà concedunt, quia ob iniquam alterius petitionem non es tu privandus potestate, quam ex matrimonio habes petendi, exigendique debitum. Alii quibus ego assentior distinctione utuntur, inquiunt enim, si petitio debiti iniqua sit ob aliquam circunstantiam quæ ipsum actum externum vitiet, nunquam poteris petenti debitum concedere, quia petit tibi illicitum, ut si absque necessitate petat in loco sacro, vel cum periculo aborsus, vel damni prolis, aut tui, vel petentis gravis nocumenti. Fateor tamen aliquando ex negatione debiti timeri posse graviora mala quam ex ejus concessione, eo casu jam petita copula illicita non erit, ac proinde poteris petitioni annuere, sicuti advertunt Petr. de Soto, Sanch. & Layman. & statim referendi. Atsi non ob circonstantiam tenentem se ex parte actus, sed ex parte petentis petitio iniqua sit, optimè poteris petitum concedere: quia concedis id quod ex se licitum est, nec tibi potest malitia imputari, ut si petat debitum ob malum finem: hac distinctione communiter Doctores utuntur, ut videre est in Petro de Soto *lect. 16. de matr. in fine.* Covarruv. *4. decret. 2. part. c. 3. §. 1. n. 6.* Henriq. *l. 11. c. 15. n. 8.* Sanch. *l. 9. disp. 6. n. 7.* Coninch. *disp. 34 dub. 4. à n. 25.* Paul. Laym. *lib. 5. sum. tract. 10. 3. part. cap. 1. in fine n. 17.*

2. Secundam partem hujus distinctionis restringit Basil. Ponce *lib. 10. cap. 3. à n. 3* & Gaspar Hurtado *disp. 10. diffic. 13.* ne procedat, quando potens nequit à sua petitione malitiam removere, sed solùm quando ab ea petitione potest separare malitiam. Nam quando petit tibi copulam, à qua ipse petens separare malitiam nequit, necessariò à te postulat cooperationem ad actum, qui hìc, & nunc malus est. Secùs vero contingit, quando ab eo actu separari malitia potest. Ex quo inferunt dubitanti de matrimonii valore astricto voto castitatis te non posse debitum reddere; quia ea copula petita ita mala est petenti, ut nequeas ulla ratione ab ea malitiam separare. Secùs verò quando solùm est mala, quia pravo fine petita est.

3. Cæterùm huic limitationi acquiescere non possum, ideóque existimo superiorem doctrinam generaliter veram esse, nempe quoties malitia non se tenet ex parte actus externi, sed ex parte personæ petentis ob aliquam circunstantiam, quæ non ipsum actum, sed personam petentem afficiat, licitè te posse debitum petitum concedere, quia eo casu non videris cooperari alterius peccato formaliter, siquidem illa actio externa in se peccatum non est, sed quatenus procedit ab eo, qui eam exercere est impeditus ob votum, vel aliud impedimentum: si enim cùm petens iniquo fine in petitione ducitur, separaréque à petitione malitiam potest, non censeris ejus iniquitati cooperari, neque etiam censendus es, cum voto castitatis astrictus, vel impedimento ligatus debitum petit: nam actio externa æquè ex pravo fine ac ex voto castitatis, vel affinitatis impedimento vitiatur. Cooperari autem actioni, quæ solùm ex circunstantia ipsi extrinseca mala est, non est intrinsecè malum, sed ob aliquam rationabilem causam honestari potest. Quinimò existimo non solùm te posse in supradicto casu petitioni acquiescere, sed regulariter obligatum esse, uti pluribus firmat Sanch. *dicta disp. 6. n. 7.* eo quòd petens non amiserit jus petendi ex justitia. Quod exemplis manifestari potest. Si enim dubius de matrimonii valore à te nullam dubitationem habente copulam petat, tametsi tu conscius sis illius dubitationis, teneris jus petitioni acquiescere, quia ob ejus erroneam conscientiam jus petendi non amisit. Item astrictus castitatis voto, si tibi non cessit jus petendi, & cessionem illius non acceptasti, solùm Deo, & non tibi obligatur, ac proinde adversus Deum tantùm, & non adversus te petendo delinquit: sicuti si nummos apud te depositos haberet, & Deo promitteret non exacturum, si postmodum exigeret, tu obligatus esses concedere, quia ex promissione Deo facta nullum jus retinendi illos acquisisti. Ab hac tamen regula excipit Sanch. *d. disp. 6. n. 8.* impedimentum affinitatis, quo ligatus jus petendi amisit in pœnam commissi delicti; & sicuti ei qui propria voluntate cessit jus, non teneris debitum concedere, sic non teneris concedere cui legibus prædictum jus sublatum est.

PUNCTUM V.

De mutua conjugum habitatione, & effectibus inde subsecutis.

§. I.

Obligantur conjuges ad mutuam habitationem.

1 *Obligantur mutuo habitare.*
2 *Huic obligationi ex mutuo consensu cedere possunt.*
3 *Secluso prædicto consensu peccatum grave est diu conjuges esse separatos, nisi necessitas urgeat.*
4 *Ex causa familiæ, vel Reipublicæ necessaria potest vir ab uxore diutius separari, & virum tenetur uxor sequi, si commodè potest.*
5 *Vir ab uxore justè discedens non tenetur secum uxorem deferre.*
6 *Ob votum castitatis, vel affinitatem contractam non licet alteri conjugi à domo, vel mensa recedere, sed solùm separare thorum.*

1. PRimò certum est conjuges obligatos esse jure naturali, & Divino simul habitare in eadem domo,

ad eandem menſam accubare, & in eodem lecto jacere: id enim poſtulat matrimonii natura, quæ individuam, & inſeparabilem conjugum vitam continet juxta illud Gen. 2. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Ex Matth. *Omnis qui dimiſerit uxorẽ ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari.* Quod ſi aliquis conjugum huic obligationi non ſatisfaciat, compelli poteſt à Judice Eccleſiaſtico cenſuris, & brachio ſæculari invocato juxta Textum *in cap. litteras de reſt. ſpoliat.* Ubi Abbas, *n.* 29. Covarruv. 4. *decret.* 2. *p. c.* 7. *initio num.* 1. Anton. Cucus *lib.* 5. *inſt. majorat. tit.* 11. *n.* 126. Quinimò ſi controverſia non ſit de matrimonii valore à ſæculari Judice poteſt compelli, eo quòd obligationi naturali ex contractu debitæ non ſatisfaciat, ut benè notavit Gloſſa *in cap. non eſt de ſponſalib.* per Textum ibi, *Per officium Judicis, vel epiſcopi loci.* Et tradit Covar. *ſuprà, n.* 3. Sanch. aliis relatis, *lib.* 9. *diſp.* 4. *n* 7. Poteſtque Judex Eccleſiaſticus adverſus quemlibet alieni conjugis detentorem procedere juxta dictum Textum *in cap. non eſt de Sponſalib.* quia ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectat jura matrimonii, utpotè Sacramenti defendere, ut benè notavit Abbas *in d. cap. non eſt, n.* 3.

2. Huic obligationi habitandi ſimul poſſunt conjuges ex mutuo conſenſu cedere, ſi juſta ceſſionis adſit cauſa, & nullum incontinentiæ ſit periculum, uti colligitur ex Paulo. 1. Corinth. 7. *Nolite fraudare invicem niſi ex conſenſu ad tempus ut vacetis orationi.* Dixit *ad tempus* ob periculum incontinentiæ, ut conſtat ex illis verbis: *Revertimini in idipſum, ne tentet vos Sathanas.* Quare ſecluſo incontinentiæ periculo poſſunt conjuges thoro ſeparari in perpetuum amore continentiæ, non ex odio, & indignatione, ut deciditur *cap. ſunt qui* 27. *q.* 2. *& cap. quod Deo* 33. *q.* 5. Verum ſi periculum, adſit incontinentiæ etſi ex conſenſu ſit facta in perpetuum ſeparatio diſſolvi debet lege charitatis ad id obligante, ut benè advertit Sanch. *d. lib.* 9. *diſp.* 4. *n.* 5. Quapropter Judex Eccleſiaſticus nulla ratione conjuges juniores permittere debet ſeparatim vivere, quia periculum incontinentiæ timeri poteſt, ut rectè dixit Abbas, *cap.* 1. *num.* 7. *de conjugio leproſor.* Et *ibi* Alexand. de Nevo, *n.* 6.

3. Secluſo prædicto conſenſu peccatum grave eſt conjuges diu eſſe ſeparatos niſi cauſa alendæ, gubernandæque familiæ, vel Superioris præceptum, aliáve ſimilis neceſſitas intercedat, uti conſtat *ex c.* 1. *de conjug. leproſor.* Quapropter nequit maritus invitâ uxore longam peregrinationem vovere? quia ea abſentia non eſt cauſa neceſſaria. Neque obeſt, quod uxor maritum diſcedentem ſequi teneatur juxta Textum *in cap. unaquæque* 15. *q.* 2. quia id verum eſt, quando ex cauſa neceſſaria diſcedit, vel diſcedit alicubi diutiùs commoraturus. Secùs quando diſcedit vagaturus, cujus comitatus uxorem non decet, ſicuti aliis relatis notat Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 4. *n.* 15. Notanter dixi *longam peregrinationem*; nam brevem optimè poteſt vir invitâ uxore præſtare. Cùm enim caput uxoris ſit, non decet ita uxoris conſortio aſtrictum eſſe, quin poſſit aliquandiu recreationis cauſa ab ea diſcedere, quod nullatenus uxori utpotè viro ſubjectæ permittitur, maximè cùm ejus ſtatum non deceat peregrinatio.

4. Ex cauſa verò familiæ, vel rei publicæ neceſſaria poteſt vir ab uxore diutiùs ſeparari ſecùs uxor à viro abſque ejus conſenſu, cum penes virum ſit familiæ gubernatio, & uxor rarò militiæ, negotiiſque tractandis idonea ſit. Diſcedentem autem maritum ex prædicta cauſa uxor ſequi debet, ſi facilè poſſit juxta Textum *in c. unaquæque* 13. *q.* 2. Nam cùm penes maritum ſit neceſſaria ad familiæ gubernationem, & ſuſtentationem providere, & matrimonii natura poſtulet cohabitationem mutuam, tenetur uxor maritum diſcedentem ſequi ſi facilè poteſt, niſi fortè in contractu matrimoniali fuerit hæc obligatio excepta, de quibus latè dixi *diſp.* 1. *hujus tract. punct.* 15. ubi an uxorem relegatam teneatur vir commitari?

5. Verùm vir ab uxore ex prædictis cauſis diſcedens non tenetur ſecum uxorem eum comitari volentem deferre; quia plerumque id moleſtiſſimum eſſet nec levibus expenſis ſubjectum. Quare niſi vir aliquo in loco diu commoraturus ſit, poſſitque abſque gravi incommodo, reique familiaris jactura ſecum uxorem deferre non obligatur, ut rectè dixit Sanch. *lib.* 9. *d.* 4. *num.* 14.

6. Ad extremum adverte ob votum caſtitatis emiſſum, vel affinitatem contractam, etſi liceat conjugi ſeparare thorum, non tamen domum, aut menſam, quia prædicta ſolùm copulam impediunt, non tamen mutuam obſequiorum communicationem, & cohabitationem domeſticam, & commenſalem, ut docuit Gloſſa *in c. noſſe, verbo non fraudentur* 30. *q.* 1. Abbas *in c. ſi vir in fine de cognat. ſpirit. & c.* 2. *n.* 2. *de conjugio leproſor.* Sanch. aliis relatis, *lib.* 9. *diſp.* 5. *in fine n.* 19.

§. II.

Qualiter conjuges ſibi invicem alimenta ſubminiſtrare debeant?

1 *Conjuges obligantur ſibi mutua præſtare obſequia in ſui, ſuorúmque ſuſtentationem.*
2. *Acceptâ dote, & fortuitò pereunte, vel ex culpa mariti tenetur maritus uxorem alere.*
3 *Si uxor ab ejus obſequio abſque neceſſaria cauſa receſſerit, non tenetur maritus eam alere. Secùs ſi ex cauſa neceſſaria.*
4 *Item excuſatur maritus ſi inops ſit, & qualiter, ſi pecuniam mutuam acceperit.*
5 *Item excuſatur maritus ab alimentis uxori præſtandis, ſi dos promiſſa ſoluta non fuerit.*
6 *Non excuſatur ab obligatione reddendi debitum, corrigendique uxorem.*
7 *Qualiter uxor obligari poſſit ad laborandum marito?*

1. COnveniunt DD. conjuges obligari ſibi mutua præſtare obſequia in ſui, ſuorúmque ſuſtentationem. Quapropter vir tenetur uxorem, ejúſque filios alere, quia ad prædictum effectum eam dotatam accepit, ut conſtat *ex leg. pro oneribus, C. de jure dotium, leg. dotis fructus, ff. eodem tit.* Quod ſi indotatam accepit ab ea obligatione non liberatur. Præſumitur namque ſola uxoris perſona contentus eſſe, uti docet Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 32. *n.* 11. *& tit.* 7. *q.* 19. *n.* Matien. *lib.* 5. *recop. tit.* 1. *leg.* 3. *gloſſ.* 2. *n.* 19. Barboſa 2. *p. Rub. ff. ſoluto matr. n.* 43. Sanch. aliis relatis *lib.* 9. *d.* 5. *n.* 8. Quod intelligendum eſt caſu quo uxor pauper ſit, nam ſi dives exiſtat dotem conſtituere tenetur; tacitè enim cenſetur vir de dote pactum inire, dum uxorem diviten accepit. Quod ſi ipſa poſtmodum renuat dotem aſſignare, eximitur vir ab obligatione eam alendi, ſicuti ſi à principio dos ſibi fuiſſet promiſſa, nec tamen ſoluta, ut optimè tradit Bald. *leg. fin. n.* 9. *Cod. de ſententiis, quæ ſine certa quantit.* Joan. Luq. *cap. per veſtras de donat inter vir. & uxor. notab.* 3. §. 2. *n.* 1. *& ſeqq.* Gomez Arias, *leg.* 27. *Tauri. n.* 130. Sanch. *l.* 9. *d.* 5. *n.* 9. At ſi non uxor, ſed ejus parentes divites ſint, cogi poſſunt juxta legitimam deſignare dotem, ut ex communi docet Molin Jeſuita, *t.* 2. *d.* 424. *in princ.* Interim autem à viro alenda eſt; quia inops eſt, & abſque promiſſione dotis accepta fuit, ut aliis relatis docet Mol. *d.* 425. *verſ. ſi marito dos.* Sanch. *l.* 9. *d.* 5. *n.* 9.

2. Acceptâ dote, & fortuitò pereunte, & à fortiori pereunte ob culpam mariti tenetur maritus uxorem alere, quia jam ob dotis receptionem ſubiit eam obligationem? à qua ob fortuitum eventum eximi non debet, ut optimè tradit Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 5. *n.* 10. *arg. leg. ſi cum dotem* 23. §. *ſi maritus ff. Soluto matr.* At ſi ob culpam ipſius

ipsius uxoris dos perit, etsi Abbas, *cons.* 85. *num.* 4. *volum.* 2. & Joan. lupus *cap. per vestras, de donat. inter vir. & uxor. notab.* 3. §. 1. *n.* 1 Existiment obligatum esse maritum eam alere ratione vinculi conjugalis, sicut tenetur alere uxorem pauperem indotatam, verior mihi videtur sententia Sanch. *d. lib.* 9. *disp.* 5. *n.* 10. asserentis id verum esse, quando uxor careret parentibus qui eam alere possint, eo enim eventu conjugalis nexus exigit, ut ei vir alimenta subministret maximè si in ejus obsequio sit. At si parentes divites habeat excusatur vir ab ejus sustentatione sicuti excusatur cùm dos ei promissa est, & non soluta. Perinde enim est à viro dotem culpâ uxoris aufferri, ac si culpâ ipsius uxoris non solveretur. Quæ omnia optime confirmantur *ex leg. quod si nulla, ff. de relig. & sumptib. funer.* ut rectè expendit Sanch. *ubi sup.*

3. ab hac autem obligatione alendi uxorem eximitur maritus. Primò si uxor ab ejus obsequio absque necessaria causa recesserit; cùm enim teneatur in viri obsequio esse, *cap. hæc imago* 33. *q.* 5. si contra hanc obligationem recedat meritò ei alimenta denegantur. Qui enim non facit quod debet æquum est ne recipiat quod opportet, Argum. *leg. si ea, C. de condition. insertis, leg. Julianus*, §. *affinis ff. de actionib. empti*, & tradunt aliis relatis Covarruv. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 7. §. 5. *n.* 2. Matien. *lib.* 5. *recop. tit.* 9. *l.* 2. *gloss.* 1. *num.* 52. Gutierr. *canonicar. qq. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 7. Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 32. *num.* 17. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 4. *n.* 20. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 3. *part. cap.* 2. *n.* 2. Secùs verò est, si ob sævitiam viri aliàmve culpam discedat; quia eo casu discedit ex justa, & rationabili causa? ideóque alimentis debitis privanda non est: aliàs maritus ex sua iniquitate commodum reportaret, sicuti docent expresè omnes Doctores nuper relati. Et idem est si ob mariti amentiam, vel morbum contagiosum compulsa sit discedere, quia ille discessus culpæ imputandus non est; ac proinde privationem alimentorum inducere non debet, ut advertit Lara *leg. si quis à liberis*, §. *si quis ex his, n.* 36. *ff. de liberis agnoscend.* Barbosa, 2. *part. Rub. ff. Soluto matr. num.* 43. Layman. *supra, n.* 2. *vers. præterea.* Sanch. *d. disp.* 4. *numero* 25. Quinimò censeri non debet uxor culpa sua discedere à viro, tametsi ob delictum commissum perpetuo carceri detrudatur, quia ille discessus culpæ imputandus non est; ac proinde privationem alimentorum inducere non debet, ut advertit Lara *leg. si quis à liberis*, §. *si quis ex his, n.* 36. *ff. de liberis agnoscend.* Barbosa, 2. *part. Rub. ff. Soluto matr. num.* 43. Layman. *supra, n.* 2. *vers. præterea.* Sanch. *d. disp.* 4. *numero* 25. Quinimò censeri non debet uxor culpa sua discedere à viro, tametsi ob delictum commissum perpetuo carceri detrudatur, quia ille discessus culpæ imputandus non est; ac coactus, cùm ipsa velit viro cohabitare, & delictum in cujus pœnam imponitur in virum commissum non fuit, neque ad illius separationem tendit. Non igitur ob illum discessum privari alimentis debet, ut pluribus exornat Sanch. adversus alios Doctores *d. d.* 4. *n.* 23. Verùm si simul cum hoc discessu ejus dos publicetur, ratione publicationis dotis excusatur vir ab alimentis præstandis, *ut num. præced.* diximus. Et ob eandem rationem existimo cum Mol. Jesuita *tract.* 3. *de justit. disp.* 90. *n.* 7. celebrato divortio ob adulterium, & in pœnam delicti commissi bonis uxoris marito applicatis non esse obligatum maritum ad alendam uxorem. Perinde enim est, ac si alteri ea bona applicata essent. At uxor interpellere poterit Judicem, qui ex officio maritum compellet uxori aliunde bona non habenti necessaria subministrare, sicuti ex communi docet Jul. Clarus *lib.* 5. *sententiar.* §. *adulterium num.* 17. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 3. *part. cap.* 2. *num.* 2. *vers. adde.*

4. Secundò excusatur maritus ab hac alimentorum subministratione si inops sit, quia nemo obligari potest ad impossibile. Quinimò uxor dives marito inopi ministrare alimenta debet, uti pluribus firmat Lara, *l. si quis à liberis* §. *si quis ex his, n.* 24. *ff. de liberis agnosc.* Surd. *de aliment. tit.* 1. *q.* 35. *n.* 7. *& seq. & q.* 36. *a n.* 6. Sanch. *lib* 9. *d.* 4. *n.* 27. Quod si maritus inops pecuniam mutuò acceperit ad uxorem, filiósque alendos, solutoque matrimonio nulla supersunt bona mariti, ex quibus illa debita solvantur, etsi plures censeant uxorem, & filios conveniri posse, obligatósque esse, si bona habeant ad prædictæ pecuniæ solutionem ut potè in eorum commodum expensæ, & ratione cujus ditiores facti sunt: rectiùs Molina Jesuita *disp.* 435. §. *tertium est*, & Sanch. *lib.* 9. *disp.* 4. *num.* 29. contrarium asserunt. Nam esto in eorum utilitatem illa pecunia consumpta sit, non fuit aliena, neque illis indebita. Quippe erat mariti, in cujus dominium translata erat, & licet, maritus obligationem non haberet alendi uxorem & filios cùm inops esset neque petendi mutuam pecuniam, quam solvere non poterat: at acceptâ eâ pecuniâ, & illius dominus factus obligationem habet uxorem, & filios alendi, ac proinde uxor, & filii non ab alieno, sed ex vero domino, & ex sibi debitis sustentationm acceperunt, nullam ergo obligationem solvendi habent: ideóque *leg.* 60. *Tauri*, quæ hodiè est *lex.* 9. *tit.* 9. *lib.* 5. *recopilat.* decidit mulierem renunciantem lucris constante matrimonio acquisitis obligatam non esse ad æs alienum constante matrimonio contractum. Et *in leg.* 61. *Tauri* hodie 9. *tit.* 3. *lib.* 5. *recopilat.* asseritur mulierem obligatam non esse ad debita contracta à marito, nisi probatum fuerit simul cum marito se obligasse, & in ejus utilitatem mutuum cessisse: ergo si uxor, & filii expresè ad solutionem mutui non se obligaverint, tametsi in eorum commodum expensum sit, non tenentur.

5. Tertiò excusatur maritus ab alimentis uxori præstandis, si dos promissa soluta non fuerit, sive fuerit promissa ab uxore, ejúsque parentibus sive ab alio quocumque extraneo, quia maritus de dote conveniens pro alimentis uxori præstandis tacitè intendit nullam obligationem alimentorum subire dote non soluta. Ea tamen est differentia inter promissionem dotis factam ab uxore, ejúsque patre, vel ab extraneo, ut rectè Sanch. *lib.* 9. *disp.* 5. *num.* 5. quod dote promissa ab extraneo, & non soluta, nullam maritus obligationem habet alendi uxorem tametsi ob impotentiam non solvat: at si ab uxore, ejúsque patre promissa sit, si ex impotentia non solverint, dummodò tempore promissionis eam impotentiam non agnovissent, tenetur maritus uxori alimenta præstare, ac si dotem recepisset, quia censenda est dos eo casu perire fortuitò, siquidem absque culpa uxoris, vel parentis non solvitur. Quippe conveniri nequeunt pro dote solvenda ultra quàm facere possunt.

6. Verùm esto excusetur maritus ab alimentis uxori præstandis ob non solutam dotem promissam, non tamen excusatur ab obligatione reddendi debitum, ipsámque regendi, & gubernandi, quia hæc obligatio ex matrimonii contractu nascitur, à qua eximi non potest contractu non dissoluto, nec divortio celebrato, uti tradunt ex omnium sententia Molin. *tract.* 2. *de justit. disp.* 423. §. *si marito dos.* Sanch. *lib. disp.* 5. *num.* 1. Ex qua doctrina existimo necessariò inferri maritum non posse ob dotem sibi non solutam omittere traductionem sponsæ in propriam domum, aut jam traductam expellere, quia domestica cohabitatio necessaria est; ut debitum conjux commode exigere, eique reddi possit. Atque ita docent Covarr. 2. *part. decret. cap.* 7. *in princip. num.* 2. Matienz. *lib.* 5. *recopil. tit.* 1. *Reb. gloss.* 1. *num.* 91. Molina. *tract.* 2. *de justit. d.* 425. §. *si maritò dos* Sanch. alios referens *lib.* 9. *disp.* 5. *n.* 17.

7. Superest quæstio, An uxor obligari possit ad laborandum marito? Cui quæstioni optimè respondet, Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 3. *part. cap.* 2. *in fine*, sub hac distinctione; si enim (inquit) sermo sit de labore ad gubernationem, & sustentationem familiæ necessariò, qualis est cibos coquere, lavare vestes, &c. spectari debet loci consuetudo, status uxoris, quæ si non patiantur hujusmodi labores fieri ab uxore sed à famula, non poterit obligari à marito ad prædicta præstanda, argum. *leg. in traduml a. ff. de operis libertor.* ibi, *Sed si liberta quæ operas promisit ad eam dignitatem perveniat, ut inconveniens sit præstare patrono operas, ipso jure hæc intercident.* At si prædicti labores statum uxoris non dedeceant, vel ita pauperes sint, ut maritus famulam conduce-

cere nequeat, ſine dubio ad prædictum laborem præſtandum obligari à marito poterit, ut pluribus exornat Sanch. *lib. 6. de matr. diſp. 6. num.* 14.

Verùm ſi loquamur de labore ad lucrum neceſſario, tunc ſubdiſtinguendum eſt, ſi uxor attulit dotem ex cujus fructibus alii à marito ſufficienter poteſt, nequaquam cogenda eſt ad laborandum, quia uxor non tenetur operari, ut marito lucrum acquirat, cùm ſic lucrata ad uxorem jure communi pertineant. At ſi nullam dotem attulit, vel attulit inſufficientem, vel culpa uxoris, aut caſu fortuito perit, cogi poterit ad laborandum juxta ejus ſtatum, & conditionem; quia eo caſu non eſt cenſenda laborare in mariti lucrum, ſed in propriam ſuſtentationem.

§. III.

Obligantur conjuges ſe invicem corrigere.

1 *Vterque alterum corrigere tenetur, ſed cum diſcrimine*
2 *Vir uxorem delinquentem moderatè punire poteſt.*
3 *Quæ ſint pœnæ, quas maritus uxori imponere poſſit in pœnam delicti commiſſi?*
4 *Punitio ex recto fine fieri debet. & delicto commenſurari.*

1. CVm conjuges individuam vitæ conſuetudinem retineant, æquum eſt ut conjugali ſe invicem affectu corrigant, & ad peccatorum emendationem adjuvent, hoc tamen diſcrimine. Nam cùm vir ſit caput uxoris *Geneſ.* 2 Ad *Epheſ.* 5. & 1. *Corinth.* 11. poteſt uxori præcipere ea quæ ad familiæ gubernationem judicaverit expedire. At uxor nullum marito præceptum imponere poteſt. Deinde marito exhortatione, & punitione datum eſt uxorem corrigere. At uxori utpotè ſub viri poteſtate exiſtenti ſola exortatio, non punitio permittitur. Hoc igitur ſuppoſito.

2. Poteſt vir uxorem delinquentem in pœnam delicti commiſſi punire, punitione inquam levi, & moderata, uti conſtat ex *leg. rei judicatæ ff. ſoluto matrimonio*, neque enim mancipium eſt, nec famula, ſed ſocia, & adjutrix, Quod ſi delictum ejus conditionis ſit, ut gravem punitionem exigat, non obinde marito conceditur ea punitio, ſed levis tantùm, ut publicæ poteſtati integrum, & illæſum jus maneat puniendi prædictum delictum, ſi ad ejus tribunal deferatur, ut notavit Victor *relect. de poteſt. civili in fine.* Paul. Layman. *libro 5. tract. 10. 3. parte capite 2. numero 9.* Neque enim vir comparatione uxoris, & pater familiâs comparatione domeſticorum poteſtatem puniendi ſibi ſubditos habent, niſi quatenus à Republica illis conceſſum eſt. Quippe poteſtas delicta puniendi jure ipſo naturali in communitate reſidet, eo namque quo plures in unum congregantur, ea communitas poteſtatem habet delicta puniendi, alias nec communitas conſervari, neque in ſuo munere contineri poſſunt. Verùm quia communitates diverſæ ſunt, aliæ perfectæ, ut eſt civitas, provincia regnum, nemini alteri ſubordinata, aliæ imperfectæ quæ partes ſunt harum civitatum ipſique ſubjectæ, inter quas minimum locum obtinent familiæ, integra poteſtas delicta puniendi uſque ad mortis pœnam in communitate perfecta reſidet, ſeu in eo qui prædictæ communitati præteſt; at communitas imperfecta, & qui illi præeſt ea ſolùm poteſtate gaudet, quæà perfecta communitate conceditur, & judicata eſt ſufficiens ad illius conſervationem. Qua propter maritus comparatione uxoris etſi poteſtatem habeant ejus delicta puniendi, non tamen pœna gravi ſed levi & moderata, leviori inquam quàm filiorum delicta, & longè leviori qàm mancipia, quia à perfecta communitate amplior poteſtas non conceditur, ut ex caſu, & conſuetudine conſtat, neque opportebat concedi, ut ſic mutuus conjugalis amor efficatiùs conſervaretur.

3. Quod ſi roges quæ ſint pœnæ permiſſæ marito, quibus uxorem punire poſſit, & quæ non? Breviter Reſpondeo ſpectandam eſſe loci conſuetudinem attenta uxoris conditione quippe uxor humilis, & plebeia graviùs puniri ſolet quam nobilis. In particulari autem certum eſt non poſſe maritum punire uxorem pœna mortis, mutilationis, exilii perpetui, carceris, vulneris, alteriúſve percuſſionis, ex qua ejus ſalus, vel membrum periculum ſubeat; has enim pœnas ſibi Reſpublica perfecta reſervavit, quas nec dominis comparatione ſervorum permiſit. Plerunque cenſerem ſubtractione cibi maritum uti debere in uxore punienda, quia hæc pœna ſufficiens videtur ad continendam uxorem, & ejus defectus communiter contingentes puniendos. Cui pœnæ addi poſſunt aliquot recluſionis dies etiam compedibus appoſitis. Nam licèt privati carceres omnibus privatis interdicantur, ut conſtat *ex lege unica Cod. de privatis carceribus.* Et habetur *lege regia 5. tit. 23. lib. 4. novæ collect.* Et tradidit D. Thom. 2. 2. *quæſt. 65. art.* 3. id intelligendum eſt de carcere perpetuo, & ordinario, ſecùs de carcere imperfecto, quique commiſſo delicto, & ad breve tempus deſignatur, ut rectè notavit Molin. *tract. 3. de juſtit. diſp. 2. num.* 18. uxorem tamen cædere alapis, conculcare pedibus, fuſtibus percutere rarò permitterem, quia conjugali affectui, & timori, qui ſemper ſectandus eſt, hæ graves punitiones ſi frequentes ſint non leviter obſtant. Minus cenſeo concedendam verberum punitionem, quia hæc ſervorum propria eſt, uti colligitur *ex leg. conſenſu poſt princ. Cod. de repudiis. Authent. de nupt. §. mitiores collat. 4.* Et licèt aliquando cauſa urgente ingenui ſoleant hac affici punitione, id contingit cùm in minori ætate ſunt conſtituti. Quapropter (niſi cauſa graviſſima urgeret) peccatum mortale exiſtimarem eam punitionem, etiamſi in ſuo genere levis, & moderata ſit quia ex ſe uxorem maximè decet, & in plurimum ſententia ſufficientem præbet divortii cauſam. Atque ita ſuſtinent Sotus, *lib. 5. de juſtit. quæſt. 2. art. 2. in fine corp.* Arag. 2. 2. *qu. 65. art. 2. verſ. de marito* Sanch. *lib. 10. difficult. 18. num. 16.* plures referens Molin. *tractat. 3. diſputat. 2. in fine. numero 20.* Rota apud Farinac. *d. 271.* Baſil. Ponce, *lib. 9. capit. ult. num. 5.*

4. Duo vero in hac punitione ſervanda ſunt; primum, ne punitio delictum excedat, ſed illi commenſuretur; quin potiùs expedit ut maritus levius uxorem puniat, quàm delictum exigit. Etenim hac ratione pax mutuàque benevolentia inter ipſos conſervabitur. Secundum, ne ex odio punitio fiat, ſed ex charitate, zelóque juſtitiæ ad correctionem, emendationémque uxoris, & in domeſticorum exemplum.

Punctum VI.

De diſſolutione matrimonii quoad thorum, & habitationem.

1. HUcuſque de proprietatibus matrimonii ſumus locuti, ſupereſt diſſeramus de ejus contrariis. Matrimonium namque diximus vinculum eſſe indiſſolubile, obligationémque ſecum trahere reddendi debitum, ſimúlque cohabitandi. Et licèt Judæis fuerit permiſſum matrimonium conſummatum diſſolvere *Deuteronom. 24.* & *Malachiæ*, 2. At poſt legem Evangelicam *Matth. 5.* & 19. nec Judæis, nec Gentilibus permiſſum eſt vinculum matrimonii conſummati diſſolvere: ſolùm enim favore fidei matrimonio infidelium conceditur diſſolutio, ſi alter ad fidem convertatur, altero in infidelitate remanente Extra hunc caſum vinculum matrimonii conſummati tam fidelium, quàm infidelium indiſſolubile perſiſtit, ſola morte conjugis diſſolvendum, uti tanquam de fide certum definitum eſt ab Alexand. III. *cap. ex parte de Sponſalib.* & à Concil. Florent. *in Armenor. inſtruct.* & à Trident. *ſeſſ. 24. can. 10.*

Neque

Neque his obstat quod Christus Dominus *Matth.* 19. dixerit. *Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & alteram duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit mœchatur*, quasi diceret ex causa fornicationis dimitti uxorem posse, & aliam duci absque mœchia; id enim indicat exceptio illa nisi ob fornicationem. Non inquam obstat, quia Christus Dominus solùm dixit mœchari eum, qui uxorem dimittit extra causam fornicationis existente (inquit Caietan. in præsenti) nihil decidit. Præterea Christus Dominus, voluit eo in loco libellum repudii, quo matrimonii vinculum, & mutua conjugum habitatio dissolvebatur omnino tollere & solùm permittere dissolutionem cohabitationis ex causa fornicationis, ideóque inquit, *Qui uxorem suam dimiserit excepta causa fornicationis mœchatur, quia injustè dimittens facit eam mœchari.* Prædictus ergo Textus dissolutionem cohabitationis interdicit nisi ex causa fornicationis, nullo verbo facto de dissolutione vinculi conjugalis, sicuti explicat August. *lib.* 1. *de adulter. conjug. cap.* 9. Abulens. *c.* 19. *Matth. quæst.* 76. Maldonat. & Jansen. *ibi.* Sanch. *lib.* 10. *de matr. disp.* 2. *num.* 3. ubi alios Textus contrarium indicantes explicat. Quocirca quæstio variatur, quibus ex causis obligatio thori, & conjugalis habitationis dissolvi inter conjuges possit; Et nemini est dubium posse dissolvi ex mutuo consensu, quia nullo jure invenitur interdictum, quin potius colligitur concessum ex Paulo 1. *Corinth.* 7. debet tamen fieri dissolutio non ex odio, & indignatione sed amore castitatis, & absque incontinentiæ periculo, ideoque maturè, & longa examinatione facta, & non aliter hæc separatio facienda est, ut frequenter omnes Doctores consulunt. Superest ergo examinandum, quæliter ex delicto hæc cohabitatio dissolvatur?

§. I.

An ex causa fornicationis dissolutio conjugalis habitationis fieri possit?

1 *Adulterium causa est sufficiens, ut vir ab uxore in perpetuum divertat.*
2 *Nomine adulterii quælibet copula etiam sodomitica intelligitur.*
3 *Debet adulterium formale esse.*

1. Adulterium uxoris causam esse sufficientem, ut vir ab uxore divertere in perpetuum possit, constans est omnium Catholicorum sententia ex illo Matth. 5. & 19. *Ego autem dico vobis, quicunque dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis* &c. Et *ex cap. significasti. Cap. gaudemus C. ex litteris, de divort.*

Et licèt Christus Dominus, aliique. Textus Juris Canonici solùm de adulterio uxoris utpote graviori mentionem fecerint, ideóque Caiet. *in illud. Matth.* 19. censuerit solis viris concedi ob adulterium uxoris separationem. At verissima sententia defendit in hac causa utrumque conjugem parem esse, licitúmque esse uxori ob adulterium viri divortium celebrare. Non enim censentur conjuges obligari ad mutuam cohabitationem, & debiti redditionem, nisi quatenus sibi invicem fidem datam servaverint. Quare ea fide violatâ ab obligatione reddendi debitum, mutuóque cohabitandi innocens sive vir sit, sive fœmina absolvitur; sicuti pluribus comprobat Sanch. *lib.* 10. *disp.* 3 *num.* 6. Farinac. 4. *tom quæst.* 143. *num.* 9. Gutierr. *de matrim. cap.* 129. *num.* 2. Coninch. *disp.* 35. *dub.* 1. *initio & num.* 6. Basil. Ponce, *lib.* 9. *cap.* 16. *à num.* 4. Laym. *lib.* 5. *sum tract.* 10. 3. *part. capit.* 7. *numer.* 8. Gaspar Hurtado *disp.* 11. *diffic.* 2. & colligitur apertè ex illo Pauli 1. Corinth. 7. *His qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere* (subintellige absque justa causa. *Quod si discesserit*) nempe ex juxta causa (*manere innuptam*), *aut viro suo reconciliari.* Supponit ergo Paulus ex aliqua causa justa posse uxorem à marito discedere, aliàs cogeret eam viro suo reconciliari, nullatenúsque optionem daret se viro reconciliandi, vel continenter vivendi. Quod si aliquam causam justam discedendi à marito uxor habere posset, maximè adulterium, quod fides sibi data violatur.

2. Nomine adulterii ratione cujus divortium celebrari ab innocente possit, etsi aliqui consueverint solam copulam naturalem cum alieno viro, vel fœmina esse intelligendam, communis sententia defendit teste Abbate *in cap. maritus de adulter. num.* 3. Sanch. *lib.* 10. *disp.* 4. *num.* 3. Coninch *disp.* 35. *dub.* 1. *concluf.* 5 Basil. Ponce, *cap.* 6 *num.* 5 *dicto cap.* 7. *num.* 7. Gaspar Hurtado *dicto. diffic.* 2. Riccio *decis.* 273. *in praxi.*, & aliis sodomiam, & bestialitatem intelligi, quia his criminibus caro conjugis in alienam dividitur contra matrimonii fidem. Debet autem sodomia, & bestialitas completa esse, id est cum seminis effusione, aliàs non perfectè in alienam carnem esset divisio, neque consummata injuria, neque sufficiens divertendi causa. Quod à fortiori procedit in tactibus pollutioneve, sive secum tantùm, sive cum alio, uti advertunt omnes præcitati Doctores.

3. Debet autem adulterium occasionem divortii præbens formale esse; quare si ex aliquo capite ab ea malitia excusatur; eo quòd ignoranter, vel per violentiam commissum sit, nullo modo occasionem divortii præbere potest, quia alteri conjugi injuriosum non est, ut rectè ex omnium sententia docet Basil. Ponce, *l.* 9. *cap.* 17. *n.* 8. Sanch. *lib.* 10. *disp.* 3. *à n.* 1. Argum. *c. cum per bellicam.* 34. *q.* 2. Et *leg. uxor* 7. *Cod. de repudiis* Quinimò Abbas *conf* 4 *n.* 3. *volum.* 1. Rosella *verbo Adulterium. n* 5. Sylv. *ibiq. ult.* Armilla *n.* 5. Tabiena *q.* 1. *n.* 3. Graffis 2. *p. decis. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 72. *casu* 2. Et inclinat Greg. Lopez, *leg* 7. *verbo per fuerca. tit.* 9. *p.* 4. Et probabile censet Sanch. *lib.* 10. *d.* 5. *n.* 13. affirmant adulterium commissum ex metu cadente in virum constantem non concedere innocenti jus divertendi, quia non ex malitia, & dolo, quod videtur requisitum juxta *leg penult. ff. ad leg. jul. de adult.* commissum est, & favet August. relatus *in c. proposito.* 2. *q* 5. excusans Lucretiam ab adulterii crimine non quoad culpam, sed quoad pœnam eo quòd metu coacta sit. Sed prædictis assentiendum non est, nam cùm metus non excuset à culpa adulterii, & fidei datæ violatione quibus divortium jure naturæ innititur non potest à divortio, dotisque amissione excusare, tamesi excuset à pœna legibus indicta, ut tradit Covaruv. 4 *decret.* 1. *p. c.* 5. *initio n.* 3. Azevedo *lib.* 8. *recopil. tit.* 20. *leg.* 1. *n.* 22. Henriq. *lib.* 11 *c.* 17. *n.* 5. & pluribus relatis Sanch. *lib.* 10. *dub.* 5. *n.* 16. Coninch. *d.* 35. *dub.* 2. *n.* 10.

§. II.

Quibus in eventibus non liceat conjugi ob adulterium commissum celebrare divortium?

1 *Divortium nequit esse, si uterque nocens sit.*
2 *Ob adulterium, cujus author est maritus non potest uxor repudiari.*
3 *Ex eo quòd maritus causam remotam adulterii uxori præbuerit, non impeditur a divortio celebrando.*
4 *Ob adulterium jam condonatum nequit conjux innocens divertere.*
5 *Si innocens signa remissionis adultero præstet absque animo remittendi, probabile est in foro conscientiæ ad divortium conari posse.*
6 *Remissio solum esse potest de delicto præterio, non futuro.*
7 *Ex eo quòd unus conjux adulter alterum de emendatione moneat, monitus non cedit juri divertendi, etsi aliqui contrà censeant.*

1. PRimò conveniunt Doctores divortium esse non posse, si uterque nocens sit, quia iniquum est unius delictum punire alio delinquenti indemni servato. Quapropter jura clamant paria delicta quoad privatorum jus mutua compensatione tolli. *Cap. penult. & ult. de adulter Cap significasti cap. ex litteris de divortiis. Cap. 1. seqq per totam 32. quæst. 6.* Et *leg. si uxor ff. Ad leg. Jul. de adult.* Et *leg. viro, atque uxor. 39. soluto matrim.* & aliis Neque refert, an adulterium uxoris gravius sit & publicum, utrique adulterium secretum, & unum prius, alterum posterius, quia per quodcunque fides in matrimonio data violatur, jus divertendi solùm innocenti conceditur, uti docet ex omnium sententia Sanchez *lib. 10. disp. 5. à num. 2.* Basil. Ponce, *lib. 9. cap. 17. à num. 5.* Coninch. *disp. 35. dub. 2. n. 12.* Gutierr. *de matr. cap. 129. num. 15.* Paul. Laym. *tract. 10. 3. p. cap. 7. num. 13.* Hæc tamen mutua compensatio solùm est quoad divortium, dotisque amissionem, nam quoad accusationem criminalem, & vindictam publicam non est compensatio; cùm liberum sit marito adultero accusare criminaliter uxorem de adulterio, cùm tamen ipsi uxori non permittatur maritum accusare. *leg. 1. Cod. ad leg. Jul. de adulter.* sicuti advertit Sanch. *lib. 10. disp. 8. num. 46.* Layman. *lib. 3. tract. 10. 3. p. cap. 7. num. 13.*

2. Secundò nequit maritus repudiare uxorem ob adulterium, cujus ipse author fuit, quia eo casu maritus æquè ac uxor culpabilis existit: sicuti docent ex omnium sententia Sanch. *lib. 10. disp. 5.* Farinac. *t. 1. quæst. 143. §. separatio thori*, Gutierr. *cap. 129 n. 16.* Basil. Ponce, *lib. 9. cap. 17. num. 7.* Coninch. *disp. 35. dub. 2. num. 8.* Gaspar Hurtado *disp. 11. difficult. 3. n. 12.* Layman. *tract. 10. 3. p. c. 7. n. 8.* Quod adeò verum est, ut etiamsi uxor prostitutioni consentiat, reáque adulterii sit locus repudii non detur, ut colligitur expressè ex *c. discretionem §. quod si forsitan. De eo qui cognovit consang.* &c. ibi *præsertim invitam*: dictio enim *præsertim*, declarat, quod minoris dubitationis est, scilicet cùm consentit invita, & supponit idem esse in casu magis dubio, qualis est cùm liberè consentit. Neque enim æquum erat, ut eleganter inquit Jurisconsult. Sævola in *leg. cùm mulier 47 ff. Soluto matrimonio.* quod maritus improbaret mores, quos ipse, aut anteà corrupit, aut postea probavit, sicuti omnes Doctores nuper relati advertunt. Quinimò censeo, si adulterio tacitè consentiat; eo quòd potens facilè impedire non impedit nullâ legitimâ occasione intercedente, nequit illud objicere; quia illo tacito consensu censendus est remittere jus divertendi, quod ex injuria illata sibi conceditur, ideóque in *leg. 2. Cod. ad leg. Juliam, de adulter.* vir consentiens pœna lænonis punitur. Atque ita docent Castro, *lib. 2. de lege pœnali, cap. 4.* Henriq. *lib. 11. c. 17. n. 4.* Sanch. pluribus relatis, *lib. 10. disp. 5. num. 3.* ubi optimè advertit mulierem consciam de mariti adulterio, neque impedientem non esse censendam consentire, quia rarò ipsa impedire potest, neque ejus dissimulatio, utpotè quæ est viro subjecta censenda est delicti approbatio. Notanter dixi *nullâ legitimâ occasione*, si enim vir suspicionem habens de uxoris adulterio dissimulet se in longinquum proficisci animo statim redeundi, vel testes absconditos apponat, ut certus de adulterio possit uxorem dimittere, vel in futurum emendare, nullatenus censeri debet adulterio consentire, sed illud permittere ob honestum finem: sicuti pluribus comprobat Sanch. *lib. 10. disp. 12. num. 52.*

3. Ex eo autem quod maritus causam remotam uxori dederit adulterium committendi negando inquam debitum, non suppeditando alimenta, atque eam è domo, & ex sua cohabitatione expellendo, non censetur adulterio consentire, neque à divortio faciendo impeditur, uti colligitur *ex cap. significasti. de divortiis.* Et ibi Glossa *verbo materiam.* Neque enim mulier ad fornicandum ulla ratione adduci debebat: *cap. itâne 32. quæst. 5.* Neque ignoscendum est (ut inquit Ulpian. *leg. palam num. 43. ff. de ritu nuptiar.* Et Glossa *cap. ex litteris de Divortiis.*) ei qui obtentu paupertatis turpissimam vitam agit. Atque ita fatentur omnes Doctores teste Sanch. *lib. 10. disp. 5 num. 6.* Gutierr. *cap. 129. num. 8.* Basil. Ponce, *lib. 9. cap. 17. num. 7.* Coninch. *disp. 35. dub. 1. in fine.* Quod intelligendum inquiunt Thom. Sanch. Gutierr. Coninch. & Farin. *quæst. 143. num. 12.* nisi vir eâ intentione uxorem repulisset, alimentisve privasset, ut necessitate compulsa adulterium committeret; quia eo casu adulterium uxoris marito est voluntarium perindéque est, ac si adulterio conniveret.

4. Tertio ob adulterium jam condonatum, & remissum nequit conjux innocens divortium facere: ipsa enim condonatione, & remissione cessit juri divertendi acquisito, sicuti universi Doctores docent. Dupliciter autem hæc condonatio fieri potest expressè, vel tacitè: expressè fit, si verbis expressis remittat injuriam sibi factam, & jus divertendi ex ea acquisitum, *juxta leg. si maritus 25. §. si negaverint ff. ad leg. Iul. de adulter.* Tacita remissio contingit, si conscius adulterii, & potens petere divortium conjugi adultero copuletur, vel illum ita familiariter tractet, sicut antea, nam prædictis signis satis præsumitur animum habuisse reconciliationis, ideóque ad intentandum divortium, accusandúmque adulterum non admittitur, ut tradit decisio Rotæ apud Farinac. 193. *volum. 2. consil.* Neque ad hanc condonationem requiritur adulteri acceptatio, quia ea condonatio est quædam juris cessio, & remissio, quâ signis exterioribus manifestata tollitur ab adultero impedimentum exigendi debitum, quod ex adulterio commisso contraxerat, ut rectè probat Sanchez *lib. 10. disp. 14. à num. 2.*

5. Quod si innocens adultero prædicta signa remissionis præstet absque animo remittendi jus quod habet accusandi adulterum tum civiliter, tum criminaliter, etsi in foro externo nec divortium, neque accusationem intentare possit; at in foro conscientiæ probabile est jus divertendi & accusandi integrum retinere, uti pluribus comprobant Sanch. *dicta disp. 14. à num. 21.* eo quòd illa facta non sint ipso jure remissiones, siquidem facta ex imperio Judicis, eo quòd adulterium non plenè probatum sit, remissionem non inducunt, sed solùm sunt signa animi remittentis. Quare eo animo deficiente nulla est censenda remissio. Quod satis indicat Textus *in leg. quæsitum 40. §. item quæritur ff. ad leg. Jul. de adult.* dum inquit destitisse videri. Et *leg. regia 8. titul. 17. part. 7.* [caspues que asi la a cogio en su casa, entiendese que la perdo.] Non enim asserunt de facto remisisse, sed præsumi remissionem fecisse.

6. Illud certum remissionem solùm esse posse de delicto præterito non de futuro, ne delinquenti occasio relabendi concedatur. Quapropter si reconciliatus iterum delictum committat poterit non ob delictum remissum, sed ob delictum denuò patratum intentari ab innocente accusatio tam civilis quoad divortium, & dotem, quàm criminalis ad punitionem. Unde si uterque fuerit nocens, sibique mutuò injuriam cesserint, qui post reconciliationem lapsus fuerit divortio subjectus est, neque innocenti divortium intentanti objicere potest crimina remissa, *cap. de his de accusationib.* Et *cap. si illic. 23. quæst. 4.* juncta Gloss. *verbo recidivo.* Et *leg. transivere. Cod. de transactionib.* Neque remittentibus actiones conceditur regressus. Leg. *quæritur vers. si venditor. ff. de Ædilitio edicto.* Et tradit ex communi sententia Sanch. *lib. 10. disp. 5. num. 21.* Et *disp. 6. num. 7.* Basil. Ponce, *lib. 9. cap. 17. in fine.* Coninch. *disp. 35. dub. 2. concl. 5. n. 17.* Molin. *tract. 3. disp. 95.* Paul. Layman. *lib. 3. sum. tract. 10. 3. p. cap. 7. num. 14.*

7. An verò eo quod unus conjux adulter, & emendatus alterum de emendatione moneat, censeatur uterque sibi reconciliari? Non conveniunt Doctores Sanch. plures referens *lib. 10. disp. 7. num. 4.* Paul. Laym. *lib. 3. sum.*

sum. tract. 10. 3. *p. cap.* 7. *num.* 14. Coninch. *disp.* 35. *dub.* 2. *num.* 1. *concl.* 6. censent reconciliationem factam esse non solùm ex parte illius qui monet, & reconciliationem offert, de quo non videtur esse dubium, sed etiam ex parte moniti, qui esto reconciliationem non admittat, admittere illam tenetur cùm sit æquè nocens, ac petens reconciliationem. Sed rectiùs Basil. Ponce, *lib.* 10. *cap.* 17. *in fine.* Gaspar Hurtado *disputat.* 11. *difficult.* 3. *numero* 10. censent admonitum ex sola admonitione sibi facta, & reconciliatione oblata, sed non acceptata non cessisse juri divertendi, quod ex alterius adulterio acquisierat; quia esto æquè nocens sit ac petens reconciliationem, id solùm probat non posse alterum accusare delicto sibi non remisso, non tamen probat cessisse juri divertendi. At delicto remisso si post remissionem non deliquerit divortium intentare poterit, quia nihil impedit: si verò iterum in delictum labatur, amittit jus divortii petendi, emendatus verò intentare divortium non potest, eo quod sibi non fuerit delictum remissum.

§. III.

An uxorem in adulterio persistentem teneatur innocens dimittere?

1 *Plures affirmant obligatum esse recedere.*
2 *Verius est oppositum.*
3 *Aliquando per accidens hæc obligatio esse potest.*
4 *Rarò, vel nunquam obligata est uxor divertere à marito adultero.*

1. VIdimus innocentem neque injuriam remittentem divertere à conjuge nocente posse, inquirimus, an teneatur? Plures Doctores, quorum meminit Sanchez *lib.* 10. *disp.* 13. *à numero* 4. censent obligatum esse divertere à conjuge adultera; eo quod apud se retinens, & debitum exigens, & reddens censeatur jus delicto connivere, gravéque hæredibus legitimis detrimentum inferre, si illegitimi, & spurii supponantur. Et fortè ob hanc causam *Proverb.* 18. dicitur, *Qui autem tenet adulterum stultus est, & insipiens, siquidem ea retentione suis hæredibus injuriam irrogat debita hæredibus defraudando, suaque famæ notam lenonis imponit* juxta Text. *in c. si quis crudelis.* 32. *quæst.* ibi: *Sicut crudelis, & iniquus est, qui castam dimittit uxorem, ita fatuus est, & injustus qui retinet meretricem, patronus enim turpitudinis est,* Et *c. si vir de adulteriis.* ibi *Si vir sciens uxorem suam deliquisse quæ non egerit pœnitentiam sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa reus erit & ejus criminis particeps.*

2. Cæterùm communior est sententia, & vera per se ratione adulterii nullam esse obligationem uxorem adulteram dimittendi, uti colligitur ex D. August. relato *in cap. idololatria* 28. *quæst* 2. ibi: *permisit Dominus non jussit.* Et *ex cap. quemadmodum, de jurejurando,* ibi: *tutius esse adulteram non accusare.* Ad idem est *cap. de benedicto. Cap. quod autem. cap. non erit. Cap. cùm venundatur. cap. apud misericordem.* 32. *qua.* 1. Neque contrarium probant Textus *num. præced.* relati loquuntur enim de marito retinente uxorem adulteram nullâ adhibita correctione, is namque ejus turpitudinis particeps, & patronus censeri debet, & omnis nocumenti legitimis hæredibus facti causa. Secùs verò de marito qui retinet adulteram corrigens, & quantum in se est delictum impediens. Neque est ullus alius Textus, ex quo leviter colligatur obligatio expellendi adulteram. Quinimo Christus Dominus *Math.* 5. & 19. à præcepto non dimittendi uxorem excepit fornicationis causam, indicans satis stante causa fornicationis, neque ad illam expellendam, sed utrumque ei liberum esse. Rationéque aperta id ipsum convincitur. Nam cùm divortium jure ipso naturæ introductum sit in pœnam delinquentis, & innocentis favorem, æquum erat ne innocens ad illius executionem astringeretur, sed illo pro suo libito uti posset, aliàs in illius pœnam verteretur. Atque ita ex communi sententia substinent Sanchez *lib.* 10. *disp.* 13. *à n.* 6. Coninch. *disp.* 35. *dub.* 3. Paul Layman. *lib.* 5. *sum. tr.* 10. 3. *p. c.* 7. *n.* 15. Gasp. Hurtado *disp.* 12. *diffic.* 4. *à n.* 15.

3. Dixi *per se*, nam per accidens ratione correctionis, vel scandali aliquando etsi rarissimè obligari maritus potest: si enim credat maritus uxorem corrigendam esse, scandalúmque sedandum, si eam saltem ad tempus dimittat, idque præstare possit absque gravi suo incommodo, lege charitatis tenebitur, uti advertunt prædicti Doctores. At id fieri est impossibile, ideò que dixi rarissimè posse maritum obligari. Quippè uxor quæ in domo mariti eam reprehendentis, & punientis delinquit, inde dimissa liberiùs peccabit. Non igitur dimissio correctionis uxoris medium aptum est. Præterquàm quòd hujusmodi medium est marito onerosum, tum quia cogitur cœlibem vitam agere, tum quia firmant adulterii suspicionem, quæ in grave dedecus ei cedit: uti autem medio ad corrigendam uxorem ita dubio & sibi incommodo nullatenus maritus tenetur. Et ob eandem rationem non tenetur ratione vitandi scandali, seu suspicionis, quam plures concipere possunt se delicta uxoris patrocinari, maxime cum huic suspicioni aliis mediis succurri possit, nempe uxoris reprehensione, reclusione, aliâve moderatâ punitione, qua satis intelligi possit ipsum minimè adulterio consentire. Quod si adhuc suspicio persistit, patienter sustinenda est, est enim scandalum non datum, sed acceptum.

4. Ex his à fortiori infertur rarò vel nunquam obligatam esse uxorem divertere à marito adultero. Non enim tenetur correctionis præcepto, cùm ipsi utpote viro subditæ datum non sit virum corrigere puniendo, sed monendo, & exhortando, neque dimissio censenda est medium aptum ad correctionem; quippe dimissus deterior fiat. Præterquàm quod uxori incommodissimum est, quæ cogitur & cœlibem vitam degere, & mariti consortio sibi regulariter utilissimo privari. Minus obligari potest ob vitandum scandalum, seu suspicionem, quod ipsa mariti delictis assentiatur, cùm omnibus compertum sit mulieres ægerrimè ferre maritos aliis commisceri, neque potentes esse ad illos continendos, sicuti advertunt Henriq. *lib* 11. *c.* 17. *n.* 3. Matienzo, *lib.* 5. *recopilat. tit.* 1. *rub. gloss.* 1. *num.* 101. Sa, *verbo divortium. num.* 6. Sanch. plures referens, *disp.* 14. *num. ult.* Coninch. *disp.* 35. *dub.* 3. *concl.* 2. Gaspar Hurtado *disp.* 11. *diffic.* 4. *in fine.*

§. IV.

An propria authoritate possit innocens à conjuge adultero divertere, vel necessariò sententia Judicis requiratur?

1 *Proponitur ratio dubitandi.*
2 *Secluso scandalo tam ob adulterium occultum, quàm notorium licet divortium facere.*
3 *Procedit hæc doctrina sive adulterium commissum sit post spolium, sive ante.*
4 *Si spoliatus objiciat spolianti adulterium, non obinde restituendus est, nisi adulterium spoliantis sit æquè notorium.*
5 *Probatur efficaciter ob adulterium occultum posse innocentem recedere.*
6 *Satisfit objectioni.*
7 *Ut prædictum divortium fiat, debet innocens moraliter esse certus de adulterio conjugis.*
8 *Ea quæ in judicio externo probata sufficiunt, ut Judex sententiam divortii ferat, hanc certitudinem moralem præstat.*
9 *Exorta controversia super impotentia viri, si ipse adulte-*

rium fateatur , non poteſt conjux ad divortium ex ea confeſſione procedere.

10 *Conjux recedens ob adulterium abſque ſententia reſtituendus eſt ſpoliata petente.*

11 *Spoliatus certus moraliter de adulterio non tenetur debitum reddere tametſi ſuperior præcipiat.*

1. RAtio dubitandi ſumitur ex eo quod iniquum videatur quemlibet in ſua propria cauſa Judicem eſſe. At ſi innocens ob alterius adulterium poſſet ſe à conjuge ſeparare , Judex in propria cauſa eſſet. Item divortium eſt pœna nocentis , quam jus ipſo facto imponit , ſed Judici remittit imponendam. Denique matrimonium eſt Eccleſiæ authoritate celebratum : debet ergo authoritate Eccleſiæ,& non ipſorum conjugum diſſolvi , uti videtur traditum in *c. ſæculares cap. hiſtoria* 33. *quæſt.* 2. ob quas rationes Gab. *in* 4. *d.* 35. *quæ unica art.* 2. *concl.* 5. cenſet etiam ob notorium adulterium non poſſe conjugem innocentem divortium facere , ſed neceſſariò expectare debere Eccleſiæ judicium. At quando delictum adulterii eſt occultum cenſent D. Thom. *dicto dict.* 35. *quæſt.* 1. *art.* 3. Bonaven. *ibi. q.* 3. Richard. *art.* 1. *quæſt.* 3. Turrecremata *in cap. ſæculare* 33. *p.* 2. quos refert , & ſequitur Baſil. Ponce , *lib.* 9. *c.* 18. *à n.* 6.

2. Cæterum verius cenſeo ſecluſo ſcandalo tam ob adulterium occultum , quàm notorium conjugi innocenti licere divortium facere tam quoad debiti redditionem , quàm quoad mutuæ cohabitationis ſeparationem. Sic docet Paludan. *in* 4. *d.* 35. *q.* 1 *art.* 3. *concl.* 3. Sanch. plures referens *lib.* 10. *diſput.* 12. *à n.* 5. & *n.* 14. 31. *&. ſeqq.* Henriq. *lib.* 11. *c.* 17. *n* 1. Rebell. *lib.* 2. *q.* 17. Ægid. Coninch. *diſp.* 35. *n.* 2. Gaſpar Hurtado *diſp.* 11. *difficult.* 6. *num.* 21. & alii.

3. Et quidem quando adulterium notorium eſt per evidentiam facti , vel confeſſionem rei in judicio etiam civili non ſolùm innocenti conceditur jus divertendi ab adultero , ſed neque Eccleſia illum compellere poteſt ad adulterum recipiendum , ut videtur deciſum *in cap. ſignificaſti de divortiis* ibi. *Si notorium eſt mulierem ipſam adulterium commiſſiſſe , ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet.* Et favet *cap. exparte de Sponſalib.* ibi : *nemini licet uxorem ſine manifeſta cauſa fornicationis dimittere , Ergo ſtante manifeſta cauſa fornicationis licita eſt dimiſſio , neque uxor dimiſſa reſtituenda eſt* , ſicuti docet Gloſſ. *c. Agathoſa , verbo fornicationis* 27. *q.* 2. Et *c. fin. verbo fornicationis de adulteriis* Panorm. *cap. conſtitutus num.* 4. *de converſ. conjugat.* Et *c. ex parte de Sponſal.* Et *c. fin de adulter.* Tiraquel. *in leg. ſi unquam. verbo revertat. num.* 137. *Cod. de revocand. donationib.* Gregor. Lopez , *leg.* 2. *verbo ſeyendo tit.* 2. *p.* 4. Nav. *c.* 22. *n.* 23. Surd. *de alim. tit* 7. *q.* 16. Sanch. *lib.* 10. *diſp.* 12. *n.* 32. *junctо n.* 13. ubi plures refert. Etenim cùm delictum notorium eſt perinde eſt ac ſi publica ſententia , & judicio reus damnatus eſſet.

4. Quæ doctrina veriſſima eſt , ſive adulterium commiſſum ſit poſt ſpolium , ſive ante. Quocunque enim tempore notoriè commiſſum ſit , reſtitutio deneganda eſt. Nam eſto *in dicto cap. ſignificaſti* ſolùm facta ſit mentio adulterii poſt ſpolium perpetrati , id factum eſt , quia non aliqua ratio dubitandi eſſe poterat ex eo quod ſpolians occaſionem adulterii dederit , non quia deciſio ad adulterium commiſſum poſt ſpolium reſtringenda ſit , cùm illud adulterium levius ſit quam commiſſum ante ſpolium , ut rectè aliis relatis notavit Sanch. *lib.* 10. *d.* 12. *num.* 30.

5. Verùm ob adulterium occultum poſſe ſecluſo ſcandalo conjugem innocentem ab adultero divertere nullâ expectatâ ſententiâ hac efficaci ratione probo. Matrimonii natura ea eſt , ut conjuges ſibi invicem obligentur ad mutuam cohabitationem , & debiti redditionem , dùm carnem ſuam in alienam non diviſerint. Ergo facta hac diviſione ab adultero ceſſat in innocente obligatio per contractum matrimonii accepta , ſicuti ceſſat quælibet alia promiſſio ceſſante conditione ſub qua tacitè facta eſt. Unde in divortio innocens non ſibi jus dicit , ſed jure à matrimonii natura conceſſo utitur , quod que authoritate Eccleſiæ dici poteſt divortium prædictum celebratum. Per quæ ratio dubitandi ſoluta eſt. Et confirmatur ob adulterium notorium , ſeu ut placet Baſil. Ponce , ob adulterium , quod incontinenti notorium fieri poteſt probatione oblata , licet conjugi innocenti propria authoritate à nocente divertere , ergo æquè ei licebit in foro conſcientiæ ob adulterium ſecretum. Quippe jus divertendi non ex publicitate , ſed ex delicto naſcitur. Publicitas enim ſolùm ad ſedandum ſcandalum requiritur , quare ſcandalo ceſſante quo modocunque conſtet de adulterio poſſidet innocens jus divertendi.

6. Quod ſi dicas id verum eſſe ſpectatâ matrimonii naturâ ; at ob vitandas hominum fraudes , & malitias hæc ſeparatio abſque Eccleſiæ declaratione interdicitur ? obſtat ? quia nullus eſt Textus ex quo colligatur hoc præceptum , & obligatio. Nam Textus qui pro ratione dubitandi referuntur nihil probant. Etenim *cap. ſæcularis* , non de dimiſſione ex cauſa adulterii, ſed fævitiæ loquitur , quæ cauſa cùm Eccleſiæ authoritate introducta ſit , & latitudinem habeat æquum non erat cujuſvis judicio remitti, ſecùs in adulterio quo indiviſibile eſt ; & jure naturali divortium cauſam præſtat. Præterquam quod ibidem excommunicantur , qui nullas cauſas diffidii probabiliter proponentes , antequam lis per Eccleſiaſticos Judices decidatur uxores dimittunt,quod eſt diverſum à noſtro caſu,in quo adulterium innocenti certum eſſe debet , ut dicemus , Textus *in cap. hiſtoria* , præcipit uxorem ante omnia reſtitui , quia de adulterio nondum conſtabat : ſolùm faceſſit negotium *Textus in cap. porrò,de divortiis* ibi : *Etiamſi parentela eſſet publica , & notoria abſque judicio Eccleſiæ ab ea ſeparari non potuit* , ſed hic Textus non de divortio quoad thorum , & cohabitationem loquitur , ſed de matrimonii diſſolutione quoad vinculum , libertatem alteri copulandi. Quæ res cum graviſſima ſit , & gravioribus periculis expoſita , meritò judicium Eccleſiæ requirit. Nullus eſt ergo textus , ex quo colligatur ſententiam Eccleſiæ expectandam eſſe ad divortium: quinimò hanc neceſſariam non eſſe indicat Textus *in c. ex parte , de ſponſalib.* ibi : *Quia nemini licet uxorem ſine manifeſta cauſa fornicationis dimittere.* Supponit ergo ſtante manifeſtâ cauſâ fornicationis manifeſta inquam ipſi innocenti poſſe nulla expectata ſententia ab adultero recedere : & apertiùs id exprimitur à Hieronymo *in c. dixit Dominus* 32. *q* 1. ibi : *Ubicunque fornicationis eſt , ſuſpicio , liberè , dimittitur uxor.* Notandum eſt verbum *liberè* , quod nullam requirit licentiam, vel ſententiam , quia ipſummet indicat eſſe ſententiam latam , ut pluribus comprobat Tiraq. *in leg. ſi unquam , verbo revertatur , à n.* 134. *C. de revocandis in donat.* Et colligitur apertè *ex* c. *pro humano , verbo liberè de Homicidio , in* 6. Et licèt verbum *liberè.* idem ſit , (ut. placet Baſil. ponce , *lib.* 9. *c.* 10. *in fine* ,) ac licitè , perperam tamen addidit ſententiam eſſe cùm in prædicto Textu nulla hujus ſententiæ mentio fiat. Quòdque non leviter conſonat legi à Chriſto Domino latæ *Matth.* 5. & 19. concedentis viris ex cauſa fornicationis uxores dimittere. Ex qua conceſſione Judices Eccleſiaſtici colligunt quid in his cauſis debeant decidere , non tamen mariti de adulterio uxoris certi eorum Judicum deciſionem expectare aſtringuntur , ut falsò putavit Baſil. Ponce , *d. c.* 18. *n.* 9. Favétque factum Joſephi *Matth.* 1. volentis ſanctiſſimam virginem occultè dimittere ob adulterii ſuſpicionem , ſicuti multis comprobat Maldonat. *ibi.* Et Suar. 2. *in* 3. *p. quæſtione* 29. *artic* 1. *ſect.* 2.

7. Ut autem prædictum divortium innocens faciat , debet certus moraliter eſſe de adulterio cõjugis alterius, ob dubium enim , vel ſuſpicionem probabilem nequit

in

ſuum conjugem quaſi ſententiam ferre, & jure quod habet privare, ſicut omnes Doctores notant, & colligitur *ex cap ex parte de Sponſalib.* ibi : *quia nemini licet uxorem abſque manifeſta fornicationis cauſa dimittere.* Et licèt *in cap. dixit Dominus* 32. *q.* 1. dicatur ubicunque fornicatio eſt, vel fornicationis ſuſpicio liberè dimittitur uxor. Nomine ſuſpicionis non quæcunque ſuſpicio, ſed violenta, quæque certitudini morali æquivalet intelligitur.

8. Dubium tamen eſt, quæ hanc certitudinem moralem præſtent ? Reſpondeo ea ſola eſſe quæ in judicio externo probata ſufficerent, ut Judex ſententiam divortii proferret, ut multis comprobat Sanch. *lib.* 10. *diſp.* 12. *num* 40. Gutierr. *cap.* 129. *num.* 12. Quippe conjux innocens recedens ab adultero quaſi ſententiam profert. In particulari autem eſſe ſolum cum ſola, nudum cum nuda, in eodem lecto, non eſt dubium eſſe ſufficiens adulterii judicium, uti deciditur *in cap. litteris, de præſumpt.* Oſcula autem, & amplexus præcisè etſi plures Doctores, quos refert Sanch. *dicta diſp.* 12. *num.* 46. cenſeant ſufficere ad ſeparationem, verius eſt oppoſitum, ut tradit ipſe Sanch. *num.* 47. eo quòd neque ex natura rei, neque ex aliqua lege plenè adulterium inde probatur : at ſi prædicta oſcula, & ſecreto, ubi facilè copula haberi poſſet, vel aliis conjecturis adjuventur, ſine dubio credo ſufficere ſi non ad condamnationem criminalem pœnæ ordinariæ, benè tamen ad divortii ſeparationem, ut pluribus allegatis docuit Burſat *conſ.* 218. *n.* 3. *volum.* 2. Maſcard. *de probat. concl.* 57. *num.* 5. *& concl.* 64. *& à num.* 1. Covarr. 4. *decret.* 2. *p. c.* 7. §. 6. *n.* 3. Azevedo *lib.* 8. *recopil. tit.* 20. *Rub. num.* 14. Graffis 1. *p. deciſ. lib.* 2. *c.* 84. *num.* 5. Navarr. *Rub. de judiciis, n.* 10. Neque contradicit Sanch. ſi benè inſpiciatur, at conſtat ex his quæ dixerat *dicta diſp.* 12. *n.* 45. *in fine.*

Et idem dicendendum exiſtimo, aliquæ litteræ amatoriæ ipſius mulieris reperirentur, quibus adulterium præteritum fateretur, nam eſto illa confeſſio utpotè extra judicialis non plenè delictum probet. At facta in judicio plenè illud probaret. Cùm ergo in præſenti agamus de divortio extra judicialiter facto, ea confeſſio extrajudicialis ſufficiens eſſe debet, maximè cùm prædictæ confeſſioni adjungantur amatoriæ litteræ. Amaſio miſſæ, quæ ſimul cum illa confeſſione ſufficienter Judicem movere poſſent ad judicium de adulterio ferendum, ut rectè tradit Menoch. *de præſump. lib.* 5. *præſump.* 41. *in fine*, Pariſius *conſ.* 54. *in fine, vol.* 4. Maſcard *de probat. concl.* 64. *n.* 10. ſi enim inquit Sanch. *dicta. diſp.* 12. *num.* 51. Et conſentit Gutierr. *c.* 129. *num.* 12. *verſ. quarta concluſ.* ſatis eſt ut conjux innocens divertere poſſit, ſi de ſui conjugis adulterio, ſeu de illius violento indicio certior fiat à perſona fide digniſſima, cui meritò prudentiſſimus quiſque fidem habere, quia illud dictum certitudinem moralem præſtat, à fortiori. ipſius conjugis adulterantis in amatoriis litteris facta certitudinem moralem præſtare cenſenda eſt. Minor namque probatio adulterii, ſeu illius violentæ ſuſpicionis requiritur ad divortium propriâ authoritate factum, quam factum judicio Eccleſiæ Præterquam quod ſatis probabile eſt, ut pluribus firmant Joan. Bapt. Ferret. *conſ.* 168. *n.* 4 *&* 5. Farinac. *t.* 4. *q.* 136. *n.* 18. Gutierr. *c.* 129. *n.* 18. *in fine.* Ad divortium celebrandum non eſſe opus ea judicia adulterii, quæ ſuſpicionem violentam, ſed ſatis eſſe quæ probabilem, & vehementem ſuſpicionem indicarent.

9. Illud pro certo habendum eſt, ſi exorta controverſia ſuper impotentia viri ad matrimonii diſſolutionem, ipſe fateatur adulterium commiſiſſe, ex ea confeſſione etſi in judicio facta non poteſt uxor divortium intentare, quia illa confeſſio præſumi debet fraudulenta ad elidendam uxoris intentionem, factáque eſt contra formam præſcriptam *in cap. ex litteris de divortiis*, ut rectè notavit Riccius *in praxi deciſ* 232. Et ex illo Baſilius Ponce, *lib.* 10. *cap.* 18. *numero* 4.

10. Verùm etſi nulla expectata Eccleſiæ ſententia poſſit innocens ſecluſo ſcandalo ſe à conjuge adultero ſeparare ; ut ſi conjux ſpoliatus querelam firmet de injuria ſibi illata, reſtitutionémque petat ſtatim reſtituendus eſt, neque ſeparatio permittenda, quouſque adulterium plenè probatum ſit : ſicuti deciſum eſt *in cap. ſignificaſti de divortiis*, per argumentum à contrario ſenſu : expreſſiùs *cap.* 2. *cap. in litteris, cap. in conquæſtione, cap. item cùm quis de reſtit. ſpoliator.* & tradunt omnes. Neque enim æquum eſt conjugem publicè privare ſuo jure, & poſſeſſione, quin publicè conſtet de cauſa ob quam eo jure, & poſſeſſione privatus eſt. Quocirca hæc reſtitutio quaod omnia facienda eſt tam quoad mutuam cohabitationem, quàm quoad debiti redditionem, ut habetur *c. redintegranda* 1. *&* 2. 3. *q.* 1. quia his omnibus ſpoliatus eſt, neque ullum adeſt periculum, vel damnum, ob ejus cauſam impedienda ſit reſtitutio quoad debitum conjugale, ſicuti adeſt cùm ſpoliatur conjux ob matrimonii nullitatem. Quo caſu oblatus incontinenti probationibus non reſtituitur ſpoliatus ad conjugale debitum ob peccati periculum, ſed ad mutuam cohabitationem, *c. litteras. dereſtit. ſpoliat.* Atque ita tradit Sylveſt. *verb. matrimonium* 10. *q.* 5. Tabiena *eodem* 4. *q.* 9. *n.* 10. Alberic. *in ſuo dictionario verbo Matrimonium* 9. *verſ. ult* Sanchez *lib.* 10. *diſp.* 12. *n.* 15.

11. Ipſe tamen ſpolians certus moraliter de adulterio, præcepto Superioris jubentis ſpoliato reddi debitum obedire non tenetur, quia prædictum præceptum, utpotè ex falſa præſumptione latum obligationem inducit, maximè cùm ex ejus obſervatione ſpolianti nocumentum proveniat bigamiæ, ſi velit ad Ordines tranſire, & uxorem virginem acceperit, neque poſt adulterium cognoverit. Quo caſu quia damnum eſt irreparabile exiſtimat Sanch. *dicta. diſp.* 12. *num.* 22. *circa finem*, cum Menoch. *de recuperand. poſſeſſorem.* 1. *n.* 115. *&* 308. Alexandro. *in leg. naturaliter.* §. *nihil. commune, n.* 20. *ff. de acquir. poſſeſſ.* Greg. Lopez *leg.* 27. *verbo que le entregaſe tit.* 2. *part.* 5. virum ſpoliantem, offerentémque probationes incontinenti, ideſt intra breve tempus arbitrio Judicis, cogendum non eſſe uxorem ſpoliatam admittere ad conjugale debitum, tametſi ad omnia alia reſtituatur, argum. *cap. litteras, d. reſtit. ſpoliat.* Extra hunc verò caſum etſi ſpoliata priùs receſſerit, vel ſpolians incontinenti offerat probationes, reſtitutio facienda eſt, ut multis comprobat Sanch. *d. diſp.* 12. *à num.* 20.

§. V.

Qualiter conjux innocens procedere debeat divortium judicialiter intentans ?

1 *Duplici actione civili, & criminali poteſt procedere.*
2 *Si maritus ad pœnam ſanguinis uxorem accuſet, coram Judice ſæculari agere debet. Si verò ad alias pœnas coram ſæculari, vel Eccleſiaſtico.*
3 *Si civiliter procedat conjux ad divortium, litem coram Eccleſiaſtico intentare debet.*
4 *intentata civili actione nequit conjux ad criminalem tranſire, vel è contrà.*
5 *Pendente lite ſive criminali, ſive civili alimenta, & litis expenſæ uxori miniſtrandæ ſunt.*
6 *Si uxor legitimè accuſata falſis probationibus ſe defendat, ſolum obligata eſt reſtituere marito expenſas litis.*
7 *Obligatus videtur maritus dotem uxori in hac parte reſtituere. Quidquid alii contra ſentiant.*

1. DUplex actio conjugi innocenti conceditur adverſus conjugem adulterum, civilis, & criminalis. Civilis eſt, quæ ad ſeparationem thori, mutuæque habitationis, & amiſſionem dotis tendit, criminalis quæ ad pœnam ſanguinis procedit. Hæc autem criminalis.

minalis actio ſolùm competit marito adverſus uxorem, non econtrà, ut expreſsè deciditur *in leg.* 1. *C. ad leg. Jul. de adulteris.* Et *leg. regia.* 3. *tit.* 20. *lib.* 3. *novæ recopil.* ideóque accuſanti criminaliter marito uxorem de adulterio, non licet uxori exceptionem adulterii mariti opponere, quia in hac actione pares non ſunt, neque in illis delicti quoad prædictam pœnam admittitur compenſatio. Actio civilis utrique conjugi competit, & unius delictum alterius delicto compenſatur.

2. Si igitur maritus ad pœnam ſanguinis uxorem accuſet, neceſſariò actionem intentare debet coram Judice ſæculari, quia ſolus ille eſt competens ad pœnam ſanguinis imponendam, uti deciditur *cap. ſententiam ſanguinis, Ne Clerici, vel Monachi.* Et *c. tuæ de procuratorib.* Et *ibi* Panormit. *n.* 6. Immola *n.* 10. At ſi ad alias pœnas infligendas accuſetur adulter coram ſæculari, vel Eccleſiaſtico Iudice actio intentari poteſt, quia uterque Iudex competens eſt, locúſque datur prævention. Quippe adulterium eſt injuria Sacramento matrimonii facta, cujus punitio utrique Judici ſæculari, & Eccleſiaſtico competit, ſicuti optimè tradit Panorm. *d. cap. tuæ, num.* 6. Covarruv. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 7. §. 7. *n.* 20. Julius Clarus *lib.* 5. *recept.* §. *fin. quæſt.* 37. *n.* 3. Anaſtaſ. Germon. *lib.* 3. *de ſacror. immun. cap.* 12. *n.* 56. Barboſa *l.* 2. *part.* 1. *in princ. num.* 139. *ff. ſoluto matrimonio*, quos refert, & ſequitur Sanch. *lib.* 10. *diſp.* 8. *numero* 16.

3. At ſi civiliter procedat conjux ad divortium, amiſſionémque dotis, neceſſariò coram Judice Eccleſiaſtico actionem intentare debet. Nam cùm agatur de obligatione matrimonii diſſolvenda, ſolus Judex Eccleſiaſticus competens eſt, ſicut colligitur *ex cap. tuæ, de procurat. & cap.* 1 *ut lite non conteſtata.* Et tradit Julius Clarus, & Anaſtaſ. Germon. *ubi ſuprà*, Covarruv. *dicto cap.* 7. §. 6. *num.* 8. Anton. Gomez *leg.* 80. *Tauri*, *numero* 47. Graffis 1. *part. deciſ. lib.* 2. *cap.* 84. *num.* 12. & aliis relatis Sanch. *lib.* 10. *diſp.* 8. *num.* 15.

4. Intentatâ autem civili actione nequit conjux ad criminalem tranſire, non ſolùm quando pendet unius actionis judicium, ut deciditur expreſsè *in leg. unic.* 1. *C. quando civilis actio criminali præjudicat*, ſed etiam eo judicio finito, eo quòd in hac cauſa divortii utrumque judicium ad idem tendit, ſcilicet ad punitionem adulteri, vel privando illum poteſtate exigendi debitum, dotiſque amiſſione, vel pœnam mortis imponendo. Quo caſu una actio alteri præjudicat, ut notat Gloſſa *in ſupradicta leg. unica*, *verbo de re familiari.* Et Abbas *cap. tuæ, n.* 5. *de procuratorib.* Barboſa *leg.* 2. *part.* 1. *in princ. n.* 138. *& ſeqq. ff ſoluto matrimonio*, Sanch. *lib.* 10. *diſp.* 8. *n.* 19. ubi *n.* 20. optimè probat neque etiam per exceptionem licere marito, qui prius de adulterio uxorem accuſavit, & deſtitit, vel victus fuit objicere adulterium uxori ejus conſortium, bonáque dotalia repetendi, deduceret namque alia via in judicium, quod judicatum pendet contra *leg. duobus 19. ff. de excep. rei judicatæ.*

5. Pendente lite ſive criminali, ſive civili alimenta, & litis expenſæ uxori miniſtrandæ ſunt, non ſolùm quando ipſa divortium adverſus virum ob adulterium ab eo commiſſum intentaret, quod certiſſimum eſſe rectè tradunt Gutierr. *lib.* 1. *can. cap.* 24. *num.* 7. Barboſa *Rub. ff. ſoluto matr.* 2. *part. numero* 44. *in fine.* Sanch. *d. diſp.* 8. *num.* 28 ſed etiam quando adverſus illam divortium à viro intentaretur, quia lite pendente nihil eſt innovandum, quod procedit etiamſi adulterium notorium ſit, ut advertunt Zevallos *in ſuis quæſt. comm. quæſt.* 734. *n.* 18. *& ſeqq.* Farinac. *t.* 4. *quæſt.* 143. *n.* 43. Gutierr. *cap.* 129. *n.* 20. Sanch. *loc. allegato*, tametſi in foro conſcientiæ ad ea alimenta, & expenſas ſubminiſtrandas non teneatur vir certus de uxoris adulterio, uti tradunt Sanch. Gutierr. & Farinac. nuper allegati. Quinimò neque in foro externo tenetur vir ſubminiſtrare alimenta uxori è domo ſua fugienti ob timorem, quem habet eſſe à viro malè tractandam cauſa adulterii ſuſpicati, ut rectè Farinac. *d. diſp.* 143. *n.* 45. Gutierr. *cap.* 128. *de matr. num.* 21. Quippe vir non tenetur extra domum uxorem alere, quando ipſe cauſam receſſus non dedit.

6. Quod ſi uxor legitimè de adulterio accuſata falſis ſe probationibus defendat, impediatque divortium, & applicationem ſuorum bonorum marito, verius eſt ſolùm committere peccatum in hac falcitate, obligatámque eſſe reſtituere marito expenſas litis, & ſi quid aliud damnum ex illius proſecutione incurrit; ſiquidem ad impediendum divortium, & applicationem ſuorum bonorum marito nullum jus habet, at nullam obligationem habere reſtituendi marito bona quæ per ſententiam illi eſſent applicanda. Quippe proprietatem illorum bonorum nullum habet jus niſi media ſententia, quæ eſto injuſtè impediatur: ea injuſtitia non eſt adverſus maritum, ſed adverſus Rempublicam, publicúmque judicium, quod pervertit, ſicuti docuit Navarr. *c.* 18. *n.* 49. Graffis 1. *p. deciſ. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 25. Metina *lib.* 1. *ſum. c.* 14. §. 35. Ludov. Lopez. 1. *p. inſtruct. c.* 159. §. *At Navarrus*, & alii, quos refert, & ſequitur Sanch. *lib.* 10. *diſp.* 8. *n.* 14.

7. Ex his inferendum videtur obligatum eſſe maritum dotem uxoris reſtituere, à qua ſe ſeparavit ob adulterium commiſſum, ſiquidem uxor dotem perdere non poteſt, quouſque per ſententiam ad illius privationem damnata ſit, uti pluribus firmat Covarr. 4. *decret.* 2. *part. c.* 7. §. 6. *num.* 1. eſt enim dotis amiſſio pœna adulterii lata *in cap. plerumque*, *de donat. inter virum*, *& uxor. legi conſenſu*, §. 1. *C. de repudiis. Leg. unica.* §. *taceat. C. de rei uxoriæ actione. Leg. miles.* §. *ſocer. ff. ad leg. Jul. de adulteriis.* At reus pœnam ſubire non tenetur, quouſque ſententia ſaltem declaratoria criminis accedat, ut latè probavimus *tract. de legibus*, *ubi de lege pœnali.* Ergo uxor dotem amittere non tenetur ante ſententiam, ac proinde maritus videtur obligatus ei dotem reſtituere. Contrarium defendit Sanch. *lib.* 10. *diſp.* 9. *n.* 13. ea motus ratione, cui competit exceptio, ne aliquid ſolvere aſtringatur habet jus retinendi tam in foro conſcientiæ, quàm externo, ut probavit *lib.* 6 *diſp* 38. *n.* 34. at maritus ob adulterium uxoris ab ea recedens habet jus excipiendi contra uxorem repetentem dotem opponens ipſi adulterium, ratione cujus liberatur à dotis ſolutione, Ergo poteſt dotem ipſam retinere. Et confirmat ex Textu *in cap. plerumque de donationib. inter vir. & uxor.* ubi uxor recedens à viro ob cauſam fornicationis judicio Eccleſiæ, aut propria voluntate nec reconciliata poſtea ſit, eidem dotem, vel dotalium repetere non valebit. Si igitur repetere non valet dotem, ergo maritus, illam retinere poterit. Sed hæ rationes non convincunt. Fateor namque retinere quemlibet poſſe omne illud, pro quo ipſo jure habet exceptionem ne ſolvat; at adulterium non excipit ipſo jure à ſolutione dotis neque ipſo jure dotem marito concedit, ſed media ſententia, Ergo quouſque ſententia adveniat non habet maritus jus dotis retinendæ. Quod verò adulteræ denegetur judicialis repetitio dotis non inde infertur maritum illam retinere ante ſententiam poſſe, ſicuti non infertur marito acquiri, ſed ſolùm infertur uxorem in foro externo nullum jus habere, ut ſibi dos concedatur, cùm potiùs commiſſo adulterio veniat dote privanda. Atque ita verius exiſtimo maritum propriâ authoritate ab uxore adulterâ recedentem non poſſe ante ſententiam ejus dotem retinere, tametſi uxori dotem repetenti exceptionem adulterii opponere poſſit ne filiis concedatur, ſed potiùs ſibi applicetur, ut benè tradit Abbas *d. cap. plerumque*, *n.* 4. Angel. *verbo Adulterium*, *n.* 6. Sylveſt. *q.* 6. Roſella. *verbo Divortium*, *n.* 4.

§. VI.

§. VI.

Qualiter facto divortio propriâ authoritate, vel per sententiam se gerere possit innocens?

1 *Potest innocens uxori reconciliari, etsi non obligetur.*
2 *Satisfit objectioni.*
3 *Potest conjux innocens sacros Ordines sumere, vel Religionem ingredi.*
4 *Non tenetur maritus uxori adulteræ alimenta præbere.*
5 *Proponuntur duæ quæstiones.*
6 *Si sententia divortii nulla fuit, restituenda sunt omnia uxori.*
7 *Procedit etiamsi Sacris sit initiatus.*
8 *Si uterque conjux credens divortium legitimè esse factum statum mutaverit, uterque potest alterum repetere, etsi* Sanch. *contrarium censeat.*
9 *Si innocens in adulterium incidat, antequam sententia transeat in rem judicatam, obligatus est conjugi reconciliari.*
10 *Si adulterium commissum sit, postquam sententia divortii transit in rem judicatam, plures censent non esse obligatum reconciliari in foro conscientiæ, benè tamen ex officio Judicis.*
11 *Verius est in foro conscientiæ, & ad petitionem partis esse reconciliandum.*
12 *Satisfit fundamentis oppositis.*
13 *Si post hanc sententiam innocens sacros Ordines suscepit, vel Religionem professus est, non est restituendus.*
14 *Examinatur, an facto divortio teneatur vir in adulterium incidens dotem uxori reddere.*
15 *Quid si ante latam sententiam conveniat vir cum uxore adultera de lucranda dote.*

1. CErtum est divertentem justè ab uxore adultera, & rebus in eodem statu permanentibus etsi possit uxori reconciliari, nullam tamen habere obligationem, tametsi uxor emendata sit; quia adulterium est causa perpetui divortii, sicuti tradit Durand. *in* 4. *dist.* 35. *quæst.* 2. Bonavent. *eadem dist. art.* 1. *quæst.* 5. Paludan. *quæst.* 2. *art.* 2. Major. *quæst.* 1. *propè finem.* Gab. *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 7. Soto *dist.* 39. *quæst. unica art.* 3. *concluf.* 4. Basil. Ponce, *lib.* 9. *cap.* 19. *n.* 6. Layman. *lib.* 5. *summ. tractat.* 10. 3. *part. cap.* 19. *num.* 16. & ferè omnes Doctores.

2. Neque contrarium probatur *ex cap. ego dixi* 34. *q.* 1. *&* 2. ubi inquit Textus; *Si vir non receperit suam uxorem jam pœnitentem peccat, & magnum peccatum admittit*, quia id intelligendum est, quando ex indignatione, & odio non admitteret, non verò quando eam non admitteret, ut jure divortii uteretur; vel dic peccare si timeat incontinentiæ periculum uxoris eam repellendo, cui tamen periculo absque gravi incommodo subvenire possit. Neque item obstat Textus *in cap. quod autem*, 32. *quæst.* 1. dicens: *Nunc autem postquam Christus ait adulteræ. Neque ego te condemnabo:* quis non intelligat debere maritum ignoscere, quod videt ignovisse Dominum amborum. Et *cap. si vir de adulteriis*, dicitur: *Quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpè recipere peccatricem.* Notandum est verbum *debet*, quod videtur obligationem indicare, sed rectiùs dicitur, si explicemus verbum *debet*, indicare obligationem debiti ex honestate, & æquitate, non ex lege, & præcepto.

3. Secundò est certum posse conjugem innocentem, neque nocenti reconciliatum Ordines sacros assumere, vel Religionem ingredi, si divortium per sententiam Judicis celebratum sit, constat *ex cap. Agathosa* 27. *quæst.* 2. *& ex cap. constitutus. Cap. veniens de converf. conjugat.* Et ratio est manifesta, quia ob adulterium commissum jus exigendi debitum, mutuámque cohabitationem adulter amisit, ac proinde innocens ab omni conjugali debito liber est; nihil ergo impedit, quia Religionem ingrediatur, vel Ordines sacros assumat; & idem est velit solùm simplex castitatis votum emittere. Atque ita tradit D. Thomas ab omnibus receptus *in* 4. *dist.* 35. *quæst. un. art.* 5. *ad* 3. At si ex adulterio occulto recesserit, etsi validè invito nocente Ordines assumat, vel Religionem profiteatur, illicitè tamen id præstat, quia potest à nocente petente restitutionem revocari, quod in grave Religionis, & Ordinis assumpti detrimentum cedit, & in proximorum non leve scandalum. Quinimò esto adulterium notorium sit, si tamen sententia judicialis non accessit, credo grave peccatum committere qui sacros Ordines, vel Religionem profiteretur adultero invito, eo quòd sub opinione positum sit ante sententiam latam divortii conjugem spoliatum, etiamsi ex causa notoria spoliatus, sit, esse restituendum, ut optimè tradit Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 11. *à n.* 12. *& seqq.*

4. Tertiò etsi plures Doctores, quorum meminit Sanchez *lib.* 10. *disput.* 8. *à num.* 23. satis probabiliter censeat obligatum esse maritum alimenta uxori adulteræ præbere, eo quod per divortium non desinat esse uxor, maximè si ipse maritus occasionem adulterii dederit eam è domo expellens, vel crudeliter tractans, verius tamen est nullam marito innocenti subesse obligationem, quia ob adulterium ab omni debito conjugali solutus est, ut multis comprobat Sanchez *d. disp.* 8. *num.* 25. *& seqq.* Farinac. *t.* 4. *quæst.* 143. *num.* 41. Gutierrez *cap.* 129. *n.* 23.

5. Quocirca controversia in eo sita est. An si conjux innocens deprehendat sententiam divortii fuisse ex falsa præsumptione latam, eo quòd testes de adulterio deponentes decepti sint, vel ipse ante sententiam adulterium commiserit, teneatur uxori spoliatæ reconciliari, eique dotem, aliáque bona reddere, ac si sententia lata non esset? & similiter vertitur quæstio, an eandem reconciliationem teneatur præstare, si post sententiam latam adulterium committat.

6. Circa primum casum fatentur omnes Doctores reconciliationem faciendam esse, eo quòd illa sententia nulla fuerit, neque transire possit in rem judicatam; cùm æquè uterque conjux innocens sit, vel nocens. Quapropter spoliatus si de nullitate sententiæ aliunde constaret nullo petito beneficio restitutionis, posset adversus illam reclamare, & judex annuere debebit. Quod si de errore sententiæ aliunde non constat petito beneficio restitutionis ex clausula generali *si quæ mihi justa causa subest leg.* 1. §. *fin. ff. ex quibus causis majores.* Quod beneficium necessariò concedendum est, ut pluribus firmat Gutierrez *de juram.* 3. *part. cap.* 7. *num.* 8. Zevallos *in suis qq. practicis, quæst.* 542. *num.* 3. probabit ex novis actibus falsitatem, cui prædicta sententia adhæsit: qua facta probatione revocanda sententia est, & spoliatus per omnia restituendus.

7. Quod adeò verum est, ut esto is in cujus favorem divortium celebratum est Sacris sit initiatus, vel professionem fecerit, adhuc cogendus est cum conjuge spoliato habitare, quia illa status mutatio obstare non potest juri spoliato quæsito, uti ex communi sententia tradit D. Thom. *in* 4. *d.* 35. *quæst. unica art.* 5. *ad* 3. Sylvest. *verbo Divortium q.* 21. *n.* 24. Sotus *in* 4. *d.* 36. *quæst. unic. art.* 5. *ad* 3. Graffis 2. *part. decis. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 62. Sanch. *lib.* 10. *disp.* 9. *n.* 9. Basil. Ponce, *lib.* 9. *c.* 20. *n.* 2. Quinimò esto à conjuge spoliato non repetatur, potest ipse secluso scandalo Religionem deserere, utpotè cujus professio nulla fuit, eo quòd astrictus erat conjugali debito juxta Textum *in cap. quidam cap. veniens de converf. conjugat. c. sunt qui dicant, cap. Agathosa* 27. *q.* 2. Et tradit aliis relatis Sanch. *d. disp.* 9. *num.* 10. Basil. Ponce, *c.* 20. *n.* 2. Cui non obstat decretum Concil. Trid. *sess.* 25. *de regularib. cap.* 19. damnans tanquam apostatas eos, qui

qui quacunque ex causa habitum dimittunt, quia id intelligendum est de his qui sponte habitum dimiserint, secùs de his qui ex obligatione; qualis est conjugatus qui ex obligatione conjugii dimittit, ut benè notavit Basil. Ponce, *loco alleg.*

8. Verùm si uterque conjux credens divortium legitimè esse factum statum mutaverit, existimat Sanch. *d. disp. 9. n. 23.* neutrum posse alterum repetere, quia ille in cujus favorem divortium factum est Religionem ingrediens, vel Ordinem sacrum assumens cessit quantum in se fuit juri debitum exigendi, qua cessione facta alius Religionem ingrediens nullam ei irrogat injuriam, ac proinde ingressus tenet. Sed verius est neutram professionem valere, & quemlibet repetere alterum posse, nam spoliantis professio utpotè facta absque legitimo spoliati consensu eandem nullitatem habet, ac si sententia divortii lata non esset, siquidem illa sententia, ut supponimus, nulla fuit. Et ob eandem rationem professio spoliati nulla est, quia est facta in præjudicium spoliantis integrum conjugale jus retinentis, cui ex errore cessit, ideóque nec cedere potuit. Atque ita docent expressè Asterius *lib. 8. n. 2. petit. 34. art. 2. q. 5.* Rosella. *verbo Divortium, n. 2.* hujúsque sententiæ sunt omnes Doctores, qui indistinctè asserunt professionem spoliantis esse nullam, nulla restrictione facta, an uterque statum mutaverit.

9. Quoad secundum casum, quando post sententiam innocens in adulterium incidit. Gravior est dubitatio. Et quidem si adulterium commissum sit, antequam sententia transeat in rem judicatam, eo quòd elapsum non sit appellationis tempus, vel lata sit adversus minorem, qui beneficio restitutionis uti potest, absque dubio obligatus est conjugi dimisso reconciliari, neque potest etiamsi occultissimum sit adulterium prosequi divortium; quia æquè reus est, & delicta compensata sunt, sicuti notavit Basil. Ponce, *lib. 9. cap. 20. n. 3.* Sanch. *lib. 10. disp. 9. n. 30. in fine.*

10. Atsi adulterium commissum sit postquam sententia divortii transit in rem judicatam; graves Theologi, & Canonistæ sentiunt adulterium dimissum non posse dimittentem repetere; neque dimittentem obligatum esse in foro conscientiæ dimisso reconciliari, esse tamen ex officio Judicis reconciliandos; si periculum incontinentiæ subsit, sicuti tradit D. Thom. *in 4. d. 35. quæst. un. art. 6. ad 4.* Et *ibi* Durand. *quæs. 2. art 2.* Sotus *dist. 36. quæst. unica art. 6. ad 3.* Henriq. *lib. 11. cap. 17. num. 3.* Et alii plures, quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 10. disp. 9. n. 30. & seqq.* Layman. *l. 5. summ. tract. 10. 3. p. cap. 7. n. 14.*

Probat Sanchez priorem patrem suæ sententiæ. Primò quia quod semel benè difinitum minimè retractandum est *cap. quod benè 6. quæst. 4.* Secundò quia servitus semel amissa non renascitur, *c. quæris de consecrat. dist. 4. leg Stichum, §. aream ff. de solutionibus*, at servitus conjugis innocentis amittitur latâ divortii sententiâ, ergo postmodum adulterante non renascitur. Tertiò etsi adulterii exceptio alio adulterio extinguatur, at exceptio rei judicatæ aboleri non potest adulterio post sententiam admisso. Quartò divortii sententia absolvit innocentem à debito conjugali Societatis, ita ut fornicans postea non censeatur adulter comparatione conjugis dimissi, sed ordine ad Deum ob vinculum matrimonii perseverans, sicuti non censetur conjux injuriam facere ei, qui suo adulterio connivet, cessante verò injuria cessat causa divortii. Quintò sententia divortii non fertur sub conditione aliqua in favorem rei, nimirum si innocens se continuerit, sed comparatione illius absoluta est, transitque in rem judicatam. Si ergo innocentem à conjugali servitute absolutè liberet, non poterit adulterium ad eam servitutem revocare, maximè cùm id jure cautum non inveniatur, & omnia jura clament sententiam ritè latam revocari non posse. Secundam partem scilicet posse Judicem ex officio compellere prædictum conjugem innocentem postea nocente, ut alteri adversus quem sententia divortii lata est reconcilietur, probat Sanchez ex doctrina Bart, *in l. 1. §. hoc autem judicium num. 2. de damno infecto*, asserentis judicem uti posse officio suo in publicam utilitatem, & miserabilium personarum. Præterquàm quod adulterium superveniens præjudicat rei judicatæ ob animæ periculum.

11. Nihilominus longè verius est non solùm ex Judicis officio sed ad petitionem partis cogendum esse innocentem postmodum nocentem nocenti dimisso reconciliari, obligatósque esse in conscientia hanc præstare reconciliationem quolibet volente: sic docuit Glossa *in c. ex. litteris de divortiis, verbo ad invicem separati.* D. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 21. §. 6.* Palud. *in 4. dist. 35. quæst. 2. art. 2.* Navarr. *lib. 4. consil. conf. 1. de divort in 2. edit n. 2.* Petr. de Soto *de matr. lect. 12. paulò ante finem.* Graffis *2. p. decis. l. 1. c. 12. n. 73. casu 3.* Molina *t. 3 d. 45 n. 5.* Coninch. *d. 35. dub. 2. n. 13.* Basil. Ponce, *l. 9. c. 20.* Et alii plures relati à Sanch. *n. 6. l. 10. d. 9. n. 17.* ubi hanc sententiam censet valde probabilem. Ratio autem videtur manifesta, quia sententia divortii ob adulterium ab altero conjuge commissum non concedit innocenti jus ab eo divertendi, sed jus quod ex adulterio acquisivit declarat, ut eo publicè uti possit. At jus quod ex adulterio innocenti acquiritur est dum innocens est, ergo facto nocente cessat prædictum jus, ac proinde obligatus est reconciliari, sicuti obligaretur, si adulterium commisisset ante sententiam latam.

12. Neque argumenta in contrarium urgent. Ad primum concedo ritè definitum non esse retractandum ex illis causis, ex quibus difinitum est; at si nova causa superveniat, retractari poterit, neque hæc dicenda est prioris sententiæ retractatio, sed novæ causæ decisio. Eodem modo secundum argumentum solvendum est, admittimus namque servitutem amissam non redire, nisi ex nova causa contrahatur, ut contingere potest in servo manumisso, qui si iterum in bello justo capiatur, iterum potest in eandem servitutem redire. Cùm ergo post sententiam adulterium succedat, quo innocens nocens factus est, servitus, & obligatio antiqua, à qua ob suam innocentiam, & alterius delictum exemptus erat redit, sicuti rediret, si denuò adultero reconciliatur; suum enim delictum vim habet reconciliationis, siquidem eo alterius delictum compensatur. Ad tertium concedo exceptionem rei judicatæ semper nocenti obstare, ne possit in dubium revocare sententiam latam, at ei nullo modo obstat, quin ob aliam causam denuo supervenientem litem intentet, & novam sententiam exigat. Ad quartum omnino negandum est sententiam divortii impedire, quin adulterium postmodum commissum injuriosum sit conjugi dimisso. Etenim sententia divortii solùm eximit innocentem à debiti redditione, & mutua habitatione, non tamen à debito, quo omnis conjugatus astringitur ne aliis copuletur, aliás sententia foveret crimina, ac proinde adulterium post sententiam commissum injuriosum est conjugi dimisso. Poterit ergo illa injuria injuriam à se factam compensare. Ad quintum admitto sententiam latam divortii in odium rei, & favorem innocentis transire in rem judicatam. Sed hoc intelligendum est rebus in eodem statu permanentibus, secùs si innocens factus sit nocens. Quæ conditio tacitè in sententia divortii imbibitur Quippe jure naturali contractus matrimonii postulat ne innocens à nocente divertat, nisi dum fuerit innocens, quam naturam sententia mutare non intendit.

13. Quod si post sententiam latam quæ transit in rem judicatam innocens sacros Ordines suscepit, vel Religionem professus est, & factâ professione, vel sacris Ordinibus susceptis adulterium committat, nullatenus uxori reddendus est, quia jus quod Religio, & Ordo validè, & legitimè susceptí acquisierunt, non potest

proprio

proprio delicto infirmari, ut rectè notavit Coninch. *disp.35. dub.2. num.16.* Basil. Ponce *lib.9. cap.20. n.7.* Secùs esset, si sacros Ordines, vel Religionem suscepisset, antequam sententia transiret in rem judicatam, ut *superius* diximus: quia eo casu illegitimè Ordo, & religio suscipitur, ideoque conjugi non planè dimisso præjudicare nequit.

14. Ex his deciditur quæstio, an facto divortio in favorem viri, qui postmodum adulterium commisit, teneatur dotem uxori reddere? Et quidem in nostra sententia cùm matrimonium redintegretur nemini esse potest dubium dotem reddendam esse, sicque tanquam certum tradit Gregor. Lopez *leg.8.verbo eje mismo, tit.2. part.4.* Barbosa *leg viro, atque uxore 40. num.3. Soluto matr.* Mexia *verb. taxa panis concl.6. num.63.* Basil. Ponce *lib.9. cap.20. in fine.* At stante sententia Sanch. quæ conjugi dimisso repetitionem denegat conjugis dimittentis in adulterium lapsi, solumque Judici concedit potestatem compellendi prædictos conjuges ad reconciliationem ob periculum incontinentiæ, dubium est, an ipse Judex possit cogere virum; ut dotem uxori reddat? In quo dubio Sanchez negativam partem tuetur, eo quòd instauratio matrimonii officio Judicis ob periculum incontinentiæ vitandam, quod optimè fieri potest, quin dos uxori reddatur. Verùm esto ad vitandum incontinentiæ periculum non sit necessarium dotem uxori reddere, at in pœnam delicti noviter commissi, & ad conjugalem amorem fovendum posito quòd matrimonium instauratur, expediens est dotem uxori reddi. Si ergo ob vitandum incontinentiæ periculum potest Judex ex officio compellere prædictos conjuges ad mutuam cohabitationem, cur non poterit obligare ad dotem conjugi reddendam, ut ea mutua habitatio cum debito amore fiat.

15. Addit insuper Thom. Sanchez *dict. disputatione nona, numero trigesimo septimo.* Si ante latam sententiam conveniat vir cum uxore adultera de lucranda dote ob desistentiam ab accusatione criminali, si ipse postmodum in adulterium incidat, obligatum esse restituere dotem, quia ea delicta compensantur, prædictumque pactum tacitum imbibit conditionem, nisi delictorum compensatio fiat, non placet; nam esto ea delicta quoad accusationem civilem divortii compensentur, quoad accusationem autem criminalem nullatenus admittunt compensationem, uti aliis relatis tradit Cantera *in suis quæst. criminalib. q. tangentibus punitionem delicti, capite quarto, numero quadragesimo sexto.* Zenedo *collect. juris, collect.166. numero quarto.* Non enim criminaliter accusare potest mulier virum adulterum, benè tamen vir adulter mulierem adulteram, uti habetur *leg.1. Codice ad leg. jul. de adult. Et leg. regia titul. decimo septimo, parte septima. Et leg.13. in fine titul. nono, parte quarta. Et cap. apud misericordem, §. publico judicio 32. quæstione prima.* Neque accusata mulier de adulterio se tueri potest exceptione adulterii mariti, tametsi publicum sit, ut alios referens docuit Covarruv. *secunda parte, decret. capitè septimo, §. sexto, numero quinto.* Et consentit his omnibus Sanchez *libro decimo, disputatione octava à numero trigesimo tertio, & sequent.* Si igitur vir pactum cum uxore inivit de dote lucranda, eo quòd ab accusatione criminali desistat; cùm eandem accusationem criminalem commisso adulterio posset instituere, ac si adulterium non commisisset, nequaquam censendum est pactum dissolvi, sed integrum, & firmum perseverare, dotemque uxori accusatione criminali non factâ.

§. VII.

An latâ sententiâ divortii teneatur conjux dimittens reconciliari innocenti, quandocunque ipse velit, vel liberum sit illi Ordines suscipere, vel Religionem ingredi?

1 *Per se obligatus est reconciliari, nec statum mutare potest.*

2 *Hæc obligatio non mutandi statum permanet dum subest spes reconciliationis.*

3 *Aliquando & per accidens excusatur nocens reconciliari innocenti.*

4 *Ingresso in Religionem adultero, vel innocente, non tenetur alter Religionem ingredi.*

1. ETsi plures Doctores, quorum meminit Sanchez *lib.10. disput.10. n.2. & 10.* Existiment neque improbabiliter, non esse obligatum conjugem adulterum reconciliari innocenti acceptanti divortii sententiam, sed posse conjuge innocente inconsulto, imo invito de suo statu disponere Religionem ingrediendo, vel sacros Ordines suscipiendo, aut votum castitatis emittendo, quia sententia divortii etsi in favorem innocentis feratur, quatenus ei concedit optionem divertendi à conjuge nocente, aut ei se reconciliandi, at indirectè cedit in favorem nocentis. Nam eo ipso quo innocens eligit divortium, nocens excusatur à debito conjugali, quo illi astrictus erat. Quippe eâ electione remisit mutuam illius societatem. Longè tamen verius est per se obligatum esse conjugem adulterum innocenti reconciliari, neque posse castitatem integrè vovere, Ordinemve sacrum assumere, aut Religionem ingredi, dum spes subest reconciliationis, sicuti docent ex Jurisperitis Gloss. *in cap. ex litteris verbo redire de divortiis.* Felin. *in cap. lator declarat.8. num 9. de sentent. & re judic.* Sylvest. *verbo Divortium, q 10.* Greg. Lopez *leg.5. verbo de adulter. titul.10. part.4.* Barbosa *Rub. ff. Soluto matr. 2.part. num.22. in fine.* Et *leg 2. part.1 in princ. num 109. in fine.* Ex Theologis D.Thom. *in 4. distinct.35. quæst. unica, art.6. ad 3. & ibi* Bonav. *art.unic. quæst.5.* Durand. *quæst.2. art.1. num.6.* Palud. D.Anton. *3.part. tit.1. cap.11. §.6. vers. effectus accusationis.* Abulens. *c.19. Matth. q.75.* Graffis *1.p. decis. lib.2. cap.84. num.14.* Et *2 part. lib 1. cap 12. n.66.* Sanchez alios plures referens, *lib.10. disp.10. num.3. & seqq.* Basil. Ponce *lib.9. c.19. num.1. & seqq.* Coninch. *disp.35. dub.5. à num.15.* Layman. *lib.5. summ. tr.10. 3.part cap.7. num.14.* Ratio ea est, quia sententia divortii non plus juris concedit innocenti, vel nocenti; quàm quod jure ipso naturali eis competit ob adulterium commissum, est enim ut sæpè dictum est illius juris declaratoria. At adulterium non eximit nocentem ab obligatione reddendi debitum, & cohabitandi cum innocente, si ipse velit; aliàs ex suo delicto commodum reportaret adulter, sed hanc exceptionem innocenti concedit, in recompensationem injuriæ sibi factæ, & fidei violatæ. Ergo quandocunque innocens volet sibi nocentem reconciliari & ab eo debitum conjugale, mutuamque habitationem exigere, tenetur nocens obedire.

2 Hæc autem obligatio, quâ conjux nocens arctatur non mutandi statum solum durat (ut dixi) dum reconciliationis subest spes, nam eâ deficiente liberum illi est statum religionis, vel Ordinem sacrum assumere, ut potè qui non præsumitur ab innocente repetendus, quod impedire poterat, ut optimè notavit Coninc. *dicta disputat.35. dub.5. concl.4. numero 26.* Et supponunt Doctores omnes *num. præced.* relati. Unde si uxor sententia lata à Judice sæculari de ejus adulterio, vel illo notorio existente detrudatur in monasterium

pœnitentiam actura, ſi intra biennium illius recluſionis non illam repetat, vir poterit Religionem profiteri, ea enim repetitionis omiſſione cenſetur jure ſic diſponente conſentire ingreſſui: habetur Authent. *ſed hodie, Codic. Ad leg. Jul. de adulter.* Cujus decimo jure canonico revocata non eſt, ut rectè advertit Abbas *cap. gaudemus de divort. iis, num.* 7. Hoſtienſ. *ibi num.* 3. Joan. Andr. *num.* 3. Ancharr. *num.* 2. Baſil. Ponce *lib.* 9. *capite decimo nono, numero tertio.* Sanchez *libro decimo, diſputatione decima, numero octavo.* Secundò ſi adulter emendatus ſæpius reconciliationem petat, & innocens deneget. Poterit ſtatum mutare; quia prædictâ denegatione tacitè inquit nolle unquam ſibi nocentem reconciliare qua ſpe ſublata injuſtè, & irrationabiliter vellet, ut nocens de ſtatu ſuo ſemper ſuſpenſus exiſtat, uti colligitur ex *cap. gaudemus de divortiis.* Et tradit Sanchez *dicto numero* 8. *&* 16. Baſil. Ponce *num.* 4. Cominch. *diſputatione* 35. *dub.* 5. *numero* 26. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 10. 3. *p. cap.* 7. *num.* 12. Tertiò ſi innocens ſacris Ordinibus initiatus eſt, vel Religionem profeſſus, liberum eſt nocenti ſtatum Religionis eligere, quia repeti nequit ab innocente, utpote qui ſtatum elegit uſui conjugali oppoſitum, ſicuti docet Joan. de Fr. burgo *ſumm. confeſſor. lib.* 4. *tit.* 22. *quæſt.* 14. Palaçios *in* 4. *diſt.* 35. *quæſt. unica, dub.* 2. Roſella *verbo Divortium, num.* 11. Sylveſt. *ibi quæſt.* 10. Sanch. *lib.* 10. *diſp.* 10. *num.* 6. Baſil. Ponce *dicto cap.* 19. *num.* 2. Et licet Palaçios idem eſſe exiſtimet, ſi votum ſimplex caſtitatis emiſerit innocens, quia eo impeditur à petitione debiti, & petenti iniquè nulla eſt obligatio reddendi in plurium ſententia. At verius eſt ob prædictum votum ab innocente factum non excuſari nocentem ab ejus reconciliatione, eo quòd per votum caſtitatis non ceſſerit juri juſtitiæ, quod habet exigendi debitum ab alio conjuge, neque in illius favorem abſtinere promiſit à debiti petitione, ſed tantùm in honorem Dei. Atque ita tradit Sanchez *dicta diſp.* 10. *num.* 6. Baſil. Ponce *lib.* 9. *ca.* 19. *num.* 2. Tametſi non ſatis conſequenter, nam cùm ipſe *lib.* 10. *cap.* 3. Cenſeat excuſari conjugem à reddendo debito, quoties alter iniquè petit ob circunſtantiam aliquam, quam ipſe tollere non poteſt, conſequenter affirmare debebat nocentem obligatum non eſſe reddere debitum conjugi innocenti petenti voto caſtitatis aſtricto, cùm tamen *dicto cap.* 19. *n.* 2. Contrarium aſſerat. Præterea votum caſtitatis etſi impediat eo ligatum debitum conjugale exigere, & alterum conjugem excuſet ab obligatione reddendi caſu quo petatur, at nullatenus impedit extra thorum mutuam cohabitationem & obſequiorum communicationem. Ergo ad hanc obſequiorum communicationem, & mutuam cohabitationem, optimè poterit innocens voto caſtitatis aſtrictus conjugem nocentem repetere, & compellere.

3 Dixi teneri per ſe nocentem ad conſortium innocentis redire, ut tacitè indicarem per accidens excuſari aliquando poſſe. Si enim uxor ſeparata eſt à viro ob adulterium commiſſum, rarò compelli poteſt ad ejus conſortium redire ob timorem, quem rationabiliter habere poteſt mortis ſibi inferendæ, aut iniquæ tractationis, ingentiſque ſævitiæ, ut advertit optimè Gutierr. *cap.* 129. *de matr. num.* 14.

4. Ad extremum adverto ingreſſo in religionem adultero illis in eventibus in quibus ingredi permittitur non eſſe obligatum innocentem ad ingreſſum, neque ad votum caſtitatis emittendum. Quinimo neque ingrediente innocente in religionem aſtringitur nocens ad illius ingreſſum, ut benè advertit Sotus *in* 4. *d.* 36. *quæſt. unica, art.* 5. *ad* 3. Layman. *lib.* 5. *ſum. tr.* 10. 3. *p. cap.* 7. *num.* 12. Sanchez *lib.* 10. *diſp.* 10. *concl.* 4. *num.* 15. Coninch. *diſp.* 35. *dub.* 5. *initio concl.* 1. Quia textus *in cap. ſanè, cap. cum ſis, cap. ſignificavit de converſ. conjugator.* Exigentes mutuum conjugum ingreſſum intelliguntur, cum matrimonii jura integra, & illæſa ſunt, ſecùs verò quando ob divortium ſunt diminuta.

§. VIII.

Qualiter ob hæreſim liceat Catholico conjugi divertere?

1 *Ob alias cauſas à carnali fornicatione licet divortium.*
2 *Ob hæreſim pertinacem licitè fieri poteſt.*
3 *Separatus propria authoritate Catholicus ab Hæretico nequit Sacris initiari, vel Religionem ingredi.*
4 *Aliqui cenſent hæreticum judicio Eccleſiæ damnatum, & ab hæreſi reſipiſcentem admittendum eſſe à Catholico conjuge.*
5 *Alii probabilius eximunt Catholicum ab hac obligatione.*
6 *Hæreticus ſic damnatus nullatenus poteſt invito Catholico ſtatum mutare.*
7 *Ex eo quod Catholicus hæretico copuletur, ſi copula habeatur ante ſententiam non obinde cenſendus eſt remittere jus divertendi, ſecus ſi poſt ſententiam.*
8 *In hoc crimine hæreſis non datur compenſatio ſicut in adulterio.*

1. LIcitum eſſe ob alias cauſas à carnali fornicatione conjugem innocentem à ſuo conſorte divertere Catholica veritas eſt definita in Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *can.* 8. Ibi: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri poſſe decernit, anathema ſit:* Conſtatque ex *toto tit. de divortiis, & de converſione conjugatorum.* Neque huic veritati obſtat, quod Chriſtus Dominus Matth. 5. & 19. Solùm carnalem fornicationem aſſignaverit, ut poſſit conjux innocens ab altero tametſi contra ejus voluntatem ſeparari, quia Chriſtus Dominus loquutus eſt de cauſa perpetua ſeparationis, & quæ per ſe contractui matrimonii obſtat, & hæc ſola eſt fornicatio carnalis, reliquæ autem cauſæ ex ſe perpetuam ſeparationem non inferunt, ſed ſolùm dum cauſæ ipſæ perſiſtunt. Neque matrimonii ſunt propriæ, eique directè oppoſitæ, ſed communes aliis ſocietatibus, & confœderationibus. Hoc ſuppoſito.

2. Inter cauſas, ob quas præter adulterium licitum eſt conjugi innocenti divertere à nocente eſt hæreſis non quæcunque, ſed pertinax (qualis cenſenda eſt, quæ poſt unam, & ſecundam correctionem perſiſtit, juxta illud Pauli ad Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correctionem devita* ſicuti colligitur ex *cap. non ſolum. Et cap. idololatria* 28. *quæſtione prima. Et cap. fin. de converſ. conjugat. Capit. quanto de divortiis.* Ratio hujus concluſionis eſt, quia plerumque ex cohabitatione cum hæretico pertinaci imminet periculum conjugi Catholico, ejuſque proli: ob quam rationem, etſi de facto in aliquo caſu hoc periculum eſſet, non obinde impeditur Catholicus à divortio celebrando, quia ſat eſt quod hoc periculum in plurimum adſit, ut rectè notavit Coninch. *diſputatione trigeſima quinta, dub.* 4. *numero vigeſimo quarto.* Sanchez *libro decimo, diſputatione* 15. *numero* 9. Paul. Layman. *libro* 5. *tract.* 10. 3. *part. capite* 7. *numero* 16. Quando verò periculum perverſionis agnoſcitur non ſolùm poteſt Catholicus, ſed etiam debet ſe ab hæretico ſeparare, quia periculum peccati iure naturæ quilibet vitare tenetur, ſicuti docuit Sanchez aliis relatis *dicta diſput.* 15. *num.* 5. Layman. *dicta cap.* 7. *num.* 16. Baſil. Ponce *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 2. Crederem tamen hoc eſſe intelligendum, quando coniux hæreticus Catholicum niteretur pervertere, graviſſimumque eſſet periculum aſſentiendi iuxta textum *in c.* 2. *de divortiis*; aliàs non videtur obligatus Catholicus divortium facere. Quippè nemo tenetur communia pericula peccandi cum gravi ſui detrimento fugere, uti conſtat ex his quæ latè diximus *tr.* 6. *de charit. diſp. ult.*

disp.ult. de scandalo. At negari non potest Catholico grave esse se à conjuge separare, ejus cohabitatione, & obsequio carere, & cœlibem esse. Adde ex tali separatione sæpè imminere conjugi incontinentiæ periculum. Quomodo ergo obligandus est fugere periculum perversionis non graviter urgens, si ex ejus fuga incidat in periculum grave incontinentiæ ?

3. Separatus verò propriâ authoritate conjux Catholicus nequit sacris initiari, nec validè Religionem ingredi, quia cedit in præjudicium conjugis hæretici, qui conversus sic initiatum, vel professum repetere potest, neque ipse Catholicus se tueri potest hæresi etiam notoria ab altero conjuge commissa; quia hæc secluså Ecclesiæ declaratione non præbet causam perpetui divortii, sed temporalis; nempè dum ipsa persistit, quare hæresi cessante cessat causa divortii, & obligatur hæretico pœnitenti, reconciliari, in quo maximè differt ab adulterio carnali: hoc enim utpotè matrimonio directè oppositum semel commissum perpetui divortii causam præbet; secus verò adulterium spirituale, quod est hæresis: requirit namque permanentiam, sicuti advertunt Sanchez *lib.*10 *disp* 15. *num.*10. *& seqq.* Basil. Ponce *lib.*9. *cap.*22. *num* 2. Paul. Laym. *lib.*5. *sum. tract.*10. 3.*p. cap.*7. *n.*16. Coninch. *disp.*35. *dub.*4. *num.*24.

4. Quare controversia inter Doctores est; An hæreticum judicio Ecclesiæ declaratum, & ab hæresi resipiscentem teneatur Catholicus ad sui consortium admittere ? Et quidem plerumque consultissimum videtur eam præstare reconciliationem: tum quia Christianam pietatem commendat. Tum quia non leviter juvabit hæreticum pœnitentiam ad perseverandum in fide, ad vitandum incontinentiæ periculum, nimiæque tristitiæ & desperationis. Quinimo Gofred. *sum. tit. de convers. infidelium, n.*4. Credit hanc subesse Catholico obligationem quia esto in *capite de illa de divortiis* eximatur ab hac obligatione: at prædicta concessio videtur revocata per Textum *in capite quanto de divortiis,* ubi vir Catholicus compellitur admittere conjugem ab hæresi resipiscentem. Cui doctrinæ assentitur Henriquez *lib.*11. *de matr. c.*17. *n.*6. Ea moderatione adhibita, si intra biennium signa dederit perfectæ emendationis. Glossa verò *in cap. de illa de divortiis in fine. Et cap.quantò eodem tit. in fine. Et c.fin. verbo judicio.* Joan.Andræas *in dicto c.quanto. Et c. de illa.* Abulens. *in c.*19. Matth. *q.*76. *in corp. vers. dicendum.* Julius Clarus *lib.*5. *receptar. §. hæresis, num.*15. Sotus *in* 4. *dist.*39. *q.unica art.*4. *ad* 3. Ludovic. Lopez 2.*p. instruct. c.*53. *§. licet. Et c.*54. *vers. notandum est.* Palacios *in* 4. *dist.*35. *disp.unic. post medium.* Sirdus *de aliment. tit.*7. *q.*21. *num.*7. Et alii plures relati à Sanch. *disp.*15. *n.*18. Asserunt Catholico subesse obligationem recipiendi hæreticum judicio Ecclesiæ damnatum resipiscentem, si vellet in sæculo manere, neque excusari posse ab hac obligatione nisi Religionis ingressu, eo quòd *in c.fin.de convers. coniugat.* (cui decisioni standum est,) videatur concessa facultas non recipiendi hæreticum pœnitentem sub prædicta conditione Religionis, inquit enim Textus. *Mulier quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata ad religionem liberè convolare.*

5. Sed rectiùs eximunt Catholicum à prædicta obligatione recipiendi hæreticum damnatum Covarruv. *in* 4.*decret.* 2.*p. c.*7. §.5. *n.*5. Castro *lib.*2. *de iusta hæretic. punit. c.*7. Matien. *lib.*5. *recopil. tit.*1. Rub. *gloss.*1. *n.*80. Barbosa *Rub.* 2.*p. num.*20. *ff. soluto matr.* Graffis 1.*p. decis. lib.*2. *c.*84. *n.*16. *Et* 2.*p. lib.*1. *c.*12. *n.*22. Et aliis relatis Sanch. *lib.*10. *disp.*15. *n.*19. Coninch. *disp.*35. *dub.*4. *n* 24. Paul. Layman. *lib.*5. *sum. tract.*10. 3.*p. c.*7. *n.*16. Basil. Ponce *lib.*9. *c.*22. *n.*3. Gaspar Hurt. *disp.*11. *difficult.*5. *n.*20. Et alii: Moventur hac efficaci ratione; Ecclesia in pœnam hæresis privat hæreticum jure; quod in suum conjugem habebat exigendi conjugale debitum, mutuamque cohabitationem, sicuti privat aliis bonis, & iuribus quæsitis, & Catholicum coniugem eximit à prædicta obligatione, ut constat *ex cap. de illa de divortiis*, ubi inquit Textus: *De illa, quæ à viro suo labente in hæresim ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis quod mulier ei, cum reversus fuerit, est reddenda, quæ etsi reverti noluerit compellatur.* Si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recessit ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam. Neque contrarium deciditur in *cap. quanto de divortiis*, ubi mulier compellitur ad virum hæreticum pœnitentem redire, quia id factum est, eo quòd proprio iudicio, & non Ecclesiæ iudicio ab illius consortio se separaverit. Et licèt *in c. fin. de convers. coniugat.* Concedatur mulieri, quæ in fide remansit; ut nolente viro ab infidelitate reverso, propter quam iudicio Ecclesiæ ab eo fuerat separata possit liberè ad religionem convolare, nullo modo ad huiusmodi ingressum, arctatur, sed eo ingressu liberè concesso declaratur plena exemptio, qua in dicta mulier Catholica habebat à mutua cum viro habitatione. Censetur autem Catholicus iudicio Ecclesiæ ab hæretico separari, eo ipso quo hæreticus ut talis iudicio Ecclesiæ declaratur, quantumvis privatim, & in secreto ab Inquisitoribus hoc iudicium fiat, ut rectè advertit Sanchez *dicta disp.*15. *n.*20. Quia est pœna, quæ delicti declaratione non requitur.

Quocirca coniux Catholicus invito hæretico damnato potest, & in sæculo manere, & ad Religionem transire, vel sacros Ordines suscipere, sicuti potest divortio facto ob adulterium carnale, quia æquè sententia hæresis lata eximitur à coniugali debito, ac exemptus est adulterio declarato. Atque ita docet Barbosa *Rub.* 2.*parte, numero* 20. *ff. soluto matrimon.* Sanchez *dict. disput.*15. *num.*21. Basil. Ponce *lib.*9. *cap.*22. *num.*3.

6. Hæreticus verò sic damnatus, & ab hæresi reversus nullatenus potest invito Catholico statum mutare, sed potiùs tenetur ad Catholici consortium redire, si ipse velit, quia illa fuit pœna ob hæresim imposita, quæ non debet in detrimentum innocentis cedere. Quare esto probabile sit sententia divortii lata ob adulterium, quam innocens acceptat, nocentem obligatum non esse ad consortium innocentis redire; in præsenti autem nullo modo id probabile censendum est, quia separatio ex adulterio integrè fit in favorem innocentis, & ob iniuriam ipsi factam: at separatio ex hæresi præcipuè fit ob iniuriam fidei, & Religioni factam, & in eius satisfactionem, neque acceptatione innocentis indiget, ac proinde non liberatur hæreticus à servitute coniugali prædicta condemnatione facta, sicuti advertit Sylvest. *verbo divortium, q.*10. Sotus *in* 4.*dist.*39. *q.unic. art.*4. *ad* 3. Barbosa *Rub.* .*p. n.*22. *ff. soluto matrimonio.* Sanch. aliis relatis *dicta disp.*15. *n.*24. Basil. Ponce *lib.*9. *cap.*22. *num* 4.

7 Ex eo autem quod Catholicus hæretico copuletur, si copula ante sententiam hæresis habeatur, non obinde censendus est remittere ius divertendi, quia nequit remittere ius divertendi, quod ex hæresis perseverantia nascitur. Ex hæresi autem præterita, neque ab Ecclesia damnata nullum ius divertendi habet, quod possit remittere. At si copula post sententiam habeatur, quo casu habet ius divertendi, & sic subest eius condonationi Thom. Sanch. *lib.*10. *disp.*15. *n.*26. Distinguit, si cùm habetur copula animus adest condonandi manifestum est remittere ius divertendi per sententiam acquisitum, ac proinde ea remissione facta iam licitum non esse divertere. Si verò expressus animus adesset non condonandi, nulla censeri debet remissio, siquidem hæc absque voluntate esse non potest. Quod si neuter animus expressè adesset nec condonandi, nec non condonandi, etsi in divortio ob adulterium carnale censenda sit facta remissio, secùs verò in divortio ob adulterium spirituale. Quippe divortium ob adulterium

carnale ideò fit, quia caro conjugis in alienam dividitur, quæ divisio nova copula conjugis redintegratur. At divortium ob adulterium spirituale, scilicet hæresim non fit, quia caro conjugis in alienam dividatur, sed quia Deo, ejusque fidei, & religioni irrogatur injuria, quæ non videtur ob copulam cessare. Sed displicet hoc ultimum dictum Sanchez, ideoque existimo habitâ copulâ post sententiam remissionem juris divertendi necessariò præsumendam esse; nam esto in pœnam injuriæ irrogatæ Deo ab hæretico absolvatur conjux Catholicus à debito conjugali, ea absolutio in favorem catholici fit, cui ipse cedere potest. Qui ergo copulam habet cum hæretico, jam ea copula protestatur se nolle ab hæretico divertere, cedit igitur juri divertendi quod habet, ut docuit Basil. Ponce *lib.9. cap.22. num.5.*

8. Superest dicendum: An in hoc crimine hæresis, sicuti in adulterio detur compensatio; Et omissis variis sententiis, quas refert Sanchez *lib.10. disp.16. num.1. & 2.* Dicendum est cum eodem Sanch. *num.3.* Et Basil. Ponce *lib.9 cap.22. n.6.* Nullam in hoc crimine esse compensationem, & primò esse non potest compensatio adulterii cum hæresi ante sententiam, nam hæresis ante sententiam non est causa perpetui divortii, sicuti est adulterium, sed ad tempus dum hæreticus inquam non corrigitur. Non igitur adulter, à quo hæreticus recedere intendit se tueri potest exceptione hæresis nondum damnatæ. Neque etiam est compensatio cum hæresi Ecclesiæ judicio declarata. Nam esto ob utramque causam adulterium scilicet, & hæresim divortium esse possit, ob diversam tamen rationem contingit; quippe divortium ex adulterio est ob violationem fidei conjugio debitæ; at divortium ex hæresi fit in pœnam ob violationem fidei, Deo, ejusque Religioni debitæ, ideoque unum delictum cum alio compensari non potest, ac proinde quilibet jus habet ab altero recedendi adulter ab hæretico, & hæreticus ab adultero. Quinimò neque unius hæresis cum alterius hæresi venit compensanda, nam cùm pœna divortii ob hæresim non imponatur ob injuriam conjugio factam, sed Deo, nequit unius hæresis pœna cum alterius hæresis pœna compensari. Non enim unius hæresis alterius hæresis gravitatem diminuit, sicuti contingit in adulterio carnali; in quo unius injuria alterius injuria compensatur, utpotè quæ eidem conjugio adversantur.

§. IX.

Qualiter ob alias causas, maximè ob sævitiam liceat facere divortium?

1 *Quoties absque gravi periculo animæ vel corporis nequeunt conjuges simul habitare, est sufficiens causa divortii.*
2 *A conjuge incitante ad peccatum potest incitatus se separare.*
3 *Licitum est uxori se separare à viro qui lenocinium exercet, &c.*
4 *Cessante inductione ad peccatum, cessat divortium.*
5 *Quoties conjugi grave damnum corporis imminet, quod alia via averti non potest datur occasio divortii.*
6 *Si conjux alterius vitæ insidias paret, vel aliud grave damnum moliatur, licet divortium. Debet tamen judicis authoritas intervenire.*
7 *Ob malum grave factum, nisi timeatur futurum, non datur divortium.*
8 *Retentio concubinæ domi, vel extrà præstat plerumque uxori causam divertendi.*
9 *Conjux recedens ob prædictum timorem causam coram Judice Ecclesiastico tractare debet.*
10 *Probationes sævitiæ concludentes esse debent.*
11 *Si probationes integræ non sint, datur locus cautioni de non offendendo. Et quæ cautio præstanda sit.*
12 *Si ad tempus sententia divortii fuerit lata, neuter potest statum mutare, secus si in perpetuum.*
13 *Si conjux minor sit, in cujus odium sententia divortii lata est, beneficio restitutionis gaudet.*

1. PLures causæ divortii præter supradictas assignantur à Doctoribus, quæ sub hac regula perstringuntur. Quoties absque gravi periculo animi, vel corporis nequeunt conjuges simul habitare, datur sufficiens causa divortii, uti ex communi sententia tradit Sanchez *libro 10. disputatione 17. 18. & 19.* Basil. Ponce *libro 9. capite 23.* Coninch. *disputatione 35. dub.4.* Paul. Layman. *libro 5. sum. tractat.10. 3.part. capite 7. numero 16.* Nemo enim censendus est alteri se velle obligare cum gravi sui jactura etenim prius sibi quàm alteri consulere debet.

2. Ex qua doctrina quæ verissima est infertur posse conjugem innocentem, quem alter ad peccandum incitat, nec monitus desistit ab eo se separare, uti probat Text. *in cap.2. de Divortiis, & cap. idololatria 28.q.2.* Et quamvis in his Textibus sermo sit de inductione ad infidelitatem, cùm eadem sit ratio de quodlibet peccato, ob vitandum illius periculum, poterit conjux ab altero conjuge divortium facere. Quod eleganter tradit Hieronym. in illa verba Matth.18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*, inquit enim Hieronym. sententiam Christi esse, ut si hi qui nobis coniuncti sunt, & instar oculorum, ut parentes, filius, uxor causa sint ruinæ ab illis recedamus. Atque ita tradit Navarr. *c.22. n.22.* Bellarm. *lib.1. de matr. c.14.* Innumeris relatis Sanchez *lib.10. disp.17. à n.5. & seq.* Basil. Ponce *lib.9. c.23. n.1. & 2.* Coninch. *disp.35. dub.4.*

3. Quapropter licitum est uxori se separare à viro qui lenocinium exercet, vel in domum introducit proeaces viros, qui ipsam sollicitent, vel incitat uxorem ad furta tegenda, & simulanda, vel vult ut pellicem foveat, & alia similia, præstant enim divortio sufficientem causam, uti ex communi tradunt Doctores prædicti. Ad idem est si coniux sit veneficus, quia ob societatem dæmonis grave malum tum animæ, tum corporis timeri, potest, ut advertit Coninch. *d.disp.35. dub.4.n.23.* Sanch. *lib.10. disp.18. n.22.* Laym. *d. c.7. n.16.* Gaspar Hurtado *disp.11. diffic.5. num.19.* Neque ad hanc separationem indiget coniux innocens Judicis sententia, quia iure ipso naturali conceditur, utpotè quæ non est perpetua, sed ad tempus dum adest periculum, ut benè docuit Sanch. *lib.10. disp.17. num.10.*

4. Cessante autem inductione ad peccatum, illiusque periculo; cessat divortium, quia solùm ob vitandum prædictum periculum conceditur, uti advertunt prædicti Doctores. Quare esto coniux pluribus vitiis irretitus sit, si tamen cessat ad peccatum inductio, nulla ratione licitum est divortium, ut colligitur *ex cap.2. de Divortiis*, argumento à contrario. Et tradit *ibi* Glossa ab omnibus recepta. Et D. Thom. *in 4. d.39. quæst. un. art.6. in corp.* Sanch. *lib.10. disp.17. num.3.* Basil. Ponce *c.23. n.3.* Tametsi Sotus *in 4. d.39. q.unic. art.4. ad 4.* Ludovic. Lopez *2.p. instruct.c.53. ad finem.* Sanch. *d. disp.17. num.4.* Laym. *c.17. n.16.* concedant titulo correctionis posse coniugem etiam uxorem à viro vitiis irretito divertere ad tempus, si ex eo recessu speratur fructus. Sed ut benè advertit Basil Ponce *lib.9. c.23. n.3.* Maturo iudicio, & magna prudentia opus est, plerumque enim maiora mala inde nascuntur, nec levis occasio sumitur iræ, & indignationis.

5. Secundò infertur, quoties coniugi grave damnum corporis imminet ex mutua cohabitatione, quod aliâ via averti non potest nisi divortio facto, fieri rectè potest ob supradictam rationem, quia debito alterius nemo satisfacere tenetur cum tanto sui detrimento. Hac igitur ratione licet coniugi sano se separare à leproso, peste, vel alio morbo contagioso infecto, uti

diximus

diximus *suprà*, & tradit Navarr. *cap.* 22. *n.* 22. Sà, *verbo Divortium, n.* 8. Henriq. *lib.* 11. *de matr. c.* 4. *in fine.* Coninch. *disp.* 45. *dub.* 4. *n.* 22. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. 3. *p c.* 7. *n.* 16. At idem est, si ob furorem, vel ebrietatem conjugis prudenter timeas grave malum tibi inferendum, quod sola fuga vitare potes; uti tradunt Covarr. 4. *decret.* 2. *p. c.* 7. §. 5. *n.* 3. Ludovic. Lopez 2. *p. instruct. cap.* 54. *paulo princ. casu* 3. Sanch. *lib.* 10. *disp.* 18. *num.* 18. Secùs verò est (ut advertunt prædicti Doctores) si prædictum periculum non immineat, juxta Textum *in cap. si uxorem* 32. *quæst* 5. *& leg. si cum dotem* 23. §. *si maritus, ff. soluto matr.* Ibi: *Nihil enim tam humanum est quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse.* Simile est, si vir latrocinium exerceat, timeatque mulier prudenter, ut illius criminis sociam puniendam esse, vel saltem reputandam; si alia via præter fugam non suppetit subveniendi huic periculo, poterit consortium viri fugere. Non enim ejus societati astricta est cum gravi suæ vitæ & honoris detrimento, ut rectè tradit D. Anton. 3. *part. tit.* 1. *c.* 20. §. 10. *casu* 1. Paludan. *in* 4 *dict.* 32. *quæst.* 1. *art.* 2. *n.* 7. *Et dist.* 39. *quæst. unic. art.* 3. *n.* 14. Navarr. *cap.* 22. *n.* 22. Barbosa *Rub. ff. soluto matr.* 2. *p. n.* 29. Sà *verbo Divortium, n.* 5. Sanch. *disp.* 18. *n.* 21.

6. Huc pertinet, si conjux alterius vitæ insidias paret, vel aliud malum grave moliatur, quod facile vitari non potest, nisi divortio facto, poterit conjux innocens recedere, uti expressè deciditur *in cap. litteras, de rest. spoliator. Et c. ex transmissa, eodem tit. Et c.* 1. *Ut lite non contestata.* Debet tamen hic recessus non authoritate propriâ, sed Judicis fieri, nisi in mora periculum adsit, ut benè advertit Sanchez *d. disp.* 18. *n* 3. Basil. Ponce *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 7. Juxta Textum *in cap. porrò. Cap. significasti, de divort.* Neque in hoc casu est marito restituenda uxor ob damnum irreparabile, quod ex prædicta restitutione sequeretur, ut notat Abbas *in cap. litteras, de restit. spoliat.* Glossa *in cap. de benedicto* 32. *quæst.* 1. Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 24. *n.* 5. Sanchez *lib.* 10. *disp.* 18. *numero secundo.* Basil. Ponce *capite vigesimo tertio, numero septimo*, & alii. Sed receptis probationibus per informationem summariam incontinenti, si Judici videantur sufficientes ad timorem deponitur uxor apud probam, & honestam fœminam impositio viro præcepto sub excommunicatione, ne illi malum inferat, juxta Textum *in cap. ex transmissa, de rest. spoliat.* Regulariter autem deponi solet in Monasterio, quia est locus aptior ad violentiam impediendam, ut benè Abbas *ibi num.* 4. Burrius *num.* 9. Posset tamen in domo patris, vel matris, vel sororis sequestrari, quinimò existimat Riccius *praxi dec.* 242. Basil. Ponce *c.* 23. *n.* 11. Prædictam domum Monasterio esse præferendam.

Et licèt prædicti Textus *cap. litteras, c. extransmissa*, tantùm loquantur de uxore timente viri sævitiam, non inde infertur in viro prudenter timente uxoris sævitiam locum non habere prædictam dispositionem, habet utique: cùm eadem ratio propriæ defensionis militet, ut pluribus firmat Gutierr. *d. c.* 24. *n.* 8. Sanchez *d. disp.* 18. *n.* 8. Basil Ponce *n.* 8. Textus verò de uxore specialiter loquuntur, quia frequentiùs in illas viri sæviunt, quàm è contra.

7. Notanter dixi, *si aliquod malum grave moliatur.* Non enim damnum factum divertendi causam præbet, nisi inde sumatur præsumptio sufficiens iterum inferendum esse, ut advertit Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 3. *p. cap.* 7. *n.* 7. Et Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. c.* 24. *n.* 9. Barbosa *Rub. ff. soluto matr.* 2. *p. n.* 32. Sanchez *lib.* 10. *disp.* 18. Regulariter ex percussionibus immoderatis, & sanguinolentis concipitur timor probabilis similium, nisi cautio sufficiens adhibeatur, ut constat ex his quæ tradit Farinac. *lib.* 2. *consil. cons.* 157.

8. Neque mihi displicet quod tradit Bald. *c.* 1. *n.* 3. *Ut lite non contestata*, Decius *cons.* 530. *n.* 4. *vol.* 4. Ma-

tien. *lib.* 5. *recop. tit.* 9. *Leg.* 2. *glos. f.* 1. *num.* 52. Sanch. aliis relatis *disp.* 18. *num.* 20. Retentionem concubinæ domi vel extra præstare uxori plerumque sufficientem causam divertendi non solùm titulo adulterii, sed sævitiæ, eo quòd causa regulariter sit molestæ cohabitationis, & perpetuæ discordiæ inter conjuges, quæ grave malum censenda sunt, ut docuit Henriquez *lib.* 11. *capite decimo septimo, numero septimo.* Sanchez *lib.* 10. *disp.* 18. *n.* 11.

9. Recedens ergo conjux ob prædictum timorem justum causa coram Judice Ecclesiastico tractanda est, quia agitur de dissolutione obligationis Sacramenti matrimonii, de qua utpotè spirituali solus Ecclesiasticus Judex est. *Cap.* 2. *de Judiciis*: uti ex communi docet Covarr. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 7. §. 6. *num.* 14. Interim autem uxori litiganti alimenta, & expensæ ad litem subministranda à viro sunt, ne his destituta à causa cadat, ut tradit Rota *dec.* 250. apud Farinac. *volum.* 2. *consil.* & Riccium *in praxi dec.* 235. *num.* 6. Gutierr. *lib.* 1. *canon qq. cap.* 24. *n.* 7. Basil. Ponce *c.* 23. *num.* 7. Sanch. *disp.* 1. *num.* 30.

10. Probationes autem sævitiæ ut divortium sequatur concludentes esse debent, quia sub dubio nemo jure certo est spoliandus, & tradit Parisius *cons.* 54. *n.* 16. *volum.* 4. Barbosa *Rub. ff. soluto matr.* 2. *p. n.* 27. Rosa apud Farinac. *volum* 1. *dec.* 371. Testes verò singulares in hac materia probant, modò omnes testentur in genere sævitiam, ut docuit Rota *suprà dec.* 156. Basil. Ponce *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 6. Ubi ex prædicta decisione Rotæ, & Canisio, *c.* 2. *de divortiis*, & Riccio *praxi dec.* 235. Asserit probatâ plenè sævitiâ nó esse uxorem marito tradendam, quantumvis cautionem de non offendendo offerat, quia nó decet uxorem justè trepidantem fragilitati cautionis committere: etenim cautio non mutat malevolum animum, §. *fin. instit. de suspectis tutorib.* facitque *cap. accedens, el.* 2. Juncta Glossa *verbo inimicis. Ut lite non contestata*, & pluribus exornat. Sanch. *disp.* 18. *n.* 33.

11. Si verò probationes integræ non sint, tunc est locus cautioni de non offendendo, cautioni inquam pignoratitiæ, vel fidejussoriæ, juxta *leg. si mandato Tuii* 39. §. *fin. ff. mand.* Quoties enim cautio ob suspicionem personæ exigitur, semper debet esse cum pignore, vel fidejussore, *leg si fidejussor* 7. §. *fin. ff. qui satisdare cogantur*, ut pluribus relatis Sanch. *dict. disp.* 18. *n.* 36. Quod adeò verum existimat Basil. Ponce *lib.* 9 *cap.* 23. *num. sexto.* Et Riccius *prax. dec.* 254. *numero secundo.* Ut nequeat Judex contentus esse cautione juratoriâ viri, tametsi impotens sit pignoratitiam, vel fidejussoriam cautionem præstare. Sed rectiùs contrarium censet Sanchez *dicta disp.* 18. *num.* 42. Eo quòd ad impossibilia nemo obligandus sit. Præterquam quod *in cap. litteras, de restit. spoliat.* Ubi cavetur dandam esse uxori cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam, subditur, si fieri potest. Ergo quando id fieri non potest contentus esse debet Judex iuratoriâ cautione. Adde regulam generalem esse non habentem pignora, aut fideiussores, quia pauper, aut advena est, satisfacere si cautionem iuratoriam præstet. *Authent. generaliter, Cod. de Episcop. & Cleric.* Et tradunt plures referentes Roland. *cons.* 43. *n.* 21. Barbosa *leg. divortio* 8. §. *interdum, n.* 26. *ff. soluto matr.* Sanchez *lib.* 10. *disp.* 18. *num.* 38. A qua regula communi præsens casus non invenitur exceptus. Quinimò existimo si vir aliàs bonæ vitæ, & famæ existat, satisfacere si cautionem iuratoriam præstet, tametsi pignoratitiam, vel fideiussoriam præstare posset, quia præsumendum est maiorem timorem habiturum violandi iuramentum, quàm quamlibet aliam cautionem, ut tradit in præsenti Glossa, & Innocent. *in cap. ex transmissa, de restit. spoliator.* Covarruv. 2. *p. decret. cap.* 7. §. 5. *à num* 1. *& seqq.* Sanchez *lib.* 10. *disp.* 18. *n.* 43. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 3. *p. cap.* 7. *num.* 17. Quapropter verissimum est, quod multis comprobat Sanch.

d. disput. 18. *num.* 32. & 41. Arbitrio Judicis plurimum deferri, quæ cautio præstanda sit ; nam *in cap. litteras, &c. transmissæ* solùm exigitur cautio sufficiens, quæ esto regulariter semper debeat esse pignoratitia, vel fidejussoria, aliquando tamen juratoria esse potest, ut ex dictis constat.

12. Pronunciata sententia divortii ob viri sævitiam si ad tempus restringatur, scilicet quousque experiatur, an vir signa emendationis dederit, vel cautionem obtulerit, apertum est neutrum conjugem posse statum mutare, quia obstat jus matrimonii. At si sententia absoluta sit, eo quòd desperetur vir corrigendus esse à sævitia quantumvis cautionem dederit, poterit innocens ad Religionem, vel Ordines transire eo modo ac si divortium ob adulterium celebratum esset ; quia obstare posset debitum conjugale. At hoc obstare nequit, siquidem non speratur futurum : viro autem in cujus odium divortium celebratur, nequit sicut adulter invito innocente Religionem ingredi, exceptis illis casibus, in quibus diximus adulterium ingredi posse : sic docet Sanch. *lib.* 10. *disp.* 18. *num.* 48. *usque in finem.* Basil. Ponce *cap.* 23. *num.* 9. Quod si post divortium ob sævitiam celebratum conjux innocens ad sui consortium sævum virum admittat, eo ipso censetur injuriam factam remittere, & securitatem habere in ejus cohabitatione, ac proinde (nisi novæ se offerant) divertere ex præteritis nequit ut notavit Farinac. *lib.* 2. *conf.* 156. *in fine.* Basil. Ponce *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 9.

13. Ad extremum adverte, si conjux minor sit, in cujus odium sententia divortii lata est ob elapsum tempus probationis beneficio restitutionis uti potest. Nam esto ad contrahendum matrimonium maior censeatur, non tamen ad matrimonii dissolutionem. Neque ex illa concessione, quæ est exceptio à regula generali censendi sunt omnes casus matrimonio pertinentes, maximè cum inde non commodum, sed damnum minori accresceret, uti ex Sfortia notavit Basil. Ponce *cap.* 23. *in fine.*

§. X.

Facto divortio, an dos uxori restituenda sit ; & an apud ipsam ejusque expensis filii sint educandi ?

1 *Uxori restituenda est dos, & medietas lucrorum, si culpa non sua divortium factum sit.*
2 *Si ob adulterium uxoris, nec dos, nec lucrum restituitur. Si ob sævitiam aliqui censent restituendam esse. Verius est oppositum.*
3 *Filii educandi sunt apud eum conjugem, quem Judex arbitrabitur spectato antiquo jure.*
4 *Si ob matris culpam divortium fiat, censent plures apud patrem filios alendos esse post triennium.*
5 *Verior est sententia quæ affirmat expensis matris alendos esse etiam infra triennium.*
6 *Si divortium neutrius culpa fiat, utriusque expensis alendi sunt.*

1. UXori restituendam esse dotem, si divortium non culpa uxoris, sed viri factum sit, colligitur manifestè *ex cap.* 1. *de donat. inter vir. & uxor.* Ubi Abbas Bald. *in c.* 1. *ut lite non contestata*, & deinde restituenda est medietas lucrorum usque ad divortii tempus, ut habetur *cap. significavit*, iuncta Gloss. *de donationib. inter vir, & uxor.* Et tradit Covarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 7. §. 1. *n.* 6. Anton. Gomez *leg.* 53. *Tauri, n.* 72. Matienz. *lib.* 5. *recop. leg.* 2. *tit.* 9. *gloss.* 1. Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. c.* 24. *num.* 14. Quinimo Palacios Rubios, Ferdinand. Gomez, Perez, *in additionib. ad Seguram.* Covarr. quos refert & sequitur Gutierr. *d. cap.* 24. *num.* 15. existimant eo casu omnium lucrorum medietatem, quæ à viro post separationem acquiruntur uxori competere, ac si matrimonium esset illæsum. Ex acquisitis verò post separationem ab uxore nihil vir noxius habet teste Baldo *in leg si uxor. numero sexto, in fine. Codice de conditionibus insertis. Et leg. non sine, Codice de bonis quæ liberis.* Decio *leg. prima, numero decimo, Codice unde vir, & uxor.* Matienzo *dicta leg. secunda, gloss.* 1. *numero quinquagesimo tertio.* Gutierr. *dicto libro primo, can. qq. capite vigesimo sexto, numero decimo sexto.* Quod si uxor dotem non attulerit, vel illi placuerit potius ali à viro quàm sibi dotem concedi, debent illi à viro alimenta subministrari, tametsi aliunde habeat unde vivat, ut comprobat Farin. *quæst.* 143. *separatio thori, numero quadragesimo sexto, & seq. Et Paragrapho expulsio. numero* 237. Matth. de Afflictis *dec.* 10. *numero primo & tertio.* Gutierr. *de matrim. capite* 129. *numero* 24. *& seqq.* Eo quòd iustum sit nihil ei detrahi ex fructibus, quos illæso matrimonio perceptura erat, ut potè quæ nullam in separatione habet culpam.

2. Verùm si divortium fiat ob uxoris culpam ; si ea culpa sit adulterii, neque dos illi restituenda est, nec ulla pars lucri acquisiti matrimonio constante, vel acquirendi post divortium. Quinimò ipsa obligatur communicare viro quidquid acquirit, ut rectè aliis relatis docent *libro* 5. *recop. tit.* 9. *leg.* 2. *gloss.* 1. *num.* 54. & 55. Gutierr. *libro* 1. *can. qq. cap.* 24. *numero* 17. *& sequent.* Si verò ob sævitiam factum divortium sit, existimat Basil. Ponce *lib.* 9. *cap.* 23. *numero* 12. Dotem illi esse restituendam. Nam esto in *cap. plerumque, de donationib. inter vir. & uxor.* Satuatur mulierem debere dotem amittere, si eius culpa divortium factum sit, id intelligi debet, si talis sit culpa, cui amissio dotis annexa sit : hæc autem nulla est alia præter adulterium, ut constat ex *dicto cap. plerumque*, & viri mortem, *leg. si ab hostibus* 11. §. *si vir uxorem, ff. Soluto matrimonio,* Ergo ob sævitiam dos amittenda non est. Sed immeritò Basil. à communi sententia, quam tradit Sanchez *lib.* 10. *disp.* 4. *num.* 20. *& disp.* 20. *num.* 7. Recedit *dicto cap. plerumque* absque ulla limitatione affirmetur, uxorem amittere dotem si eius culpâ divortium fiat ; aliàs vir innocens dotis administratione, & fructu, quem haberet non facto divortio privandus esset absque culpa. Et licèt ob solum adulterium, & mortem viri directè uxor dote privetur, indirectè tamen ob quodlibet delictum, quod separationem mutuæ habitationis inducit.

3. Quoad filiorum educationem attinet, si ius antiquum Codicis spectemus in arbitrio Judicis constitutum erat, apud quem soboles dissoluto matrimonio alenda esset, *l. unic. Cod. divortio facto* : regulariter primo triennio apud matrem, postmodum apud patrem Judex arbitrabatur, iuxta *legem nec filium, Cod. de patria potestate.* At iure noviſſimo Authenticorum decisum est, ut si pater causam divortii præstiterit, apud matrem ad secundas nuptias non venientem liberi communes nutriantur patris expensis. Si verò contra apud patrem matris expensis, nisi pater minus idoneus sit, tunc enim apud matrem locupletem filii educandi sunt: habetur expresè Authent *si pater Cod. divortio facto, apud quem liberi morari, & educari debent,* cui consonat lex regia 3. *tit.* 19. *p.* 4. Quâ in lege tres indicantur limitationes. Prima, si vir divortii causam dedit apud matrem innocentem venientem ad secundas nuptias non sunt educandi filii, sed patris expensis, si locuples fuerit educandis filiis apud eum, quem Judex arbitrabitur, ut notavit Sanchez *lib.* 10. *disp.* 20. *num.* 4. Layman. *lib* 5. *sum. tract.* 10. 3. *part. cap.* 7. *in fine.* Quod si mater pauper sit, & minus idonea ad alendam prolem patri nocenti locupleti proles relinquitur educanda, quia in his spectatur quod proli commodius sit, sicuti notavit Sanch. & Layman. *loc. allegat.* Secunda limitatio est, si mater causam divortii dedit, ipsaque locuples est, & pater pauper, matri relinquantur filii alendi, quia pater ut inquit Authent. minus idoneus est: & tradit Sanch. & Layman.

man. *suprà*. Et deciditur expresè Authent. *ut liceat matri & aviæ. §. illud collat.* 8. Tertia, si contingat conjugem, ob cujus culpam divortium celebratur esse fidelem, alterum verò in cujus favorem fit divortium infidelem esse, proles fideli alenda traditur ob fidei favorem. Argum. *cap. fin. de conversi. infidelium*, quodque indicatur in dicta Authent. illis verbis *si minus idoneus sit*. Et tradit Angel. *verbo Filius num.* 21. Sylvest. *ibi q.* 21. *num.* 24. Gutierr. *lib.* 1. *canon qq. cap.* 24. *num.* 19. Sanchez *d. disp.* 20. *numero* 4. Layman. *d. cap.* 7. *in fine*. His positis.

4. Controversia inter Doctores est, an quando ob matris culpam divortium fit, debeant illius expensis filii apud patrem procreari? Nam esto in *d. Authent si pater*, dictum sit, si mater causam divortii præstiterit, tunc apud patrem matris locupletis expensis filios alendos esse, illa verba *matris locupletis expensis* non habentur in originali, sed addita fuerunt ab Irnerio, ut notavit Glossa *in dicta Authent. ut liceat, verbo alantur*: ac proinde legem constituere non possunt, sed tanquam casus omissus juris communis regulis decidendus est. At jure communi matri solum infra primum triennium competit filio alimenta præbere, postmodum ipsi patri: *leg. Nesennius*, Et *leg. si quis à liberis*, § *si vel parens ff. de liberis agnoscend.* Ergo absque fundamento asseritur matris nocentis expensis filios alendos esse apud patrem. Atque ita tenet Salicet, *in leg. alimenta n.* 3. *ff. de negotiis gestis*, & reputat verius spectato juris rigore Alexand. *dicta leg. alimenta num.* 6. Boër. *cons.* 17. *num.* 11.

5. Sed nullatenus recedendum est à communi sententia asserente expensis matris delinquentis filios apud patrem alendos esse: ut habetur *in dicta Authent. si pater*. Et tradit *ibi* Glossa *in fine*. & *ibi* Salicet. *in fine*. & Gloss. *in d. leg. alimenta, verbo materna*. & *ibi* Bart. *num.* 1. Paul. *num.* 3. Glossa. *in cap. fin. verbo insidientur de conversi. infidel.* Et *ibi* Anton. *numer.* 11. Cardin, *quæst.* 6. Sylvest. *verbo Filius quæst.* 21. *numero* 24. Gutierr. *lib.* 1. *can. qq. cap.* 24. *num.* 19. & *de matr. q.* 129. *numero* 25. Sanchez alios referens, *lib.* 10. *disp.* 20 *numero* 7. Layman. *lib.* 5. *summ. tract.* 10. 3. *part. cap.* 7. *in fine*. Ratio ea est, nam in pœnam delicti ob cujus causam matrimonium dissolvitur obligatur alimenta præbere filiis sive majores triennio sint, sive minores. Ergo mater eandem culpam committens æquè damnata censenda est, siquidem mater est correlativum patris, & dispositum in uno correlativo, in alio censendum est esse dispositum, quando eadem militat ratio, ut multis comprobat Everard. *loco a correlativo, num.* 7. & 8. ideóque lex regia 3. *tit.* 19. *part.* 4. ut indicaret hanc obligationem alendi filios delinquentis expensis aliam esse ab obligatione, quæ jure communi parentibus inest, nullius mentionem patris delinquentis fecit, sed generaliter eam obligationem imposuit ei, qui divortii causam dedit, sive filii majores sint triennio, sive minores, ibi: (Y si acaeçiese que se parta el casamiento por arguna raçon derecha, à quel por cuya culpa se partio es tenudo de dar de lo suyo con que crien los fijos si fuere rico quier sean menores de tres annos quier sean mayores; e el otro no fue en culpa los debe criar, e aver en guarda por tal raçon como sobredicha es.) Et cùm lex pœnalis sit, nec pater tenebitur filios minores triennio, nec mater nocens majores alere, quousque sententia adveniat, ut benè notavit Sanchez *d. disput* 20. *num.* 8. ubi *num.* 9. advertit non esse hanc decisionem extendendam ad divortium iniquè, & contra juris ordinem factum, quia *lex regia* 3. & *dicta Authent. si pater*, expresè de divortio legitimè facto loquuntur, & pœnæ extendendæ non sunt ultra casum in lege comprehensum.

6. Verùm si divortium neutrius culpa fiat, uti quando fit mutuo consensu; vel culpa utriusque factum est, ut quando uterque de hæresi damnatus est; vel unus commisit adulterium, & alter hæresim, rectè censet Thom. Sanch. *disp.* 20. *num.* 10. jus commune Codicis latum *in leg. Nec filium, C. de patria potestate* servandum esse, ubi statuitur filios minores triennio apud matrem, majores verò apud patrem, ejúsque expensis alendos esse, nisi Judex aliud fuerit arbitratus, juxta *leg. unic. C. de divortio facto*, &c. quod nullâ aliâ lege mutatum reperitur. At quando divortium non solùm quoad thorum, & habitationem, sed quoad vinculum fit, eo quòd contractum matrimonium fuerit impedimento dirimente; filii eo tempore concepti utriusque conjugis expensis alendi sunt, juxta Textum *in cap.* 2. *qui filii sint legitimi*. Quod videtur procedere sive sint minores, sive majores triennio, eo quòd æquum non sit unum conjugem amplius quàm alium gravari, cùm uterque bonâ fide processerit. Lex verò Codicis statuens expensis matris minores triennio, & patris, expensis majores triennio alendos esse, expresè loquitur de filiis conceptis ex matrimonio legitimo. Non ergo debet ad conceptos ex matrimonio nullo extendi. Atque ita tradit Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 14. & *tit.* 7. *quæst.* 13. *num.* 18. Sanch. *lib.* 10. *disp.* 20. *num.* 11. Quod si aliquis conjugum malâ fide in contrahendo matrimonio fuerit, illius expensis filii alendi sunt, utpotè qui fuit in culpa ut haberentur, sicuti rectè notavit Sanch. *suprà*.

§. XI.

Qualiter Religionis ingressu, vel Ordinis sacri assumptione divortium inter conjuges fieri possit?

1 *Conjux matrimonio consummato, & secluſa causa divortii nequit licitè, nec validè Religionem profiteri.*

2 *Hic nulliter professus obligatus est castitatem servare quantum commodè possit.*

3 *Non est obligatus etiam ad Religionem in genere.*

4 *Potest sic professus propriâ authoritate Religionem deserere.*

5 *Satisfit objectioni.*

6 *Quæ dicta sunt de professione facta absque licentia conjugis procedunt, si licentia metu extorta sit.*

7 *Conjux absque alterius licentia nequit sacros Ordines suscipere matrimonio non consummato, valide tamen suscipit.*

8 *Ordinatus absque licentia conjugis non tenetur ad conjugem redire nisi ipsa petat.*

9 *Uno conjuge ex licentia alterius Religionem ingrediente, debet alter Religionem ingredi, nisi senex sit & nullum incontinentiæ periculum adsit.*

10 *Ætas in hoc proposito arbitrio Episcopi relinquitur.*

11 *Non est necessaria alia licentia nisi à conjuge ad Religionis ingressum.*

12 *Conjux jubens, Religionem ingredi debet ut in ea profiteatur, tametsi contra sentiat* Palacios.

13 *Votum perpetuæ castitatis, quod conjux in sæculo emittit, non fit solemne professione alterius.*

14 *Si conjux licentiam concedens nec Religionem ingrediatur, nec votum emittat non obinde alterius professio irritatur.*

15 *Si prædictus conjux ex cujus licentia alter professionem emisit nolit profiteri, vel votum castitatis emittere, & periculum incontinentiæ patiatur, tenetur Episcopus professum conjugi revocare.*

16 *Quæ dicta sunt de Religionis professione, eadem observari debent in Ordinis sacri assumptione.*

17 *Spectato juris rigore verius censerem obligatum non esse conjugem concedentem licentiam Religionem profiteri.*

18 *Conjugatus ad Ordines promotus nequit cum conjuge habitare.*

19 *Si aliquis de facto sacris initiatus sit, quin uxor Religionem profiteatur, vel votum castitatis emittat, petát-*

que sibi maritum reddi, reddi debet.

20 *Votum castitatis, quod uxor in hoc eventu emittit inhabilem reddit conjugem ad matrimonium mortuo viro.*

21 *Quod verum est, sive uxor consenserit expresse ordinationi, sive dissimulaverit.*

22 *Conjugatus ad Ordinem sacrum ascendens absque expressa uxoris licentia irregularis est.*

23 *Si ex uxoris licentia ascendat, ipsa tamen castitatis votum non emittat, etsi alioqui excusent à prædicta irregularitate, seu suspensione, verius est in eam incidere.*

1. COnjux matrimonio consummato, & secluſa alia causa divortii nequit licitè nec validè religionem profiteri absque alterius conjugis licentia, uti habetur expresse *in cap. quidam* 3. *& cap. placet, de convers. conjugat.* conjux namque matrimonio consummato non est sui juris, sed alterius, cui se per matrimonium tradidit, nequit ergo absque ejus consensu tradi Religioni, sicuti servus invito domino non potest Religioni addici. Quod si de facto professionem emittat, repeti ab altero conjuge potest, utpotè qui jus integrum, & illæsum habet, cui professio nulla præjudicare non potuit.

2. Verùm hic nulliter professus obligatus erit ad castitatem servandam quantum cum matrimonio compati potest, uti cavetur *in supradictis capitib. Quidam, & placet*, quia præsumitur se voluisse obligare in quantum posset. Cùm ergo se potuerit obligare ad non petendum debitum durante matrimonio, & illo dissoluto ad integram castitatem, censendus est ad eam castitatem mediâ illâ professione se obligare voluisse. At si expressam voluntatem habuisset non se obligandi ad castitatem, nisi dum in statu religioso persisteret, vel ex suppositione quod Religiosus esset, cessabit ejus obligatio, quia decisio Pontificis solùm in præsumptione fundatur, ut ex communi sententia tradit Sanchez *lib.* 7. *disp.* 34. *numero* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 29. Basil. Ponce, *lib.* 9. *cap.* 11. *numero* 3. Gutierr. *cap.* 95. *de matrimonio. numero* 20. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 3. *p. c.* 7. *numero* 4.

3. Illud verò certum esse debet sic Religionem absque licentia conjugis profitentem, non remanere obligatum etiam ad Religionem in genere mortuâ uxore, quia illa professio, & traditio nulla fuit, neque in illa imbibitur votum ingrediendi Religionem, sed est ipsemet ingressus qui cùm nullus sit, nullam parit obligationem, sicuti si conjugatus tentaret cum alia contrahere, ex prædicto contractu neque sponsalia nascerentur, neque ulla obligatio mortuâ conjuge contrahendi. In quo est latum discrimen à voto castitatis, quod durante conjugio vim habere potest, quatenus obligat ad non petendum debitum, & abstinendum à copula cum aliena. Secùs est in professione, quæ cùm absoluta sit stante conjugio nullum effectum habere potest conjuge non consentiente, ut colligitur manifestè *ex d. cap. placet, & cap. quidam de convers. conjugator.* Et tradit Sanchez *d. disputation.* 34. *numero* 10. Lessius *numero* 25. Basil. Ponce, *num.* 5. Gutierr. *cap.* 95. *à num.* 23. Layman. *d. cap.* 7. *num.* 4.

4. Ex hac doctrina inferunt prædicti Doctores Basilio excepto sic professum conjuge non revocante posse propria authoritate Religionem deserere: uti deciditur *cap.* 2. 32. *q.* 5. juncta Glossa *ibi.* Et *cap. una sola* 33. *q.* 5. *& cap. accedens, de convers. conjugat.* Imò Sotus *in* 4. *d.* 27. *q.* 1. *art.* 4. *vers. casus autem*, Sanchez. *num.* 15. Layman. *num.* 4. & alii censent obligatum esse ad conjugem redire, dum non consentit ejus ingressui, quia est manifesta injuria rem alienam, qualis tunc est conjugatus contra voluntatem domini retinere. Neque his obstat, Conc. Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de regular.* damnans tanquam apostatam eum qui quacumque ex causa habitum dimiserit, quia hoc intelligendum est cum sponte dimittit, secùs si dimittat ex obligatione conjugii, ut ipsemet Basilius sibi contrarius explicat *d. lib.* 9. *cap.* 20. *num.* 2.

5. Neque his obstat quod *in cap. placet, de conversione conjug.* asseratur de muliere sic Religionem ingressa in ejus potestate non esse ad sæculum redire, sed in potestate mariti, & ideò, quantum ad ipsum tenuit votum, quod post mortem viri tenere non desiit. Non inquam obstat, nam cùm Textus dicit non esse in potestate mulieris ad sæculum redire, intelligi debet, quin Monasterio constet fuisse irritam professionem: aliàs jus habet egressum impediendi. Vel dic non posse ad sæculum redire, hoc est ad vitam conjugalem ut antea ratione voti castitatis quo est astricta, quo impeditur à debiti petitione, & mortuo conjuge astringitur ad continendum.

6. Quæ dicta sunt de professione facta absque licentia conjugis procedunt, si licentia metu cadente in constantem virum extorta sit, quia metus reddit licentiam nullam, ut habetur *cap. accidens* 17. *de convers. conjugat. cap. notificasti.* 33. *q.* 5. & advertit Sanchez *disp.* 35. *à num.* 1. Gutierr. *a. c.* 95. *num.* 24. Basil. Ponce, *lib.* 9. *cap.* 11. *num.* 15. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 3. *p. c.* 7. *num.* 4. Et idem est si dolo interveniente licentia fuerit extorta, quia tollit voluntarium, & colligitur ex *cap. veniens de convers. conjugat.* ubi mulier ea licentia ingrediens revocaretur, nisi inhonesta vixisset, ut benè notarunt aliis relatis Sanchez *disp.* 35. *num.* 10. Gutierr. *c.* 95. *num.* 25. Basil. Ponce, *d. cap.* 11. *n.* 15. Layman. *c.* 7. *num.* 4.

7. Quoad Ordines attinet nequit conjux absque alterius licentia Ordines sacros suscipere etiam matrimonio non consummato, si tamen de facto suscipiat, validè suscipit. Est omnium sententia definita in *cap. conjugatus de convers. conjugat.* & in *extravag. Antiquæ de voto.* Neque obest quod ante consummationem matrimonii possit conjux ad Religionem transire alterius licentia minimè requisita, quia id permissum est eo quòd professio matrimonium ratum dirimat, secùs Ordo sacer: & quia utrique conjugi est communis potestas ad Religionem, secùs ad Ordinem. Quapropter sic ordinatus poterit à conjuge revocari, quia ejus malitia non debet præjudicare conjugi. Excipe nisi ante consummationem velit Religionem ingredi. Quod si conjux tempore ordinationis non reclamaverit cùm posset, si aliqui censeant eo ipso licentiam concedere. Rectiùs Thom. Sanch. *disp.* 35. *num.* 13. Gutierr. *c.* 95. *de matr. n.* 26. negant solam dissimulationem sufficientem esse, quia dissimulatio non est licentia: & in re ita gravi, & juri proprio præjudicanti expressa licentia requiritur sicuti ad Religionis ingressum, ut colligitur ex *cap. consuluit, de convers. conjugator.*

8. Ordinatus verò absque licentia conjugis non tenetur ad conjugem redire, nisi ipsa petat, maximè si matrimonium consummatum non sit, sicuti advertitur *in suprad. extravag. Antiquæ de Voto.* Quinimò pluribus placet, ut videre est in Sanch. *lib.* 7. *disp.* 38. *num.* 16. non posse ad conjugem non exigentem redire, tametsi facta professione post matrimonium consummatum, posset: quia professio absque licentia conjugis nulla fuit, at Ordo susceptus valorem habet. Sed verius apparet in utroque casu idem esse dicendum, qui licèt Ordo susceptus valorem habeat, non tamen pugnant cum matrimonio, nisi quatenus votum castitatis habet annexum, quod æquè habet professus. Ergo si non obstante eo voto professus redire potest ad conjugem, sic poterit Sacris ordinatus: eo autem utcunque redacto petere nequaquam potest, benè tamen reddere ob conjugis jus, quod integrum est.

9. Hucusque dixi de professione Religionis, & Ordinis assumptione absque licentia conjugis, ea verò posita validus, & licitus est ingressus, debet tamen is qui licentiam concedit simul ingredi juxta Textum *in cap.*

cùm

cùm sit 4. *de converſ. conjug.* Niſi forte ſit ita ſenex, ut nulla de ejus incontinentia ſuſpicio ſubſit, ut habetur *c. uxor.* 8. *Et c. ad Apoſtolicæ* 13. *eodem tit.* Ibi: *Non eſt alter conjux recipiendus ad obſervantiam regularem, niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat, ſed & vitam debet mutare* (ſcilicet ingrediendo Religionem) *niſi fortè ſit ejus ætatis, ut ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſæculo manere.* Ubi notandum eſt non ſatis eſſe ſenilem ætatem habere, ſed & incontinentiæ ſuſpicione carere: neque è contra ſufficit de incontinentia ſuſpectum non eſſe, ſed oportet ſenem eſſe utrumque enim requiritur, ut benè advertit Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 32. *num.* 9. & 10. Gutierr. *cap.* 95. *num.* 8. & 9. Hæc diſpoſitio utrique conjugi communis eſt teſte Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 32. *in princ.* Gutierr. *c.* 95. *n.* 1. Paulo Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 10. 3. *p. c.* 7. *n.* 2. Baſilio Ponce *lib.* 9. *c.* 12. *num.* 1. Quidquid abſque fundamento cenſeat Gaſpar Hurtado *diſp.* 11. *difficult.* 9. *n.* 28. Nam eſto in *c. uxoratus*, ſola uxor excipiatur à Religionis ingreſſu, at in *c. ad Apoſtolicæ* uterque conjux excipitur ſi ita ſenex ſit, & abſque incontinentiæ ſuſpicione in ſæculo remanere poſſit.

10. Ætas autem in hoc propoſito, ut excuſetur vir aut fœmina à Religionis ingreſſu arbitrio Epiſcopi relinquitur ſpectatis perſonæ circunſtantiis, valetudine, robore, & modo procedendi. Nam eſto ad ovorum, & lacticiniorum eſum, & ad excuſationem jejunii ſexageſimus annus cenſeatur ſufficiens, quia hæ leges communitati imponuntur, ideoque ſpectant quod frequenter contingit, at in caſu præſenti cùm hæc diſpoſitio non communitatem ſpectet, ſed ſingulares perſonas, certa regula difiniri nequit, ut bene notavit Baſil. Ponce *d. lib.* 9. *c.* 12. *n.* 3. *in fine.* Sanchez *d. diſp.* 32. *à n.* 15. Gutierr. *c.* 95. *num.* 2. & 3. Plerumque in viris ſexagenaria ætas & in fœminis quinquagenaria judicari debet ſufficiens, utpotè quæ ſpectato communi curſu inſufficiens eſt generationi.

11. Præter ſupradictam conjugis licentiam plures, quorum meminit Sanchez *diſp.* 32. *à num* 3. Exigunt licentiam Epiſcopi, ut tranſitus in Religionem legitimè, & validè fiat, nec revocari poſſit, argum. *cap. ſi vir, & uxor.* 27. *q.* 2. Ibi: *Si vir. & uxor. divertere pro ſola religioſa inter ſe conſenſerint vitæ, nullatenus ſine Epiſcopi conſcientia fiat: Et c.* 1. *de converſ. conjug.* dicitur: *Si conjux ſenex ſit ſat eſſe votum in ſæculo interveniente Epiſcopi authorit.* Sed rectiùs Sanchez pluribus relatis *d. d* 32. *à n.* 4. Gutierr. *c.* 95. *n.* 4. Baſil. Ponce *lib.* 9. *c.* 12. *n.* 2. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 10. 3 *part. cap.* 7. *num.* 3. Aſſerunt prædictam licentiam ad valorem profeſſionis neceſſariam non eſſe, quia nec Textus *in c. vir*, neque ullus alius pro valore profeſſionis requirit licentiam Epiſcopi. Major difficultas eſt; An pro licito ingreſſu neceſſaria ſit? Sanchez Gutierr. & Baſil. negant, eo quòd cenſeant nullum eſſe latum præceptum in dictis capitibus; & ſi forte latum ſit jam conſuetudine eſſe abolitum. Cæterùm verius cenſeo & præceptum latum fuiſſe in dicto *cap. ſi vir, & uxor.* Illa enim dictio *nullatenus* neceſſitatem importat ſaltem præcepti. Neque in contrarium eſt conſuetudo, quin potiùs ſolitum eſt licentiam Epiſcopi poſtulari in prædicto eventu, ut tradit Gloſſa *in d. cap.* 1. *de converſ. conjugat.* Et notavit Layman. *ſuprà.* Etenim cùm Epiſcopo competat examinare, & judicare, an conjux dans licentiam teneatur Religionem ingredi, vel ſatisfaciat ſuæ obligationi votum caſtitatis emittens, neceſſariò dicendum videtur licentiam Epiſcopi requiri maximè eo caſu quo conjux præbens licentiam ad Religionem non tranſiret.

12. Et licèt Palaçios *in* 4. *d.* 27. *diſp.* 2. *verſ. quocirca*, cenſeat conjugem juvenem ſuſpectum de incontinentia non eſſe obligatum Religionem ingredi, ut in ea profiteatur, ſed ſolùm ut in ea reclusus à ſæculari converſatione ſemotus exiſtat juxta Textum in *capite uxoratus de converſ. conjug.* Ibi: *Si autem fuerit talis quæ ſuſpicione non careat voto continentiæ celebrato à ſæcularium hominum converſatione ſemoveatur.* Communis, & vera ſententia, quam tradit Abbas *in d. c. uxoratus, & c. accedens de converſ. conjugat.* Sylveſt. *verbo Divortium, q.* 13. *n.* 2. Sotus *in* 4. *d.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 4. *verſ. poteſt.* Palaçios ſibi contrarius *d.* 32. *diſp.* 2. *verſ. at urgentior eſt.* Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 32. *n.* 4. *ad finem.* Gutierr. *c.* 95. *n.* 6. Baſil. Ponce *lib* 9. *c.* 12. *n.* 3. Aſſerit neceſſariò debere eſſe ingreſſum ad profitendum, ut ſatis colligitur ex Textibus de hac materia loquentibus: æquè enim de utroque conjuge loquuntur. Nam Textus *in c. uxorat.* Poſt verba ſuprà relata inquit, *& in loco religioſo ubi Deo ſerviat perpetuò commoretur:* Reclusio namque perpetua ſolùm ex profeſſione Religionis provenire poterat. Sed expreſſiùs id traditur *in c.* 1. *eod. tit.* Ibi: *niſi uxor ad Religionem tranſierit, & cap. cum ſis.* Ibi: *Niſi uterque ad Religionem migraverit, & cap. Agathoſæ* 27. *q.* 2. Ibi: *Poſtquam copulatione conjugii viri, atque mulieris unum corpus efficitur non poteſt ex parte converti, & ex parte manere in ſæculo.* Quancunque autem Religionem approbatam, quæ propriè Religio ſit ingrediens conjux huic obligationi ſatisfaciet. Unde vir ſatisfaciet aſſumpto habitu equitum ſancti Joannis: nam eſto extra clauſtrum vivat, virtute profeſſionis non eſt eiſdem periculis, ac ſæcularis ſubjectus. Atque ita docet Baſil. Ponce *d. c.* 12. *n.* 3. Teſtaturque ſe vidiſſe in praxi obſervari, & meritò: cùm jura ſolùm tranſitum ad Religionem expoſtulent. Fœmina verò à fortiori ſatisfaciet ingrediens Religionem ſancti Jacobi, quia vera eſt Religio, tametſi controverſum ſit, an ejus vota ſolemnia, an ſimplicia fuerint.

13. Votum perpetuæ caſtitatis, quod conjux manens in ſæculo emittit profeſſione alterius in Religione non fit ſolemne, neque matrimonium ſubſequens mortuo conjuge dirimit, quia nullus eſt Textus, unde ea ſolemnitas colligitur & ſine manifeſto fundamento in præjudicium matrimonii ſtatuenda non eſt, ut benè ait Gloſſa *in cap. ſeriatim. verbo poſt mortem* 31. *diſt.* Sanchez aliis relatis, *lib.* 7. *diſp.* 32. *n.* 6. Gutierr. *c.* 95. *num.* 7. Baſil. Ponce *lib.* 9. *cap.* 12. *num.* 3. Quippe nullum votum ſolemnè agnoſcitur niſi in Religione approbata, vel in Ordinis ſacri ſuſceptione emiſſum ſit, ut deciditur *in cap. unic. de Voto in* 6.

14. Quod ſi conjux de licentia alterius profeſſionem emittat, & concedens licentiam Religionem non ingrediatur cùm iuvenis ſit, vel de incontinentia ſuſpectus, non obinde eius profeſſio irritatur, ſed firma perſiſtit, ut colligitur apertè ex *c. Agathoſæ* 27. *q.* 2. Ubi ad valorem profeſſionis conſiderat Textus vel licentiam coniugis, vel illius converſionem. Et in *cap. ex parte el.* 1. *de converſ. conjugat.* Ibi: *Quia verò licèt prædictus D uxore ſua in ſæculo remanente de jure ad Religionem nequiverit proficiſci, &c.* Non enim dicitur profeſſio nulla, ſed facta contra iuris ordinem, cuius omiſſio quando non eſt de ſubſtantia non vitiat actum, ſicuti multis allegatis comprobat Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 33. *n.* 2 & *ſeqq.* Gutierr. *d. c.* 95. *n.* 11. & *ſeqq.* Baſil. Ponce *lib.* 9. *c.* 12. *n.* 4.

15. Quapropter ſi prædictus coniux, ex cuius licentia alter profeſſionem miſit induci non poteſt ad Religionem profitendam, vel votum emittendum, ſicuti obligatus eſt eo ipſo quo licentiam conceſſit; compelli tamen non poteſt. Quia votum caſtitatis, Religioniſque aſſumptio ex propria, & non ex aliena voluntate eſſe debet, uti tradit Leſſius *lib.* 2. *c.* 41. *n.* 26. *in* 2. *edit.* Quinimò ſi periculum ſit incontinentiæ, tenetur Epiſcopus ſic profeſſum coniugi revocare, quouſque votum continentiæ emittat, vel Religionis profeſſionem faciat, quia uſque tunc non cedit perfectè iuri ſuo, ut apertè colligitur ex *c.* 1. *de converſ. conjugat.* Ibi: *Dicimus quod niſi uxor ad Religionem tranſierit, aut perpetuam caſtitatem promiſerit; vir poteſt, & debet de*

Monaſterio

Monaſterio revocari , ipſe tamen exire nequit. Atque ita tradit Sanchez *lib.7. diſp.35. n.15.* Gutierr. *c.95. n.17.* Baſil. Ponce *lib.9. c.12. n.5.* Mortuo autem conjuge prædictus profeſſus ad Monaſterium redire debet, quia ejus profeſſio valida fuit , & ſolùm ejus executio ob conjugis incontinentiam ſuſpenſa , ut tradit Leſſius, Sanchez & Gutierr. & Baſil. *ſupra* , imò eo ſolùm quòd caſtitatis votum emittat , tametſi ut debet Religionem non profiteatur , tenetur profeſſus ad Monaſterium redire , quia voto caſtitatis emiſſo ſimul cum licentia conceſſa abdicavit à ſe jus exigendi debitum. Quo facto profeſſus reddere non tenetur , nec poteſt ob jus profeſſionis, quod eo caſu urget, ut bene notavit Baſil. Ponce *dicto cap.12. num.5.* Sanchez *diſp.33. q.ult.* Et colligitur à contrario ſenſu ex *c.1. de conv. conjugat.*

16. Si verò de aſſumptione Ordinis ſacri ſermo ſit, communior ſententia docet eadem obſervanda eſſe, quæ in aſſumptione Religionis diximus ; quia eadem, & efficacior videtur eſſe ratio , cùm graviori periculo incontinentiæ expoſita ſit uxor juvenis in ſæculo manens viro ad Ordines promoto , quàm in Religione profeſſo ; colligiturque ex *cap. Agathoſa 27. q.2. c. Epiſcopus 77 diſt.* Ibi : *religione promiſſa. Et c. cùm ſis, cap. ex parte de converſ. conjugat. Et in extravag. Antiquæ de voto. Et in c. ſi ſe , verbo ſeparetur, 28.diſt.* Covarruv. *4. decret. 2.p. c.6. §.3. n.3.* Navarr. *in manuali , c.22. n.52.* Gregor. Lopez *leg.38. in fine , tit.6. p.1. & leg.2. verbo en orden. tit.10. p.4.* Anton. Cuchus *lib.5. inſtit. majorat. tit.12. n.223.* Sanchez aliis relatis *lib.7.diſp.39. n.6.* Gutierr. *c.96.n.1.*

17. Cæterùm ſpectato juris rigore probabilius cenſerem conjugem concedentem licentiam obligatam non eſſe Religionem profiteri , tametſi juvenis ſit , & de incontinentia ſuſpecta , ſed ſatis eſſe ſi votum caſtitatis emittat , eo quod nullus ſit Textus, unde hæc obligatio ad Religionis profeſſionem colligatur : nam Textus in *c. Agathoſa* non de ordinato , ſed de Religionem ingrediente abſque uxoris licentia loquitur. *Cap. Epiſcopus*, in quo dicitur Religione promiſſa ab uxore maritus ordinetur. Nomine Religionis promiſſæ non profeſſionem , ſed caſtitatis votum , quod eſt opus Religionis cenſet Gloſſa *ibi* eſſe intelligendum , quod ſatis indicatur , cùm de utroque æquè dictum ſit converti quam converſionem caſtitatis voto uterque præſtabat, non enim initiandus Religionem profitebatur , ſed caſtitatem promittebat. *Cap.* verò *cum ſis. Et c. ex parte* non de ordinandis , ſed de maritis religionem profitentibus loquuntur. Solus Textus *in cap. ſanè, & c. conjugatus de converſ. conjugator.* De ordinatis agunt : & ex *cap. ſanè.* Tantùm infertur neminem coniugatum poſſe ad Epiſcopatum aſſumi , niſi eius uxor Religionem priùs profiteatur , nullo verbo de aliis ordinibus facto ; in *cap. conjugatus* , ubi de aliis ordinibus ſermo eſt ſola continentia videtur requiri ; inquit enim Textus : *Niſi ab uxore continentiam profitente fuerit abſolutus.* Ergo ſpectato iuris rigore ſola continentia ab uxore promiſſa poteſt vir ex eius licentia Sacris initiari , exceptâ aſſumptione ad Epiſcopatum , in qua profeſſio uxoris requiritur. Atque ita docet Eman. Sà *verbo Divortium, n.4.* Baſil. Ponce *lib.7. c.25. à n.5.* Et alii plures ralati à Sanchez *lib.7. diſp.39. n.1.* Verum ſpectatâ conſuetudine nullus Sacris initiari permittitur, quin eius uxor prius Religionem profiteatur , aut ſi ſenex ſit , & de incontinentia non ſuſpecta caſtitatis votum emittat, ut advertit Baſil. *ſupra.*

18 Coniugatus ad Ordines promotus , nequit cum coniuge habitare , niſi ſequeſtrato cubiculo , ut habetur *cap. Epiſcopus 77.diſt.* Et tradit Gloſſa *ibi* Abbas *in c. conjugatus , n.5. de converſ. conjugat.* Sanchez aliis relatis *diſp.39.n.8.* Gutierr. *c.95. n.3.* Ubi Sanchez & Gutierr. prudenter conſulunt neque in eadem domo eſſe permittendos habitare ob vitandam iniquæ ſuſpicionis occaſionem.

19. Si verò aliquis de facto Sacris ordinatus ſit, quin uxor licentiam concedens Religionem profiteatur , vel votum caſtitatis emittat , petatque ob periculum incontinentiæ ſibi maritum reddi. Negat Sanchez *diſp.39. n.12.* Reddendum eſſe , ſed ipſam eſſe compellendam, ut votum emittat , ad quod emittendum concedens licentiam ut maritus ordinaretur ſe aſtrinxit. Sed verius mihi eſt cogi non poſſe ad ſervandam caſtitatem , ſi de facto votum non emiſerit , ſicuti idem Sanchez docet de uxore illius qui Religionem profeſſus eſt , nullo caſtitatis voto ab ea emiſſo.

20. Votum autem caſtitatis, quod uxor in hoc eventu emittit , cenſet Dominic. Sotus *lib.7. de juſtit. & iure, quæſt.5. art.3. in ſolut. ad 2. in fine.* Baſil. Ponce *lib.7. de matrim. cap.25. num.10.* Non irritare matrimonium ſubſequens , ſicuti dictum eſt de voto uxoris manentis in ſæculo , cum eius vir Religionem profitetur. Moventur , quia ſolum votum in Religione approbata, & in ſuſceptione Ordinis habet hanc ſolemnitatem dirimendi matrimonium ſubſequens , *cap. unic. de Voto in 6.* Cæterum omnino tenendum eſt prædictum votum inhabilem reddere coniugem ad matrimonium mortuo viro : habetur expreſſe *cap. ſi ſe , c. quia ſunt, 28.diſt.* Ibi : *Si in coniugio diaconi mulierem de qua agitur fuiſſe conſtiterit , ii qui malè ſociati ſunt diſiungantur.* Et colligitur ex *cap. ſi qua vidua , eadem diſt. Et c. ſeriatim in fine , 32.diſt.* Et approbatur à lege regia *40.tit.6. part.1.* Ibi : (E otro ſi deſpues que hubieren ſus marido , muerto que no ſe puedan deſpues caſar , y ſi ſe caſaren no vale ,) & ibi Gregor. Lopez *verbo que tuen ſi la orden.* Et tradit Gloſſa *in d. cap. ſeriatim verbo poſt mortem.* Sanchez multos referens *lib.7. diſp.40. num.2. & ſeqq.* Gutierr. *c.96. n.5.* Azor aſſerens eſſe omnium *t.1. lib.13. c.14. q.11.* Quippè Ordini ſacro ad quem vir ex licentia coniugis aſſumitur debitum erat , ne eius coniux aliud matrimonium iniret. Quod ſecundum probabilem ſententiam verum eſſe teſtatur Sanch. *dicta diſp.40. num.7.* Gutierr. *cap.95. num.8.* Tametſi uxor ignara huius iuris ſit , eo quòd ad hanc inhabilitatem inducendam ſola clericalis Ordinis reverentia, ſpectatur.

21. Quando autem uxor conſcia ordinationis nec conſentit , nec diſſentit (quod rarò vel nunquam evenire poteſt , cum nemo initiandus ſit , quin prius de moribus , & vita informatio habeatur) exiſtimat Sanchez *d. diſp.40. n.5.* Non reddi inhabilem ad contrahendum matrimonium mortuo coniuge : quia illa diſſimulatio in re tam gravi non eſt reputanda conſenſus , ideoque præiudicare ei non poteſt , ſicuti non præiudicat uxori ordinatio viri , quæ facta fuit ea ignorante. Sed contrarium verius exiſtimo cum Gloſſa *in c. quia ſunt , verbo fuiſſe 28. diſt. & ibi* , Archidiac. Dominic. Gregor. Lopez *in leg. regia 40. tit.6. part.1.* Per Textum ibi : (que no pueden caſar deſpues que ellos ſon muertos quier contradigan o non , quando ſe quiſieren ordenar.) Gutierr. *cap.96. num.7.* Et aliis pluribus relatis à Sanchez *ſupra.* Quia ea diſſimulatio toto vitæ tempore continuata infert conſenſum verum, & irrevocabilem ; quod ſecus eſſet , ſi viventem coniugem , utpotè ordinatum abſque eius expreſſo conſenſu ad ſuum conſortium revocaret.

22. Ad extremum , coniugatus etiam matrimonio non conſummato ad Ordinem ſacrum aſcendens abſque expreſſa uxoris licentia ſuſpenſionem , ſeu irregularitatem incurrit , uti definitur *in extravag. Antiquæ de voto.* Unde neque in Ordine ſuſcepto miniſtrare poteſt, neque ad Superiorem promoveri , neque beneficium , aut officium Eccleſiaſticum obtinere. Ex ſuſceptione tamen Ordinum minorum hæc pœna non contrahitur, quia prædicta conſtitutio de aſcenſu ad Ordines ſacros expreſſè loquitur.

23. Si verò ex licentia uxoris ad ſacros Ordines aſcendat , tametſi ipſa nec Religionem ingrediatur,

vel

vel castitatis votum emittat, uti obligata est à supradicta pœna excusatur secundùm plurium Doctorum sententiam, quæ mihi non probatur, eo quòd potest sic ordinatus ab uxore castitatis voto non ligata repeti, ad quod vitandum prædicta constitutio lata est. Præterquam quòd in *dicta extravag.* asseritur conjugatum, qui ad sacros Ordines ascenderit aliter quam sacris canonibus noverit convenire, affici prædicta pœna. At qui ad sacros Ordines ascendit, quin ejus uxor Religionem profiteatur, vel votum castitatis emittat, si senex sit, & incontinentiæ non suspecta, ascendit aliter quàm sacris canonibus præscribitur, ergo. sic Gloss. *in d. extravag. verbo noverit.* Dominic. Sotus *in* 4. *d.* 27. *q.* 1. *art.* 4. *paulò ante vers. & per hæc.* Ab hac pœna excusatur ordinatus ex qualibet ignorantia modò affectata non sit, ut advertit Sanch. *lib.* 7. *disp.* 49. *num.* 3. quia dicta extravagans utitur verbo *præsumere*. Deinde excusatur, si matrimonium ex aliquo capite nullum sit, quia verè non est conjugatus. Et à fortiori excusabitur, si ordo susceptus nullus fuerit, eo quòd Episcopus intentionem conferendi non habuerit, quod nunquam præsumi potest, ut notavit Sanch. *suprà.*

Punctum VII.

De ratificatione matrimonii quod nullum fuit.

MAtrimonium esse potest nullum, primò si aliquis ex contrahentibus, vel uterque fictè consensit. Secundò si consensit coactè. Tertiò, si erat aliquo impedimento ad contrahendum ligatus. Quartò, si defecit præsentia Parochi, & testium. Ad revalidandum matrimonium certum est causam nullitatis de medio auferendam esse, ac proinde si nullum fuit matrimonium, quia adfuit fictio, vel coactio, hæc cessare debent. Si verò nullum fuit, quia ob impedimentum inhabiles erant, sublato impedimento habiles esse debent. Tandem si ex defectu præsentiæ Parochi, & testium fuerit nullum, coram Parocho, & testibus renovandum est.

§. I.

Qualiter matrimonium nullum ex defectu veri consensus sit ratificandum?

1 *Plures censent fictè consentientem obligatum esse verè contrahere.*
2 *Oppositum probabilitate non caret.*
3 *Si tui ficti consensus indicia præbuisti, non es obligatus contrahere. Non est tamen indicium dispar conditio contrahentium.*
4 *Ratione damni quod semper imminet, tenetur fictè consentiens contrahere.*
5 *Ex vi contractus non videtur ab hac obligatione te esse immunem.*
6 *Plures affirmant conjugem verè consentientem non teneri renovare consensum.*
7 *Probabilius est obligatum esse.*
8 *Quæ dicta sunt de ficto consensu, dicenda sunt de consensu extorto per metum.*

1. PLuribus placet fictè consentientem obligatum esse ex vi contractus ad verum consensum præstandum, tum ex virtute fidelitatis, quâ obligatur traditionem externam præstare veram, & non fictam, si enim ex promissione de futuro nascitur obligatio verum efficiendi, quod promittitur, sic ex traditione, seu assertione præsenti nascitur obligatio reddendi verum quod asseritur, cùm ergo asserat, *ego te accipio in meam uxorem*, tenetur eam verè, & ex animo accipere, tum ex virtute justitiæ, qua unicuique suum jus reddendum est, at conjugi vere consentienti debetur verus, consensus, ut sic æqualitas servetur in contractu, ergo quousque fictè consentiens verè consentiat, prædictis obligationibus non satisfacit. Præterea omnes Doctores fatentur, si ex hac fictione aliquod damnum conjugi verè contrahenti proveniat, obligatum esse ad illius reparationem, utpotè quod injustè datum est: at semper ex hac fictione damnum provenit conjugi verè contrahenti, quod per se nulla alia via nisi matrimonium contrahendo reparari potest. Quippè cogetur conjux verè consentiens vel Religionem intrare, vel semper inuptam manere, cùm ab Ecclesia nunquam creditum sit fictè alterum consensisse, tametsi ante contractum protestationem ficti consensus faceret; prudenter namque contrario facto judicaret à protestatione recessisse. Tenetur ergo verè contrahere, ut huic damno, quod à prædicta fictione inseparabile est satisfaciat. Atque ita docent Joann. Major. *in* 4. *dist.* 27. *quæstio* 1. Petr. de Soto *lect.* 3. *de matrimonio §. primum.* Petr. de Ledesm. *q.* 45. *art.* 4. *dub.* 1. §. *in hac difficultate.* Petr. Gregor. *lib.* 9. *syntagm. cap.* 5. *num.* 6. Basil. Ponce, *lib.* 2. *de matr. c.* 5. *num.* 5.

2. Cæterùm etsi prædicta sententia tenenda, & consulenda sit, opposita tamen probabilitate non caret, ut immeritò Petr. de Ledesm. & Basil. censent. Satis enim est quod eam reputaverint probabilem Victor *in sum. num.* 252. & alii quos refert Petr. de Ledesm. eámque expressè tenuerint Martin. de Ledesm. 2. *p.* 4. *q.* 47. *art.* 4 Sanchez *lib.* 1. *de matr. disp.* 11. *num.* 5. Gaspar Hurtado *disp.* 3. *difficult.* 9. *in fine. num.* 35. Gutierr. *de matr. c.* 46. *num.* 14. & alii. Præterquam quòd non est ratione probabili, ut videbimus destituta.

3. Ut igitur certa ab incertis separemus, asserendum est, si fictè contrahas matrimonium, & tui ficti consensus indicia præbeas, quibus prudenter præsumi potest conjux fictionem cognovisse, eo casu obligandus non es contrahere, ut rectè advertit Sanch. *dicta disp.* 11. *n.* 8. & consentit Basil. *dicto c.* 5. *num.* 3. & 8. quia tunc cessat fictio, & deceptio, utpotè a conjuge cognita, neque eo posito tu conjugem decipis, sed ipsa se decipit. Ex eo autem quod disparis conditionis existas, etsi Thom. Sanch. *d. disp.* 11. *num.* 8. censeat esse sufficiens indicium, ut conjux præsumere possit fictionem in consensu adesse, oppositum longè verius existimo. Cum enim sæpe viri nobiles cum ignobilibus, divites cum pauperibus cæco amore ducti copulentur, quare conjux ignobilis, vel pauper prudenter præsumere non poterit id ipsum secum contingere? Aliàs si dispar inter contrahentes conditio signum fictionis esset, semper matrimonium contractum inter dispares esset, ut nullum judicandum, utpote cui deficit verus consensus, quod falsissimum est.

4. Secundò dico ratione damni, quod semper infertur conjugi ex prædicta fictione, quòdque aliâ viâ quam contrahendo matrimonium reparari non potest, obligatus es contrahere, sic docet expressè Thom. Sanch. *dicta disp.* 11. *num.* 5. Et convincitur ratione ultima pro prima sententia allata. Quippè regulariter conjux patietur in fama detrimentum, ob cujus causam alteri nubere non poterit. Neque id permittetur ab Ecclesia, eo quòd censeat matrimonium legitimè contractum esse, ut probatum est.

5. Seclusis his, & similibus damnis ex vi contractus non videtur improbabile te obligatum non esse ad denuò contrahendum. Fateor namque te obligatum esse, tum ex fidelitate, tum ex justitia cùm contrahis, verè contrahere, peccaréque mortaliter in re tam gravi ea deceptione utentem, quod solùm probant fundamenta *numero* 1. adducta. Nego tamen ex ea fictione seclusis damnis aliquam tibi sub esse satisfaciendi, & denuo contrahendi obligationem, siquidem neque retines, neque acceptasti traditionem conjugis, sed per se æquè ipsa libera est, ac si nullus contractus factus esset. Ex quo ergo capite præter damnum illatum obligari,

potes

potes ad contrahendum ? certè ex nullo ; aliàs ſi ſolùm ex vi contractus naſceretur obligatio tollendi deceptionem, & verum conſenſum præſtandi, qui Religionem fictè profiteretur obligatus eſſet verè, & ex animo profiteri, quod communiter Doctores negant apud Navarr. *in c. ſtatuimus. 19. q. 3. num. 73.* Sotum *lib. 7. de juſtit. q. 1. art. 2. verſ. an vero.* Angles *Florib. 2. p. q. 1. de voto art. 1. difficult. 4.* Henriq. *lib. 11. de matr. cap. 11. num. 3. in fine.* Aragon. *2. 2. q. 88. art. 1. initio.* Man. *2. t. ſum. cap. 92. num. 5.* & diximus *tract. 16. de ſtatu religioſo*, ubi de ratificatione profeſſionis irritæ.

Poſito te obligatum eſſe ſaltem ex damno conjugi illato ad verum conſenſum præſtandum, ſupereſt dicendum qualiter illum præſtare debeas ? Neque dubium eſſe debet te obligatum eſſe exteriùs conſenſum internum manifeſtare alteri conjugi, aliàs matrimonium, quod ſenſibile ſignum eſt non perficeretur, ut rectè adverſus Sanch. *lib. 2. diſp. 32. numero 11.* advertit Coninch. *diſp. 24. dub. 10. num. 94.* Baſil. Ponce, *lib 4. c. 24. n. 3. & 8.* Gaſpar Hurtado *diſp. 5. diffic. 9. num. 31.* Difficultas in eo tantùm verſatur, an cùm denuò conſentis, & fictionem tollis, debeat alter conjux qui ex animo conſentit denuò conſentire, vel ſufficiat prædictus conſenſus præteritus moraliter permanens ? Affirmant illum conſenſum præteritum ſufficientem eſſe Hoſtienſ. *in c. dilectus de Sponſalib. verbo contrario.* Joan. Andr. *ibi n. 7.* Ancharran. *n. 3.* Alexand. de Nevo, *n. 18.* Sylveſt. *verb. Matrimonium. 8. q. 2. dicto 6.* Navarr. *ſum. c. 22. num. 80.* Sanch. *lib. 2. diſp. 32. num. 9.* Coninch. *diſp. 24. dub. 10. num. 55 & 90.* Moventur, quia ad matrimonium opus non eſt, ut utriuſque conſenſus actualiter exiſtat, ſufficit illius moralis exiſtentia, ſicuti in aliis contractibus : at conjux qui verè conſenſit, cenſetur in ſuo conſenſu moraliter perſiſtere, ſiquidem ſe ut verum conjugem tractat, ergo cum tu denuò conſentis apponis quidquid matrimonio deficiebat. Nihil ergo amplius petendum eſt. Hinc infert Sanch. non eſſe tibi opus certiorem conjugem facere de nullitate matrimonii, quia hæc notitia ſolum deſiderari poterat, ut ipſa renovaret conſenſum.

Cæterùm longè verius exiſtimo utriuſque conſenſum renovandum eſſe. Moveor : quia conſenſus conjugis ex animo conſentientis non perſeverat moraliter, eo quod tantum conſenſerit tacitè, vel expreſsè quouſque tu verè, vel fictè conſenſum præſtiteris, eo enim præſtito conſenſu, & matrimonio apparenter celebrato, ceſſat illius conſenſus, neque ultra cenſetur prorogari. Nam eſto poſtmodum te ut conjugem tractet, non eſt qua primus conſenſus perſeveret, ſed quia perſeverat in ejus opinione jus ex primo conſenſu præterito acquiſitum. Quod manifeſtè convincitur, nam etſi conjuges verum conſenſum præſtantes, poſtmodum contracto matrimonio diſſentiant eorum diſſenſus nihil officit quominus ſe ut conjuges tractent, ergo ille tractatus non eſt ſignum, neque effectus actualis conſenſus, ſed præteriti. Sed conceſſo gratis alterum conjugem in priori conſenſu perſeverare, ille prior conſenſus nunquam poteſt matrimonium conſtituere, quia ille conſenſus nullus fuit, eo quod fuerit acceptatio tui corporis abſque tua voluntate traditi, & ſui traditio, quam tu non acceptaſti. Et deinde proceſſit ex errore perſonæ, quam eſſe habilem putaſti, cùm tamen jure naturæ ob defectum voluntatis inhabilis extiterit. Nunquam ergo talis conſenſus quantumcumque perſeveret matrimonium conſtituere poteſt. Quod enim à principio nullum eſt tractu temporis non convaleſcit. Ergo neceſſarium eſt, ut ſimul cum tuo conſenſu noviter præſtito alter denuò conſentiat, aliàs nunquam matrimonium, quod ex utriuſque conjugis conſenſu coaleſcit perfici poterit. Atque ita docent Felin. *cap. exparte de Reſcript. num. 11. ampliat. 4.* Palacios *in 4. d. 27. diſp. 1. poſt princ.* Bartholom. à Ledeſm. *de matr. dub. 19.* Leſſius *lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 6. in fine.* Baſil. Ponce, *lib. 4. cap. 24. n. 2.* Paul. Comitol. *lib. 1. reſponſ. moral. quæſt. 120.* ubi refert ſic Clementem VIII. declaraſſe. Gaſpar Hurtado *diſp. 5. de matrimonio, difficult. 9. numero 31.* Hinc inferendum eſt corollarium oppoſitum ei, quod prior ſententia intulit, ſcilicet opus eſſe conjugem certiorem facere de nullitate matrimonii, ut ſic poſſit novum præſtare conſenſum ; aliàs ſemper cenſebitur priori conſenſui perſiſtere, operarique ; ex præſumpto illius valore, ut latiùs §. *ſequenti* dicemus, & tradunt Leſſius, Baſil. Hurtado, Comitol. & alii.

Quæ dicta ſunt de ficto conſenſu dicenda ſunt de conſenſu extorto per metum cadentem in conſtantem virum ; ſiquidem jure poſitivo æquè nullum reddit conſenſum, ac ſpectato jure naturali illum reddit fictio, uti notarunt Leſſius, Baſil. Sanch. & alii Doctores *locis allegatis.*

§. II.

Qualiter revalidandum ſit matrimonium nullum ob impedimentum dirimens ?

1 *Sublato impedimento utriuſque conſenſus revalidandus eſt.*
2 *Plures cenſent non eſſe opus utrumque conjugem fieri conſcium nullitatis matrimonii.*
3 *Verius eſt fieri certiorem debere.*
4 *Excipe, niſi graviſſima inconvenientia timeantur.*

1. SUblato impedimento certum eſſe debet utriuſque conſenſum revalidandum eſſe, nam cum utriuſque conſenſus fuerit acceptatio, & traditio perſonæ inhabilis ; nequit ex illis matrimonium coaleſcere, debet ergo uterque renovari, Neque ulla ratio eſt quare magis unius conſenſus, quàm alterius renovandus ſit, cum uterque fuerit circa perſonam illegitimam ; ideoque utriuſque conjugis conſenſum renovandum eſſe docuerunt pro certo Gloſſa *in capite non debet, verbo de cætero*, per Textum *ibi de conſanguinit. & affinit.* Covarr. *4. decret. 2. part. capite 4. in princ. num. 5.* Navarr. *cap. 22. n. 47. & 80.* Sarmiento *lib. 6. ſelect. interpretat. capite 27. in fine.* Matienzo *lib. 5. recopil. Rub. tit. 1. gloſſ. 1. num. 66.* Sanch. aliis relatis *lib. 2. diſp. 35. numero 2. & ſeqq.* Gutierr. *de matrimonio, cap. 47. numero 3.* Coninch. *diſp. 24. dub. 10. numero 90.* Baſil. Ponce, *lib. 4. cap. 24. n. 2. & ſeqq.* Gaſpar Hurtado *diſp. 3. de matrim difficult. 9. per totam.* Hoc poſito.

2. Controverſia verſatur, An uterque debeat fieri conſcius nullitatis matrimonii, vel ſatis ſit impedimentum ſublatum eſſe, ut intelligantur conjuges denuo conſentire ſi ſe ut conjuges tractent ? Prima ſententia negat eſſe neceſſarium, ſed ſat eſſe ſi ab altero conjuge petas, ut te in conjugem recipiat ipſéque annuat, & cum eo affectu ad illam accedas, uti docuit Cajetan. *t. 1. opuſcul. tract. 12. de matr. quæſt. 2.* & *in ſum. verbo Matrimonium tit. contractus matrimonii poteſt reddi ex ſeptem capitibus vitioſus.* Sotus *in 4. 3. diſt. 28. q. 1. art. 2. concl. 3. caſu 1.* & præcipuè *diſt. 29. q. 2. art. 1. dub. ult.* Cordub. *qq. lib. 1. qu. 11. art. 2. dicto 1. & ſum. quæſt. 51. opin. 1.* Petr. de Ledeſm. *de matr. q. 45. art. 3. dub. ult. §. ſed dubium eſt.* Henriq. *lib. 11. de matrimonio, cap. 3. n. 6.* Man. Rodrig. *1. t. ſum. capite 220. num. 2. in ſecunda edit.* & plures ex iis Doctoribus id aſſerunt, eſto conjux ignarus nullitatis matrimonii non eſſet conſenſurus ſi veritatem agnoſceret, quia de facto conſentit. Moventur, quia ſublato impedimento ſunt hæ perſonæ habiles ad contrahendum, ergo ſi de facto conſentiant, conſenſus erit legitimus. Et explicari poteſt, ſi ii conjuges ſponſalia contraxiſſent, & ſublato impedimento copulam haberent, cenſeretur matrimonium illis in locis, in quibus Tridentin. non viget. conſummari. Ergo copula ſignum eſt ſufficiens conſenſus ad conſtituendum matrimonium requiſiti.

3. Secunda ſentẽtia longè probabilior poſtulat utrumque

que conjugem fieri certiorem aliquo modo nullitatis matrimonii, ut possint consensum legitimum præstare, quam docuerunt plurimi Doctores, quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 2. disp. 39. num. 3.* Gutierr. *cap. 47. à num. 4.* Basil. Ponce, *lib. 4. cap. 25. à num. 2.* Coninch. *disp. 24. dub. 10. à n. 60.* Gaspar. Hurtado, *disp. 3. diffic. 10. à num 37.* Paul. Comitol. *lib. 1. respons. moral. quæst. 120.* & alii Ratio ea est, quia consensus necessariò requisitus ad matrimonium denuò constituendum procedere debet ex intentione efficiendi matrimonium: At credens matrimonium factum esse, ita ut de illius nullitate nullum dubium, aut suspicionem habeat, credit matrimonium denuo celebrare sibi esse impossibile: Ergo nequit consensum elicere sufficientem pro matrimonii constitutione. Quare esto conjuges habiles sint, & se ut conjuges tractent, id procedit ex præsumptione, quam habent de valore matrimonii, & de jure ob illud acquisito, non tamen ex intentione denuò contrahendi, quod necessarium erat ad matrimonium ratificandum. Verùm si conjux suspicionem aliquam habeat matrimonium esse nullum, eâ stante serio potest velle contrahere denuò, casu quo matrimonium nullum sit; hanc enim voluntatem conditionalem optimè imperare potest suspicio nullitatis.

4. Quod si gravia incovenientia timeantur, si conjugi nullitatis matrimonii suspicio ingeratur, ut frequenter timeri possunt, si ex parte fœminæ impedimentum fuerit oppositum, non videtur improbabile posse priorem opinionem eo casu sustineri. Nam esto hoc periculo secluso tuta non sit, at hoc periculo posito probabilis censeri potest, ut docet Sanch. & Gutierr. *loc. alleg.* Sunt enim aliqua licita in casu urgentis necessitatis, quæ ea seclusa non licent. Non enim licet secluså necessitate ob sola signa contritionis exhibita pœnitentem absolvere, quod tamen licitum est articulo mortis. Neque item licet in sola manu puerum communiter baptizare, benè tamen si in partu periclitetur. Sic in præsenti dicendum videtur.

§. III.

An matrimonium coram Parocho, & testibus celebratum, invalidum tamen ob occultum impedimentum sit iterum coram Parocho, & testibus celebrandum.

1 *Proponitur ratio dubitandi ex decreto Conc. Trident.*
2 *Satis probabile est decretum prædictum* Conc. Trid. *non extendi ad hunc casum.*
3 *Debet esse impedimentum omnino occultum, & qualiter intelligatur?*
4 *Esto Parochus, vel aliquis ex testibus necessariis impedimentum agnoscat, non videtur improbabile opus non esse coram Parocho, & testibus iterum contrahere.*
5 *Fit satis fundamentis* num. 1. *adductis.*
6 *Quis possit in prædicto impedimento dispensare? Respondetur remissivè.*

1. RAtio dubitandi sumitur ex decreto Concilii *sess. 24. c. 7. de reformat. matrim.* ibi enim statuitur, ut quoties matrimonium contrahendum sit coram Parocho, & duobus vel tribus testibus contrahatur, aliàs irritum sit, & nullum. At Parochus, & testes assistentes matrimonio, quod ob aliquod impedimentum nullum existit, verè, & propriè non astiterunt, quia matrimonium sub aliquo impedimento dirimente contractum matrimonium non est. Ergo si Parochi, & testium præsentia matrimonio contrahendo requiritur, necessariò requisita videtur cúm matrimonium nullum ratificatur, quia eo tempore, & non antea matrimonium contrahitur; quippè forma intervenire debet, cum actus producitur in suo esse, ut comprobat Baldus *in leg. observari §. fin. num. 5. de officio Proconsulis.* Atque ita tradunt loquentes de omni matrimonio nullo, quod renovandum est Paul. Comitol. *lib. 1. respons. moral. quæst. 120.* Basil Ponce, *lib. 5. cap. 6.* referúntque Clementem VIII. de hac re cosultum qualiter matrimonium ex defectu consensus fœminæ nulliter celebratum renovandum esset? Respondisse esse necessarium novum consensum utriusque coram parocho & testibus, admonito prius marito de matrimonii nullitate. Sed ad evitandum scandalum Sanctitatem dispensare, ut secretò inter se contrahant renovato consensu cum legitimatione prolis. Idem decisum fuit in Rota teste Farinac. *decis. 265.* Specialiter autem quando matrimonium nullum fuit ob impedimentum utrumque conjugem afficiens esse coram Parocho, & testibus revalidandum docuerunt Navarr. *lib. 4. consil. tit. 1. de sponsal. conf. 11.* aliàs *tit. de desponsat. impuber. conf. 3.* Palacius *in 4. d. 27. p. 1. fol. 566. in fine.* Matienzo *in leg. 1. tit. 1. gloss. 1. nu. 3. lib. 5. novæ collect.* Bartholom. à Ledesm. *de matrim. dub. 17 fol. 1275.* Gutierr. *lib. 1. canon. qq. cap. 18. per totum & tract. de juram. confirm. 1. part. c. 51. num. 22. & seqq. & tract de matr. cap. 47. à nu. 5.* Moventur, quia in diplomate Cruciatæ conceditur Commissario facultas dispensandi in matrimonio nullo ob occultum impedimentum, ne postmodum coram Parocho, & testibus celebretur. Ergo secluså dispensatione, & Pontificis commissione id fieri non poterat, aliàs privilegium frustra esset. Deinde in dispensationibus concessis ad revalidandum matrimonium propter occultum impedimentum hæc clausula apponi solet. *Si ita est cum eis, ut inter se publicè, & servata forma Consil. Trident. contrahant, dispenses.* Supponit ergo Pontifex aliter matrimonium revalidari non posse.

2. Cæterùm etsi prædicta sententia quoad fieri possit servanda sit, ne conjuges de nullitate matrimonii scrupulum habeant, at quia ex ejus rigida observatione plura incommoda oriri possunt, censeo satis propabile esse, & in conscientia securum Concil. Tridentini decretum non extendi ad eum casum, in quo matrimonium coram Parocho & testibus celebratum, nullum tamen ob occultum impedimentum renovandum est. Et quidem quando matrimonium fuit nullum ob impedimentum ex parte tantùm unius ex contrahentibus, eo quod fictè, vel metu coactus consenserit, non esse opus coram Parocho, & testibus revalidari affirmarunt Navarr. *capite 22. numero 70.* Henriquez *lib. 11. capite 3. numero 7.* Rodrig. *t. 1. sum. cap. 208. nu. 7.* Riccius *in decis. curiæ archiepiscop. Neapol. decis. 91. & in praxi fori Eccles. decis. 246. in 1. edit.* Sanch. *lib. 2. disp. 32. num. 13.* Reginald, *lib. 31. nu. 183. ad finem.* Gutierr. *de matrim. cap. 46. num. 15.* Layman. *lib. 5. sum. tract. 10. par. 4. cap. ult.* Bonac. *de matr. quæst. 2. punct. 9. num.* Rebell. *de obligat justit. 2. part. lib. 2. quæst. 9. num. 5.* Possevin. *cap 20. n. 25.* Augustin. Barbosa *de potest. Episc. 2. part. alleg. 32. n. 157.* Coninch. *disp. 24. dub. 10. n. 82.* Gasp Hurtado *disp. 3. de matrim. difficult. 11.* Generaliter verò, & indistinctè quoties matrimonium ex aliquo impedimento occulto nullum coram Parocho, & testibus celebratum fuit, non indigere solemnitate á Concilio requisita ad sui revalidationem firmarunt Francisc. Leo *in thesaur. fori Ecclesiast. 2. part. cap. 9 n. 83.* Navarr. *conf. 14. & 32. de sponsalibus in nova edit.* Petr. de Ledesm. *de matr. qua 45. art. 5. concl. 2. ante ultimum dubium.* Sanch. Bonac. Reginal. Coninch. Gaspar. Hurtado, Barbosa *loc. alleg.* testantúrque plures ex iis Doctoribus; videlicet Navarr. Sanch. Petrus de Ledesma, Coninch. Hurtado Pium V. sic declarasse, & sacræ pœnitentiariæ prætorium ea declaratione frequenter uti. Rationem hujus conclusionis, quando impedimentum se tenet ex parte unius tantùm, afferunt plures ex doctis Doctoribus esse, quia Conc. Trident. solùm obligat ad præsentiam Parochi, & testium apponendam matrimonio celebrato: in præsenti non matrimonium celebratur, sed ejus defectus suppletur sublato metu,

vel fictione. Hæc tamèn ratio mihi diſplicet. Nam ut ex ſuperioribus conſtat, matrimonium quod nullum fuit ex impedimento ſe tenente ex parte unius, conſenſu utriuſque eſt renovandum, ac proinde cùm de facto renovatur non ſolùm matrimonii defectus ſuppletur, ſed verum matrimonium fit. Quare ratio unica concluſionis ea eſt, quia finis Conc. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* ſtatuentis, ne matrimonia ſine Parocho & teſtibus celebrentur fuit impedire valorem matrimonii, quod antiquo jure clandeſtinum erat, & ex quo ſequi poterat illud graviſſimum inconveniens, quod conjuges ad alias nuptias tranſirent, uti conſtat ex procemio prædicti decreti. At occulto impedimento ligatus contrahens matrimonium in facie Eccleſiæ, numquam prohibitus fuit cognitâ nullitate ſecretò matrimonium, renovare neque illud matrimonium ſic revalidatum judicatum fuit clandeſtinum, neque ex illo oriri poterant inconvenientia, quæ à Concilio ponderantur. Ergo hoc matrimonium ſub prædicto decreto conprehenſum non fuit, ac proinde tanquam caſus omiſſus metiri debet juris communis regularis. Et confirmatur, quia ſolùm illud matrimonium cenſendum eſt clandeſtinum, quod Eccleſia clandeſtinum reputat. At matrimonium coram Parocho & teſtibus celebratum, nullum tamen ob occultum impedimentum, quod poſtmodum ſecretò revalidatur, numquam Eccleſia illud judicat, nec judicare poteſt clandeſtinum eſſe, ſed æquè judicat illud legitimum, ac quodlibet aliud matrimonium. Ergo hoc matrimonium in prædicto decreto Concilii non irritatur.

3. Notanter dixi *impedimento occulto*; nam ſi publicum eſt eo quod multi impedimentum ſciant, vel ad forum contentioſum ſit deductum, vel ſaltem ſit impedimentum, quod plenè probari poteſt duobus inquam teſtibus juxta *c. quoties de Teſtibus*; teſte Maſcard. *de probat. concluſ.* 410. *n.* 19. *juncto num.* 9. qui teſtes debent eſſe omni exceptione majores, ut docet idem Maſcard. *concl.* 1023. *num.* 4. neceſſariò revalidandum eſt matrimonium coram Parocho, & teſtibus: nam cùm hoc matrimonium ad petitionem unius partis diſſolvi poſſit, non conſtat Eccleſiæ firmiter de ejus valore, ac proinde ut Eccleſiæ ſic conſtet, ut nullâ ratione illud valeat diſſolvere, neceſſum eſt iterum coram Parocho, & teſtibus renovari, ut benè advertunt Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 6. Sanch. *lib.* 2. *diſp.* 37. *num.* 11. Coninch. *diſputat.* 24. *dub.* 10. *n.* 84. Rebell. *lib.* 2. *quæſt.* 9. Gaſp. Hurtado *diſp.* 3. *diffic.* 11. *num.* 43. Non tamen dicendum eſt impedimentum eſſe publicum, cùm tres vel quatuor ſcirent impedimentum ſolùm ex relatione conjugis, quia eorum ſcientia non præſtat ſufficiens teſtimonium ad matrimonii diſſolutionem, cùm non ſit majoris efficacitatis, quàm dictum, & confeſſio ipſius conjugis, ut benè notarunt Sanch. & Henriq. *ſuprà.* Qui idem cenſent & benè ſi impedimentum ſit deductum ad forum contentioſum, & ibi non fuit probatum, nec probari plenè poteſt, quia in iis caſibus Eccleſia judicat, & judicare ſemper debet validum eſſe matrimonium, nec permittet conjuges ſeparari.

4. Præterea inquit Sanch. *dicta diſp.* 37. *n.* 10. ſi Parochus, vel aliquis ex teſtibus matrimonio neceſſariis impedimentum agnoverint, matrimonium coram Parocho, & teſtibus revalidandum eſſe, quia Eccleſiæ non plenè conſtat de ejus valore. Nam in tantùm conſtat Eccleſiæ matrimonium validum eſſe, quatenus conſtat Parocho & teſtibus neceſſariis, qui nomine Eccleſiæ matrimonio contrahendo aſſiſtunt. Excipit tamen Sanch. niſi Parochus ex ſola confeſſione impedimentum noviſſet, quia cum non poſſit eâ uti notitiâ ad teſtificandum; probandum impedimentum, reputanda eſt ac ſi non eſſet. Sed rectiùs contrarium cenſet Coninch. *dicta diſp.* 24. *dub.* 10. *num.* 84. eo quod Parochus & teſtes non ſunt teſtes valoris matrimonii, ſed contractus matrimonii ſecundùm formam ab Eccleſia præſcriptam, quod optimè præſtant, tametſi aliquis eorum agnoſcat impedimentum dirimens ſubeſſe. Non enim ex vi illius ſcientiæ, & teſtimonio matrimonium contractum diſſolvi poteſt, ac proinde ſemper Eccleſiæ conſtabit firmiter validum eſſe matrimonium.

5. Reſtat ſatisfacere rationibus oppoſitis. Ratio dubitandi ex probatione noſtræ ſententiæ ſoluta eſt; dicimus namque hunc caſum non eſſe comprehenſum ſub dicto Tridentini decreto, eo quod nec ratio, nec finis illius legis ad renovationem matrimonii in facie Eccleſiæ legitimè celebrati extenditur, & conſequenter neque ipſa lex. Declarationi Clementis VIII. opponimus declarationem Pii V. ita gravibus teſtibus firmatam. Deinde dicimus in illo caſu, ſicut in deciſione Rotæ adducta à Farinacio neceſſarium erat coram Parocho & teſtibus renovari matrimonium, quia impedimentum erat adminus probabile, et ex conſequenti matrimonium, neque etiam quoad apparentiam ſubſiſtebat, vel dic eſſe neceſſarium utriuſque conjugis conſenſum coram Parocho & teſtibus renovari non abſolutè, ſed ad omnem ſecuritatem præſtandam, ſcrupulóſque tollendos. Tandem illa declaratio eſto de impedimento omnino occulto, neque probabili, & de neceſſitate ſimpliciter loqueretur, eſſétque authentica; non obinde nos cogit illam ſequi, quia vim legis non habet, utpotè cui deficit publicatio, ſed intra terminos ſententiæ cujuſdam gravis Authoris continetur. Privilegio Commiſſarii generalis Cruciatæ reſpondemus ſæpè privilegia conſedi, non quia ſint ſimpliciter neceſſaria, ſed ad tollendam omnem dubitationem. Præterea fortè extenditur, ut inquit Coninch. *d. diſp.* 24. *dub.* 10. *numero* 90. ad impedimentum occultum eſto probabile ſit, modò publicum de facto non ſit. Ad clauſulam, quæ refertur ex ſacra pœnitentiaria reſpondet Sanch. *dicta diſp.* 37. *numero* 9. eſto virtute illius commiſſionis diſpenſare Confeſſarius non poſſit, ut occulte celebretur matrimonium, poteſt tamen diſpenſare in impedimento, quo ſublato poſſunt conjuges inter ſe ſecretò contrahere, quia ipſi non videntur, abligati ad prædictam formam ſervandam, ſi aliàs neceſſaria non eſt. Adde illa verba ſervatâ formâ Concilii Trident. apponi non in vi conditionis, ſed in vi monitionis, hoc eſt monetur Confeſſarius, ut conjugibus præcipiat, ut matrimonium ſervatâ Trident. formâ celebrent, ſi id neceſſarium eſſe judicaverit. Non enim videtur Pontifex velle novum onus his contrahentibus imponere, ſed illos monere de onere à Trident. impoſito, ſi fortè illud ſubire teneantur.

6. Quis autem in prædicto impedimento occulto diſpenſare poſſit, ut conjuges ſecretò contrahant? per ſe ſolus eſt ſummus Pontifex: in caſu tamen urgentis neceſſitatis, eo quòd non ſit recurſus ad Pontificem, vel ad aliquem qui vices Pontificis habeat, poterit Epiſcopus, & Legatus à latere, ut latiùs dicemus *in fine diſputationis ſequentis.*

DISPUTATIO IV.

De matrimonii impedimentis, eorumque diſpenſatione.

COnſtat ex Conc. Trident. *ſeſſ.* 24. *can.* 4. eſſe in Eccleſia ob bonum commune, rectámque Sacramenti matrimonii adminiſtrationem, aliqua impedimenta impedientia tantùm; hoc eſt quæ impediunt, ſeu prohibent ne contrahatur; at ſi de facto fuerit contractum ratum, & firmum relinquunt. Alia appellantur dirimentia, non quia matrimo-

nium

mium validum dirimant (hoc enim est impossibile) sed quia dirimunt attentatum impediúntque ne ratum fiat.

Punctum I.

Penes quem sit potestas statuendi impedimenta, tum impedientia, tum dirimentia?

1 *Pontifici concessa est hæc potestas.*
2 *Alteri à Pontifice datum non est matrimonii impedimenta fidelibus statuere.*
3 *Magistratus civiles Christiani nequeunt circa matrimonia fidelium disponere.*
4 *Optimè possunt circa matrimonia infidelium sibi subjectorum.*
5 *Consuetudine mutari, vel constitui impedimenta possunt.*

1. NEmini Catholicorum dubium esse potest penes Pontificem comparatione fidelium potestatem esse statuendi ea impedimenta tum impedientia, tum dirimentia, quæ bono communi Ecclesiæ rectæque illiùs gubernationi expedire judicaverit, ut constat ex Conc. Trid. *sess.* 24. *can.* 4. ibi. *Si quis dixerit Ecclesiam non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia . vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Neque ex hac potestate infertur posse Ecclesiam materiam, vel formam matrimonii, quas Christus Dominus in Sacramentum elevavit, aliqua ex parte mutare (id enim permissum non est.) Etenim materia & forma Sacramenti matrimonii non est quilibet contractus, sed contractus, qui ab Ecclesia validus, & firmus fuerit habitus, non tamen contractus irritus, & nullus. Potest autem Ecclesia matrimonii contractum inter has, vel illas personas, vel absque hac, & illa solemnitate celebratum irritum, & nullum decernere, aliter factum validum statuere. Quo posito decreto Sacramentum matrimonii inter illas personas inhabiles, vel absque illa solemnitate ab Ecclesia requisitâ nullum erit, quia nullus est contractus, cui ratio Sacramenti inniti debebat.

2. Alteri à Pontifice datum non est matrimonii impedimenta fidelibus statuere : nam esto Episcopi in sua diœcesi hanc potestatem haberent ex vi sui muneris, ut docet Covarruv. 4. *decret.* 2. *p. c.* 6. §. 1. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 1. Basil. *lib.* 6. *c.* 1. *in fine.* Gaspar Hurtado *disp.* 12. *difficult.* 2. *n.* 5. quod negant Suarez *t.* 5. *de censur. disp.* 7. *sect.* 4. *n.* 5. Coninch. *disp.* 30. *dub.* 1. *n.* 3. & 8. At certum est de facto ea potestate carere, sólique Pontifici reservari, uti docent Covar. Sanch. Basil. & Coninch. *locis allegatis.* Et Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 4. *p. c.* 1. eo quòd matrimonii impedimenta statuere censeatur causa gravissima, quæ meritò à prima Sede provenire debent.

3. Hinc infertur nullatenus Magistratibus civilibus Christianis permissum esse circa matrimonia fidelium disponere ea impediendo, vel irritando, alióve modo mutando. Argum. *c. tuam de ordine cognitionum. Cap. multorum* 35. *q.* 6. *cap. cum secundùm Apostolum, de secundis nuptiis.* Et colligitur ex Trid. *sess.* 24. *can.* 12. Quippe matrimonia fidelium Sacramenta sunt, ac proinde eorum dispositio penes Ecclesiam esse debet, ut rectè Bellarmin. *lib.* 1. *de matr. c.* 32. Quapropter etsi Coninch. *disp.* 30. *dub.* 1. *num.* 7. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 3. *à n.* 2. Henriq. *lib.* 12. *c.* 1. *initio*, censeant fideles subjectos Principibus Ethnicorum, astringi impedimentis juxta leges eorum civiles statutis, eo quod matrimonium etsi Sacramentum sit, est tamen contractus potestati civili subjectus, sicuti omnes alii contractus, longè verius est ab illis impedimentis exemptos esse, & solùm impedimentis ab Ecclesia statutis ligari. Tum quia fidelium matrimonium eo ipso quo à Christo in Sacramentum elevatum est definit esse contractus civilis, & politicus, & fit sacer, & Ecclesiasticus, ac proinde soli Ecclesiæ subjectus. Tum quia Ecclesiæ plurimum interest, ut omnes ejus subditi uniformes sint in matrimonio contrahendo credendúmque est, ut hæc servetur uniformitas fideles sibi subditos exemisse à legibus de matrimonii valore, vel nullitate d sponentibus : sicuti tradunt Sotus *in* 4. *d.* 42. *q.* 2. *art.* 2. Covarr. 4. *decret.* 2. *p. c.* 6. §. 1. Basil. *lib.* 6. *c.* 2. *à n.* 3. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. 4. *p. c.* 1. *n.* 3. Gaspar Hurtado *disp.* 12. *de matr. diffic.* 2. *n.* 7. Possunt tamen prædicti Magistratus plura decernere, quæ matrimonii substantiam nec mutant, neque impediunt, sed sunt illi extrinseca, & accessoria, ut circa dotem, circa arrhas, & sponsalitiam largitatem, donationem inter conjuges, & similia, ut benè advertit Basil. Ponce, *lib.* 6. *c.* 2. *in fine. n.* 5.

4. Consultò dixi non posse Magistratus sæculares aliquod impedimentum annullans matrimonium fidelium statuere, tacitè indicarem optimè posse pro matrimoniis infidelium qui sibi subduntur ea impedimenta decernere, quæ recto rgimini sibi visa fuerint convenire, quia eorum matrimonium est contractus civilis, & politicus, ac proinde sicut potestatem habent condendi leges irritantes alios contractus civiles, sic in matrimonii contractu procedere possunt, ut colligitur *ex c. gaudemus de divortiis.* Et tradit Glossa *in cap. si quis ancillam, verbo legibus* 29. *q.* 2. D. Thom. *in* 4. *d.* 39. *q. un. art.* . *ad* 4. Palud. *dist.* 26. *q.* 4. *art.* 3. *in solut. ad* 4. Sotus *dist.* 39. *in sol. ad* 3. Bellarm. *lib.* 1. *de matr. c.* 21. & 22. Sanch. aliis relatis *lib.* 7. *disp.* 3. *à n.* 5. Basil. Ponce, *lib.* 6. *c.* 1. *n.* 2.

5. Supererat dicendum, an matrimonii impedimenta à Pontifice statuta tolli consuetudine possint, vel alia de novo constitui ? sed huic difficultati abundè satisfecimus *tract.* 3. *de legib. disp.* 3. *de consuetud. ibi* enim, specialiter *punct.* 4. probavimus consuetudinem legitimè præscripram habere vim abrogandi legem, & aliam denuò constituendi, quia illam abrogat, & constituit ex tacito consensu Principis, ut latiùs tradit in præsenti Sanch. *lib.* 7. *disp.* 4. *n.* 11. & *seqq.* Basil. Ponce, *lib.* 6. *c.* 4. *n.* 6. Coninch. *disp.* 30. *dub.* 1. *à. n.* 12. Gaspar Hurtado *disp.* 12. *diffic.* 2. *n.* 8. & alii communiter.

Punctum II.

Quæ sint impedimenta impedientia tantum?

IMpedimenta impedientia tantùm in duplici sunt differentia. Quædam procedunt ex crimine, quædam non. Quæ ex crimine oriuntur his versibus continentur.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris.
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis.
Vel si pœniteat solemniter, monialem
Accipiat : prohibent hæc conjugium sociandum.

Quæ verò ex crimine non procedunt versibus sequentibus explicantur.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia jungito votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

§. I.

Explicantur impedimenta impedientia non orta ex crimine.

1 *Expenditur primum impedimentum impediens, quod est Ecclesiæ vetitum.*
2 *Ex vi hujus prohibitionis non irritatur matrimonium, sed solum impeditur.*
3 *Secundum impedimentum est tempus feriatum.*
4 *explicatur materia hujus prohibitionis.*
5 *In prædicta lege nequit alius à Pontifice dispensare.*

6 *Tempore interdicti, & ceſſationis à Divinis matrimonium ſolemniter celebrari poteſt.*

7 *Tertium impedimentum eſt catechiſmus, & qualiter intelligatur.*

8 *Plures Doctores cenſent hoc impedimentum jure novo* Conc. Trid. *ſublatum non eſſe.*

9 *Communior eſt ſententia oppoſita.*

10 *Debet Parochus nomina Patrinorum qui ſolo catechiſmo aſſiſtunt in libro notare.*

11 *Quartum impedimentum eſt ſponſalia in quo ſolus Pontifex diſpenſare poteſt.*

12 *Quintum eſt votum ſimplex non nubendi, Ordines ſuſcipiendi, ingrediendi Religionem, & caſtitatem ſervandi, & qualiter obliget?*

13 *Proponitur ratio difficultatis, an prædictum, impedimentum obliget, etiamſi animum habeas Religionem ingrediendi ante conſummationem?*

14 *Verius eſt prædicta vota impedire.*

15 *Si poſt aliquod ex prædictis votis virginem defloraſti abſque promiſſione conjugii, voto teneris.*

16 *Imo eſto vi, dolo, aut fraude violaſſes.*

17 *Si ſub promiſſione conjugii violatio facta eſt, & ipſa fuit conſcia voti non excuſaris à voto. At ſi ignara fuit, voti executio ſuſpenditur, & matrimonium contrahere debes petita diſpenſatione.*

18 *Quid ſi nullâ impetratâ diſpenſatione matrimonium contrahis.*

1. PRimum impedimentum impediens tantùm enumeratur, Eccleſiæ vetitum, hoc eſt quando à Pontifice, vel Epiſcopo, ſeu ejus juriſdictionem habente, imò & à Parocho, ut placet Palud. *in 4. d. 34. q. 1. concl. 4.* Sylveſtro *verbo Matrimonium 7. q. 1. num. 2.* Navarr. *cap. 22. num. 68.* Sa, *de impedimentis matrimonii non dirimentibus, n. 1.* Sanch. *lib. 7. diſput. 6. num. 6.* Baſilio Ponce, *lib. 6. cap. 7. num. 2.* Coninch. *diſput. 20. dub. 3. num. 23.* Gaſpar Hurtado *diſp. 25. difficult. 1.* prohibetur conjugibus matrimonium ſaltem ad tempus: poteſt enim Parochus ad ſedandum ſcandalum, vitandas rixas, inveſtigandum impedimentum, vel in alicujus feſti venerationem nuptias interdicere extra judicialiter pro aliquo tempore.

Quo præcepto conjuges obligantur, niſi manifeſtè injuſtum videatur, quod nunquam eſt præſumendum. Obligantur autem plerumque ſub mortali, quia materia gravis eſt, ut ſatis colligitur *ex cap. 1. de matrimonio contra interdictum Eccleſiæ*, ubi tranſgreſſores hujus præcepti in pœnam ad tempus arbitrio Judicis deſignandum ſeparantur, quæ pœna cùm gravis ſit, indicat culpam eſſe gravem. Atque ita docet Sanch. *lib. 7. diſp. 15. n. 4.* Baſil. Ponce, *lib. 6. cap. 7. num. 8.* Coninch. *diſp. 30. dub. 3. initio*, Gaſpar Hurtado *diſp. 25. de matr. num. 1.* Conſulto dixi *plerumque*. Nam aliquando ſolùm hoc præceptum ſub veniali aſtringere poteſt, uti Sanch. & Baſil. *loc. alleg.* docuerunt, nempè ſi in venerationem alicujus feſti prohibitio matrimonii eo die fiat. Non enim videtur graviter offendi feſti veneratio; tametſi matrimonium celebretur.

2. Ex vi tamen hujus prohibitionis à Parocho, vel Epiſcopo latæ matrimonium non irritatur, neque irritari poteſt, quia ipſis datum non eſt impedimentum dirimens matrimonio contrahendo ſtatuere. Quinimo eſto à Pontifice lata ſit, ſi clauſulam irritantem non habeat, ſolùm impediet matrimonium, non dirimet, ut habetur *cap. 1. & 2. de matrim. contracto contra interdictum Eccleſiæ.* At ſi clauſulam irritantem habeat, uti habere poteſt, ſi adſit rationabilis cauſa matrimonium non ſubſiſtet; poteſtatem enim habet Pontifex cauſâ juſtâ intercedente inhabilem reddendi ſingularem perſonam ad matrimonium aliquod contrahendum, ſicuti poteſt ſua generali conſtitutione, ut rectè ponderavit Baſil. Ponce, *lib. 6. cap. 7. à numero 5.* Et colligitur *ex cap. ad diſſolvendum de ſponſat, impuberum, cap. tuæ fraternitatis, de ſponſa duorum.*

3. Secundum impedimentum eſt tempus feriatum: Eccleſia namque optans ut fideles aliquibus temporibus intenſiùs orationi, jejunio, aliiſque pœnitentiæ operibus vacent; prohibuit illis temporibus nuptiales ſolemnitates, utpotè quæ animum ab iis ſpiritualibus exercitiis maximè advertunt. Antiquo jure plura erant tempora hujus prohibitionis. At Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 10.* ea reſtrinxerit dicens: *Ab adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti, uſque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſive antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari Sancta Synodus præcepit, in aliis verò temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit, quas Epiſcopi ut ea qua decet modeſtia, & honeſtate fiant curabunt, ſancta enim res eſt matrimonium, & ſanctè tractandum.*

Dies igitur contenti in prædicto decreto ſunt omnes à prima Dominica Adventus, quæ ad minus incipit à media nocte uſque in diem Epiphaniæ *incluſivè*, & à feria quarta Cinerum uſque in diem octavæ Paſchatis *incluſivè*. Verbum enim *incluſivè* ad omnia præcedentia referri debet, ut notarunt Sanch. *lib. 7. diſp. 7. num. 1.* Sa, *verbo matrimonii impedimenta non impedientia, num. 1.* Baſil. Ponce, *lib. 6. cap. 8. num. 4.* Quinimò Sanch. *num. 2.* credit ſatis probabiliter hanc prohibitionem incipere à primis veſperis ſabbathi præcedentis Dominicam adventus, quia ab eo tempore adventus officium incipit.

4. Materia hujus prohibitionis, ſi jus antiquum ſpectemus non ſolùm erat benedictio nuptialis, & ſolemnis traductio ſponſæ in domum ſponſæ, ſed ipſe matrimonii contractus, illiúſque conſummatio, ut conſtat ex pluribus textibus 33. *q.* 4. At ſpectato Tridentino (cui ſtandum eſt) ſolæ nuptiæ ſolemnes prohibitæ cenſentur. Nomine autem *nuptiarum ſolemnium* benedictiones nuptiales vulgò *velaciones* intelliguntur ſecundùm omnium ſententiam. Quam exiſtimo debere ad illas benedictiones, quæ pro ſecundis nuptiis in aliquibus Epiſcopatibus conceduntur, quia eſto non ſint benedictiones nuptiales in rigore, conſtituunt tamen nuptias ſolemnes ab Eccleſia illis temporibus prohibitas, ſicuti advertit Baſil. Ponce, *lib. 6. cap. 8. num. 13.* Gutierr. *de matr. c. 106. à num. 14.* Deinde venit intelligenda ſub nomine *nuptiarum ſolemnium* traductio ſponſæ in domum ſponſi, quam convivia publica, choreæ, aliáque ſigna lætitiæ comitantur, quia verè ſunt nuptiæ ſolemnes; ſic docuit Thom. Sanch. *lib. 7. diſp. 7. num. 16.* Baſil. Ponce, *lib. 6. c. 8. n. 9.* Coninch. *diſp. 30. dub. 3. num. 23. & 36.*

Credo tamen ſatis probabile eſſe ſecluſo ſcandalo licere matrimonium celebrare plurium concurſu, & convivio, aliiſque lætitiæ ſignis, ſoláſque benedictiones Eccleſiæ in ſupradicto decreto prohiberi conſuetudine ſic interpretante videntibus, & conſentientibus Prælatis, ut inquit Sanch. *d. diſp. 7. à n. 7.* Gaſpar Hurtado *diſp. 25. difficult. 1. num. 3.* Favétque huic ſententiæ conſuetudo, quàm refert Baſilius Ponce, *lib. 6. cap. 8. num. 14.* aliquorum oppidorum diœceſis Salmantinæ, ubi Ruſtici ſabbatho ante Adventum benedicuntur, & Dominica Adventus ſolemnis fit ſponſæ traductio, quæ ſimul cum ſponſo in thalamo in medio foro conſtructo collocatur, ibique vicini convocati poſt prandia, & comeſſationes choreas ducunt, & munera ſponſis offerunt: quam conſuetudinem tolerandam eſſe ipſe Baſil. aſſeverat.

Neque obſtat Textus *in cap. neque uxorem 33. q. 4.* ibi: *Neque uxorem ducere, neque convivia facere in quadrageſimali tempore convenire poſſe ullo modo arbitror.* Quia conſuetudine abrogatum eſt ex parte. Vel dic id eſſe intelligendum, quando fit cum tanta ſolemnitate ut ſcandalum adſit. Præterquam quòd in ſupradicto decreto non de obligatione, ſed de convenientia eſt ſermo. Quod ſi urgeas, benedictiones Eccleſiæ non prohibentur

bentur ratione sui, sunt enim quid spirituale, sed propria convivia, & festivitates inde manantes. Ergo hæc à fortiori prohibentur. Respondeo negando consequentiam, quia finis præcepti sub præceptum non cadit. Præterquam quòd non ob eam rationem prohibentur benedictiones, sed ne Ecclesia viduatur sua authoritate convivia, & festivitates conjugum approbare, ad eáque concurrere tempore quo ipsa intendit omnes fideles ad jejunium, & orationem excitare. Illud verò existimo certum, licere iis temporibus sponsalia, & matrimonium absque solemnitate celebrare, & à fortiori consummare, quia hæc comprehendi non possunt sub nuptiis solemnibus, ut benè tradunt Sanch. Basil. Coninch. Hurtado & alii relati.

5. In hac lege utpotè à Concilio generali lata etsi Sotus *in* 4. *d.* 32. *q. unica*, *art.* 3. *in fine.* Jacobus de Graffis 1. *p. decis. lib.* 2. *c.* 85. *n.* 29. Basil. Ponce, *l.* 6. *cap.* 7. *n.* 11. credant Episcopum jure ordinario dispensare posse, eo quòd reservatum non sit verius existimo cum Sanch. *disp.* 7. *num.* 6. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 16. *n.* 2. extra casum urgentis necessitatis (qui rarò contingere potest) non esse Episcopo concessam hanc potestatem. Quia generale est non posse inferiorem in lege Superioris dispensare, nisi ei fuerit commissum.

6. Tempore verò interdicti, & cessationis à divinis communior est sententia matrimonium solemniter celebrari posse, & consummari, uti colligitur *ex cap. capellanus de feriis*, ubi: *Quocumque tempore celebrari posse, eámque esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem.* Et tradit Navarr. *c.* 27. *n.* 179. Covarr. *cap. Alma* 2. *p.* §. 2. *n.* 7. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 45. Tolet. *lib. cap.* 53. *num.* 3. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 8. *per totam*, & alii apud ipsos, Benedictiones verò minimè possunt fieri, quia pertinent ad Ordinis exercitium, & ad Divinum officium recitandum. At si conjuges bullam Cruciatam habeant, possent benedici servatâ formâ. præscriptâ *in cap. Alma mater, de sentent. excommun. in* 6.

7. Tertium impedimentum est catechismus, idest instructio, seu professio fidei facta ante januam Ecclesiæ super baptisandos, seu nomine baptisati: sicuti habetur *cap. ante baptismum de consecrat. dist.* 4. impeditque matrimonium contrahendum antiquo jure spectato, *ex cap. contracto de cognat. spirituali.* Et *cap.* 2. *eodem tit in* 6. in illis gradibus, in quibus cognatio spiritualis per baptismum impedit, quiá de se est initium spiritualis regenerationis, sicut sponsalia initium sunt matrimonii. Et licèt catechismus regulariter baptismum præcedat; attamen id impedimentum præstat, tametsi subsequatur baptismum ob urgentem aliquam causam domi factum, quia sepectatur non quod ex accidenti contingit, sed quod frequentiùs est, ideòque *cap.* 2. *de cognat. spirituali, in* 6. dicitur contrahi hoc impedimentum per catechismum, qui baptismum præcedit, idest qui frequenter & in plurimum: ut rectè advertit Covarr. 2. *p. decret. cap.* 6. §. 4. *numero* 11. Henriq *lib.* 12. *cap.* 2. *numero* 1. Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 10. *num.* 7. adversus Bartholum. de Ledesm. *dubitat.* 46. *de matrim.* & Sotum *in* 4. *disputat.* 37. *quæst. unica*, *artic.* 1. *ad finem*, *corp.* asserentes non improbabiliter ex catechismo baptismum subsequente nullum impedimentum contrahi.

8. Controversia inter doctores est, An jure novo Conc. Trid. *sess.* 24. *c.* 2. *de reformat.* sublatum sit hoc impedimentum; Plures, gravésque Doctores post Concilium scribentes negant. Matienzo *lib.* 5. *recop. tit. Rub. gloss.* 1. *n.* 148. Anton. Cuchus, *lib.* 5. *instit. major. tit.* 12. *n.* 17. Lancellot. *in instit. juris Canonici*, *lib.* 2. *tit. de triplici cognat. per catechis.* Solet. *lib.* 7. *c.* 14. *in fin.* Palacios *dist.* 42. *q. un.* Barthol. de Ledesm. *dub.* 46. & alii plures relati à Gutierr. *c.* 84. *num.* 6. asserentes ad primum gradum, sicuti cognatio orta ex baptismo hoc impedimentum restrictum esse. Ratio est, quia esto Concilium omnem aliam cognationem spiritualem abstulerit præter eam, quæ oritur ex baptismo intelligi debet abstulisse omnem cognationem spiritualem dirimentem, secùs impedientem tantùm, uti colligitur ex principio *ipsius c.* 2. Correctio namque juris communis est quoad fieri possit, cùm igitur Concilium non expresserit abstulisse omnem cognationem spiritualem tam dirimentem, quàm impedientem, intelligi debet solam dirimentem, utpotè præcipuam abstulisse

9. Cæterùm communior sententia, quam docet Sanch. *lib.* 7. *disp.* 10. *numero* 12. Gutierr. *cap.* 84. *de matr. numero* 6 Basil. Ponce, *lib. cap.* 11. *circa finem.* Reginald. *lib.* 31. *numero* 190 Rebell. *de obligat. justit.* 2. *p. lib.* 3. *q.* 18. *numero* 20. Coninch. *disput* 30. *dub.* 3. *num.* 24. Gaspar Hurtado *de matr. disp.* 25. *difficult.* 1. *num.* 4. asserit Concilio Trident. hoc impedimentum sublatum esse, eo quòd Concilium dixerit: Impedimentum cognationis spiritualis solùm extendi debere ad levantem baptizatum de sacro fonte, ejúsque patrem, & matrem, *omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis sublatis.* Ergo tollit impedimentum, quod inter professorem fidei, & inter Baptizatum esse poterat. Nam esto impedimentum ortum ex catechismo sit dirimens, sed impediens, nihilominus universalis negativa, quæ negat omne aliud impedimentum, de quolibet impedimento cognationis spiritualis intelligi debet; præcipuè cùm hoc decretum sit Juris communis, & in favorem matrimonii, quod latè est interpretandum, tametsi antiqui Juris correctorium.

10. Hinc Sanch. Basil. Ponce, Gutierr. & alii prudentes monent Parochum obligatum esse scribere nomina Patrinorum, qui baptizandum levarunt de sacro fonte, si fortè solùm catechismo astiterint id debere exprimere, quia ex uno munere contrahunt impedimentum dirimens, ex alio autem munere nullum impedimentum, vel ad summum impediens.

11. Quartum impedimentum est sponsalia, quæ dum durant constat apud omnes jure naturæ matrimonium contrahendum cum alia impedire; est enim contra fidelitatem & justitiam rem uni promissam eo invito alteri tradere. In quo impedimento solus Pontifex ex rationabili causa dispensare potest, non autem Episcopus. Quippe Episcopi lege latâ à Pontifice *inc. ex litteris*, *el* 2. *de sponsalib.* jubentur, ut sponsalia observari procurent. In lege autem Superioris qualis est Pontifex nequit regulariter inferior dispensationem concedere. Præterquam quòd sponsalibus est jus tertio acquisitum, in jure autem tertio acquisito non dispensat Episcopus, ut patet in testamentis, donationibus, &c. Atque ita tradit Sotus *in* 4. *d.* 37. *q. unica art.* 1. *concl.* 2. Henriq. *lib.* 22. *de matr. cap.* 2. *num.* 2. Sanch. *lib.* 1. *de matr. disp.* 61.

12. Quintum est votum simplex non nubendi, Ordinèsve recipiendi, ingrediendi Religionem, vel castitatem servandi. Quodlibet enim ex his voris jure naturali, & Divino matrimonium impedit, ut habetur *c. consulit. Cap. veniens*, *cap. Rursus Qui clerici*, *vel voventes.* Et *capite unico de Voto n.* 6. Et quidem votum non ineundi matrimonium, esse impedimentum matrimonio contrahendo; nemini dubium esse potest, ut testatur Henriq. *lib.* 11. *cap.* 2. *n.* 1. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 11. *num.* 7. Gutierr. *cap.* 85. *n.* 3. Basil. Ponce, *lib.* 6. *cap.* 12. *n.* 1. quia directè opponitur matrimonio. Idem est de Ordine sacro assumendo, vel Religionem ingrediendo, quia sunt status à matrimonio diversi, quibus assumendis impedimentum præstat matrimonium; uti tradunt prædicti Doctores. Qui id ipsum asserunt de voto absoluto castitatis, quo corpus voventis Deo consecratur nequit ergo alteri tradi. Quinimò esto hæc vota conditionalia sint, vel dilata in tempus futurum, scilicet cùm studia fuerint consummata, cùm parentes objerint, cùm beneficium obtentum fuerit matrimonio impedimentum præstant, ut rectè notavit Sanch. *d. disp.* 11. *n.* 7. Basil.

dict. c. 12. *n.* 1. Gutierr. *c.* 85. *n.* 3. Quia eſto eorum obligatio perfecta non ſit quouſque conditio ponatur, vel tempus adveniat, obligant tamen his votis aſtrictum, ne ſe incapacem, & inhabilem reddat ad eorum executionem.

Neque prædicta vota deſinunt eſſe matrimonii impedimenta, eo quòd vehementibus carnis ſtimulis urgearis, ut advertit ex communi Sanchez *dict. diſp.* 11. *à n.* 12. Gutierr. *c.* 85. *n.* 5. *& ſeqq.* Coninch. *diſp.* 30. *dub.* 3. *n.* 27. Baſilius Ponce, *lib.* 6. *c.* 12. *n.* Etenim ſtatus Religionis, Ordinis ſacri, vel cœlibatus ita eſt excellens, & perfectus, ut meritò ob illum aſſequendum omnes illas difficultates ſuperare debeas; ſiquidem Divinâ gratiâ adjutus id præſtare vales, oratione inquam & jejunio, aliisque pœnitentiæ operibus.

13. Quare difficultas in eo verſatur, An prædicta vota impedimentum matrimonio præſtent, ſi animum habeas illud non conſummandi, ſed ante conſummationem ad Religionem tranſeundi? Ratio difficultatis eſt, quia matrimonii contractus ſeclusâ conſummatione non impedit Religionis ingreſſum & conſequenter neque Ordinis aſſumptionem, & cœlibatum, ergo prædicta vota matrimonium cum hac intentione aſſumptum non impediunt. Atque ita docet Rebell. 2. *p. de obligat. juſtit lib.* 3. *q.* 17. *à n.* 2. Baſil. Ponce, *lib.* 6. *c.* 12. *num.* 4. *&* 5.

14. Cæterùm omnino tenendum exiſtimo prædicta vota impedimentum præſtare matrimonio, etiam ſub ea intentione tranſeundi ad Religionem contracto. Quippe negari non poteſt te contrahendo matrimonium in grave periculum conjici ab ea intentione religionis deſiſtendi. Ergo ſaltem ratione periculi talis contractus illicitus eſt. Quæ ratio procedit, eſto is quo cum contrahis conſcius ſit tuæ intentionis, ſi verò ignarus ſit eſt manifeſta deceptio & injuria. Nam eſto cuilibet à jure conceſſum ſit bimeſtre ad deliberandum de Religionis ingreſſu poſt matrimonium contractum, neque ullus ex contrahentibus poſſit alterum obligare, ne ad Religionem tranſeat, ſi Deus inſpiravit, optimè tamen poteſt obligare, & de facto obligat, ne contractum celebres animo firmo ad religionem tranſeundi, quin is animus ei manifeſtus fiat. Nam dum hunc animum non manifeſtas, præſumeris animo conſummandi matrimonium contrahere; quia is eſt communis contrahendi modus, ergo ſi ab hoc contrahendi communi modo deſiſtis contrahentem decipis, qui nullatenus contraheret, ſi eum animum cognoſceret, eſt igitur injuſtitia.

15. Gravior dubitatio eſt, ſi poſt aliquod ex prædictis votis emiſſis virginem defloraſſes? Et quidem ſi id factum eſt abſque promiſſione conjugii, ipſaque liberè conſentit à voti excutione non liberaris, quia ea libertas contingere poterat ex eo quod virgini damnum ex juſtitia reſarciendum factum ſit, quodque reſarciri nequit votum exequendo: at virgini liberè conſentienti nullum tale damnum irrogatur, quia ſcienti, & volenti nulla fit injuria. Ergo ex illa defloratione non impediris votum exequi, ut docet Leſſius *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 9. Petr. navar. *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *n.* 423. Thom. Sanch. aliis relatis, *lib.* 7. *diſp.* 14. *n.* 11. Gaſp. Vaſq. *de reſtit. c.* 3. §. 2. *dub.* 6. *n.* 21. Baſil. Ponce, *l.* 6. *c.* 12. *n.* 6.

16. Quod ſi ipſam vi, dolo, aut fraude violaſti, etſi tenearis, damnum integrè reſarciri augendo dotem, ut æquè benè nubat, ac ſi corrupta non eſſet, non tamen teneris præcisè ad eam ducendam, uti docuerunt Navarr. *ſuprà.* Leſſius, *num.* 10. Sanchez *num.* 12. & conſequenter à voti executione non excuſaris. Neque his obſtat Textus *in cap.* 1. *de adulteriis*, ubi dicitur, *Si quis ſeduxerit virginem nondum deſponſatam, dotabit eam, & habebit uxorem*; quia hic Textus intelligendus eſt poſt ſententiam Judicis non in foro conſcientiæ, ut rectè Sylveſt. *verbo Luxuria q.* 5. Covarruvias 2. *p. de ſponſalib. c.* 8. §. 8. *num.* 19.

17. At ſi ſub promiſſione conjugii virginem violaſti tui voti conſciam, nullam contrahis obligationem ducendi illam, ſed voto exequendo obligatus, ſicut antea exiſtis, quia cùm tempore promiſſionis impeditus eſſes à matrimonio contrahendo, idque virgo cognovit, cognovit te obligari non potuiſſe, ac proindè cenſenda eſt gratis ſuum corpus tibi præſtitiſſe. Secùs eſt ſi ipſa tui voti ignara extitit, quia eo caſu obligaris eam ducere, & votum ſuſpenditur, ut docuit Sanch. *lib.* 1. *diſput.* 45. *num.* 3. Gabr. Vaſq. *de reſtit. cap.* 3. §. 2. *dub.* 6. *num.* 20. Baſil. Ponce, *lib.* 6. *cap.* 12. *n.* 10. obligatio namque juſtitiæ ſuperveniens orta ex accepto virginis corpore in tui uſum ſub ea conditione ducendi illam, prævalet promiſſioni caſtitatis, & Religionis Deo factæ; ſicuti poſt votum eleemoſinæ præſtandæ, alienum ſurriperes, deberes priùs huic debito ſatisfacere, quàm voto. Et licèt poſſes damno virgini illato ſatisfacere dotis argumento, non obinde liberaris ab ea ducenda, quia ex vi contractus non debes pecuniam, ſed matrimonium. Et quoties aliquid in ſpecie creditori debetur, illud præſtandum eſt, nec ſufficit, ſi æquivalens concedatur creditore non conſentiente. Verùm ut prædictæ obligationi juſtitiæ ſatisfacias, debes diſpenſationem voti priùs petere, quæ neceſſariò concedenda eſt.

18. Quod ſi nullâ impetratâ diſpenſatione matrimonium contrahis, peccas contrahendo, utpotè qui aſſumis ſtatum promiſſioni repugnantem, ut dictum eſt. Matrimonio autem contracto, ſi votum fuit de non contrahendo matrimonium, alicui videri poſſet nullam tibi ſupereſſe obligationem, ſed credo te obligatum eſſe non petere, quia prædictum votum, utpotè ex affectu caſtitatis elicitum eſt de non contrahendo matrimonium ſimpliciter, & perfectè ſcilicet de non contrahendo, & conſummando, ex quo voto obligaris ad non petendum. At ſi votum fuit de Ordine ſacro aſſumendo, ceſſat matrimonio contracto etiam non conſummato, cùm non poſſis abſque licentia conjugis illud votum exequi, ut definitum eſt *in extravag. Antiquæ de Voto.* Quod ſi votum fuerit Religionis aſſumendæ teneris ante conſummationem illud exequi cùm poſſis, niſi fortè virgini defloratæ ſub promiſſione conjugii non fuerit ex ſolo contractu matrimonii plenè ſatisfactum. Tandem ſi caſtitatis fuerit votum, nullatenus petere potes, etſi tenearis reddere; quia quoad eam partem votum ſervare potes. Qui autem Prælati in iis votis ante vel poſt contractum matrimonium diſpenſare poſſint latè dixit *tract. de voto, diſp. ult. punct.* 12. & aliis.

§. II.

Exponuntur impedimenta impedientia ex crimine orta.

1 *Primo loco enumerandus eſt inceſtus, & quid ſit?*
2 *Antiquo jure ex copula cum conſanguineis intra quartum gradum contrahebatur, nunc ex copula cum conſanguineis intra ſecundum gradum.*
3 *Copula cum conſanguineis ſponſæ de futuro non eſt inceſtus, niſi intra primum gradum.*
4 *Matrimonio nullo exiſtente non datur inceſtus.*
5 *Inceſtus habitus cum conſanguineis propriis præſtat impedimentum ex probabili ſententia.*
6 *Supradictæ doctrinæ, & impedimento inceſtus plures limitationes adhibitæ examinantur.*
7 *Secundum impedimentum eſt raptus alienæ ſponſæ.*
8 *Quæ ſint pœnæ Jure Civili his raptoribus conſtitutæ?*
9 *Quæ Jure Canonico?*
10 *Quæ jure novo Tridentini?*
11 *His pœnis à* Trident. *ſtatutis non eſt locus, cùm raptus contingit occaſione explendæ libidinis, & non matrimonii contrahendi.*

12 *Nec item est locus si puella raptui consentiat.*
13 *Aliqui censent excusari à prædictis pœnis Concilii raptorem propriæ sponsæ de futuro.*
14 *Verius est oppositum.*
15 *Si dolo falsisve promissis fœmina adducatur, non est raptus pœnis Trident. obnoxius.*
16 *Quibus in locis* Conc. Trid. *decretum vigeat.*
17 *Tertium impedimentum est uxoricidium, & explicatur.*
18 *Hoc impedimentum etsi* Sanch. *neget extendi ad viricidium. Verius est oppositum.*
19 *Quartum est susceptio propriæ sobolis de sacro fonte, & explicatur.*
20 *Quintum est mors presbyteralis.*
21 *Sextum pœnitentia solemnis.*
22 *Septimum, acceptio fœminæ Deo sacratæ.*
23 *Prædicta impedimenta ex crimine orta usu, & consuetudine abrogata sunt.*

1. INter hæc impedimenta enumerandus primo loco est incestus consurgens ex copula habita cum consanguineis conjugis; uti habetur *cap.* 1. *Cap. transmissa, de eo qui cognovit consanguin. uxoris suæ.* Et tradunt omnes teste Sanch. *lib.* 7. *disp.* 15. *num.* 1. Zevallos *in suis communib. opin. quæst.* 737. *initio.*

2. Antiquo jure impedimentum contrahebatur ex copula cum consanguineis intra quartum gradum, Argum. *cap. non debet de consanguinit. & affinit.* ut pro certo firmat Sanch. *d. disp.* 15. *num.* 4. *& lib.* 9. *disp.* 27. *num.* 12. Gutierr. *cap.* 87. *num.* 5. At novo juris Trident. *sess.* 24. *cap.* 4. solùm ad consanguineos intra secundum gradum extenditur, ut multis allegatis probat Sanch. & Gutierr. *suprà*, referúntque sic sæpè decisum esse à sacra Congregatione.

3. Quando vero conjux matrimonio copulatus non est, sed solùm sponsalia de futuro contraxit, incestum non committit nisi copulam habeat cum consanguineis sponsæ intra primum gradum, eo quòd novo jure Conc. Trident. *dicta sess.* 24. *cap.* 4. impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum non excedit primum gradum, & consequenter extra illum gradum non constituit incestum, ut probat Sanch. *d. lib.* 7. *disp.* 15. *n.* 5. *& seqq.* Et *lib.* 9. *disp.* 27. *num.* 6. Gutierr. *lib.* 1. *can. qq. c.* 23. *num.* 15. *& de matr. c.* 87. *n.* 8.

4. Quod si matrimonium nullum extiterit copula cum consanguineis conjugis non erit impedimentum matrimonio contrahendo, tametsi fuerit incestus, nisi ea copula fuerit cum matre, vel filia conjugis, Argum. Textus *in cap. si quis cum matre* 34. *quæst.* 2. Quo casu etiam ipsæ prædictum impedimentum contrahent, si consciæ fuerint delicti, sic tradit Sanch. *d. disp.* 15. *n.* 7 Gutierr. *c.* 87. *num.* 9.

5. Controversia autem est, an incestus habitus cum consanguineis propriis impedimentum præstet: Quia in re duplex est sententia, & utraque satis probabilis teste Sanchez *lib.* 7. *disp.* 11. *à num.* 15. Sed ex his veriorem reputo quæ affirmat esse impedimentum, quámque docet Glossa *in cap. de incestis, in fine* 35. *quæst.* 3. per Textum *ibi.* Et *cap. si quis viduam* 32. *q.* 7. *& cap. si duo* 35. *quæst.* 6. & approbatur expressè à lege regia 13. *tit.* 2. *part.* 4. ibi: [El uno dellos (scilicet que inpiden el contraer el matrimonio) un pecado que llaman en latin. *incestus* que quiere tanto decir como pecado que home façe faciendo a sa biendas con su parienta, o parientia de su muger, o de otra con quien hubiese yaçido hasta el quarto grado:] & *ibi* Gregor. Lopez *verbo con su parienta.* Cui opinioni credo standum esse maximè in hoc regno Castellæ, cùm Juri Canonico conformis sit. Tametsi contrarium censeat Sanch. *lib.* 7. *disp.* 15. *num.* 15. Zevallos *in suis commun. opin. q.* 737. *n.* 3. & alii plures apud ipsos.

6. Supradictæ doctrinæ de impedimento incestus plures limitationes Doctores adhibent, quas breviter perstringam. Primò asserunt, & rectè, requiri necessariò, ut scienter incestus admissus sit, quia ita cavetur *in cap.* 1. *de eo qui cognovit. consanguineam.* Et tradit Sanch. *d. disp.* 15. *àn.* 9. Gutierr. *d. c.* 87. *num.* 11. Non tamen est opus, ut incestuosus agnoscat hoc impedimentum sibi oppositum esse. Satis enim est, quod agnoverit incestum commisisse, ut benè notavit Sanch. *lib.* 9. *d.* 32 *num.* 44. Secundò debet esse incestus voluntarius, non violenter commissus, juxta Textum *in cap. diserationem. De eo qui cognovit consanguineam:* & tradit Sanch. *lib.* 7. *disp.* 15. *num.* 10. Gutierr. *d. cap.* 87. *num.* 14. Basil. Ponce, *lib.* 6. *cap.* 13. *in fine.* Tertiò requiritur incestum copulâ consummatum quare si semen extra vas legitimum fœminæ emissum sit, non constituit affinitatem, neque prædictum impedimentum ut notaverunt Sanch. *num.* 11. & Gutierr. *num.* 15. Quartò asserunt Dominic. Sotus, Corduba, Henriq. Vivald. Eman. Sa, *loc. statim referendis* opus esse, ut incestus committatur cum consanguineis conjugis viventis non defunctæ. Nam post mortem conjux non est, & verba legis præcipuè in pœnarum impositione cum proprietate sunt accipienda, & quoad fieri potest restringenda. Sed rectiùs contrarium docuerunt Sarmiento *lib.* 7. *select. cap.* 10. *in princ.* Ovando *in* 4. *d.* 41 *disp. unica, propos.* 8. Petr. de Ledesm. *de matr. quæst.* 58. *art.* 4. *dub.* 1. Sanch. *dicta disp.* 15. *num.* 12. Gutierr. *de matrim. cap.* 87. *n.* 17. Basil. Ponce, *cap.* 13. *num.* 7. nempè hoc impedimentum contrahendi, sive conjux vivus, sive mortuus fuerit, eo quòd Textus de hac materia loquentes solùm exigant, ut incestus committatur, qui verè committitur, tametsi conjux mortua fuerit. Præterquam quòd in communi modo loquendi, qui semper spectandus est, consanguinei conjugis dicuntur, esto mortua fuerit conjux. Vt colligitur ex lege regia 13. *tit.* 2 *part.* 4. idque expressè videtur decisum *in cap. transmissa. de eo qui cognovit consanguin.* ubi Textus loquitur, *Quando uxore defuncta incestus commissus est, ob cujus causam decidit virum debitum petere non posse, benè tamen reddere.* Quintò requirunt alii incestum publicum esse jure, vel facto, alias publicè non erit incestuosus à matrimonio impediendus. Sed contrarium optimè docuit Glossa *in c. qui dormierit, verbo neutram* 32. *quæst.* 7. Alphons. à Castro *lib.* 2. *de lege pœnali:* §. *rursus*, Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. c.* 23. *num.* 8. *& de matr. cap.* 87. *n.* 18. *&* 19. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 15. *n.* 13. *&* 14. Rarò namque impedimentum hoc contraheretur, si incestus publicus futurus esset, neque Textus hanc publicitatem expostulavit. Neque inde fit ipsum incestuosum non esse impeditum à matrimonio publicè, & secretò contrahendo, nam ob impedimentum occultum impediri optimè potest jure quidem, & lege, non Judicis officio.

7. Secundum impedimentum matrimonio contrahendo est raptus alienæ sponsæ, *cap. statutum* 27. *quæst.* 2. Ponimus raptum propriè esse, cùm libidinis causâ alia persona sive nupta, sive innupta vi aut dolo abducitur de uno loco in alium, non ratione commodioris usus, sed violentiæ inferendæ, ut rectè Sanch. *lib.* 7. *disp.* 12. *num.* 21.

8. Variæ pœnæ jure civili sunt his raptoribus statutæ, ut constat *ex leg. un. C. de raptu virginum,* ubi raptores capite plectuntur, eorúmque bona personæ raptæ addicuntur. Debet tamen persona rapta esse honestæ vitæ, quando raptus committitur, aliàs non subjicitur his pœnis, sed aliis arbitrio Judicis, ut habetur in dicta lege juncta Glossa, *verbo virginum.* Et *leg. regia* 3. *tit.* 20. *part.* 7. Item requiritur, ut nihil ante de matrimonio actum fuerit. Quippe sponsalibus contractis raptus reputari non debet, ut expressè cavetur *in cap. penult. de Raptorib.*

9. Jure Canonico statutum est, ut raptor alienæ sponsæ publicâ pœnitentiâ mulctetur, & impedimentum sit non dirimens, sed impediens matrimonium cum quolibet contrahendum, *cap. statutum* 27. *q.* 2. Qui enim alienum matrimonium perturbare ausus est, meritò

privatur proprio. Dixi *alienæ ſponſæ*. Si enim fœmina deſponſata non eſſet, imò ſi non eſſet, per verba de præſenti, non contrahit raptor prædictum impedimentum, quia ſponſa de futuro in rebus odioſis non venit nomine ſponſæ intelligenda, ut rectè notavit Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 12. *num.* 45. ubi requirit ad hoc impedimentum, ut vir renitatur raptui ſuæ ſponſæ, nam ſi ipſe conſenſum præberet, ceſſabit impedimentum, cùm in ejus favorem latum ſit. Quod ſi diſſentiente viro ſponſa raptui conſentiat, impedimentum contrahit non ſolùm raptor, ſed rapta, ita ut diſſoluto eo matrimonio, nequeant licitè aliud inire, juxta *cap. ſtatutum*, quia fit perfecta injuria matrimonio, & viro in cujus favorem impedimentum ſtatuitur.

10. Novo jure Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. raptor cujuſcunque mulieris, ac omnes illi qui conſilium, auxilium, vel favorem ei præbuerint ipſo jure excommunicantur, & perpetuâ infamiâ percelluntur, omniúmque dignitatum incapaces redduntur, & ſi Clerici fuerint à proprio gradu decidunt, obligatúrque raptor ſive raptam duxerit, ſive non, dotare. Quæ pœnæ Judicis ſententiam expoſtulant, exceptâ pœnâ excommunicationis, quæ ipſo jure incurritur teſtè Sanch. alios referente, *lib.* 7. *diſp.* 13. *n.* 1. Neque raptor ab iis liberatur, eſto raptam ducat, ut notavit Sanch. *ſuprà*, & Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 69. Gutierr. *c.* 26. Decernit præterea Sancta Synodus inter raptorem, & raptam quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Ex quibus verbis, ut docent omnes eo in caſu eſt impedimentum dirimens. Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta eum in virum habere conſenſerit, raptor in uxorem habeat.

11. Aliqui Doctores, ut Joan. Vela *de pœnis delictor. c.* 29. §. *ſed ego*. Alphonſ. à veracruz *in append. ad ſpecul conjugale, ubi de raptu, pag.* 81. §. *hic conſiderandum*. Eman. Sa, *verbo Matrimonium. num.* 9. referens deciſum eſſe à ſacra Congregatione, teſtantur prædictas omnes pœnas, & inhabilitatem ad matrimonium contrahere raptorem, eſto non animo contrahendi matrimonium, ſed explendæ libidinis fœminam rapuerit, quia Concilium generaliter, & diſtinctè loquitur. Sed rectiùs Salcedo *pract. cap.* 78. *in fine*. Rodrig. 1. *tom. ſum. caſ.* 213. *n.* 7. Vega 2. *tom. c.* 234. *notab.* 1. *caſu* 157. Coninch. *d.* 31. *dub.* 4. *in fine*. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum tract.* 10. *part.* 4. *c.* 13. *in fine* Thom. Sanch. *lib.* 7. *d.* 13. *n.* 3. Gutierr. *c.* 86. *n.* 8. Leſſius *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 64. aſſerunt prædictas pœnas ſolùm incurrere raptorem qui animo contrahendi matrimonium fœminam rapuerit. Tum quia hoc decretum eſt pœnale, & correctorium juris communis, *cap. fin. de raptorib.* ergo reſtringendum eſt. Item quia Concil. Tridentinum in prædicto decreto matrimonii libertati favere intendit, ideóque irritum reddit attentatum ex raptu, ut hac irritatione coërceret raptores videntes ſuum finem conſequi non poſſe. Non igitur extendendum eſt ad raptorem ex causâ libidinis.

12. Deinde his pœnis non eſt locus, ſi puella raptui conſentiat, tametſi parentes ejus renitantur, quia hoc decretum Concilii in favorem matrimonii latum eſt, cujus libertati parentum repugnantia non obeſt, ideoque illius non meminit Concilium, ſed ſolùm puellæ conſenſus, ut conſtat ex illis verbis. *Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, &c.* Et licèt Jure Civili repugnantibus parentibus raptus committatur puniendus. At præſenti decreto Concilii non quilibet raptus animo contrahendi matrimonium diſſentiente puellâ vendicatur, ut aliis relatis docuit Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 13. *num.* 13. & 14. Coninch. *diſput.* 31. *dub.* 4. *in fine*. Paul. Laym. *diſp. cap.* 13. *numero* 4. tametſi contrarium immeritò ſentiat Gutierr. *cap.* 86. *numero* 17. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 4.

13. Præterea Henriq. *lib.* 12. *de matr. c.* 14. *n.* 4. & 5. & Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 70. affirmant excuſari à prædictis pœnis Concilii raptorem propriæ ſponſæ de futuro, quia *in cap. penult. de raptorib.* hoc delictum à raptu excuſatur, & apertiùs videtur difinitum à Gelaſio *c. lex illa* 36. *c.* 1. ubi raptum dicitur eſſe commiſſum, ubi puella de cujus nuptiis antea nihil actum fuerat videbatur abducta, quaſi diceret raptum non eſſe quando de nuptiis antea eſſet actum.

14. Nihilominus longè probabilius, & omnino dicendum exiſtimo cum Sanch. *d. diſp.* 13. *n.* 15. Gutierr. *c.* 86. *n.* 22. incurrere raptores pœnas in hoc Concilii decreto contentas, ſi ſponſam de futuro renitentem abducant, eo quòd libertas matrimonii offenditur, cùm vi abducatur, ut contrahat: favètque Textus *in cap. penult. de raptorib.* Neque Gelaſius contrarium decidit, ſed ſolùm dixit videri abductam, quoties antea de nuptiis actum non eſſet, id eſt quoties antea de nuptiis præſentibus, non futuris actum non eſſet, ſeu quoties nuptiæ antea celebratæ non eſſent, ut explicat *ibi* Gloſſa: ſecùs eſſet, ſi parentibus renitentibus ipſa ſponſa de futuro libens abduceretur, nam eo caſu non eſt raptus his pœnis ſubjectus.

15. Præterea notant Sanch. aliis relatis *lib.* 7. *diſp.* 12. *n.* 32. & *diſp.* 13. *n.* 11. & 12. Gutierr. *c.* 86. *de matr. n.* 14. & 15. ſi dolo, falſiſve promiſſis fœmina abducatur, non eſſe Conc. Tridentini pœnis obnoxium quia non eſt violentia, quæ ad proprium raptum requiritur. Neque obeſt eam abductionem pœnis latis *in leg. un. C. de Raptu virginum*, puniri ut raptum, quia id cavetur expreſsè in ea lege. Cùm ergo in Tridentino id expreſſum non ſit, non debet ejus diſpoſitio, quæ pœnalis eſt, & correctoria ad raptum improprium extendi.

16. Tandem eſt notandum decretum Conc. Trid. ſolùm habere locum illis in locis, in quibus receptum eſt, aliàs ſtandum erit antiquo juri *c. fin. de Raptorib.* Deinde non extendi ad raptores fœminas, quia jus non præſumit viro violentiam inferendam eſſe, quod ſi aliquando inferatur, eâ durante matrimonium conſiſtere non poterit, ſecùs eâ ceſſante tametſi extra poteſtatem raptoris non fuerit vir conſtitutus; & juxta hæc explicandus eſt Gutierr. *d. c.* 86. *in fine*.

17. Tertium impedimentum eſt uxoricidium non quidem animo intendi aliud matrimonium: tunc enim eſt impedimentum dirimens, ſed factum ob odium, vindictum, vel quia deprehenſa eſt in adulterio. Nam licèt leges civiles uxoricidium ob eam cauſam non puniant, lex verò Canonica omnibus illicitè uxorem interficientibus hanc pœnam conſtituit, ut conſtat *ex capite interfectores. Cap. admonere. Cap. quicumque* 33. *q.* 2. ſecùs eſſet ſi authoritate Judicis convicta, & condemnata interficeretur, ut colligitur *ex dicto cap. quicumque* ibi: *Quicumque uxorem abſque lege, vel ſine cauſa, & certa probatione interfecerit, &c.* Quaſi diceret, qui lege poſitâ, & probatione factâ interficit, non incurrit impedimentum. Atque ita tradit Sanch. aliis relatis *lib.* 7. *diſp.* 16. *à num.* 2. Gutierr. *cap.* 88. *à num.* 2. Baſil. *l.* 6. *cap.* 14. *num.* 2.

18. Hoc impedimentum negat Thom. Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſp.* 16. *n.* 6. extendi ad viricidium, eo quòd in prædictis Textibus nulla hujus delicti facta ſit mentio, ſed tantùm de uxoricidio, neque eſt eadem ratio, nam viricidium rarò contingit; quia uxores timidæ ſunt, uxoricidium verò frequentius ob virorum audaciam, ad quam reprimendam hoc impedimentum eſt conſtitutum. Sed rectiùs contrarium docuit Gutierr. *cap.* 88. *n.* 4. Baſil. Ponce, *lib.* 6. *c.* 14. Rebell. *de obligat. inſtit* 2. *p. lib.* 3. *q.* 18. §. *de uxoricidio*. Caniſius, *c.* 1. *de Divortiis*, & alii plures relati à Sanch. ipſéque probabile reputat. Nam eſto in prædictis capitibus nulla de viricidio mentio facta ſit, ratio tamen decidendi, & apponendi prædictum impedimentum eodem modo, imò efficaciùs procedit in viricidio quàm in uxoricidio. Etenim *in cap. admonere* 33. *q.* 2. ubi hoc impedimentum

tum ſtatuitur uxoricidio, hæc ratio ſubjungitur, *occidiſti uxorem tuam partem corporis tui legitimo matrimonio ſociatam, filios tuos orphanos feciſti.* Quæ æquè in uxore, ac in viro procedit. Præterea id videtur expreſsè deciſum in *cap. 1. de Divortiis*, ubi mulier quæ marito inſidias tendit, ipſséque ſe defendendo alium occidit privatur ſpe conjugii, favétque *cap. ſi qua mulier. 31. q. 1. Cap. nihil iniquius. Cap. indignantur 32. q. 3.*

19. Quartum impediens eſt ſuſceptio propriæ ſobolis de ſacro fonte, animo cauſandi divortium debitum conjugi negando, juxta Textum *in cap. De eo 30. q. 1.* ibi: *Si prævaricator conjugii ſupervixerit acerrimâ pœnitentiâ mulctetur, & ſine ſpe conjugii remaneat.* Meritò namque privatur conjugio in perpetuum qui impedimentum voluit apponere ei quod habebat. Quod impedimentum Doctores extendunt ſi proprium filium baptizet, aut illius ſit in baptiſmo Patrinus animo inſidiandi matrimonio, quia eſt eadem ratio. Ex quo ſit deficiente eo animo nullum eſſe impedimentum, quia non cenſetur conjugii prævaricator. Unde ſi neceſſitate urgente pater filium ſuum baptizet nullam cognationem ſpiritualem cum conjuge contrahit, ac proinde nec privatur poteſtate petendi debitum, neque à matrimonio impeditur, uti conſtat *ex cap. ad limina 30. quæſt. 1.* imo ſi abſque ulla neceſſitate, ſi ex ignorantia facti, aut juris fiat hac pœna non afficitur, quia hæc pœna privationis petendi debitum malitiam exigit, ut colligitur *ex cap. ſi vir de cognat. ſpirituali.* Et *ibi* Abbas, Navarr. *cap. 16. n. 34.* Probabilitate tamen non videtur carere, etiam in hoc caſu non eſſe privatum conjugem poteſtate debitum exigendi, uti plures docent relati à Sylveſtro, *verbo matrimonium 8. q. 7.* Et inclinat Suar. *t. 3. in 3. p. q. 67. art. 8. in comment.* Quia *cap. ſi vir*, ſolùm de redditione debiti mentionem fecit dicens, *unus alteri debitum non ſubtrahat*, non de petitione. Imò *cap. de eo 30. q. 1.* affirmant, ſi uterque conjux ad delictum concurrerunt, velintque ſimul habitare non eſſe ſeparandos, ergo poſſent debitum petere, quando enim uterque privatus eſt poteſtate exigendi, ab Eccleſia quoad thorum ſeparantur.

20. Quintum impedimentum eſt mors presbyteralis, id eſt mors Sacerdotis, conſtat *ex cap. 2. de pœnit. & remiſſionib.* ibi: *Qui presbyterum occiderit convictus uſque ad ultimum vitæ ſuæ tempus militiæ cingulo careat, & abſque ſpe conjugii maneat.* Etenim Sacerdos ex officio matrimonio aſſiſtit, ergo eum interficiens debet eo privari. Debet tamen delictum eſſe in judicio probatum, ut indicant illa verba Textus *convictus*, & notarunt Hoſtienſ. Anton. & Abbas *ibi.* Et licèt aliqui dicant ſufficere in foro pœnitentiæ convictum eſſe, hoc minus probabile eſt, quia in illo foro nulla eſt propria conjunctio, ut rectè dixit Sanch. *lib. 7. diſput. 6. n. 9.* cùm ibi non ſint alii teſtes, neque alius accuſator præter ipſummet pœnitentem.

21. Sextum eſt pœnitentia ſolemnis, quæ inter impedimenta impedientia orta ex crimine enumeratur; non quia ipſa ſit crimen, ſed quia ex crimine procedit, ſeu propter ipſum imponitur, privat matrimonio contrahendo, dum durat. *Cap. de his, c. fin. 33. q. 2.* Ratio: quia non decent nuptiæ, quæ ſecum lætitiam afferunt, eum qui luctui, & pœnitentiæ aſtrictus eſt.

22. Septimum, & ultimum eſt acceptio fœminæ Deo ſacratæ, quando ſcienter aliquis ſanctimonialem ducere præſumit conſtat *ex cap. hi ergo 27. q. 1.* Ratio: quia injuriam irrogavit Chriſto ejus ſponſo ideóque debet conjugio in perpetuum privari.

23. Supereſt dicendum, an hæc impedimenta ex crimine orta quatenus omni matrimonio in perpetuum privant conſuetudine ſint abrogata? Negant Rebell. *lib. 3. de impedim. q. 18. in fine.* Toletus inclinat *lib. 7. c. 19.* Sed rectiùs Navarr. *c. 22. n. 75. & 87.* Henriq. *lib. 12. cap. 2. n. 1. in comment.* Leſſius *lib. 4. c. 3. n. 68. in 2. edit.* Thom. Sanch. *lib. 7. diſp. 17. num. 8.* alios referens Baſil. Ponce, *lib. 7, c. 14. in fine.* Coninch. *diſp. 30. dub. 3. num. 25.* Gaſpar Hurtado *diſput. 25. difficult. 1. n. 6.* Paul. Laymann. *lib. 5. ſum. tract. 10. 4. p. cap. 15. in fine.* aſſerunt conſuetudine hæc impedimenta ſublata eſſe, ſiquidem videntibus nec contradicentibus Prælatis plures aliquo ex his impedimentis ligati contrahunt matrimonium nullâ diſpenſatione petitâ, adeo ut Nav. dicat ſe non meminiſſe alicujus qui prædictam diſpenſationem poſtulaverit. Quod ſi aliquis ob majorem ſecuritatem eam diſpenſationem velit habere, ad Epiſcopum recurrat, qui ſpectato jure antiquo, quod in hac parte immutatum non eſt, eam concedere poteſt, teſte Navarr. *lib. 4. conſ. 9. n. 3. de conſanguin.* Paul. Laym. *d. c. 15. in fine*, Sanch. Leſſio *ſupra.*

Punctum III.

Quæ ſint impedimenta dirimentia, & quam obligationem inducant?

1 *Statuuntur impedimenta dirimentia.*

2 *Mortale peccatum adverſus illam virtutem, in cujus honorem ſtatuitur impedimentum, committit contrahens aliquo impedimento ligatus.*

3 *Vltra prædictum peccatum committitur ſacrilegium adverſus Sacramentum matrimonii.*

4 *Excuſaris à prædicto peccato, ſi metu contrahas abſque animo conſummandi.*

5 *Quando copula habita ab iis qui matrimonio impediti ſunt, contineat malitiam diſtinctam à fornicatione.*

1. Impedimenta dirimentia matrimonium etiam ſpectato novo Conc. Trid. jure ad hos verſus reduci poſſunt.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen:
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, ligamen, honeſtas:
Si ſis affinis, ſi fortè cotre nequibis:
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis:
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc ſocianda vetant, connubia facta retractant.

2. Certum eſt apud omnes te grave peccatum commiſſurum, ſi aliquo ex his impedimentis ligatus velis matrimonium contrahere, opponis enim te gravi Eccleſiæ legi. Dubium autem eſt quod peccatum committas? Et quidem te committere peccatum adverſus illam virtutem in cujus honorem impedimentum apponitur manifeſtum eſt. Cùm autem impedimenta non unam, ſed plures virtutes ſpectent, non unum peccatum ſpecie, ſed diverſum committis. V. g. impedimentum erroris, conditionis, raptus, vis, ſtatuitur in obſervationem juſtitiæ, ne ſcilicet contrahens ignarus prædictorum impedimentorum decipiatur. Quare ſi aliquo ex his impedimentis tentas aliquem inducere ad matrimonium injuſtitiæ peccatum committis. Ad idem eſt ſi matrimonio ligatus, tentares cum alia contrahere, injuſtus eſſes, non ſolùm contrahenti quem decipis, ſed conjugi, cui obligatus exiſtis; eandem injuſtitiam committis, ſi abſque Parochi, vel teſtium præſentia attentas contrahere, quia contractus abſque hac ſolemnitate prohibetur, ne injuſtitia fiat conjugi eam deferendo. Quod ſi ligatus crimine contrahis juſtitiam vindicativam lædis, in cujus honorem impedimentum hoc oppoſitum eſt. Adverſus pietatem delinquis, ſi impedimento affinitatis, vel conſanguinitatis ligatus contrahas. Tandem ſacrilegium committis, ſi cum impedimento voti, vel diſparitate cultus vis matrimonium inire, quia in obſervationem Religionis hæc impedimenta ſtatuuntur.

3. Solùm eſt dubium, An ultra prædictum peccatum committas aliud peccatum ſactilegii adverſus Sacramentum matrimonii. Negant Sanch. *lib. 7. diſp. 5. num. 1.* Gaſpar Hurtado *diſp. 12 diffic. 3. n. 11.* eo quòd

ſtante

stante impedimento non apponatur materia, nec forma Sacramenti, cui injuria irroganda esset. Sed rectiùs contrarium censuit Petr. de Ledesm. *de matr. q.* 50. *art.* 1. *diffic.* 3. *post secundam conclusionem.* Paul. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *p.* 4. *c.* 1. *in fine.* Coninch. *disp.* 30. *dub.* 2. *concl.* 4. eo quòd sic contrahentes abutantur nomine, & ritibus Sacramenti matrimonii ad simulandum suam nequitiam, quod Sacramento matrimonii injuriosum est. Neque obest sic contrahentes agnoscere matrimonium subsistere non posse, careréque animo contrahendi. Satis enim est ad peccatum sacrilegii, quod simulare susceptionem intendant. Quod si dicas quæ simulatio est, cùm nulla sit materia, & forma Sacramenti: hæc namque est contractus validus, qui stante impedimento dirimente cessat? Respondeo simulationem consistere in eo quòd apparenter materiam, & formam matrimonii apponis, intendisque videri matrimonium contrahere, cùm tamen de facto non contrahas.

4. Verùm si vi vel metu coactus contrahas absque animo consummandi ab omni peccato excusaris, quia cessat simulatio, omnibus enim constat matrimonium nullum esse, lexque Ecclesiastica, vel Divina impedimentum indicens, etsi persistat quoad irritationem matrimonii, at cessat quoad obligationem abstinendi ab eo contractu nullo, ut rectè docuerunt Sanch. *lib.* 7. *d.* 5. *à n.* 4. *& seqq.* Coninch. *d.* 30. *dub.* 2. *concl.* 2. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *part.* 4. *c.* 1. *in fine.* Basil. Ponce, *lib.* 4. *c.* 16. *n.* 3. Gaspar Hurtado *disp.* 12. *difficult.* 3. *n.* 12. Quippè non est animus Legislatoris astringere ad suæ legis observationem interveniente ita gravi damno. Quod verum habet etiamsi impedimentum sit juris naturalis. Nam esto in eo impedimento non possit. Legislator dispensare, ut matrimonium consistat, benè tamen ut exteriùs repræsentetur, ineatúrque contractus instar matrimonii contracti.

5. Copula verò habita ab iis qui matrimonio impediti sunt non semper habet malitiam aliam á fornicatione distinctam, sed solùm quando contractus matrimonii prohibetur præcipuè ob indecentiam, quæ in ea copula reperitur. Hac enim ratione copula inter affines, & consanguineos ultra fornicationem habet incestus malitiam, quia contractus matrimonii inter has personas prohibitus, non tam ob contractum, quam ob ipsam copulam prohibetur. Et idem est de copula habita ab iis qui disparis cultus sunt, vel voto castitatis ligati existunt. Secùs verò dicendum est de copula habita ab iis, qui impedimento conditionis servilis, criminis, vel raptus ligati existunt: quia hic matrimonii contractus non ob indecentiam copulæ, sed in favorem personæ liberæ, vel in pœnam delicti commissi interdicitur. Atque ita docent Sanch. *lib.* 7. *d.* 5. *n.* 7. Coninch. *d.* 30. *dub.* 2. *concl.* 2. *n.* 21. Gaspar Hurtado *disp.* 12. *difficult.* 3. *num.* 14.

Punctum IV.

Qualiter error personæ impedimentum præstet matrimonio contrahendo?

1 *Error personæ jure naturæ matrimonium dirimit.*
2 *Error qualitatis, qui sit causa contractus ex plurium sententia dirimit.*
3 *Verius est oppositum.*
4 *Satisfit fundamentis oppositis.*
5 *Duplex limitatio prædictæ sententiæ opponitur.*

1. MAtrimonium in quo error personæ committitur jure naturæ nullum est, quia deficit consensus necessariò requisitus. Si enim credens esse Mariam qua cum contrahis, tibi Catharina supponatur, matrimonium non subsistit; quia in catharinam non consentis. Neque obest, quod baptizans, confirmans, ungens, & consecrans Petrum, quem esse Joannem credidi, vel vendens triticum Petro, quem franciscum esse putavi, Baptismus, absolutio, consecratio, & venditio subsistant, quia in iis non spectatur hæc vel illa persona determinata, sed quæ præsens fuerit, parùm enim refert Baptismo, Confirmationi, aliisve Sacramentis sit hæc, vel illa persona, cui ministrantur, ideòque intentio Ministri non ad singularem personam putá Petrum, vel Franciscum refertur, sed ad eam quæ præsens est. Et idem est in venditione, in qua solùm æqualitas inter rem venditam, & pretium attenditur, non autem persona, cui venditio fit. At in matrimonio utpotè quod individuam vitæ consuetudinem inter conjuges retinet, maximè interest sit hæc, vel illa persona, præcipuè cum persona quæ traditur intret in formale objectum Sacramenti. Atque tradit D. Thom. *in* 4. *d.* 30. *q.* 1. *art.* 2. Sanch. plures referens *lib.* 7. *disp.* 18. *num.* 12. Suar. *in* 3. *p. t.* 3. *disp.* 13. *sect.* 4. *ad finem.* Gutierr. *c.* 89. *de matr. n.* 2. Coninch. *disput.* 31. *dub.* 1. *num.* 9. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *p.* 4. *cap.* 2. *in princ.* Gaspar Hurtado *disputatio.* 13. *difficult.* 1.

2. Verùm si error sit circa qualitatem, qui tamen sit causa matrimonii, aliàs non contrahendi. Graves Doctores, Præpositi, scilicet, *in c. ult. de conjugio leprosor. in fine.* Joan. Methimna *de restit. q.* 33. *paulò post princ.* Everardus cogitandum relinquit *in sua centuria legali, loco à matrimonio spirituali ad carnale, n.* 2. censent in foro conscientiæ invalidum esse ad matrimonium, secùs in foro externo. Moventur, quia contractus, cui error causam præbet vel jure naturæ est irritus, vel ope judicis venit irritandus, At matrimonium semel validum nequit irritari. Ergo affirmare debemus esse ipso jure irritum. Et confirmari potest exemplo eleemosinæ, quæ ex errore qualitatis redditur nulla. Si enim Francisco eo quòd pauperem existimabas eleemosinam tribuas nulla est donatio, si ipse dives sit, & tamen est error qualitatis. Ergo etiam nulla erit traditio tui corporis Mariæ facta: eo quòd putasti virginem esse, & divitem, aliisque qualitatibus ornatam, cùm tamen his omnibus careat.

3. Cæterùm omninò tenendum est ex prædicto errore, etsi causa fuerit, ut matrimonium contraheretur, aliàs non contrahendum matrimonium non reddi irritum: eo quòd non impedit consensum substantialiter requisitum; hic enim consistit in traditione tui corporis huic personæ, quæ traditio non impeditur, tametsi deceptus sis, credens esse nobilem, divitem, aliisque dotibus ornatam, quia prædictæ qualitates te incitarunt ad traditionem faciendam, sed non fuerunt materia, vel objectum illius. Adde si ob errorem qualitatis, qui fuit causa contractus matrimonium redderetur irritum, passim matrimonia nulla fierent, & facta dissolverentur, quod gravissimis damnis, & inconvenientibus esset obnoxium. Asserendum igitur est ob solum errorem qualitatis non reddi matrimonium irritum. Atque ita docent Glossa *in leg. à Divo Pio* 58. *verbo actionem, ff. de Ritu nuptiarum*, Covarruv. 4. *decret.* 2. *punct. cap.* 3. §. 7. *num.* 3. *& lib.* 1. *variar. resolut. cap.* 5. *numero* 1. Molina. *tract.* 2. *de justit. disput.* 352. §. *illud est observandum*, Gregor. de valentia 2. 2. *disput.* 5. *q.* 20. *punct.* 4. §. 2. Sanchez *lib.* 7. *disput.* 18. *num.* 18. Gutierr. *cap.* 89. *numero* 3. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 2. *n.* 2. Coninch. *disp.* 31. *dub.* 1. *concl.* 2. *n.* 12. & alii passim.

4. Neque rationes *n. præcedenti*, allatæ alicujus momenti sunt. Ad primam respondeo ex errore qualitatis irritari contractus ope Judicis, qui irritationem suscipere possunt. At cum matrimonium semel validum hanc irritationem suscipere non possit, & ex alia parte esset gravissimum inconveniens, si ob prædictum errorem ipso jure irritaretur, Ecclesia noluit ex hac causa matrimonium irritare. Quod si urgeas, sicut Ecclesia irritavit matrimonium metu gravi contractum, sic irritare poterat contractum ex errore, cùm utrumque æquè involuntarium

involuntarium causet? Respondeo esse latum discrimen, nam metus injustus facilè probatur, non sic dolus, ideóque expediens fuit irritare matrimonium ex metu, sed non ex dolo, ne plura matrimonia dubia essent, & omnia litibus involverentur. Ad confirmationem concedo nullam esse donationem illius eleemosinæ, quia error commissus est non in qualitate, sed in substantia, ad substantiam enim, & objectum eleemosinæ pertinet vera paupertas non ficta, & simulata, est enim eleemosina miseriæ alienæ sublevatio. Non ergo sublevari potest à miseria qui miseriam non habet. Secùs contingit in matrimonio, cujus substantia, & essentia in traditione corporis pro corpore ad conjugalem usum consistit, quæ certè non vitiatur, tametsi adsit error aliquarum qualitatum, quia non ob ipsas est traditio, etsi ipsæ ad traditionem excitent.

5. Prædictam doctrinam dupliciter temperant Doctores, Primò ne procedat in eo qui expressam voluntatem habet non contrahendi, nisi qualitate existente. Nam tunc nullum erit matrimonium deficiente ea qualitate, non ex errore qualitatis, sed ex defectu substantialis consensus, qui sub conditione appositus est, ut rectè Sanch. *disp.* 18. *num.* 2. Gutierr. *cap.* 89. *num.* 6. Layman. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 2. *n.* 2. Coninch. *disp.* 31. *dub.* 1. *à n.* 12. & alii. Secundo temperant prædicti Doctores, ne procedat, si error qualitatis infert errorem personæ. Quod contingit, quando qualitatum narratio eò tendit, ut persona aliàs ignota cognoscatur, qualitatésque narratæ non communes sunt, sed singulares individuationem personæ denotantes. V. g. si te fingeres filium Petri primogenitum, cùm tamen non sis, quia ea non est qualitas communis, sed singularis personam indicans; eáque de causa error in ea qualitate non est error qualitatis tantùm, sed error personæ. Secùs est si te divitem, vel nobilem fingeres; quia sunt qualitates communes non personæ individuationem incantes, ut latiùs explicat Sanch. *d. disp.* 118. *à n.* 25. Coninch. *d. dub.* 1. *à num.* 14.

Punctum V.

De impedimento conditionis servilis.

§. I.

Qualiter conditio servilis matrimonium impediat.

1 *Si liber cum ancilla contrahat ignarus servitutis, est nullum matrimonium, & quare.*

2 *Hæc irritatio ex jure gentium provenit secundùm probabilem sententiam.*

3 *Verius est solo jure Ecclesiastico matrimonium impedire.*

4 *Quod verum est, etsi ancilla brevi tempore esset libertatem consequutura, esto contra sentiat* Sanch.

5 *Valet matrimonium, si libertas concessa est pro aliquo determinato tempore.*

6 *Liber conjux propriâ authoritate, detectâ servitute recedere potest, si scandalum absit.*

7 *Onus probandi servilem conditionem aliqui censent libero incumbere. Verius est hanc obligationem ancillæ inesse.*

8 *Si liber conscius est servitutis, nulla est matrimonii irritatio.*

9 *Error servitutis veræ, & propriæ, non autem adscriptitiæ, & originariæ irritat matrimonium.*

1. CErtum est, si liber cum ancilla contrahat, vel libera cum servo ignorans conditionem servilem, matrimonium irritum reddi ex Textu expresso *in c.* 2. 3. *& ult. de conjugio servorum. Cap. si quis ingenuus* 29. *q.* 2. Et *leg. regia* 11. *tit.* 2. *part.* 4. Ratio hujus prohibitionis, & irritationis duplex est. Primam tradit D. Thom. communiter receptus *in* 4. *dist.* 36. *q. unica, art.* 1. quia expedit æqualitatem servari in matrimonii contractu, nisi ipsi contrahentes inæqualitati cedant. At liber cum ancilla contrahens, vel libera cum servo ignorans servitutem, nequit esse in contractu æqualitas, siquidem liber plenam, & liberam sui corporis potestatem concedit servo, quam tamen servus libero non concedit? siquidem ratione servitutis impeditur, ne sæpè debitum conjugi volenti reddat, ne ejus obsequiis assistat, ne prolis educationi incumbat; eo quòd in domo Domini cogitur assistere, ibique occupatur, in terras remotas mittitur, imò venditur. Secunda ratio hujus prohibitionis sumitur ex prædicta ratione. Cùm enim hic error sit ita gravis, & enormis etiamsi qualitatis sit, æquum fuit, ut Ecclesia matrimonium ex prædicto errore irritaret, tametsi ex errore aliarum qualitatum validum relinqueret.

2. Debitant autem DD. An hæc irritatio ex jure naturali proveniat, an tantùm ex jure Ecclesiastico: Satis probabile est errorem conditionis servilis matrimonium saltem jure gentium irritare, eo quòd sit error in statu bonis matrimonii maximè repugnante; quippè adversatur mutuæ cohabitationi, cùm debeat servus in domo domini habitare, & possit in partes remotas mitti. Contradicit bono fidei, cùm non possit pro libito reddere debitum, sed cùm vacaverit, dominique obsequiis satisfecerit. Præterea obstat bono prolis, siquidem eam alere nequit, cùm omnia Domino acquirat, neque Christianè educare, cùm non sit in ejus potestate. Quæ omnia non æquè militant in errore aliarum qualitatum. Nam esto leprosus, morbo contagioso infectus, relegatus, bannitus nequeant liberè usui matrimonii, ejúsque obsequiis vacare: at id per accidens contingit: in servo autem per se, utpotè qui statum habet prædictis bonis repugnantem. Ergo mirum non est, quod error aliarum qualitatum non reddat matrimonium irritum, error verò conditionis servilis ex se illud irritum reddat. Sic docent Sylvest. *verbo matrimonium* 6. *q.* 1. Angles *in flor.* 4. *sent.* 1. *p. super dist.* 36. *q. de errore servilis conditionis, art.* 1. *dub.* 1. inclinat Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 3. *vers. Porrò.*

3. Sed longè probabilius est solo jure Ecclesiastico conditionem servilem ignoratam à libero impedimentum esse dirimens matrimonii contrahendi, ut pluribus relatis firmat Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 19. *num.* 16. Gutierr. *c.* 19. *num.* 1. Coninch. *disp.* 31. *dub.* 2. *concluf.* 1. & alii communiter. Ratio est quia si ex jure naturali irritum matrimonium esset, irritatio debebat provenire, eo quòd servitus bonis matrimonii obstaret, vel acceptione, & injuriâ libero conjugi factâ. Ex priori capite irritatio esse non potest, aliàs sive ignorata servitus, sive cognita esset, redderet matrimonium irritum, neque inter servos subsistere matrimonium posset, quod nullatenus dicendum. Ex deceptione autem, & injuria libero conjugi facta non irritatur jure naturæ matrimonium, sed solùm Ecclesiastico; quia illa deceptio non est facta in substantia contractus, sed in illius qualitate: substantia namque contractus consistit in mutua corporum traditione ad usum conjugalem: hæc enim in contractu servi cum libero reperitur, & licèt traditio servi non sit ita plena, & expedita, sicuti traditio liberi, non obinde essentia matrimonii destruitur, etenim matrimonii essentia solùm requirit, ut conjux alteri conjugi obligetur debitum reddere, quoties legitimè impeditus non fuerit. Fundamentum verò *num. præcedenti*, adductum solùm probat convenientius fuisse, ut ex errore servitutis matrimonium ab Ecclesia irritaretur, quàm ex errore aliarum qualitatum, non tamen probat jure naturæ, vel gentium irritari. Quippe esse qualitatem impedientem matrimonii bona per modum status, vel ex accidenti non

potest ex se diversum impedimentum constituere, cùm sit solùm accidentalis differentia intra terminos erroris qualitatis contenta.

4. Temperat Thom. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 19. *num.* 4. cui consentit Coninch. *disp.* 31. *dub.* 2. *num.* 26. prædictam doctrinam, ne procedat in contractu liberi cum ancilla, cui libertas intra breve tempus, scilicet sex menses promissa à Domino sit: eo quòd videantur cessare rationes, ob quas Ecclesia matrimonium liberi cum ancilla irritum reddidit, & moraliter loquendo reputari debet matrimonium cum libera contractum; siquidem libertatem ita brevi tempore consecutura est. Quod enim parum distat, nihil distare videtur. Sed contrarium probabilius censuit Gutierr. *cap.* 90. *num.* 6. Et Basil. Ponce, *lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 1. eo quod Textus absolutè irritaverint matrimonium liberi cum ancilla ignoratâ servitute, ob deceptionem, quam liber patitur, & involuntarium quod in tali contractu habere præsumitur, quæ rationes in prædicto casu procedunt; siquidem absolutè est contractus liberi cum ancilla servitute ignoratâ, ideóque liber est deceptus, & præsumi jure potest involuntarius esse.

5. Illud verò certum esse debet, si contrahas cum ea, cui libertas concessa est pro aliquo determinato tempore validum esse matrimonium, ut rectè docuit Thom. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 19. *num.* 3. Gutierr. *cap.* 90. *num.* 3. adversus Sotum, Ledesm. Vegam, & alios, quia absolutè cum libera contrahis. Præterquam quòd libertas pro quocunque tempore concessa perpetua est, *leg. libertas* 31. *alias* 32. juncta *leg. ideo statim sequenti*, *ff. de manum. testamento.* Ex quo à fortiori constat valere matrimonium, si cum libera contractum sit, quia non servitus præterita, sed præsens impedit matrimonii valorem, uti ex communi tradit Covarr. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 7. *n.* 1. Thom. Sanch. *lib.* 7. *disputat.* 9. *num.* 10. Gutierr. *cap.* 90 *num.* 19.

6. Adeò certum est matrimonium liberi cum ancilla ignoratâ servitute nullum esse, uti liber conjux detectâ propriâ authoritate recedere possit, si scandalum absit; quia cùm matrimonium nullam vim habeat, nullo vinculo potest à recessu impediri. Regulariter autem, si matrimonium publicè contractum sit, de eóque constet, scandalum erit, si absque judicio Ecclesiæ separatio fiat, ut aliis relatis docuit Sanch. *lib.* 7. *disp.* 19. *num.* 7. Gutierr. *cap.* 90. *num.* 11. Basilius *lib.* 7. *cap.* 43. *in fine.* Quinimò non solùm liber, sed servus recedere potest etiam renuente libero; quia tam ex parte servi, quàm liberi contractus nullus fuit, nisi fortè ex tali contractu, & deceptione factâ damnum aliquod libero illatum sit, cui servus satisfacere nequeat aliter quàm matrimonium ratificando.

7. Sed cui incumbat onus probandi conditionem servilem cognitam esse, vel ignoratam, ut matrimonium inter servum, & liberum validum, vel irritum declaretur? non conveniunt Doctores. Nam Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 10. *num.* 5. credit liberum obligatum esse probare ignorantiam conditionis servilis, aliàs præsumendum esse scienter contraxisse. Movetur ex Textu *in c. fin. de conjugio servorum*, ibi: *Mandamus quatenus si constiterit quod miles ignoranter contraxit cum ancilla.* Ergo ipsi militi competit ignorantiam probare, siquidem quousque constet de ejus ignorantia tuetur ancilla in possessione matrimonii. Adde alleganti ignorantiam pro fundamento suæ intentionis incumbit onus eam probandi, ut pluribus comprobat Mascard. *de probat. volum.* 2. *concl.* 279. *num.* 39.

Nihilominùs contraria sententia affirmans hanc obligationem probationis competere ancillæ cum libero contrahenti longè verior est, prout docuit Hostiens. *in d. c. fin. verbo constiterit.* Et *ibi* Joan. Andr. *num.* 3. Abbas *numero* 6. Cardinal. *in prin. in* 1. *oppos.* Anton. de Butrio *num.* 6. Alexand. de Nevo, *num.* 5. Et Præpos. quos refert, & sequitur Sanch. *lib.* 7. *disput.* 19. *num.* 8. Gutierr. *cap.* 90. *num.* 14. Etenim cum jure ipso irritum sit matrimonium liberi cum ancilla ob inæqualitatem contrahentium, hanc inæqualitatem allegans, habet suam intentionem de nullitate matrimonii in ipsa lege fundatam, à qua removeri nequit, nisi probetur liberè, & cum scientia illius inæqualitatis contraxisse. Ergo non ipsi, sed ancillæ valorem matrimonii procuranti competit onus probandi. Præterea scientia alieni facti nunquam præsumitur, sed potiùs ignorantia. *Reg. præsumitur ignorantia, de Regul. Juris, in* 6. *& leg. verius, ff. de probationib.* Et pluribus exornat Mascard. *concl.* 1214. *num.* 50. Cùm igitur præsumptio ignorantiæ conditionis servilis stet pro libero ancillæ competet scientiæ probatio, nisi fortè tempore contractus esset eo in loco conjugis servitus communiter nota. Nam eo casu præsumitur liber scientiam servitutis habuisse, quia semper qui est præsumendus scientiam habere illorum, quæ communiter nota sunt, ut decidit Textus *in cap.* 1. *de postulat. prælator. Cap. quod dictis. dist.* 16. Et notavit Gutierr. *dicto cap.* 90. *num.* 17. Neque his obstat Textus *in cap. fin. de conjugio servorum.* Nam ibi solùm dicitur dissolvendum esse conjugium, si constiterit militem ignoranter contraxisse. Ex eo autem quòd ancilla scientiam suæ conditionis non probaverit, censendum est constare. Neque semper alleganti ignorantiam incumbit onus probandi, sed solùm quando hæc ignorantia non præsumitur, ut ex ipso Mascardo colligitur.

8. Sæpiùs *in hoc* §. repetivi, ignoratâ servitute. Nam si matrimonium à libero cum ancilla contrahatur conscio conditionis servilis, matrimonium utique subsistit, quia hæc irritatio ob deceptionem libero factam, & involuntarium consensum præsumptum inducta est, ut definitur *in cap.* 2. *de conjugio servor*, Et *cap. si quis liber.* 29. *q.* 2. Et *cap. si quis ingenuus, eadem causa, & quæst.* Et *leg. regia, tit.* 2. Et *leg.* 1. *tit.* 5. *part.* 4. Et tradit alios referens Sanch. *lib.* 7. *disp.* 19. *num.* 13. Gutierr. *cap.* 90. *num.* 23. ubi advertunt prædictis juribus derogatum esse, *leg. cum ancillis, Cod. de incestu nuptiar.* decidente invalidum esse matrimonium inter servum, & liberum; quia id solùm intelligendum est ignoratâ servitute, secus illâ detectâ. Quinimò nullum peccatum videtur liber committere ex eo quod ancillam ducat in uxorem, quia nullibi prohibetur, tametsi irregularis censeatur, Argum. Textus *in cap. si quis viduam, dist.* 34. ibi: *Si quis viduam, aut ejectam receperit, aut meretricem, aut ancillam, non potest esse Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero qui ministerio sacro deserviunt, eo quòd vilis, aut infamis reputatur*, sicuti docet Sanch. *dicta disputat.* 19. *num.* 14. Gutierr. *dict. cap.* 90. *numero* 24. *&* 25.

9. Ad extremum adverte errorem servitutis veræ, & propriæ matrimonii impedimentum esse, non autem impropriæ, qualis est adscriptitia, & originaria. Quippe sunt aliqui qui vocantur servi adscriptitii, quia in perpetuum adscripti sunt glebæ, seu agro colendo in commodum dominorum nihil ex cultura sibi deducentes, præter necessaria ad vitæ sustentationem, quorum filii originarii servi appellantur. Cum his ergo si contrahas ignoratâ eorum servitute matrimonium tenet, quia hi etsi cum servis similitudinem habeant, verè servi non sunt, sed liberi; ideóque à legitimis actibus non repelluntur, ut tradunt communiter Doctores *in cap.* 2. *de conjugio servorum*, teste Sanch. *lib.* 7. *disp.* 19. Gutierr. *cap.* 90. *num.* 10. Paul. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *in fine*, Coninch. *disp.* 31. *dub.* 2. *initio.*

§. II.

Qualiter servi invitis Dominis matrimonium contrahere possint?

1 *Conveniens fuit hæc matrimonia servorum non irritare.*
2 *Peccat mortaliter Dominus matrimonia servorum impediens.*
3 *Potest Dominus non obstante quod servus de matrimonio contrahendo tractaverit, eum in partes remotas vendere, nisi forte ex licentia Domini sponsalia contraxerit.*
4 *Satisfit objectioni.*
5 *Matrimonio contracto æquè Dominus occupare servum potest, ac si conjugatus non esset.*
6 *Aliqui censent in partes remotas vendi posse.*
7 *Verius est peccare Dominum, si absque urgenti causa eam faciat venditionem.*
8 *Vir renuente uxore nequit se in servum vendere.*

1. ET si Ecclesia potuerit irritare matrimonia servorum absque dominorum consensu celebrata, sicuti potuit irritare eorum in religione professionem, *cap. qui verò 16. q.* 1. De facto tamen nunquam credimus irritasse, uti colligitur *ex cap. omnibus 29 quæst. 2. & cap. 1. de conjugio servorum.* Et enim cùm matrimonium sit à natura concessum, tum ad propagationem generis humani, tum in remedium concupiscentiæ, conveniens maximè fuit, ne ulli hominum statui interdiceretur, maximè cùm matrimonium impedimento non sit, quin servus suas operas in Domini utilitatem impendat.

2. Ex quo fit peccare mortaliter dominum, & ab Ecclesia coërcendum qui servum è matrimonio contrahendo impediret, vel ob eam causam durè tractaret, quia offendit servum in iis quæ illi natura concessit, uti ex omnium sententia tradit Sanch. *lib. 7. disp. 21. à n. 5.* Gutierr. *c. 92. à n. 1.* Basil. Ponce, *lib. 7. c. 42. num. 3.* Coninch. *disp. 31. dub. 2. concl. 3.* Et alii communiter.

3. Difficultas autem est, An possit Dominus sciens servum, tractare de matrimonio ineundo vendere in partes remotas quo matrimonium impediatur, & se indemnem servet? Et quidem si sponsalia servus nondum contraxit, certum esse debet posse à domino vendi, quia tunc utitur jure suo; & licèt inde matrimonium impediatur, id per accidens est, nec domino imputandum, ut rectè Sanchez *lib. 7. disputat. 21. numero 9.* Gutierr. *cap. 92. numero 6.* Coninch. *disp. 31. dub. 2. num. 32.* At si sponsalia contracta sunt, censet Sanch. & Gutierr. non posse servum à domino vendi in eas partes, ubi conjux eum sequi commodè non posset, quia læderet jus conjugi acquisitum. Sed hoc verum esse credo, quando ex voluntate domini, ejúsque licentia sponsalia contracta essent, quia eo casu censendus est Dominus tacitè promisisse matrimonium non impediturus quantum commodè possit, ac proinde nisi gravi necessitate premeretur, non posset servum in eas patres remoras vendere. At si absque licentia domini sponsalia contracta sunt, verius censeo absque ullo peccato posse dominum vendere servum in remotas partes, tametsi inde matrimonium impediendum sit, tum in pœnam quòd eo inconsulto sponsalia contraxerit; tum quia suo jure utitur, cui sponsalia derogare non potuerunt. Sponsa namque jus non acquisivit ad matrimonium servi, nisi quatenus servus se illi tradere poterat. At servus nequit se illi tradere jura sui domini diminuens. Argum. *cap. 1. de conjugio servorum.* Et tradit expressè Navarr. *cap. 22. n. 34.* Coninch. *disp. 31. dub. 2. num. 37.*

4. Neque his obstat, quod Judex Ecclesiasticus interpellatus à servo possit impedire venditionem prædictam, si absque urgenti domini necessitate fiat. Tum quia ad hunc effectum sufficit quod sit probabile non posse, dominum sic servum vendere, & sit opinio matrimonio favens. Tum quia præsumere Judex Ecclesiasticus potest iniquo animo eam fieri venditionem solùm ob matrimonium impediendum, si æquè commodè eo in loco vendi servus potest. Tum denique quia regulariter ex charitate obligatur dominus, ne matrimonium servo maximè commodum indirectè impediat, cùm sua non intersit.

5. Matrimonio autem contracto sive ex voluntate domini, sive eo non consentiente, æquè dominus potest occupare servum, ac si conjugatus non esset, uti expressè definitur *in capite 1. de conjugio servorum*, ibi: *Debita tamen & consueta servitia non minus (quàm antea) debent propriis dominis exhibere*, & tradunt expressè Navarr. *cap. 22. num. 34.* Sa, *verbo Matrimonium*, §. *impedimenta dirimentia, numero 1.* Henriq. *lib. 11. cap. 10. num. 4.* Coninch. *disp. 31. dub. 2. numero 35.* Ratio est, quia ex matrimonio solùm servus se conjugi obligavit ad conjugalem usum, quatenus possit absque præjudicio domini cujus est; aliàs matrimonium cederet in grave domini præjudicium. Ex quo fit posse dominum servum mittere in partes longinquas causa alicujus negotii quod sua interest expediendi. Si enim potest liber homo lucri captandi causâ diu ab uxore abesse, tametsi ejus continentia periclitetur, cur non poterit servus ob utilitatem domini, cui astrictus est, abesse ab uxore, potest utique. Seclusâ tamen utilitate gravi, seu necessitate nequit dominus diu impedire servum, ne uxori accedat; quia saltem id esset contra charitatem, imò contra justitiam, cùm moderatum conjugii usum permittere debeat.

6. An verò possit in partes remotas vendi, ubi eum commodè conjux sequi non potest, variant Doctores. Nam Coninch. *disp. 31. dub. 2. num. 37. concl. 5.* credit posse absque injustitia vendi, eo quòd per matrimonium jus domini non diminuatur, ut *ex num. præcedenti*, constat, peccare tamen contra charitatem, si absque rationabili causa in eas parres remotas vendat, siquidem lex charitatis quemlibet obligat sui proximi damnum vitare, cùm commodè possit. At grave damnum servus conjugatus patitur in ea venditione; siquidem usu matrimonii perpetuo privatur.

7. Cæterùm Glossa *in cap. 1. de conjugio servorum, verbo sævitia.* Innocent. *ibi, num. unico.* Sylvest. *verbo servitus, q. 7.* Petr. de Ledesm. *q. 52. art. 2. dub. 1. post solut. ad 5.* Sanch. *lib. 7. disp. 22. à num. 8. & seqq.* Basil. Ponce, *lib. 7. cap. 42. à numero 5.* & alii probabilius existimant non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam peccare dominum, si absque urgenti causa, qualis esset vitare proprium damnum grave, servum in remotas partes venderet, ubi commodè conjux alter sequi eum non posset, siquidem hac via matrimonii usum directè impediret, quod concedendum non est, aliàs potestas contrahendi matrimonium, quam servus habet inutilis, & frustranea esset, si posset à domino illius usus omnino impediri. Neque obstat aliquo modo jus domini in servum ex matrimonio diminui, quia id mirum non est, cum matrimonium jure naturali servo concessum sit, & servitus jure gentium introducta. Debet ergo hæc naturali conjugii juri cedere. Consultò dixi, *nisi causa urgens prædictæ venditionis adesset*; etenim si servus minaretur mortem domino, aut clàm ejus bona surriperet, neque aliâ viâ huic malo commodè succurrere dominus possit, nisi servum in eas remotas partes vendendo, posset utique, tametsi ex ejus consensu matrimonium esset contractum, quia tunc ea venditio potiùs servo quàm domino imputanda est, cum servus illius fuerit causa, dominus autem jus habet se defendendi, indemnémque servandi, uti docuit Palacios *in 4. dist. 30. disp. un. dub. 5.* Sanch. *d. disp. 22. numero 10.*

8. Nunquam tamen existimo concedendum esse, quod sentit Sanchez *lib. 7. disp. 23. n. 2.* posse virum renuente uxore in servum vendi. Nam esto ipse caput uxoris sit,

& domus gubernationem habeat, non tam habet ſui corporis poteſtatem, ſed mulier, ac proinde non poteſt ita ſe alteri tradere, ut hanc poteſtatem uxoris diminuat; diminueret utique, ſi ſe ſervituti addicere poſſet; ſiquidem ea ſtante nequiret uxor pro libito ejus corpore uti, ſicuti antea, deciſumque expreſsè lege regia *fin. tit. 5. part. 4.* Ibi: (Si por ventura el marido ſe tornaſe ſiervo a ſabiendas por aver raçon de ſe partir de ſu mujer, no debe valet, ni ſe departira el caſamiento, antes lo puede ſa mujer deamandat, y ſacarlo aunde la ſervi dumbre ſi quiſiere. Y eſto es porque a detecho ael, e porque naçe en de muy gran deshonora a ella, y a ſus hijos ſi los hubiere.) Et tradit, *ibi*, Gregor. Lopez, Gutierr. *cap. 91. in fine, n. 18 & ſeqq.* Neque contrarium probat Textus *in c. perlatum eſt 29. q. 2.* Ibi enim ingenui venditio neque approbatur, neque reprobatur, ſed ſolùm definitur uxorem non eſſe redigendam in ſervitutem. Præterea mirum, non eſt, quod illa venditio valida fuerit, cùm ſit facta diſſoluto matrimonio per divortium, uti notavit Baſil. Ponce *lib. 7. c. 44. in fine.*

§. III.

Quibus in eventibus ſervus matrimonium contrahendo libertatem conſequatur?

1 *Libertatem conſequitur, ſi dominus in conjugem accipiat.*
2 *Secundò, ſi dominus ſervum; vel ancillam in matrimonium collocet cum perſona libera ignara ſervitutis.*
3 *Ancilla libertatem obtinet, ſi ejus dominus eam nuptui tradat dotale inſtrumentum conficiens, & an hæc diſpoſitio extendatur ad ſervum?*
4 *Illis in eventibus, in quibus ſervus libertatem conſequitur, valet matrimonium ex valdè probabili ſententia.*
5 *Verius eſt maximè in Hiſpania invalidum eſſe.*
6 *Fit ſatis fundamentis oppoſitis.*

1. PRimò libertatem ſervus conſequitur, ſi Dominus in conjugem accipiat. Nam eſto Covarruv. 1. 4. *decret. 2. part. c. 3. §. 7. n 1.* Palaçios *in 4. diſt. 30. diſp. unica, poſt medium.* Molina Jeſuita *diſp. 39. §. ſextus eſt.* Henriq. *lib. 11. c. 10. num. 4.* Sà *verbo Matrimonium, ubi de impedimentis dirimentib. num. 1.* Sanch. *lib. 7. diſp. 20. num. 11.* Gutierr. *cap. 91. num. 13.* Cenſeant ſolo jure regio Caſtellæ ſtatuto, *in leg. 1. tit. 13. part 4. & leg. 5. tit. 22. eadem part. 4.* Id verum eſſe non autem jure communi, cùm nullibi habeatur, longè verius exiſtimo cum Greg. Lopez, *ibi*, Gab. Vaſq. *3. p. diſp. 81. cap. 8. n. 41.* Baſil. Ponce *lib. 7. cap. 44. n. 3.* Gaſpar Hurtado *diſp. 14. difficult. 4.* Et aliis non ſolùm jure regio Caſtellæ, ſed jure ipſo naturali hanc libertatem conſequi jure etiam communi, cum nihil in oppoſitum deciſum ſit. Etenim eo ipſo, quo Dominus ancillam ſuam in matrimonium ducit ſociam ſui efficit, illique ſuam dignitatem communicat, ac tandem poteſtatem concedit, ut una caro efficiantur, uti notatum eſt *Auth. de conſulib. §. ſi autem collat. 4. Et leg. mulieribus, Cod. de Dignitatibus. Et lege regia 9. tit. 2. part. 2.* Ergo ex vi matrimonii deſtruitur ſervitus, & ingenuitas communicatur, eaque de cauſa lex *regia* 1. Notanter dixit. (Ca tan gran fuerça ha el matrimonio que luego que es fecho es la madre por ende libre y los hijos legitimos.) Matrimonio inquam concedit hanc efficaciam reddendi ſervam liberam, non autem ulli legi. Neque his obeſt, quod Agar vocetur ancilla poſtquam illam duxerit Abrahamus, Gen. 16. 21. Et ad Galat. 4. Quia ſic appellatur, eo quòd ante matrimonium fuerit, & poſt matrimonium non fuerit ad domus gubernationem aſſumpta, ſed in illius miniſtratione ut antea permanſerit, tametſi libertatem fuerit conſecuta. Quod verò Ariſtotel. 1. *Polit. cap. 1.* Refert apud plures nationes uxores ancillas appellari, ſolum indicat gentes illas barbaras eſſe, vel uxores tanquam ancillas miniſtrare, non quia vere ancillæ eſſent.

Hinc rectè infert Baſil. Ponce *lib. 7. c. 44. n. 5.* Matrimonio eam vim & efficacitatem eſſe, ut quoties ingenuus ſervo copularetur eum liberum redderet, niſi jus patrono prius quæſitum impediret, quo æquum non eſt eo renuente privari; niſi fortè in pœnam alicujus delicti commiſſi.

2. Secundò, ſi Dominus ſervum, vel ancillam in matrimonium collocaret cum perſona libera ignara ſervitutis, neque eam detegeret, eo ipſo ſervus, vel ancilla libertatem conſequeretur, nullâ Judicis ſententiâ requiſita, uti expreſsè habetur *in Auth. ad hæc, Cod. de latina libert.* Ibi: *Qui ſuam ancillam credenti tradidit in matrimonium tanquam liberam, ſive conceſſerit dotale inſtrumentum, aut ſciens eam duci tacuit ex ſtudio dominium etiam amittit, eaque ad ingenuitatem rapitur.* Quæ deſumpta eſt *ex Auth. de nuptiis, §. ſi verò, verſ. hoc autem decernimus, collat. 4.* Ibi: *Non erit juſtum, tale non conſtare matrimonium, ſed tacitam libertatem ſequi ſive virum, ſive ancillam, cum tale à domino fit.* Conſentit *lex regia 5. tit. 22. part. 4.* Ibi: (Caſando ſe ſiervo alguno con mujer libre ſabiendo lo ſu ſeñor, e nou lo contradiciendo façeſe el ſiervo libro porende, e que eſo miſmo ſeria ſi caſaſe la ſierva con hombre libre:) ſubintelligitur quando liber ignarus fuit ſervitutis, uti explicat *lex regia 5. tit. 5. eadem part. 4.* Et tradit Covarr. *4. decret. 2. part. cap. 3. §. 7. num. 1.* Quinimò ex eo ſolum, quòd Dominus ſciverit matrimonium à ſervo cum libero ſervitutis ignaro contrahi, & ſervitutem non manifeſtaverit ſervus libertatem conſequitur, ut videtur definitum *in dicta Auth. & in leg. regia 1. & 5. tit. 5. part. 4. & leg. 5. tit. 22. eadem part.* Et licèt ſpectato jure communi requiratur dolus ad hanc pœnam amiſſionis ſervi inducendam, ut conſtat ex illis verbis *Authent. tacuerit ſtudio*, & tradit ibi Gloſſa, & Bald. At ſpectato jure noſtro regio, verius eſt dolum neceſſarium non eſſe, ſed eo ipſo quo ſciverit matrimonium contrahi, & tacuerit, ſervus ad ingenuitatem rapitur, ut colligitur ex dictis legibus regiis, & notavit Gutierr. *capite 91. de matrim. numero nono.* Præterquam quòd ſemper dolus in hac taciturnitate præſumi debet.

3. Tertiò ancilla libertatem obtinet, ſi ejus Dominus eam nuptui tradat dotale inſtrumentum conficiens, eſto tradat homini libero ſcienti ſervitutem ut colligitur *ex leg. unica, C. de latina libertate.* Nam eſto ibi nihil de ſcientia ſervitutis dicatur, ſubintelligendum eſt, ut aliquid ſpeciale hæc lex ſtatueret ultra hoc quod *in Authent. ſequenti: Ad hæc*, eſt ſtatutum, uti advertit Abbas *in c. illud, n. 11. de præſumptionib.* Molin. Jeſuita *t. 1. tract. 2. diſp. 39. §. ſeptimus eſt*, Sanchez *lib. 7. diſp. 20. num. 9.* Gutierr. *c. 91. n. 10.* An autem hæc diſpoſitio extendatur ad ſervum, ſi ejus patronus donationem propter nuptias, ſeu dotem conſtituat? Negat Sanch. eo quòd *in d. lege unica*, ſolius ancillæ mentio facta ſit. Quod ſi vellet ad ſervum extendi id explicaret, ſicuti fecit *in Authent. ad hæc, Cod. de latina libert.* Rectius tamen cenſuerunt Abbas, & Gutierr. *locis allegatis*, affirmantes diſpoſitionem ad ſervum extendi debere, eo quod ſit eadem ratio. Etenim cum dotis conſtitutio ſit propria hominis liberi, eo ipſo quòd Dominus ſuæ ancillæ, vel ſervo præſtat cenſetur liberum facere. Quod verò in dicta lege de ſola ancilla fiat mentio, eſt gratia frequentioris uſus; frequentius enim dotale inſtrumentum fœminis conficitur non viris. Ex eo autem quod alter præſente Domino ancillæ dotalia inſtrumenta conficiat, nullatenus cenſenda eſt ancilla manumiſſa, quia Textus ſolùm de domicilium conficiente inſtrumenta dotalia loquitur. Non igitur ad permiſſionem extendi debet, ut rectè advertunt Sanchez & Gutierr. *loc. cit.*

4. Gravis tamen est quæstio, An illis in eventibus, in quibus servus libertatem consequitur matrimonio contracto, matrimonium validum sit? Et procedit difficultas de matrimonio contracto servi cum libero servitutis ignaro. Qua in re Glossa *in c. fin. de conjugio servorum.* & alii plures, quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 7. *disput.* 20. *numero* 14. affirmativam partem tuentur. Tum quia expressè approbatur *in Authent. de nuptiis, collat.* 4. ibi: *Non erit justum tale non constare matrimonium.* Tum quia in Jure Canonico sola conjugia servi cum libero servitutis ignaro irritantur, at præsens conjugium dici non potest esse servi cum libero, cùm eo facto desinat esse servus, & liber fiat: tum denique quia prædicta servitus bonis matrimonii non obest, quæ est ratio ob quam matrimonium liberi cùm servo irritatur.

5. Cæterùm præmissa specie invalidum esse matrimonium maximè in Hispania verius censeo cum Covarr. 4. *decr.* 2. *pag. capite* 7. *numero* 1. Gregor. Lopez *leg.* 1. *tit.* 5. *p.* 4. Gutierr. *capite* 91. *num.* 16. eo quòd expressè *in dicta leg.* 1. sic declaratum sit ibi: (Emaguer que diçe de susso que el siervo se torna libre, porque ve o sabe su senor que se casa, è lo en cubire, con todo esto no vale e casamiento, por que ella no lo sa sabia que era siervo quando caso con el: fueras ende si despues lo consintiese por palabra o por fecho, &c.) Ratio autem ea est, quia Jus Canonicum absolutè matrimonium servi cum libero servitutis ignaro irritum fecit ob defectum voluntarii, quem liber habere censetur. At hujusmodi matrimonium verè contractum est à libero cum servo, quia servus ut libertatem consequatur debet prius contrahere. Ergo contractus stante servitute formaliter sit, siquidem præcedere debet libertatis consecutionem. Et confirmo, nullus est Textus Canonici Juris, quo hoc matrimonium validum esse declaratur, ut ex præcedenti constare potest. Deficiente autem Jure canonico recurrendum est ad Jus Civile commune juxta *c.* 1. & 2. *de novi operis nuntiat.* At in Hispania jus commune civile est jus regium non autem jus civile Romanorum, illúdque in decisionibus causarum servandum est, uti probat Didac. Perez *in* 3. *p. quæst. proœmiali, in ordin. regal. vers. his tamen non obstantibus.*

6. Neque fundamenta contraria urgent. Ad primum *ex Authent. de nuptiis*, respondeo ad summum probare ubi jus commune Romanorum observatur matrimonium validum esse, secùs ubi illius leges vim obligandi non habent. Secundò respondeo ejus decisionem adversus jus Canonicum nullam vim habere posse maximè de nullitate, vel valore Sacramenti matrimonii declarandò, cùm hæc causa sit spiritualis. Jus autem Canonicum (ut probatum est) comprehendit sub decisione sua generali irritante matrimonium servi cum libero hunc casum. Ergo juri civili non est datum contrarium definire. Tertiò nego in illa Authent. decisum esse matrimonium valere, sed justum esse ut valeat, subintelligitur, si ipsi postmodum consenserint, ut explicat lex regia relata, & indicant illa verba *tacitam libertatem sequi*, priùs enim servus libertatem consequitur, & eâ obtentâ justum est matrimonium constare, cùm nullum jam subsit impedimentum. Ad secundum nego prædictum conjugium non esse servi cum libero, est utique; tametsi libertatem consequatur statim. Ad tertium, admitto prædictum conjugium bonis matrimonii non obstare, nego tamen inde inferri validum esse. Non enim conjugia servi cùm libero servitutis ignaro irritantur ex eo quòd bonis matrimonii aliqualiter obstent, aliàs irritari deberent, esto liber conscius esset servitutis, sed irritatur ob deceptionem libero factam, & involuntarium illius consensum; hæc autem deceptio, & involuntarius consensus in præsenti casu adest, siquidem contrahit cum servo, quem liberum esse credit, neque præsumi potest contracturus, si veritatem agnosceret. Quod si obiicias hinc inferri libertatem non esse concessam in matrimonii favorem; siquidem matrimonium non subsistit? Negandum est quia ad illum effectum sufficit quod matrimonium absque ullo impedimento conditionis servilis statim subsistere possit, si conjuges velint. Adde non solùm in favorem matrimonii, sed in pœnam delicti à Domino servi commissi hæc libertas conceditur.

§. IV.

An filii conditionem patris, vel matris sequantur?

1 *Quoad statum libertatis, vel servitutis non patris, sed matris conditionem sequuntur.*

2 *Procedit conclusio etiamsi quis filium, vel filiam ex sua ancilla habuerit.*

3 *Debet tamen mater, ut filius hanc servitutem induat tempore conceptionis, prægnationis, & partus servituti esse obnoxia.*

4 *Quoad nobilitatem, aliósque honores filius non solùm legitimus, sed naturalis patrem sequitur.*

1. QVoad statum libertatis, vel servitutis certum est filios non patris conditionem, sed matris sequi, itaut si mater libera sit, liberi sint filii, tametsi eorum pater servus existat. Econtrà verò si mater servituti subjecta est filii inde nati servi efficiuntur, esto pater libertatem habeat, sicuti decidit *in* §. *penult. instit. de jure personarum.* §. *sed & si quis, instit. de ingenuit. Leg. partum. Cap. de rei vindicat. Cap. fin. de servis non ordinand.* Rationem tradit D. Thom. communiter receptus *in* 4. *d.* 39. *q. unica, art.* 4. *in corp.* eo quòd servitus qualitas sit potiùs corpus quàm animam afficiens, at corpus potiùs à matre quàm à patre procedit, cùm in ejus utero formetur, coaugmentetur, & coalescat. Si tamen alicubi contrarium consuetudine introductum sit, illi standum est. Quippe servitus juris est humani, ac proinde ex jure humano, quod constituit consuetudo variari potest, ut apertè colligitur *ex capite licet de conjugio servorum.* Et tradit Molin. *tract.* 2. *disp.* 33. *ad fin.* Sanchz plures referens *lib.* 7. *disp.* 24. *num.* 9. Gutierr. *c.* 93. *numero* 8.

2. Procedit conclusio etiamsi quis filium, vel filiam ex sua ancilla habuerit, eo ipso servus ipsius efficitur, ut probat *lex secunda, Cap. si mancipium ita fuerit alienatum*, juncta Glossa *ibi, verbo filium*, & notavit Sanch. *d. disp.* 24. *numero* 6. Gutierr. *c.* 93. *num.* 6. Item procedit, sive filii ex legitimo matrimonio nascantur, sive non, quia Textus relati nullam in hac parte exceptionem faciunt, uti constat *ex leg. & servorum, vers. ingenui, sum. ff. de statu hominum.* Et tradit Sanch. *supra, numero* 8. Gutierr. *n.* 7.

3. Ut autem filius prædictam conditionem maternæ servitutis induat, opus est, ut tempore conceptionis, prægnationis, & partus mater servituti subjecta sit. Nam si aliquo ex his temporibus libera extiterit, etsi aliis obnoxia servituti fuerit, filius liber est censendus, ut constat *ex* §. *sed & si quis instit. de ingenuis*; *& manumiss.* Et tradit Gloss. *in capite fin. verbo deteriorem* 32. *quæst.* 4. Molina *d. disput.* 33. *ad finem.* Sanchez *a numero* 10. Gutierr. *num.* 9.

4. Verùm si de nobilitate, aliisque honoribus loquamur, filius legitimus patris conditionem sequitur, ut expressè deciditur *in leg. cùm legitimè, ff. de statu hominum, & leg. regia* 4. *tit.* 21. *p.* 2. *leg.* 1. *tit.* 11. *p.* 7. Quinimò eandem conditionem sequitur filius naturalis, tametsi ex concubina domi non retenta sit uti nostro jure regio decisum est in dicta *l.* 1. *tit.* 11. *p.* 7. Neque his obest Textus *in lege regia* 3. *tit.* 15. *pag.* 4. excludens filium naturalè à patris, & avi honoribus, quia ut rectè tradit Azevedo *leg.* 10. *n.* 51. *tit.* 8. *lib.* 5. *novæ collect.* Rojas *de succes-*

sionibus ab intestato, capite 15. Gutierr. *cap.* 93. *num.* 2. & alii, hæc lex *regia* 3. loquitur de filiis naturalibus non quibuscumque, sed ex damnato coïtu natis : Si ergo nec patri succedunt ; neque ejus nobilitatem, & honorem participant. Secùs verò qui propriè naturales sunt, qui ex testamento integrè succedere patri possunt, ut habetur *l.* 11. *tit.* 13. *p.* 6. & *l.* 10. *Tauri*, & ab intestato succedunt in duabus unciis juxta *leg.* 8. *tit.* 13. *part.* 6. & consequenter parentis nobilitatem, & honores participare possunt?

Punctum VI.

Qualiter votum, & Ordo matrimonium dirimant?

1 *Votum simplex castitatis non est impedimentum dirimens, nisi fuerit emissum in Societate Jesu post biennium.*
2 *Votum solemne emissum in professione Religionis, & susceptione Ordinis impedimentum est dirimens.*
3 *Graves Doctores censent votum emissum in Religione jure naturæ matrimonium dirimere.*
4 *Vera sententia est non jure naturæ, sed solo jure Ecclesiastico.*
5 *Ordo impedimentum præstat jure Ecclesiastico matrimonio contrahendo.*
6 *Qualiter autem Ordo obliget, & an susceptus ex metu, vel ante pubertatem matrimonium impediat? remissivè respondetur.*

1. COnstat apud omnes votum simplex castitatis non esse impedimentum dirimens matrimonio contrahendo, uti definitum est *in cap. consuluit. Cap. rursus. Qui clerici, vel voventes. Cap. unico, de voto in* 6. Ab hac doctrina excipitur votum castitatis, simul cum aliis duobus paupertatis, & obedientiæ emissum in Societate Jesu post biennium, quod etsi simplex sit, efficaciam habet dirimendi matrimonium, ut constat ex bulla edita à Gregorio XIII. quæ incipit. *Ascendente Domino.*

2. Votum autem solemne quale est emissum in Religionis professione, & in susceptione Ordinis sacri impedimentum dirimens est matrimonii contrahendi, ut constat *ex c. meminimus, & ex d. c. Rursus & c. fin Qui clerici, vel voventes, & ex dicto cap. unic. de voto, in* 6. & ex Conc. Trid. *sess.* 24. *can.* 9. Neque de hac doctrina est inter Catholicos ulla controversia.

3. Solùm dubitant quo jure votum castitatis maximè in Religionis professione emissum præstet impedimentum dirimens matrimonio contrahendo? Graves Doctores, Durand. *in* 4. *d.* 28. *quæst.* 1. *in fine corp.* Dominic. Sotus *lib.* 7. *de justit. quæst.* 2. *art.* 5. *vers. sed interrogas t* Petr. de Soto *lect.* 5. *de matrimon. sub finem.* Covarr. 2. *part de sponsalibus capite* 7. §. 4. & alii censent jure naturæ matrimonium dirimere, eo quòd voto castitatis, paupertatis, & obedientiæ verum Religiosum constituentibus tradatur Religiosus Religioni obsequendæ. At res uni tradita nequit alteri tradi, ergo nequit Religiosus se conjugi tradere matrimonium contrahendo.

4. Cæterùm communis, veráque sententia docet non jure naturæ, sed solùm jure Ecclesiastico votum in professione Religionis, & à fortiori in Ordine sacro emissum matrimonium dirimere, sicuti multis comprobat Sanchez *lib.* 7. *disp.* 26. *à numero* 2. Coninch. *disp.* 31. *dub.* 6. *numero* 67. *& seqq.* Vasq. 1. 2. *disp.* 165. Basil. Ponce, *lib.* 7. *capite* 22. *numero* 4. Gaspar Hurtado *disput.* 15. *difficult unica*, Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 3. *num.* 1. Ratio à posteriore sumitur, quia matrimonium simul cum professione Religionis cohærere potest, ut manifestè constat in eo qui ex licentia conjugis, vel divortio legitimo facto Religionem profitetur. Signum ergo est nec professionem ex se dirimere conjugium, neque conjugium professionem. A priori verò ea est ratio, quia esto Religiosus voto continentiæ se Religioni tradat, ea traditio solùm est ut à Religione gubernetur, & dirigatur in propriæ perfectionis consecutione juxta Regulas ipsius Religionis. At prædicto fini non obstat conjugium secluso illius usu, ut convincitur exemplo Beatissimæ Virginis, & plurium conjugatorum, qui Religionem professi sunt, ergo jure naturæ professio Religionis matrimonium dirimere non potest. Restat ergo, ut solùm jure Ecclesiastico hanc vim, & efficaciam habeat. Præterea votum esse simplex vel solemne solo jure Ecclesiastico inductum est, ut probavimus Jurè *tract.* 15. *de Voto, disp.* 1. & *tract.* 16. *de statu Religioso*, ex definitione Bonifac. VIII. *in cap. un. de Voto, in* 6. & ex Gregor. XIII. *in bulla, Ascendente domino.* At votum simplex omnes fatentur ex se non dirimere matrimonium, esto illud impediat. Ergo nec votum solemne illud ex se dirimere poterit, sed solùm jure Ecclesiastico à quo solemnitatem accipit.

5. Quoad Ordinem attinet etiam est certum de fide sacrum Ordinem vel ratione sui, vel voti castitatis secum annexi matrimonium contrahendum dirimere, ut colligitur *ex cap.* 1. & 2. *Qui clerici, vel voventes. Cap. à multis de ætate, qualit. & cap. placuit. Cap. lectores, & aliis* 32. *dist. & leg. regia* 16. *tit.* 2. *part.* 4. Quo autem jure hanc efficaciam dirimendi matrimonium sacer Ordo habeat? Variant Doctores. Alii dicunt jure Divino positivo. Alii jure naturali. Sed rectius censent qui solo jure Ecclesiastico eam potestatem Ordini concedunt. Quippe nullus est locus. Scripturæ, neque Conciliis, ex quo colligi possit Christum Dominum hanc potestatem dirimendi matrimonium Ordini concessisse. Ex jure autem naturali non illam continet Ordo, siquidem optimè cum Ordine compati potest traditio corporis ad conjugalem usum. Superest ergo ut solùm ex jure Ecclesiastico habeat sacer Ordo efficaciam dirimendi matrimonium. Atque ita docet Sanchez *disp.* 28. *numero* 24. Gutierr. *capite* 94. *num.* 10. Rebell. *lib.* 3. *q.* 4. Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 249. *c.* 2. Basil. Ponce, *lib.* 7. *cap.* 27. *n.* 5. & alii, & nos latè diximus *tract. de Ordine, part.* 17.

6. Supererat dicendum, an Ordo susceptus obliget ad castitatem, abstinendúmque à conjugio non solùm ob votum ibi inclusum, sed etiam ratione sui ex lege Ecclesiastica? Item an suscipiens Ordinem ex metu cadente in constantem virum vel in ætate impuberi, vel ante usum rationis, vel ignarus obligationis hac adstringatur obligatione? Sed has difficultates *prædicto tract. de Ordine, punct.* 17. examinavi, quibus nihil speciale addendum occurrit.

Punctum VII.

De impedimento consanguinitatis.

1 *Quid sit consanguinitas?*
2 *Distinguitur per lineas, & gradus.*
3 *Pro computatione graduum triplex regula constituitur.*
4 *Quæ sit computatio graduum spectato jure Civili, & Canonico?*
5 *Quoad successiones computatio civilis servanda, secùs quoad matrimonium.*
6 *Consanguinitas impedimentum est dirimens matrimonium contrahendum ex jure positivo.*
7 *An jure naturæ sit aliqua consanguinitas dirimens matrimonium? Referuntur sententiæ.*
8 *Probabilius est in primo gradu lineæ rectæ matrimonium irritum esse.*
9 *In aliis gradibus incertissimum est.*
10 *De gradibus lineæ transversæ plures censent in primo jure naturæ esse irritum matrimonium.*

11 Con-

11 *Contrarium verius est.*
12 *Satisfit oppositis rationibus.*
13 *Quædam illatio apponitur.*

1. CONsanguinitas (teste D. Thom. ferè ab omnibus recepto *in* 4. *d.*40. *q.unic. art.*1.) est vinculum, seu propinquitas personarum ab eodem stipite descendentium. Dicitur *vinculum*, quia consanguinei, eo quòd ab uno sanguine originem trahunt, seu in uno sanguine communicant vinculo amicitiæ ligantur. Quod apertiùs indicant illa verba *ab eodem stipite descendentium*, ex eo namque quòd ab una radice descendant, & ab ea virtutem accipiant inter se, sicuti rami unius arboris colligantur. Neque opus est istis verbis *ab eodem stipite descendentium*, addere verbum *propinquo* ut placuit Paludan. *in* 4. *d.*41. *quæst.*1. *art.*1. Et Covarr. *in* 4. *decret.* 2. *p. c.*6. §.6. *n.*1. *& seqq.* Satis enim verbo *stipitis* hæc propinquitas declaratur, nam esto omnes ab Adamo descendant, ejusque virtus omnibus quoad speciem communicetur, non tamen quoad individuationem, complexionem, morumque similitudinem: hæc enim ex stipite propinquo provenire debent, ideoque descendentes quo ab stipite remotiores existunt, minus stipiti assimilantur, ut optimè notavit Isidorus relatus *in cap. consang.*35. *q.*4.

2. Distinguitur consanguinitas per lineas, & gradus. Linea est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium, seu omnes personæ consanguineæ collectivè sumptæ. Et hæc est duplex, altera recta, altera transversa. Recta est collectio eorum, quorum unus ab alio originatur, continetque ascendentes, & descendentes. Transversa est collectio consanguineorum ab eodem stipite descendentium, quorum unus ab alio non originatur. Quoties autem mentio lineæ fit, nisi aliud exprimatur de linea recta intelligendum est, non de transversa, ut notavit Mascard. Anton. Peregr. *de Fideicommiss. art.*22. *& seqq.* Gradus verò est habitudo conjunctionis unius consanguinei ad alterum per ordinem ad stipitem, à quo descendunt.

3. Pro computatione graduum triplex regula à Doctoribus constituitur, ut videre est apud Sanch. *lib.*7. *disp.*30. *à n.*4. Prima est pro linea recta. Tot gradibus unus alteri conjungitur, vel ab eo distat, quot generationibus ab eo descendit. Unde filius est in primo gradu cum patre, quia media unica generatione ab eo procedit, nepos cum avo in secundo gradu, quia duplex generatio mediat, & sic de reliquis. Secunda regula est lineæ transversæ æqualis juxta Textum *in cap. ad sedem. Et in c. parentela* 35. *q.*5. inquit, *tot gradibus unus alteri conjungitur, vel ab eo distat, quot quilibet conjungitur, vel distat à communi stipite*: quia solùm ratione illius, & per illius respectum conjunguntur, vel distant ideoque fratres sunt in primo gradu, quia in ordine ad stipitem uterque immediatè conjungitur. Tertia regula habita *in cap fin. de consang.* Pro linea transversali inæquali est, tot gradibus unus alteri conjungitur, vel ab eo distat, quot distat à communi stipite is qui remotior est. v. g. Maria est neptis Petri, Franciscæ ejus abneptis, Paulus verò ejusdem abnepos, hic ab utraque æqualiter scilicet quatuor gradibus distabit, quia tot distat à Petro. Etenim cùm tantùm ratione communis stipitis conjungantur, nequeunt magis inter se conjungi, quàm remotior fuerit illi conjunctus.

4. In computatione graduum lineæ rectæ convenit jus Civile cum Canonico, secus in computatione graduum lineæ transversæ sive æqualis, sive inæqualis. Nam jus Civile computat omnes gradus, qui sunt in personis computatis, cum autem in quolibet sit suus gradus ab alio distinctus, etsi ab stipite uterque æqualiter differat plures gradus computat. Unde asserit duos fratres esse in secundo gradu, seu in duplici gradu cum stipite, quia unusquisque suum gradum habet per ordinem ad stipitem communem. Et duo filii fratrum sunt in quarto gradu, quia unusquisque duplici generatione distincta ab alio descendit ab stipite, & consequenter duplicem gradum distinctum continet.

5. Quoad successiones computatio juris Civilis servanda est, ut deciditur *in leg. reg.*3. *tit.*6. *p.*4. Tam in foro Ecclesiastico quàm sæculari, ut tradit Covarr. *in* 4. *decr.* 2. *p. c.*6. §.6. *n.*8. In aliis verò contractibus, & actionibus, servanda est computatio illius fori, ad quem pertinet contractus. At quoad matrimonium fidelium semper computatio juris Canonici spectari debet, quia in hac parte nihil jus Civile disponere valet, sicuti hæc omnia notarunt Covar. *supra.* Sanch. *lib.*7. *disp.*50. *n.*8. Gutierr. *c.*98. *n.*11. Traditurque à *leg. reg.*3. *tit.*6. *p.*3.

6. Consanguinitas igitur impedimentum est dirimens matrimonium contrahendum, non quidem ex jure aliquo Divino veteri Levit.18. Quo antiquitus matrimonium dirimebatur, quia illud jus lege Evangelica abrogatum est: nec novo aliquo à Christo promulgato, quia nullum extat, sed jure Pontificio, quod olim usque ad septimum gradum extendebatur, ut constat ex *cap. ad sedem* 35. *q.*5. Nunc autem ad quartum inclusivè extenditur iuxta Textum *in cap. de consanguinit.* Ratio huius prohibitionis est, quia matrimonium, sicut & reliqua omnia ad fovendam charitatem referri debet, ad quem finem maximè expedit matrimonium inter consanguineos interdicere, ut sic homines obligentur cùm non consanguineis contrahere, & hac viâ Respublica in charitate, & amore fundetur. Quippè consanguinei satis erant amore, & familiaritate coniuncti titulo consanguinitatis, ac proinde non indigebant matrimonio ad charitatem fovendam. Expediebat ergo matrimonium, quod vinculum est amoris ad eos tantum qui prædicto titulo amicitiæ carent, extendere. Præterea actus coniugalis quandam ex se indecentiam, & turpitudinem refert, quæ dedecet reverentiam consanguineis debitam. Deinde cùm consanguinei summam inter se familiaritatem habeant, eorum pudicitia periclitaretur, si inter illos matrimonia contrahi possent. Tandem usus coniugalis redderetur immoderatus, si amori sanguinis coniugalis amor accederet.

7. Quæstionem habet; An iure naturæ aliqua consanguinitas matrimonium irritet? In qua variæ sunt sententiæ, quas latè refert Sanch. *lib.*7. *disp.*51. *per totam.* Nam alii censent matrimonium consistere non posse in linea recta inter patrem, & filium. Alii extendunt ad secundum gradum, alii ad quartum. Alii ad omnes ascendentes, & descendentes. Quoad lineam transversam aliqui affirmant in primo gradu scilicet inter fratres matrimonium non posse consistere. Alii ad omnes gradus Levit.18. prohibitos extendunt.

8. Sed in hac varietate mihi probabilis apparet in primo gradu lineæ rectæ matrimonium iure prohibitum, & invalidum esse, uti communis omnium sententia docet, ut videre est in Caiet. 2. 2. *q.*154. *art.*9. *circa solut. ad* 3. Soto *in* 4. *d.*40. *q.unica, art.*3. *concl.*2. Valent. *t.*4. *disp.*10. *q.*5. *punct.*3. §.4. Thom. Sanch. *lib.*7. *disp.*51. *n.*7. Gutierr. *c.*98. *n.*13. Coninch. *disp.*32. *dub.*1. *concl.*2. *n.*13. Basil. Ponce *lib.*7. *c.*31. *n.*4. Paul. Laym. *lib.*5. *sum. tr.*10. *p.*4. *c.*6. Gaspar Hurtado *disp.*17. *difficul.*3. Probant aliqui, quia pater, & filius una persona reputantur. Non igitur inter ipsos matrimonium consistere potest. Præterea matrimonium æqualitatem respicit inter coniuges, cum unus alteri suum corpus ad usum coniugalem tradat; at inter patrem, & filiam, & à fortiori inter filium, & matrem æqualitas esse non potest, cùm semper debeat descendens suo progenitori subiici. Ergo: Hæ tamen rationes leves sunt. Nam esto una persona reputentur pater, & filius, de facto duæ personæ sunt distinctæ. Ergo ob distinctionem irritari matrimonium non potest. Deinde etsi genitus genitore inferior sit, & subiectus iure naturæ, hæc

tamen ſubjectio non obeſt, quin in ordine ad uſum conjugalem æqualitatem habeat. Quapropter ex his rationibus ſolùm probatur conveniens non eſſe prædictum matrimonium, non tamen convincitur eſſe irritum, ideóque concluſionem hac conſideratione probandam cenſeo, Matrimonium ad copulam refertur, copulam autem inter conſanguineos primi gradus lineæ rectæ omnes gentes, imò bruta animalia horrent, & averſantur, teſte Ariſtot. *de hiſt. animal. lib. 9. c. 49.* Et Plinio *lib. 8. hiſtor. natural. cap.* 42. Et docet Ambroſ. *epiſt. 66. ad Paternum.* Ergo credibile non eſt humanum genus hanc à Deo accepiſſe poteſtatem tradendi corpus ad uſum ita horribilem, & turpem. Neque inde fit ſtante extremâ neceſſitate propagandi genus humanum eo quòd ſolus pater, & filia, vel filius, & mater ſubſiſtunt, non eſſe licitum, nec validum tale matrimonium: ut docent Cajetan. 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. Petr. de Ledeſm. *q.* 54. *art.* 3. *difficult.* 1. Ægid Coninch. *diſp.* 32. *dub.* 1. *numero* 14. Gaſpar Hurtado, *diſp.* 17. *de matr. difficult.* 3. & alii. Quia turpitudo, & indecentia quæ in tali matrimonio reperitur ob reverentiam conſanguineis ita junctis debitam ſufficienter honeſtari videtur ob neceſſitatem generis humani propagandi: ad quem finem matrimonium dirigitur, ſicuti in omnium ſententia honeſtaretur, ſi ob aliquem finem honeſtum Deus in prædicto matrimonio diſpenſaret. Atque ita ut probabilius defendit Thom. Sanchez plures referens *lib. 7. diſputation. 51. numero* 10. Gutierr. *cap.* 98. *num.* 14. Henriq. *lib. 12. cap.* 9. Baſil. Ponce, *lib. 7. cap.* 31. *num.* 4. Paul. Layman. *lib. 5. ſum. tract.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 1. Favétque huic ſententiæ aliqualiter D. Chryſoſt. 44. *in Gen.* Et D. Ambroſ. *lib.* 1. *de Abraham. cap.* 6. quatenus excuſant filias Loth à culpa in concubitu cum patre, eo quòd putaverint nullum ſuperfuiſſe virum, qui generationi deſervire poſſet. Dixi *aliqualiter*, quia ſi Doctores non excuſant filias Loth à culpa, eo quod credant in prædicto eventu licitam fuiſſe copulam, ſed quia exiſtimarunt illas ignorantiâ invincibili laboraſſe, tum exiſtimantes omnes alios homines periiſſe, tum credentes illo remedio uti potuiſſe etiam matrimonio non contracto, quod à veritate alienum eſt.

9. Quod verò in aliis gradibus extra primum jure naturæ matrimonium irritetur; incertiſſimum eſt. Nam Sanch *lib. 7 diſput. 51. num.* 15. plures referens Baſil. Ponce, *lib. 7. cap. 81. n* 6. negant? eo quòd avus non ſit principium neptis, neque avia nepotis; ſed ſolùm applicant principium. Ideóque non debetur eis ea reverentia, quæ patri debetur, ac proinde non eſt ea turpitudo, & indecentia, quæ in acceſſu cum parente cernitur, ob quam credendum ſit negatam à Deo aſcendentibus, & deſcendentibus hanc poteſtatem ſibi mutuò corpora tradendi in conjugium. Aliàs non ſolùm in quarto, ſed in quinto, & ulteriori gradu in infinitum matrimonium jure naturæ prohibitum eſſet. Alii verò ſcilicet Scotus *in* 4. *d.* 40. *q. unic. art.* 2. Bellarm. *lib.* 1. *de matr. capite* 28. Coninch. *diſputation.* 32. *dub.* 1. *concluſ.* 3. *num.* 16. Paul. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 6. *num.* 2. Gaſpar Hurtado *diſp.* 17. *difficult.* 4. cenſent jure naturæ vetitum eſſe matrimonium deſcendentis cum quolibet aſcendente, eo quòd ab eo dependeat in ſuo eſſe, illúmque ob eam cauſam revereri debeat, cui reverentiæ uſus conjugii obſtat, ut ex uſu omnium gentium bene inſtitutarum liquet, Argum. *leg. Nuptiæ. ff. de Ritu nuptiar.* ibi: *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum, liberorúmve ſunt, proximi, ſive ulteriores ſint uſque in infinitum.* Et *l. ult. ff. eod. tit.* ibi: *Jure gentium inceſtum commiſit, qui ex gradu aſcendentium, vel deſcendentium uxorem duxerit.* Ex his conſtat, quàm incertum ſit, an matrimonium inter aſcendentem, & deſcendentem jure naturæ irritetur. Sed quia matrimonii valor quoad fieri poſſit ſuſtinendus ſit, & quia negari non poteſt, quo quis magis à ſuo principio diſtat, minus illi eſſe conjunctum, minorémque illi reverentiam deberi, minúſque inhoneſtum eſſe illi in matrimonium jungi, credo extra primum gradum, vel ſaltem ſecundum lineæ rectæ jure naturæ conjugium non irritari. Nam quod ultra quartum gradum non irritetur, ea ratione convincor. Pontifices *in cap. ad ſedem* 35. *quæſt.* 5. ad ſeptimum gradum impedimentum conſanguinitatis extenderunt, poſtmodum Innocent. III. *in cap. non debet de conſanguinit. & affinit.* ad quartum reſtrinxit. At hi Pontifices non ſolùm de gradibus lineæ tranſverſæ, ſed etiam rectælocuti ſunt, aliàs poſſet quis cum ſuo aſcendente in ſecundo gradu matrimonium contrahere, ſequens opinionem probabilem illud matrimonium jure naturæ irritum non eſſe. Ergo ultra quartum gradum nulla eſt prohibitio etiam in linea recta.

10. Verùm ſi de gradibus lineæ tranſverſæ loquamur Abul. *Levit.* 18. *q.* 5. Sotus *in* 4. *d.* 40. *q. unica. art.* 2. Covarr. *in* 4. *decret.* 2. *p. cap.* 6. §. 10. *n.* 15. Sanch. aliis relatis, *diſp.* 52. *num.* 11. Bellarm. *c.* 28. Valent. *t* 4. *diſp.* 10. *q.* 5. *punct.* 3. §. *controverſia.* Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 10. *part.* 4. *c.* 6. *num.* 2. Gutierr. *t.* 98. *n.* 20. & alii cenſent matrimonium in primo gradu hujus lineæ ſcilicet inter fratres jure naturæ irritum eſſe. Quibus favet Innocent. III. *in c. gaudemus de Divortiis*, ubi de converſis ad fidem, inquit: *Si in ſecundo, vel ulterioribus gradibus contraxerint non eſſe ſeparandos, tacitè innuens ſeparandos eſſe, ſi in primo contraxerint.* Ratio eſt, quia actus conjugalis ob turpitudinem, quam præ ſe fert adverſatur naturali pudori, ac reverentiæ, quæ ſanguine ita junctis debetur. Et quia periculum non leve haberent fratres libidinoſi affectus ob continuam cohabitationem, ſi ſcirent conjugium non ſibi à natuta eſſe interdictum, ideóque plures gentes talem copulam & matrimonium deteſtatæ ſunt, ut refert Ariſtotel. *lib.* 2. *politic. cap.* 2. Et Abraham *Geneſ.* 12. aſſerens Saram eſſe ejus ſororem, ſatis putavit ſuſpicionem conjugii à ſe removere, quod non præſtaret, ſi conjugium cum ſorore conſiſtere poſſet.

11. Cæterùm verius cenſeo jure naturæ prædictum matrimonium inter fratres valere, uti docuit D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 3. Cajetan. *ibidem.* Alexand. Alenſ. 3. *part. quæſt.* 35. *memb.* 6. Scotus *in* 4. *diſt.* 40. *quæſt. unica*, Durand. *ibid. quæſt. unica, num.* 9. Richard. *art.* 1. *quæſt.* 2. Et aliis pluribus relatis Baſil. Ponce, *lib. 7. capite* 32. *numero* 3. Coninch. *diſp.* 32. *dub.* 1. *num.* 19. Gaſpar Hurtado *diſputation.* 17. *diffic.* 5. *num.* 12. Moveor, quia id quod juri naturali contrarium eſt omnes gentes deteſtantur, nulloque tempore licitum eſſe reperitur. At conjugia inter fratres ab initio mundi licita fuerunt tametſi poſtea ut genus humanum latiùs propagaretur fuerint interdicta, ut rectè notavit Auguſt. *lib.* 15. *de Civitate Dei*, *cap.* 16. Pluréſque gentes benè inſtitutæ ea conjugia ſuſtinuerunt, teſte Paleoto *lib. de nothis filiis, capite.* 3. *num.* 2. *& ſeqq.* imò in Romana provincia refertur in aliquibus partibus eam conſuetudinem vigere. Signum ergo eſt ea matrimonia jure naturæ irrita non eſſe.

12. Neque rationes contrariæ urgent. Nam Innocent. III. *in cap. gaudemus.* ſolùm decidit ſecundo, & tertio gradu conjunctos ſeparandos non eſſe. De primo indeciſum reliquit, eo quòd ſub opinione eſſet conſtitutum. Ad rationem autem negamus eam indecentiam in copula conjugali fratrum reperiri ut ob eam credendum ſit jure naturæ ea matrimonia irritari, aliàs à principio non valerent. Præterquam quòd major, vel ſaltem æqualis indecentia reperitur in eo quod unus duabus ſororibus copuletur; vel duo fratres uni uxori; cùm tamen in his ſæpè diſpenſatum ſit. Ex periculo autem incontinentiæ nequit colligi invalidum eſſe matrimonium, ſed ad ſummum illicitum cauſâ legitimâ deficiente. Ad factum Abraham ſatis eſt quod matrimonia inter fratres frequenter non contingerent, non tamen convincit nunquam contrahi poſſe.

13. Ex

13. Ex his à fortiori infertur jure naturâli non dirimi matrimonium inter nepotem, & amitam, inter patruum, & sobrinam, cùm minorem indecentiam ea copula præ se ferat, videamusque sæpè cum magnis Principibus esse à Pontifice dispensatum.

PUNCTUM VIII.

De impedimento affinitatis.

1 *Quid sit affinitas ?*
2 *Ex qua copula oriatur affinitas ?*
3 *Ex penetratione vasis fœminei absque seminatione, vel ex seminatione extra vas non oritur affinitas.*
4 *Non est necesse copulam licitam, & conjugalem esse.*
5 *Verius est spectato jure naturæ affinitatem ex copula fornicaria non oriri.*
6 *Satisfit argumntis oppositis.*
7 *Ad quem gradum extendatur affinitas ?*
8 *Aliqui censent jure naturæ irritum esse matrimonium in affinibus primi gradus, tam lineæ rectæ, quam transversæ.*
9 *Alii censent jure naturæ esse irritum conjugium cum affinibus in primo gradu lineæ rectæ.*
10 *In nullo gradu affinitas ex copula fornicaria irritat matrimonium jure naturæ.*
11 *Affinitas lineæ transversæ ex copula conjugali orta nequaquam dirimit matrimonium jure naturæ.*
12 *Verisimilius est nullam affinitatem lineæ rectæ matrimonium jure naturæ dirimere.*
13 *Fit satis fundamentis num. 8. adductis.*
14 *Solvuntur fundamenta num. 9. relata.*

1. AFfinitas est propinquitas personarum ex copula carnali proveniens, nullà ex se præsuppositâ parentelâ. Sic D. Thom. receptus ab omnibus *in* 4. *dist.* 41. *quæst. unica, art.* 1. *q.* 3. *argum.* 2. Glossa *in arbore affinitatis* 35. *quæst.* 5. Etenim cum per copulam vir, & fœmina una caro efficiantur, consanguinei fœminæ redduntur viri affines, & propinqui in eodem gradu ac sunt cum fœmina, & consanguinei viri redduntur affines, & propinqui fœminæ in eodem gradu ac sunt cum viro, juxta Glossam *in cap. non debet, verbo in secundo de consanguinit. & affinit.* Deciditurque *in cap. Fraternitatis* 35. *quæst.* 10. Ibi : *Si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri.*

2. Copula, ex qua necessariò affinitas nascitur nulla alia est præter eam, quæ ex se generationi apta est, quæque matrimonium consummare potest, uti multi comprobant Sanchez *lib.* 7. *disp.* 64. *num.* 8. *& seqq.* Basil. Ponce *lib.* 7. *cap.* 33. *num.* 2. Coninch. *disp.* 32. *dub.* 4. *n.* 46. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *part* 4. *cap.* 5. *num.* 1. Quia per illam copulam, & non aliam una caro efficiuntur.

3. Hinc manifestè infertur ex penetratione vasis fœminei absque seminatione, itemque ex seminatione extra vas fœmineum naturale affinitatem non nasci, ut probat Textus *in cap. extr.* 35. *q.* 5. Quinimo in probabili sententia absque viri, & fœminæ seminatione : quia pluribus placet non improbabiliter utriusque seminationem generationi necessariam esse, ac proinde matrimonii consummationi. Neque is obstat Textus *in cap. juvenis de Sponsalibus & cap. Fraternitati, de eo qui cognovit consanguin. uxoris suæ*, ubi decernitur separandum esse virum à conjuge, eo quòd sororem ejus nondum septennem duxerit, & forsan cum ea tentavit consummare, nec potuit, extraordinariave libidine polluit. Non inquam obstat, nam eo casu non fit separatio ob impedimentum affinitatis, sed ob impedimentum publicæ honestatis, loquitur enim Pontifex de sponsalibus. Quapropter ex matrimonio quousque consummatum sit, etsi oriatur impedimentum publicæ honestatis, de quo *infrà*, nulla tamen affinitas nascitur, hæc enim copulam necessariò requirit, uti definivit Pius V. *in bulla edita Kalend. Julii anno* 1568. Super declarationem Concilii de impedimento affinitatis, quæ incipit : *Ad Romanam* : Et expressérat *lex regia* 5. *tit.* 6. *part.* 4. Et multis comprobat Sanch. *lib.* 7. *disp.* 64. *num.* 25. Gutierr. *cap.* 99. *num.* 7.

4. Nullo tamen modo necessarium est copulam, ex qua affinitas nascitur licitam, & conjugalem esse; nam esto fornicaria sit, sufficit ad affinitatem inducendam saltem jure Ecclesiastico, ut constat ex Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 4. Et habetur *cap. discretionem, de eo qui cognovit consang. &c.* Solùm est dubium ; An spectato jure naturali ex copula fornicaria nascatur affinitas ? Negant nasci Navarr. *lib.* 4. *consil. tit. de sponsalib. conf.* 7. Aliàs *titul. de consanguinit. conf.* 12. Ledesm. 2. *part. quæst.* 57. *art.* 3. *paulò post princ.* Victoria *sum. ubi de matrim. num.* 296. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 1. *num.* 2. Thom. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 65. *num.* 9. Moventur primo *ex leg. non facilè* §. *affines, &* §. *sciendum ff. de gradibus affinit.* Ibi : *Sciendum est neque cognationem, neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint, ex quibus affinitas conjungitur.* Secundo affinibus ex copula fornicaria nulla sunt imposita nomina, sicuti sunt imposita affinibus ex legitimo thoro. Ergo signum est apud gentes nullum esse hujus affinitatis vestigium. Tertiò, & præcipuè, quia ex copula fornicaria nulla nascitur propinquitas, quæ amicitiam, seu reverentiam excitet inter consanguineos. Non enim filius excitatur ad amorem, reverentiamve exhibendam fœminæ à suo patre turpiter cognitæ. Ergo nulla ex tali copula affinitas nascitur.

5. Sed longè verior est contraria sententia, quam docuit Joan. Andr. *in cap.* 1. *n.* 3. *de convers. infidel. Et ibi* Anton *num.* 2. *oppos. unica.* Cardinal. *ibi in princip. num.* 7. *oppos.* 1. Vemerum 1. *part. speculi art.* 47. *in probat. secundæ conclusionis.* Rebell. *lib.* 3. *de matrim. q.* 15. *concluf.* 2. Coninch. *disp.* 32. *dub.* 4. *concluf.* 1. *num.* 49. Gaspar. Hurtado *disp* 20. *difficult* 2. Et colligitur *ex leg liberi* 4. *Cod. de Nuptiis*, ubi statuitur, ne filii ducant parentum concubinas, quia id minùs religiosum, & probabile est. Sentit ergo Alexand. Imperator ex prædicta copula affinitatem oriri, & quod magis est, *Amos* 1. *num.* 7. Tanquam graviſſimum scelus reputatur quod pater, & filius introierint fornicandi causa ad eandem puellam, cujus nulla alia causa, ut rectè advertit Ægid. de Coninch. esse poterat, quàm quia per talem copulam contrahatur affinitas. Ratio vero ea est, quia ideo per copulam conjugalem nascitur affinitas, quia per ipsam efficiuntur conjuges una caro, unusque sanguis. At æquè propriè efficiuntur qui copulam fornicariam habent ; ut expressè dixit Paul. 1. ad Corinth. 6. *n.* 15. Ibi : *An nescit qui adhæret meretrici* (scilicet per fornicationem) *unum corpus efficitur; Erunt*, inquit, *duo in carne una.* Ergo contrahunt propriè affinitatem cum alterius consanguineis, utpotè accedentes ad eorum sanguinem.

6. Neque argumenta in contrarium urgent. Nam lex *Non facilè*, negat affinitatem imò & cognationem ex nuptiis interdictis non absolutè, sed quoad aliquos civiles effectus, scilicet successionem, sicuti etiam negat cognationem, & affinitatem capite diminutis, non quidem cognationem, & affinitatem naturalem, hæc enim tolli non poterat, sed civilem in ordine ad successionem. Ad secundum nego affinibus ex copula fornicaria non esse imposita ea nomina, quæ affinibus ex copula conjugali. Sunt etenim. Frequenter tamen non sic appellatur, eo quòd hæc affinitas non honoris, sed dedecoris sit. Ad tertium admitto ex prædicta copula fornicaria non nasci affinitatem, quæ amorem, & reverentiam excitet. Ad id necessarium non est, satis enim est quod fiant una caro. Præterea nego ex tali copulâ per se sumptâ non nasci amicitiam, & reverentiam

rentiam : naſcitur namque, cujus ſignum eſt, quod filius etiam patre mortuo abhorreat coitum cum patris concubinâ, ne patris turpitudinem revelet. Quod ſi in concubinæ odium , & non in ejus amorem excitetur, id naſcitur, quia ea copula ejus patri perditionis occaſio erat.

7. Porro affinitas, etſi jure antiquo uſque ad ſeptimum gradum , ſicuti conſanguinitas extendebatur juxta Textum *in c. nullum , cap. æqualiter 35. quæſt.3.* At nunc reſtricta eſt ad quartum gradum ex Textu in *c. non debet de conſanguinit. & affinit.* Et licèt in illis Textibus nulla ſit mentio affinitatis ortæ ex copula illicita, cùm ex hac affinitas oriatur , ſicut ex copula licita. *Cap. diſcretionem. De eo qui cognovit conſanguin. uxoris ſuæ :* Omnes Doctores teſte Gutierr. *cap.99. n.11.* Extendunt eam affinitatem ad eoſdem gradus , ac extenditur affinitas ex copula licita , niſi novo Concil. Trident. decreto *ſeſſ.24. cap.4. de reformat. matrimonii,* ad ſecundum gradum reſtricta eſſet.

8. Quæſtio igitur eſt ; An aliqua affinitas jure naturæ irritum reddat matrimonium ? Negari poteſt eſſe indecens , & peccatum abſque legitima cauſa matrimonium contrahere cum affine in primo gradu ſive lineæ rectæ , ſive tranſverſæ , maximè ſi affinitas ex legitimo thoro naſcatur , uti probat Coninch. *diſp.32. dub.4. num.51.* Sanchez *diſp.52. num.7.* Sed : An, tale matrimonium ſit irritum tam in affinitate lineæ rectæ, quàm tranſverſæ ? Non eſt conſtans Doctorum ſententia. Nam Paludan. *in 4. d.41. quæſt.1. art.5. concluſ.2.* S.Antonin. *3.part. tit.1. cap.11. & 14.* Et alii plures relati à Sanchez *lib.7. diſp.52. num.5.* Cenſent non ſolum in affinibus lineæ rectæ , ſed etiam in affinibus lineæ tranſverſæ matrimonium jure naturæ irritum eſſe in primo gradu. Moventur ex illo Matth.14.& Marc.6. Ubi Joannes Baptiſta reprehendit Herodem , eo quòd uxorem fratris ſui acceperit , neque valet dicere accepiſſe illam vivente fratre ſuo Philippo. Contrarium enim dicit Chryſoſt. *hom.41. in Matth.* Et probabile reputat Auguſt. *lib. de fide , & operib. caput 19.* At Herodes Lege Moyſis Levit.18. *Non revelabis turpitudinem fratris tui* , non aſtringebatur , utpotè qui Gentilis erat, & non Judæus. Ergo quia adverſus legem naturalem delinquebat reprehendebatur à Baptiſta. Secundò in *cap. gaudemus de divortiis* deciditur infideles ad fidem converſos , ſi in ſecundo , vel tertio gradu affinitatis exiſtant non eſſe ſeparandos. Ergo ſupponitur eſſe ſeparandos , ſi in primo gradu conjuncti ſunt : Tertiò ſecundùm valde probabilem ſententiam matrimonium conſiſtere nequit inter fratrem , & ſororem , at uxor fratris ſoror reputatur , eo quòd per copulam una caro ſint effecti. Ergo uxor fratris nequit eo mortuo eſſe uxor alterius fratris.

9. Alii graviſſimi Doctores cenſent affinitatem lineæ rectæ in primo gradu , v. g. inter privignum , & novercam , vel privignum , & victricum , ſocerum, & nurum , ſocrum , & generum matrimonium irritum eſſe jure naturæ : ſic docent Navarr. *lib.4. conſil. tit. de ſponſal. conſ.14. edit.2.* Sotus *in 4.d.41. quæſt.unica, art.3. circa finem.* Covarr. *4.decret. 2.part. cap 6.§.10. num.6.* Vaſquez *tom.2. quæſt.74. art.8. diſp.112. n.7.* Coninch. *diſp.32.dub.4. concl.3. num.53.* Valent. *tract.4. diſp.10. q.5. p.3. verſ. tertio controverſia eſt.* Bellarm. *cap.28. de matr. poſt initium.* Paul. Layman. *lib.5. ſumm. tract.10. part.4. cap.6. aſſert.5. num.5.* Et alii relati à Sanchez *lib.7. diſp.66. num.6.* Sumiturque ex *leg ſi adulter.§.quare ff. ad leg. Jal. de adult. Et ex leg.ult. §. noverca ff. de conditione ſine cauſa.* In quibus hæ nuptiæ inceſtuoſæ vocantur. Et præcipuè *ex c.2. Amos* , ubi tanquam ſcelus graviſſimum exaggeratur quod filius , & pater iverint ad puellam conſtuprandam , quia eo facto inquit Textus , nomen ſanctum Dei violarunt , id eſt gentibus talem copulam deteſtantibus occaſionem præbuerunt nomen Dei blaſphemandi ; ob quam cauſam Paul.1. Corinth.5. Corinthios reprehendit , eo quòd inter ipſos audiretur fornicatio , qualis neque inter gentes , ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat. Neque credendum eſt Deum in antiqua lege Levit.20. pœna graviſſima ignis periturum ; qui ſupra uxorem filiam duxerit matrem ejus , niſi hoc conjugium naturæ legibus maximè adverſaretur. Deinde eſt argumentum à ratione. Matrimonio namque conjuges una caro efficiuntur , ergo reverentiam , quam filius patri debet , eandem fermè exhibere tenetur ſuæ novercæ, ut colligitur ex Auguſt. *lib.22. contra Fauſtum cap.61.* relato *in cap. ſi vis.35. quæſt.3.* At negari non poteſt eſſe contra reverentiam patri debitam , ſi ejus uxori filius commiſceatur. Et confirmatur , inter conſanguineos lineæ rectæ jure naturæ conſiſtere nequit matrimonium in primo gradu : at affines æquè à matrimonio , ac conſanguinei excluduntur , *cap.1. de conſanguinit. & affinit.* Ergo matrimonium inter affines in primo gradu eſſe non poterit jure naturæ ſpectato.

10. Cæterùm aliter in hac quæſtione dicendum exiſtimo. Et in primis certum eſſe debet affinitatem ex copula fornicaria procedentem in nullo gradu iure naturæ matrimonium irritare. Nam eſto ex illa copula affinitas naſcatur , quod probabilius cenſuimus , eſt tamen quædam affinitas minus perfecta , quæ nullo iure probari poteſt matrimonio impedimentum eſſe. Præcipuè cùm videamus ſæpè in hac affinitate Pontificem in ſacra pœnitentiaria diſpenſare , quod nullatenus præſtaret , ſi iure naturæ ea affinitate matrimonium irritaretur. Atque ita ut certum tradunt Sanchez *lib.7. diſput.66. num.3.* Rebell. *lib.3. de matr. quæſt.15. concl.2.* Paul. Laym. *lib.5. ſum. tract.10. part.4. cap.6. concl.5. num.6.* Et alii Doctores *in concluſionibus ſequentibus* referendi.

11. Secundo affinitatem lineæ tranſverſæ naſcentem ex copula coniugali nequaquam matrimonium iure naturæ dirimere. Tenent hanc ſententiam innumeri Doctores , qui varios tractatus ediderunt in defenſionem matrimonii Henrici VIII. cum Catharina, quod ipſe conabatur irritum eſſe , eo quod prius cum ſuo fratre nupſiſſet , & præter eos docent Covarruv. *4.decret. 2.p. c.6. §.10. num.7. & ſeqq.* Bellarm. *lib.1. de matr. cap.28.* Valent. *t.4. diſp.10. q.5. punct.3. verſ. in aliis autem gradibus.* Sanchez *lib.7. diſp.66. num.11.* Baſil. *lib.7. c.34. num.3.* Et alii apud ipſos , qui referunt ſæpè Pontificem in hac affinitate diſpenſaſſe, quod nullatenus faceret , ſi iure naturæ matrimonium dirimeret. Et Clemens VII. authoritate Pontificia declaravit diſpenſationem conceſſam à Julio II. Henrico VIII. pro matrimonio cum Catharina eius coniuge validam fuiſſe. Unde de hac quæſtione nullus videtur dubitandi locus. Præterea in ſtatu legis naturæ Jacob duxit Lyam , & Rachelem ſorores , Gen.29. & Judas Gen.38. Eidem fœminæ conceſſit duos fratres in viros , & Deuteron.27. Cautum erat, ut frater uxorem fratris ſui abſque liberis defuncti duceret, quæ nullatenus permitterentur , ſi illud coniugium iuri naturæ adverſaretur. Denique indecentia , quæ in hoc matrimonio reperitur , non videtur tanti momenti , ut ob ipſam aſſerendum ſit Authorem naturæ non conceſſiſſe, affinibus poteſtatem ſe in coniugium tradendi.

12. Tertiò dico veroſimilius eſſe nullam affinitatem lineæ matrimonium iure naturæ dirimere , quæ eſt ſententia D. Thom. *2. 2. quæſt.154. art.9. in ſolut. ad 2. Et ibi* Caïetan. Alexand. Alenſ. *2.part. q.169. memb.2. & 3.p. q.27. memb.4. art.3. §.2.* Henriquez *lib.11. c.1. num.2. & c.9. num.5.* Sanchez plures referens *lib.7. diſp.66. num.7.* Baſil. Ponce *lib.7. c.34. num.5.* Rebell. *de obligat. juſtit. 2.p. lib.3. q.15. num.10.* Et colligitur manifeſtè ex Concilio Agathenſi *can.6.* Et Concilio Epaunenſi *can.30.* Ubi prohibetur matrimonium contrahi cum privigna, cum noverca relicta, vel avunculi, at ſi contractum ſit ante eam prohibitionem decernitur

ſuſtinendum

sustinendum esse, quod evidentissimum signum est validum à Pontifice reputari. Idem constat ex Concilio Aurelianensi 3. *can.* 10. Ubi hæc verba habentur. *De incestis conjunctionibus ita quæ sunt servantur, ut si qui aut modò ad baptismum veniunt, aut quibus parum statuta Sacerdotali pœdicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro novitate conversionis, ac fidei suæ credidimus consulendum, ut contracta hucusque hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum, quod de incestis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est observetur, id est, ut ne quis sibi sub conjugii nomine sociare præsumat relictam patris filiam, relictam fratris, sororem uxoris, sobrinam, consobrinam, vel relictam avunculi, vel patrui.* Ergo sentit Pontifex jure naturæ prædictam affinitatem matrimonium non dirimere, alias conversi ad fidem separandi essent, utpotè qui invalidè contraxissent. Favetque huic sententiæ illud Reg. 3. *cap* 2. Ubi Adonias petit Abisac uxorem patris sui defuncti in conjugem. Et quod tradit Valerius Maximus *lib.* 5. *cap.* 7. de Seleuco Syriæ Rege qui prudenter (inquit) filio suo Antiocho periculosè ægrotanti ob amorem Stratonices novercæ suæ eam illi in conjugem concessit. Etenim cùm matrimonium jure naturæ irritum esse non possit secluso errore, nisi ex defectu potentiæ ad generationem, vel quia conjuges se mutuò subjici non possint ad debitum reddendum, prolem educandam, & familiam gubernandam, vel quia Deus ob indecentiam in eo matrimonio repertam noluit potestatem concedere hominibus ad tale conjugium. Et in matrimonium, quod filius verbi gratia cum uxore parentis sui defuncti contraheret nihil horum reperiatur, convincitur jure naturæ irritum esse non posse matrimonium ex ulla affinitate. Minorem probo. Affinitas in primo gradu lineæ rectæ non constituit impotentiam ad generationem, ut de se liquet, neque impedit debitam conjugum subjectionem. Nam esto filius reverentiam debeat uxori patris sui, id non tollit, quin ipsâ matrimonio contracto subjici ei possit in domestica gubernatione. Neque item ex eo quòd fuerit uxor sui patris oritur tam gravis indecentia, ut causâ urgenti honestari non possit cum ea conjugium. Si enim honestatur conjugium in affinitate lineæ rectæ orta ex copula fornicaria, cur non honestari poterit in affinitate orta ex licita copula, cum hæ affinitates solùm differant penès magis, & minus. Hinc inferendum est, si infideles aliqui in primo gradu affinitatis conjuncti sint, & ad fidem convertantur nullatenus separandos esse, nisi fortè juxta ritum suarum legum tale matrimonium irritaretur, uti constat ex prædictis Conciliis, & notarunt Veterum 2. *part. speculi, art.* 25. *circa finem.* Henriq. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 5. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 66. *num.* 8.

13. Superest satisfacere fundamentis aliarum sententiarum. Etquidem ea quæ *num.* 8. Adduximus probantia jure naturæ affinitatem in primo gradu lineæ transversæ matrimonium dirimere facilia sunt. Nam primo desumpto ex reprehensione à sancto Joanne Baptista Herodi facta, negamus Philippum fratrem Herodis mortuum esse, sicuti negat Sanct. Thom. *in illum locum Matth.* Et Beda *in eum locum Marci.* Et alii apud Maldonat. Et Joseph. *libro decimo octavo, antiquit. capite sexto.* Sed gratis concessò Philippum mortuum esse, adhuc Herodi non licebat uxorem fratris sui habere, eo quòd Levitic. 18. coniugium cum uxore fratris demortui liberos relinquentis prohibitum esset, & Philippus reliquerat filiam Herodiadem saltatricem: & Herodes quamvis Gentilis esset, quia tamen erat filius Judæi cuiusdam lege Moysis astringebatur. Ad secundum *ex c. gaudemus de divort.* Respondeo ibi nec negari, neque affirmari, an coniuncti in primo gradu separandi essent, præterquam quod potiùs de gradibus consanguinitatis, quàm affinitatis Textus loquitur. Ad tertium etsi concedamus inter fratrem, & sororem matrimonium iure naturæ consistere non posse, non inde infertur non posse cum uxore fratris demortui, nam esto per matrimonium coniuges efficiantur una caro, extrinsecè tamen.

14. Difficiliora sunt fundamenta *n.* 9. Adducta, ad probandum iure naturæ esse irritum coniugium cum affinibus in primo gradu lineæ rectæ, at nullatenus convincunt, ut à sententia Pontificum declaratione firmatâ recedamus. Ad primum desumptum ex *leg. si adulterium. Et ex leg. ult.* concedo nuptias cum iis affinibus incestuosas esse, quia sunt prohibitæ ob indecentiam, & irritæ iure communi spectato, secus iure naturali. Ad secundum *ex loco Amos*, respondeo meritò gravissimum scelus reputatum esse, quia fuit quoddam adulterium, & indecentissimum, sicuti fuit illud quod Paulus 1. Corinth. 5. Reprehendit, vivente enim patre, illoque renitente filius uxori patris sui copulabatur teste Caïetano, Sedulio, & aliis relatis à Justiniano, & Cornelio *in illum locum.* Quod vero Deut. 20. Pœnâ ignis prædictum coniugium puniatur, inde solùm convincitur esse indecentissimum, ac proinde homines ab eo avertendos esse, neque tale coniugium permittendum, nisi ex urgentissima causa, & quia hæc raro contingere potest, ideo Pontifices nunquam in hac affinitate dispensarunt. Tertium ex ratione petitum probat indecens esse secluså urgentissima causa prædictum coniugium, non tamen probat irritum esse. Minorem namque reverentiam novercæ, quàm matri, à qua esse accepisti; exhibere teneris. Ad confirmationem dico æquè affines in primo gradu, ac consanguineos excludi à matrimonio contrahendo, si ius positivum spectetur, secùs si ius naturale.

Punctum IX.

De impedimentis cognationis spiritualis, & legalis.

1 *Quæ sit cognatio spiritualis?*
2 *Quas personas afficiat?*
3 *Quæ sit cognatio legalis?*
4 *Quis possit adoptare.*
5 *Quotuplex sit adoptio.*
6 *Cognatio legalis est triplex.*
7 *Quælibet ex his cognationibus impedimentum est dirimens matrimonio contrahendo.*
8 *Hoc impedimentum cognationis legalis plures censent ex sola adoptione perfecta oriri.*
9 *Verius est oppositum.*
10 *Solvuntur contraria fundamenta.*
11 *Prima species cognationis legalis durat perpetuo.*
12 *Aliqui censent extendi hoc impedimentum ad omnes descendentes adoptati sine termino. Alii ad secundum gradum. Alii ad quartum.*
13 *Rejiciuntur hi dicendi modi.*
14 *Solum inter adoptantem, & adoptatum hæc cognatio, & impedimentum intercedit.*
15 *Cognatio legalis lineæ transversæ contrahitur, & perseverat, dum filius sub potestate adoptantis existit.*
16 *Cognatio legalis per modum affinitatis perpetua censenda est.*

1. Cognatio spiritualis, secundùm omnes Doctores, est propinquitas personarum iure Ecclesiastico inducta ex susceptione, vel concessione Sacramenti Baptismi, & Confirmationis, estque impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, ut constat ex *toto tit. de cognat. spirit. Et c.* 1. *eodem tit. in* 6. Et Conc. Trid. *sess.* 24. *capite secundo.* Etenim per Baptismum regeneratur spiritualiter puer, & per Confirmationis Sacramentum in esse roboratur. Decuit ergo, ut sicut per carnalem generationem contrahitur cognatio matrimonium impediens, sic per huiusmodi regenerationem, & roborationem contraheretur saltem

saltem ab iis personis, quæ immediatè concurrerent.

2. Antiquo jure plures personas hoc impedimentum afficiebat, at spectato Concil. Trident. *sess.24. cap.2.* Solùm afficit baptizantem, & de sacro fonte levantem comparatione baptizati, illiusque patris, & matris. Et idem est in Confirmatione, omnibus inter alias personas hujus cognationis impedimentis sublatis. Ut baptizans, vel confirmans hoc impedimentum contrahat nihil aliud requiritur, quàm quòd verum Sacramentum ministret. At suscipiens baptizatum, vel confirmatum debet esse designatus, & rationis compos, & non Religiosus, & suscipere baptizatum in Baptismo solemni, imò secundum probabilem sententiam per se ipsum, uti hæc omnia latiùs prosecuti sumus *tractat. de Baptismo punct.11. §.1. & 2.*

3. Cognatio legalis est propinquitas personarum ex adoptione proveniens. Adoptio verò est actus legitimus, per quem fit filius, aut nepos qui non est naturam fermè imitans, vel ut placet D.Thom. communiter recepto, *in 4. dist.42. quæst.2.* Est legitima susceptio extraneæ personæ in filium, vel nepotem, vel deinceps. Utraque definitio in idem recidit. Dicitur *actus legitimus*, seu *legitima susceptio*, quia debet esse secundum leges tum Civiles, tum Canonicas. Dicitur *susceptio*, quia per eam suscipit adoptans in filium, vel nepotem, quem à natura non habet, & quo naturæ defectum supplet. Dicitur *extraneæ personæ*, quia est extra adoptantis potestatem. Dicitur *in filium, vel nepotem*, quia nemo in fratrem, vel patrem adoptari potest. *Leg. nec apud, Cod. de hæred. instit.*

4. Ut autem quis alterum adoptare possit debet esse masculus, fœminis namque ex rescripto Principis non est datum adoptare, eo quòd filios sub sua potestate non contineant. Item debet esse sui juris, & major vigintiquinque annis, quia aliàs sua administrare nequit. Deinde naturaliter potens ad liberos gignendos, quia in defectum filiorum, quos spectatâ naturâ habere posset permittitur adoptio, ideoque debet adoptatum excedere saltem octodecim annis, ut ratione ætatis pater illius esse possit, quia ad similitudinem filii carnalis hæc adoptio inducta est. Quinimò si adoptionem perfectam scilicet arrogationem præstet quadraginta annos complere debet, ac tandem neque absens adoptare potest etiam per procuratorem, sed necessariò adoptans præsens esse debet, ut ipse qui necessariò debet esse sui compos adoptio nisi perfecta sit consentiat. Quæ omnia habentur *instit. & ff. de adoptionib.* Et latè tradit Angel. *verbo Adoptio, n.4.* Sylvest. *quæst.2. & 5.* Sanchez *lib.7. disp.63. num.3.* Molina *tract.2. disp.227.*

5. Adoptio verò, ex qua cognatio legalis oritur duplex est, alia perfecta, in qua rescripto Principis persona extranea, quæ sui juris est transit in potestatem, & familiam adoptantis, sicuti alii filii legitimi. Quæque dicitur arrogatio, quia à principe rogatur adoptans, an velit adoptatum in filium, vel nepotem habere, & adoptatus an id fieri consentiat. Imperfecta verò est, quæ authoritate cujuslibet judicis merum, & mixtum imperium habentis persona extranea esto sui juris non sit, sed sub alterius potestate constituta in filium, vel nepotem assumitur. Quæque patri adoptivo non succedit necessariò ex testamento, sicuti succedit arrogatus, sed solùm ab intestato, ut constat *ex §. sed hodie, §. adoptio, § item*, & aliis *instit. de adoption. Et leg. regia 7. tit 7. part.4. Et leg.1. & 2. Cod. & ff. de adoptionib.* Adoptio verò absque authoritate Principis, vel Magistratus effecta, etiamsi publicè fiat, nullius est effectus, quia prædictæ leges hanc conditionem pro forma expostulant, quâ deficiente corruit actus, ut benè notavit Abbas *in cap.unica, num 3. de cognat. legali, & ibi* Joann. Andr. *num.1.* Angelus *verbo Adoptio, num.3.* Sylvest. *eodem, q.8.* Gregor. Lopez *leg.7. tit.7. part.4. verbo sucarta.* Sanch. *lib.7. disp.63. num.18.*

6. Congregatio legalis ex adoptione sive perfecta, sive imperfecta proveniens triplex est. Prima in linea recta inter adoptantem, & adoptatum, uti habetur *in §. ergo non omnes, instit. de Nuptiis. Et leg. quin etiam, ff. de Ritu nuptiarum. Et leg. regia 7. tit.7 part.4.* Secunda est lateralis, seu in linea transversa inter adoptatum, & filios carnales adoptantis, de qua *in §. inter eas, inst. de Nuptiis. Et leg. per adoptionem ff. de Ritu nuptiar. Et dicta lege regia 7. Et cap. unico. De cognatione legali, cap per adoptionem 30. quæst.3.* Tertia fundatur in legali quadam affinitate, ad similitudinem affinitatis carnalis inter adoptantem, & uxorem adoptati, & inter adoptatum, & uxorem adoptantis juxta *leg. adoptivus, ff. de Ritu nuptiar. Et dicta leg. regia 7. tit.7. p.4.* Et tradit D.Thom. receptus ab omnibus *in 4. d.42.q.2. art.3. in corp.*

7. Quamlibet ex his cognationibus impedimentum esse dirimens matrimonio contrahendo firmant ferè omnes Doctores, ut videre est in Abbate *Rub. de cognat. legali num.unico.* Alexand. de Nevo *cap.unico, n.10. eodem tit.* Sylvest. *verbo Matrimonium 8.q.8.* D.Thom. *in 4. d.42. q.2. art.2. in corp. Et ibi* Bonavent. *art.2. quæst.2.* Soto *ibi quæst.2. art.1. vers. de adoptione, & art.2. in fine.* Gregor. Lopez *leg. regia 7. titul.7. part.4.* Gallego *de cognat. legali, cap.3. num.36.* Lancelloto *inst. juris Canonici, lib.2. tit. de triplici cognat. ubi de legali, §. legalis cognatio.* Basilio Ponce *lib 7 cap.41.num.2.* Sanch. *lib.7. disp.63 num.17.* Gutierr. *cap.102. num.4.* Paul. Laym. *lib.5. sum. tract.10. part.4. cap.7. n.3.* Coninch. *disp.32. dub.2.* Gaspar Hurtado *disp.19. difficult.2. n.4.* Etenim cùm legibus civilibus *superiùs* relatis statutum sit, quamlibet ex supradictis cognationibus impedimentum esse dirimens matrimonio contrahendo, & à jure Canonico in Rubrica de cognatione legali approbata sit in communi cognatio legalis, efficitur quamlibet ex supradictis cognationibus impedimentum esse. Sed specialiter prima species cognationis legalis lineæ rectæ approbata est à Nicolao Papa *in cap. diligere 30. quæst.3.* Tanquam impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, ibi: *Quandoquidem nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filii sunt venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt.* Secunda verò species cognationis legalis in linea transversa approbatur *in c. per adoptionem, eadem causa, & q.* sed præcipuè *in c.unica, de cognat. leg.* statuitur impedimentum esse dirimens. Siquidem inquit Textus nuptias consistere non posse inter filium legitimum, & sororem adoptivam. Verbum enim *potest* præpositâ negatione tollit potentiam, & reddit actum nullum, ut pluribus exornat Sanchez *lib.6. disp.38. num.20.* Præterquam quòd verbum *consistere* præpositâ negatione indicat nullam consistentiam nec valorem habere prædictum matrimonium. De tertia specie solùm est difficultas, an impedimentum præster matrimonio contrahendo, eo quòd nullo Textu juris Canonici, à quo impedimenta statuenda sunt approbata reperiatur, sed id non obest, quia satis est, quod in Rubrica generaliter approbetur, & consuetudine Romanæ Ecclesiæ confirmetur, sicuti rectè notarunt Sanchez, Hurtado, Layman. & alii *supra.* Ratio autem ob quam hoc impedimentum ab Ecclesia statutum est ea esse videtur, quæ in consanguinitate, & affinitate carnali. Quippe ex prædicta adoptione nascitur quidem specialis amor, & amicitia inter adoptantem, ejusque filios carnales, & adoptatum. Ergo ut matrimonium quod amoris vinculum est ad alios extraneos extendatur. Præterquam quòd adoptatus speciali reverentia prosequi tenetur adoptantem, cui reverentiæ non leviter copula obstat. Denique adoptatus cum adoptante, ejusque uxore, & filiis habitare debet. Si autem matrimonium ipsis interdictum non esset, facilè in libidinem laberentur. Meritò ergo Ecclesia illis matrimonium interdixit.

8. Restat duplex quæstio. Prima: An prædicta cognatio

gnatio legalis impedimentum præstans matrimonio contrahendo oriatur non solum ex adoptione perfecta scilicet arrogatione, sed etiam ex imperfecta ? Gravissimi Doctores, & satis probabiliter censetur ex sola adoptione perfecta oriri. Sic Innocent. *in cap. unica, num. unico, de cognat. legali.* Sylvest. *verbo Matrimonium* 8. *quæst.* 8. *dicto* 4. Ledesm. 2. *part.* 4. *quæst.* 59. *art.* 3. *fine* Henriq. *lib.* 12. *cap.* 12. *num.* 3. Petr. de Ledesm. *de matrim. quæst.* 57. *art.* 2. *concl.* 3. Sanch. alios referens *lib.* 7. *disp.* 63. *n.* 9. Inclinant Coninch. *disp.* 32. *dub.* 3. *in fine*, Paul. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 7. *num.* 3. Ochagavia *quæst.* 58. *de matrim.* Moventur primò, quia hæc cognatio legalis constituta est ad similitudinem cognationis carnalis; at hæc necessariò petit filium sub potestate parentis constitui. Ergo, &c. Secundò constituitur ad similitudinem eorum qui legitimè nati sunt. Quam similitudinem habere adoptivi nequeunt, quousque in potestatem, & familiam parentis adoptantis adciscantur. Tertiò ex vi hujus cognationis legalis dirimitur matrimonium inter adoptivum, & filios carnales adoptantis, quod nullatenus esse potest, nisi uterque sub potestate adoptantis sint constituti. Quartò ratio præcipua, ob quam Ecclesia hoc impedimentum constituit juxta D. Thom. *in* 4. *d.* 42. *quæst.* 2. *art.* 2. *in corp.* Est ob vitandum periculum incontinentiæ inter sic cognatos. Quod necessariò futurum esset matrimonio non interdicto. At si adoptatus in potestatem adoptantis, ejusque familiam non transit, prædictum periculum cessat, cum simul non habitent : Ergo; Quintò impedimenta matrimonii in dubio potiùs restringi, quàm extendi debent ob matrimonii favorem. Cùm ergo statutum sit cognationem legalem impedimentum esse matrimonii contrahendi de cognatione legali ortta ex adoptione perfecta videtur intelligendum; siquidem hæc est propria adoptio, alia solùm est ad perfectam adoptionem dispositio, ut inquit Div. Thom. *dub.* 42. *quæst. art.* 1. *ad* 1.

9. Nihilominus contraria sententia verior mihi videtur, & in praxi omnino sequenda, quam docent Glossa *in cap. unico ad finem de cognat. legali. Et ibi* Hostiens. *in fine.* Abbas *num.* 5. Covarruv. *in* 4. *decret.* 2. *part. cap.* 6. §. 5. *num.* 2. Gregor. Lopez *leg.* 7. *tit.* 7. *part.* 4. *verbo que profiiar.* Tolet. *lib.* 7. *sum. cap.* 4. *n.* 7. Rebell. *de obligat. justit.* 1. *part. lib.* 3. *quæst.* 7. Basil. Ponce *lib.* 7. *cap.* 41. *in princip.* Gaspar Hurtado *disp.* 19. *difficult.* 2. *num.* 3. August. Barbosa *de potest. Episc.* 3. *part. alleg.* 51. *in fine.* Gutierr. *de matrim. cap.* 102. Et alii plures quos refert Sanchez *d. disp.* 63. *num.* 8. Ubi hanc sententiam valde probabilem censent. Ratio est, nam adoptio ex qua adoptatus non transit in potestatem, & familiam adoptantis vocatur imperfecta, id est minus perfecta, quàm arrogatio, attamen in se vera, propria, & perfecta adoptio est, sicque communiter appellatur, ut colligitur *ex* §. *adoptio instit. de adoptionib.* Et *leg. adoptivus ff. de Ritu nuptiar.* Et notatur expressè *in lege regia* 7. *tit.* 7. *part.* 4. At Textus ex jure Canonico, in quibus cognatio legalis impedimentum asseritur de adoptione absolutè loquuntur, ut videre est in *cap. ita diligere. Cap. per adoptionem* 30. *quæst.* 3. *Et cap. unico de cognat. legali* : Ergo absque fundamento firmo restringitur cognatio legalis, ut solùm procedat in arrogatione : lex namque absolutè loquens absolutè intelligenda est, nec distinctionibus ejus efficacia minuenda, ut inquit Textus *in leg. non distinguemus*, 8. *cum similib. ff. de recept. arbitr.*

10. Neque fundamenta opposita obstant. Ad primum concedo hoc impedimentum inductum esse ad similitudinem cognationis, sed non obinde infertur omnia quæ in cognatione carnali interveniunt debere in hac cognatione adoptiva intercedere. Satis enim est quod sicut filius carnalis succedit patri, & ad patrem refertur, suo modo adoptiva succedat, & ad patrem referatur. Eodem modo respondemus ad secundum. Ad tertium admitto cognationem ortam ex adoptione imperfecta non dirimente matrimonium inter adoptatum, & filios carnales adoptantis, quia inter ipsos non est cognatio, secùs inter adoptatum, ejusque uxores. Ad quartum concedo cessare prædictas rationes, sed quia non cessat ratio reverentiæ, & amicitiæ inter cognatos, ob quam hoc impedimentum Ecclesiam diximus statuisse, nec prædictum impedimentum cessat. Ad ultimum admitto impedimenta matrimonii restringenda esse, quantum verba legis illa statuentis permiserint. At verba legis nullatenus permittunt restringi impedimentum cognationis legalis ad solam arrogationem cùm simplex adoptio vera, & propria adoptio sit, ut probatum est.

11. Secunda quæstio est, quantum duret hæc cognatio legalis, & ad quotum gradum extendatur ? Dicendum est in prima specie cognationis legalis lineæ rectæ, scilicet inter adoptantem perpetuò durare impedimentum matrimonii contrahendi, ut probat Textus *in* §. *ergo non omnes, instit. de Nuptiis. Et leg. quin etiam* 55. *ff. de Ritu nuptiarum, & cap. ita dirigere* 30. *quæst.* 3.

12. Sed ad quotum gradum, hæc cognatio extenditur ? Variant Doctores. Nam Anton. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 13. D. Thom. *in* 4. *d.* 42. *art.* 3. *in corp.* Sylv. *verb. Matrimonium* 8. *q.* 8. *dicto* 2. Vemerum 1. *part. speculi art.* 60. *concl.* 1. Ugolin. *de Sacram. ubi de matr. cap.* 19. *num.* 3. Et alii censeut extendi ad omnes descendentes adoptati sine termino. Moventur, quia jure Civili hæc cognatio ad omnes descendentes in infinitum extenditur, ut probat Textus *in* §. *ergo non omnes, vers. & hæc adeò, instit. de Nuptiis.* At jure Canonico approbata est cognatio jure Civili inducta, *cap. ita diligere* 30. *quæst.*,. Ergo, &c. Alii verò, ut Henriquez *lib.* 12. *de matr. cap.* 12. *num.* 3. Censent solùm ad secundum gradum extendi scilicet inter adoptantem & adoptatum ejusque filios, argumento desumpto ex affinitate carnali orta ex copula illicita, quæ spectato jure novo Conc. Trid. solùm ad secundum extenditur. Alii ut Navarr. *c.* 22. *n.* 45. Faber *inst. de Nuptiis* §. *inter eas num. unico.* Sotus *in* 4. *d.* 42. *quæst.* 2. *art.* 2. *concl.* 2. Tolet. *lib.* 7. *c.* 4. *num.* 7. Valen. *tom.* 4. *disp.* 10. *quæst. part.* 3. *post initium.* Sà *verbo Matrimonium*, Ubi de impedimentis *num.* 6. Basil. Ponce *lib.* 7. *c.* 41. *num.* 3. Et alii censent ad quartum gradum extendi, eo quòd hæc cognatio est ad similitudinem cognationis carnalis, at cognatio carnalis restricta est ad quartum gradum *cap. non debet, de consanguinit. & affinit.* Ergo hæc cognatio censenda est ad eum gradum restricta. Nam quoties duo se habent ut mensura, & mensuratum, lex corrigens mensuram censetur corrigere mensuratum.

13. Sed hi modi dicendi nullatenus mihi probantur, Non primus, quia Textus *in* §. *ergo non omnes* : nullatenus dicit ad omnes descendentes cognationem extendi, sed ad summum ad filios adoptati, ut constat ex illis verbis, *ut quamvis per adoptionem parentum, liberorumve loco sibi esse cœperint, non possint inter se matrimonio jungi.* Neque etiam placet secundus modus dicendi Henriquez utpotè absque ullo fundamento inventus; cùm cognatio legalis non minus imitetur cognationem carnalem ex copula licita, quàm ex illicita. Præterquam quòd restricta affinitate ex copula illicita non debet censeri restricta cognatio orta ex adoptione, quæ diversissima est. Neque item probanda est restrictio, vel extensio ad quartum gradum. Nam esto cognatio legalis ex similitudine ad carnalem constituatur, non inde infertur cognationem carnalem esse mensuram legalis, aliàs cognatio legalis non solùm in linea recta, sed transversa ad quartum gradum extenderetur. Præterquam quòd cognatio carnalis; & affinitas restrictæ sunt ad quartum gradum, ne passim matrimonia invalida essent, eo quòd sunt impedimenta frequentissima, quod nullatenus procedit in cognatione legali, quæ rarò contingit.

14. Quocirca

14. Quocirca mihi maximè probatur ſententia Sanchez *l.7. diſp.63. num.34.* Layman. *lib.5. ſum. tract.10. part.4. cap.7. n.3.* Gaſpar Hurtado *diſp.19. diffic.3. n.7.* Coninch. *diſp.32. dub.3. initio*, aſſerentium ſolùm inter adoptantem, & adoptatum hanc cognationem, & impedimentum intercedere, quia hæ perſonæ tantùm jure Canonico exprimuntur. At cùm adoptata aliqua perſona cenſeantur adoptari omnes illi qui tempore adoptionis ſub ejus ſint poteſtate, ut apertè probat *lex ſi paterfamiliàs ff. de adoptionib.* Efficitur ſanè hoc impedimentum cognationis legalis lineæ rectæ extendi ad omnes illos, qui ſub poteſtate adoptati erant tempore adoptionis nulloque modo inter adoptantem & ipſos ullo tempore matrimonium contrahi poſſe, ſed ad alias perſonas non extenditur. Quare matrimonium conſiſtere poterit inter adoptantem, & filiam adoptati, quæ poſt adoptionem nata fuit, extra poteſtatem adoptati. Item cum filia filiæ adoptivæ, quia mulier neminem habet in ſua poteſtate, §. *fœminæ inſtit. de adoptionib.* Item cum quibuſcunque filiis illegitimis adoptari, quia hi non poſſunt eſſe in adoptati poteſtate, §. *ult. inſtit. de Nuptiis*, ſicuti notavit Sanchez *dict. diſp.63. num.35.* Covarr. 4.*decret. 2.part. cap.6.* §.5. Layman. *libro 5. ſum. tract.10. 4.part. capite ſeptimo, num.3.*

15. Secundò dico cognationem legalem lineæ tranſverſæ ſcilicet inter filios carnales adoptantis, & ipſum adoptatum contrahi, & perſeverare, dum ſub poteſtate adoptantis exiſtunt, ut probat Textus *in cap.unico, de cognat. legali. Codice per adoptionem 30. quæſt.3. Et leg. per adoptionem ff. de Ritu nupt. Et Paragr. inter eas inſtit. de Nuptiis.* Etenim cùm hæc cognatio legalis inducta ſit ob ſimilitudinem fraternitatis, quæ jure filios carnales, & adoptatum reperitur, tamdiu cenſetur perſiſtere, quamdiu ii ſub adoptantis poteſtate permanent. Quocirca quoties patria poteſtas ſolvitur vel morte adoptantis, vel emancipatione ſecundùm leges, vel filii adoptivi, vel naturalis ceſſat impedimentum prædictum, & matrimonium contrahi poteſt, uti ex omnium ſententia tradunt Abbas, Cardinal. & Præpoſit. *in dicto cap.unico.* Greg. Lopez *in dicta leg.7. tit.7. part.4. verbo los filios.* Sanchez *diſp.63. num.30.* Paul. Laym. *dicto cap.7. num.3.* Baſil. Ponce *lib.7. cap.41. n.4.* Coninch. *diſp.32. dub.3.* Ad alias perſonas hæc cognatio non extenditur, quia nullus eſt Textus ex quo extenſio colligi poſſit. Quare non extenditur ad filios adoptatos inter ſe, neque ad eorum parentes cum adoptante, neque inter filios adoptatos cum illegitimis adoptantis. Nam Textus *in cap. unico, de cognat. legali* decidit non poſſe filium adoptatum cum filio carnali & naturali adoptantis contrahere durante patria poteſtate: at filius illegitimus non ſolet naturalis appellari, & ex alia parte non eſt ſub poteſtate patria. Ergo cum ipſo non prohibetur matrimonium, uti notarunt prædicti Doctores, quidquid ſine fundamento dicit Baſil. Ponce *d. cap.41. num.4. de filiis illegitimis.*

16. Tertiò dico cognationem legalem, quæ per modum affinitatis contracta eſt inter uxorem adoptantis cum adoptato, & inter uxorem adoptati cum adoptante perpetuum eſſe, eo quòd reverentia, cui innititur perpetua ſit, ſicuti deciſum eſt in *leg. adoptivus, 14 ff. de Ritu nupt. Et leg. regia 8. tit.7. p.4.* Et tradit ex omnium ſententia Sanchez *lib.7. dip.63. n.24.* Layman. Baſil. Coninch. Gaſpar Hurtado *locis allegat.* Neque ad alias perſonas hæc cognatio extenditur, cùm de iis tantum perſonis jura loquantur.

Punctum X.

De impedimento publicæ honeſtatis.

1 *Quid ſit impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis?*
2 *Non eſt juris naturalis, ſed poſitivi.*
3 *Unde hoc impedimentum jure antiquo ortum haberet, expenditur.*
4 *Quid Trident. in hoc impedimento ſtatuerit.*
5 *Reſtrictio Concilii ſolum pro ſponſalibus, non pro matrimonio rato intelligitur.*
6 *Aliqui cenſent ex ſponſalibus nullis ob defectum conſenſus, vel ob aliud impedimentum occultum naſci hoc impedimentum.*
7 *Oppoſitum verius eſt.*
8 *Ex ſponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis oriri hoc impedimentum affirmant* Sanchez *& alii.*
9 *Sed contrarium tenendum eſt.*

1. IMpedimentum juſtitiæ, publicæ honeſtatis ortum habet ex ſponſalibus de futuro, & matrimonio de præſenti, ex eo namque quòd quis ſponſalia, vel matrimonium cum aliqua contrahat; propinquus ſit omnibus conſanguineis ſuæ ſponſæ, & è contrà ſponſa propinqua facta eſt conſanguineis ſui ſponſi. Appellatur autem hoc impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, quia juſtum, & æquum eſt ob publicam honeſtatem, decorem, & decentiam impedire, ne ſponſus cum conſanguineis ſuæ ſponſæ, vel ſponſa cum conſanguineis ſui ſponſi contrahat.

2. Hoc impedimentum non eſt juris naturalis, ut de ſe conſtat, & fatentur omnes, ſed eſt jure Eccleſiaſtico introductum, ut conſtat *ex cap. ſi quis uxor. Cap. ſi quis deſponſaverit 27. q.2. Cap. litteras de deſponſat.impuber. Cap. juvenis. Cap. veniens. Cap. ad audientiam. Cap. ſponſalia de ſponſal. & cap.unico de Sponſalib. in 6.* Et Conc. Trid. *ſeſſ.24. c.3. de reform. matr.*

3. Jure antiquo hoc impedimentum ſive ex ſponſalibus, ſive ex matrimonio extendebatur ad conſanguineos intra quartum gradum. Nam licèt Textus de hoc impedimento loquentes gradum illius non expreſſerint, ſed ſolum dixerint extendi ad conſanguineos ſponſi, vel ſponſæ: cum conſanguinei poſt Innocent. III. *in cap. Non debet de conſanguin. & affinit.* Intra quartum gradum, & non ultra reputentur, efficitur hoc impedimentum ad conſanguineos intra quartum, & non ultra extendi.

Rurſus oriebatur ex ſponſalibus, & matrimonio puris, hoc eſt abſolutis, & cum certa perſona initis, ſive valida, ſive irrita fuerint, modò non fuerint irrita ex defectu conſenſus, nec præjudicium prioribus afferrent, eſt expreſſa deciſio *capite unic. De ſponſalib. in 6.* Quare ex ſponſalibus, vel matrimonio conditionatis ante impletam conditionem nullum impedimentum naſcebatur, quia conditio conſenſum ſuſpendit, efficitque ne ſponſalia, vel matrimonia ante illius eventum effectum habeant. Impletâ verò conditione qui cenſent eo ipſo abſque novo conſenſu ſponſalia, vel matrimonium conſiſtere, affirmabunt naſci impedimentum, ſecus qui novum conſenſum requirunt. Item neque oriebatur impedimentum ex ſponſalibus metu vel errore perſonæ, vel abſque ſufficiente deliberatione, veroque conſenſu celebratis, quia hæc ſunt nulla ex defectu conſenſus, bene tamen ex ſponſalibus; vel matrimonio ex aliquo alio impedimento, vel ſolemnitatis defectu irritis, uti declaravit Cardinalium congregatio apud Farinacium, & Barboſam *ſeſſ.24. cap.3. Concil. Trident.* Et apud Rebellum *in append. ad lib.4. num.102.* Quocirca non videtur audiendus Sanchez *lib.7. diſp.30. num.13.* Afferens ex matrimonio rato celebrato abſque parocho, vel teſtibus nullum impedimentum naſci, qui neque ſpeciem habet contractus. Quippè prædictus contractus nullus non eſt ex defectu ſolemnitatis à Concilio requiſitæ. At Textus *in cap.unico de ſponſalibus in 6.* Decidit ex ſponſalibus, vel matrimonio nullis ex quacumque cauſa præter defectum conſenſus hoc impedimentum publicæ honeſtatis oriri. Ergo ex prædicto contractu nullo neceſſariò oritur, referuntque Farin. Barboſa, & Rebellus deciſum fuiſſe à ſacra

sacra Congregatione in hæc verba : *Præsuppositâ declaratione per constitutionem Pii V. super hoc decreto* (scilicet *sess.24. c.3.*) *censuit congregatio oriri impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus per verba de præsenti etiam nulliter contractis, omissa forma decreti Concilii sess.24. c.1. & constat ex c. Ad audientiam de sponsalibus ubi existente matrimonio nullo ob impedimentum consanguinitatis oritur publica honestas.* Atque ita docent Basil. Ponce *l.7. cap.35. in fine.* Gaspar Hurtado *disp.21. difficult.2. numero 7.* Et colligitur ex Layman. *lib.5. sum. tract.10. part.4. cap.9. num.5.*

Neque item oritur hoc impedimentum ex sponsalibus, vel matrimonio irritis ob priorum præjudicium. Verbi gratia promisisti ducere Mariam & ante horum sponsaliorum legitimam dissolutionem contrahis cum ejus sorore, ex tali contractu nullo, utpotè præjudicante priori nullum oritur impedimentum, ut expressè deciditur *dicto c.unico, De sponsal. in 6.* Et notavit Sanchez *lib.7. disp.68. num.24.* Gutierr. *c.103. n.17.* Difficultas est casu quo priora sponsalia cum Maria conditionalia essent, & contracta cum ejus sorore absoluta? Qua in re dicendum est, si ante eventum conditionis sponsalia de futuro cum ejus sorore contraxeris, nullus est contractus, nullumque impedimentum, quia in præjudicium prioris obligationis nemini te obligare poteras: Quod verum censeo etiam jure antiquo ante Concil. Trident. spectato. At si non sponsalia de futuro, sed verum matrimonium ratum contrahas cum hoc matrimonium valide esto illicitè contractum sit, prioribus sponsalibus conditionatis derogat. Hæc de jure antiquo.

4. Verùm Conc. Trid. *sess.24. cap.3. de reform. matrimonii.* Constitutionem edidit in hæc verba. *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt sancta Synodus prorsus tollit, ubi autem valida fuerint primum gradum non excedunt, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Ex quo decreto manifestè constat duplicem restrictionem impedimento publicæ honestatis factam esse; primam ne contrahatur prædictum impedimentum ex sponsalibus nullis, secundam, ne contrahatur ultra primum gradum, cùm tamen jure antiquo ex sponsalibus invalidis, nisi invalida essent ex defectu consensus, vel in præjudicium priorum contraheretur impedimentum usque ad quartum gradum.

5. Et licèt aliqui graves Doctores, Navarr. *cap.22. n.58. in man Hisp.* Covarr. 4. *decret.2. part. cap.6. §.2. num.2.* Ludov. Lopez *2. part. instruct. cap.50.* censeant restrictionem à Concilio factam non solum de sponsalibus, sed etiam de matrimonio rato esse intelligendam, eo quòd restrictione factâ in accessorio censenda sit facta in principali, præcipuè cum ex matrimonio rato nullo non inveniatur expressum nasci hoc impedimentum. Quæ sententia ante declarationem Pii V. editam anno 1568. in bulla quæ incipit, *ad Romanam*, probabilis esse poterat. At post prædictam declarationem nullatenus sustinenda est. Inquit enim Pontifex, quòd cùm multi dubitaverint, an decretum Concilii Trident. *sess.24. cap.3.* Intelligatur de sponsalibus de futuro, vel etiam de matrimonio de præsenti non consummato. *Authoritate Apostolica tenore præsentium declaramus; & definimus decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio* (licut præfertur) *contracto; sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, in quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat.* Atque ita observarunt Navarr. *dict. cap.22. numero 57. in man. latino.* Henriquez *libro 12. capite 10 numero 1.* Gregor. de Valent. *tom.4. disputatione 10. quæstione 5. punct.3.* Sanchez *lib.7. disp.70. num.5.* Gutierr. *cap.103. n.23.* Basilius Ponce *lib.7. cap.35. num.3.* Decisumque est à Ferd. de Castro Sum. Mor. *Part. V.* sacra congregatione, prout refert Farinac. & Barbosa *dicto cap.3. Concilii.* Et Rebell. *in append. ad lib.4. de oblig. justit. num.102.*

6. Sed an ex sponsalibus nullis ob defectum consensus, vel ob aliud impedimentum omnino occultum nascatur impedimentum difficultate non caret. Nam Thom. Sanch. *lib.7. disp.68. a n.14.* Henriquez *lib.12. cap.10.* Basil. Ponce *lib.7. c.35. num.10.* Paul. Laym. *lib.5. summ. tract.10. part.4. cap.9. n.4.* Et alii censent nasci, eo quòd hoc impedimentum statutum sit propter indecentiam, quam secùm trahit matrimonium cum consanguinea in primo gradu illius, quacum sponsalia contraxisti: hæc autem indecentia semper oritur quoties constat publicè sponsalia valida fuisse, tametsi de facto irrita sint. Unde cùm Concilium dicit ex sponsalibus quacunque ratione valida non fuerint non contrahi hoc impedimentum, intelligendum est verbum *quacumque ratione*, quæ cognoscitur, & scitur.

7. Sed rectiùs meo judicio Navarr. *c.22. num 57.* Petr. de Ledesm. *q.55. art.4. in dubio 1. circa solutionem tertii.* Vemerum *in append. ad speculum fol.76.* Rebell. *lib.3. quæst.14.* Gaspar Hurtado *disp.21. diffic.1. n.4.* Conninch. *disp.32. dub.3. num.69.* Affirmarunt ex prædictis sponsalibus nullum nasci impedimentum. Quia Concilium generaliter dixit, *ex sponsalibus quacunque ratione invalida fuerint nullum impedimentum contrahi.* Ergo absque fundamento restringitur ad ea quæ sunt publice invalida. Alias neque ex sponsalibus validis omnino occultis impedimentum oriretur, siquidem nulla indecentia esset in tali contractu cum consanguineis sponsæ. Quapropter non est spectanda indecentia publica, quæ apud homines oriatur, sed quæ oritur spectato ipso contractu.

8. Deinde est dubium; An ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis oriatur supradictum impedimentum? Affirmat Sanch. *lib.7. disp.68 num.11.* Piasecus *in praxi Episc. 2.p. cap.4.* Laym. *lib.5. sum. tract.10. part.4. cap.9. num.3.* Moventur *ex cap. si quis uxorem. Cap. si quis desponsaver. Et cap. accessit de Desponsat. impuber. & cap. sponsam de sponsalib.* Quibus Textibus constat hoc impedimentum perpetuum esse, nec morte sponsi, vel sponsæ cessare, quinimo nec dissensu unius, ut probat Textus *in dicto cap. accessit.*

9. Sed in contrarium est declaratio sacræ Congregationis apud Farinacium *dicto cap.3.* Et apud Rebell. *in dicto append. lib.4. num.99.* Quæ sic habet. *Si sponsalia solvuntur de consensu Congregatio censuit esse invalida.* Propter hanc declarationem censeo ex sponsalibus, quæ mutuo consensu dissolvuntur, vel quæ dissolvuntur ex causa legitima non oriri dictum impedimentum, quia ea non reputantur à Concilio valida absolutè, & simpliciter eo quòd firmiter, & in perpetuum non valuerint, sed solùm reputantur valida secundùm quid, & pro aliquo determinato tempore, ac proinde ex illis non oritur impedimentum justitiæ publicæ honestatis. Secus est de sponsalibus morte alterius dissolutis; hæc enim simpliciter, & in perpetuum valida fuerunt, ac proinde ex illis impedimentum nascitur. Sic docuit Eman. Sà *verbo Matrimonium*, ubi de impedimentis, dirimentibus, *n.12.* Basil. Ponce *lib.7. cap.36. num.9.* Gutierr. *c.103. n.11.* Gaspar Hurtado *disp.21. diffic.1. n.5.* Rebell. & Farinac. *loc. alleg.*

Punctum XI.

De impedimento disparis cultus.

1 *Explicatur hoc impedimentum.*
2 *Non provenit hoc impedimentum à jure naturali, sed à positivo Ecclesiastico.*
3 *Unde habeatur hæc irritatio?*
4 *Ex dispensatione Pontificis potest fidelis cum infideli contrahere.*

5 *Conjugia fidelium cum hæreticis aliqui cenſent eſſe irrita.*
6 *Contrarium omnino tenendum eſt.*
7 *Satisfit oppoſitis rationibus.*
8 *Quamvis matrimonium Catholici cum Hæretico validum ſit, jure tamen Eccleſiaſtico eſt prohibitum.*
9 *An aliquo caſu liceat? Proponitur dubitandi ratio.*
10 *Spectato jure naturæ licitum eſt aliquando hæc inire conjugia: Et quid ſpectato jure Eccleſiaſtico?*
11 *Apponitur quædam illatio pro declaratione ſuperioris ſententiæ.*
12 *Aliquando poteſt Catholicus cum hæretico matrimonium contrahere, etiam ſtante periculo ſubverſionis, animo tamen firmo ſubverſioni non aſſentiendi.*
13 *In contrahendo conjugio neceſſariò ſervandi ſunt ritus, & forma ab Eccleſia Romana præſcripti.*

1. CErtum eſt apud omnes diſparitatem cultus, quæ intervenit inter perſonam baptizatam cum non baptizata impedimentum eſſe matrimonio contrahendo, eo quòd dedecet poſitâ Chriſti inſtitutione matrimonium in Sacramentum elevante, ut aliquis baptizatus matrimonium ſuſcipiat, quod Sacramentum non ſit. At ſi baptizatus cum non baptizato contraheret, ejus matrimonium Sacramentum non eſſet, eo quòd non baptizatus incapax ſit alicujus Sacramenti recipiendi, & nequit ex parte unius eſſe Sacramentum, & non ex parte alterius, cùm matrimonium unicum, & indiviſibile vinculum ſit afficiens duo extrema.

2. Hoc autem impedimentum non provenit à jure naturali, nam ſtante hac Religionis diverſitate, conjuges obligari poſſunt ad mutuam cohabitationem; debitique redditionem, & prolis educationem, qui eſt finis, & matrimonii eſſentia, tametſi ea habitatio diſcordiis obnoxia ſit, & prolis recta educatio ſatis periculoſa. Hæc enim ſolùm probant ea conjugia plerumque illicita eſſe, non tamen convincunt eſſe irrita. Alias Salomon ducens filiam Pharaonis; & Jacob filias Laban, & Joſeph filiam Putipharis, & Moyſes filias Jethro, & Eſther nubens Aſſuero irrita inirent conjugia, & quod magis eſt ſanctiſſima Monica Auguſtini mater, quæ infideli nupſit, & Clothildes Clodovæo in concubinatu eſſent. Quod non eſt dicendum. Neque his obſtat, quod conjux fidelis privilegio fidei poſſit ab infideli divertere, & matrimonium initum diſſolvere aliud contrahendo, quia hæc poteſtas non contradicit matrimonii eſſentiæ, quæ ſolùm eſt, ut conjuges per ſe obligentur ad mutuam cohabitationem, quacum obligatione optimè ſtat, ut ex accidenti excuſentur. Neque item hoc impedimentum jure Divino poſitivo conſtitutum eſt, quia nullus eſt Textus, ex quo colligitur. Et licèt Chriſtus Dominus matrimonium fidelium in Sacramentum elevaverit, non inde probatur inhabilitaſſe fideles ad ineundum matrimonium, quòd Sacramentum non eſſet. Quæ eſt communis ſententia Canoniſtarum, & Theologorum, teſte Covarruv. *in* 4. *decret.* 2. *p. c.* 6. §. 11. *num.* 1. Matienzo *lib.* 5. *recop. tit. Gloſſ.* 1. *in Rub. n.* 159. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 71. *n.* 7. *& ſeqq.* Baſil. Ponce *lib.* 7. *c.* 47. *n.* 2. *&* 3. Gutierr. *c.* 104. *num.* 1. Coninch. *diſp.* 31. *dub.* 3. *concl.* 1. & aliis.

3. Quocirca ſolo jure Eccleſiaſtico aſſerendum eſt hoc conjugium fidelis cum infideli irritum eſſe, ut prædicti Doctores teſtantur, ex quibus aliqui cenſent jure ſcripto hanc irritationem habere nempe ex Concilio Nicæno primo *can.* 67. *&* 69. Ubi æquè punitur nubens infideli, ac ſi duas uxores acciperet, neque admittitur ad pœnitentiam, niſi infidelem relinquat. Et licèt aliqui de ſeparatione quoad thorum, & habitationem explicent, rectiùs videtur explicandus Textus de ſeparatione matrimonii quoad vinculum, ſiquidem ſic convenit hæc conſtitutio cum *leg. unica. Cod. de nuptiis gentil.* Ubi tanquam adulteria hæc conjugia reputantur. Sed eſto nullus ſit Textus expreſſus, conſuetudine tamen à Romana Eccleſia approbata certiſſimum eſt diſparitatem cultus impedimentum eſſe dirimens matrimonii contrahendi, colligiturque apertè *ex cap.* 28. *q.* 1.

4. Ex his infertur ex diſpenſatione Pontificis poſſe fidelem cum infideli matrimonium inire, ſiquidem ſolo jure Eccleſiaſtico irritum eſt. Quinimo ſi gravis cauſa hujus diſpenſationis intercedat, periculumque perverſionis tum in conjuge, tum in prole caveatur, licita erit talis diſpenſatio, atque ideò non ſolùm validè, ſed licitè contrahi matrimonium poterit, ſicuti notavit Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 71. *n.* 10. Gutierr. *cap.* 104. *num.* 2. Coninch. *diſp.* 31. *dub.* 3. *in fine.* Quod ampliùs conſtabit ex poſtmodum ſubjiciendis.

5. Quoad conjugia fidelis cum hæretico attinet. Aliqui ex Juriſperitis, etſi pauci, ſenſerunt irrita eſſe. Gloſſa *in cap. fin. verbo contra ſubſtantiam de conditionib. appoſitis.* Hoſtienſ. *in c.* 1. *de conjugio ſervorum, num.* 1. Carrerius *de hæreticis n* 157. Simancas *de Cathol. inſtitutionib. c.* 40. *&* 46. Roias *in ſingul.* 228. *n. unic.* Quibus favet *lex* 15. *tit.* 1. *part.* 4. Moventur *ex cap.* 72. Sextæ Synodi generalis in Trullo, ubi hæc verba habentur, *non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica, neque orthodoxam cum viro hæretico copulari.* Sed ſi quid hujuſmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit irritas nuptias exiſtimari, & nefarium conjugium diſſolvi. Expendenda ſunt verba *irritas, & diſſolvi*, quæ nullitatem conjugii demonſtrant. Præterea quæ lege prohibentur ſi fiant, pro infectis habenda ſunt, *lege non dubium, Cod. de legibus.* At matrimonium Catholici cum Hæretico prohibitum eſt tum jure Divino, tum Eccleſiaſtico. Ergo habendum eſt pro infecto, juxta Textum *in capite videtur nobis* 35. *quæſt.* ibi: *Nam quod contra interdictum, & ordinem Eccleſiæ factum eſt ratum non haberi tam Divinæ, quàm humanæ legis proclamat authoritas; quia ea quam inordinatè ſuperduxit prohibitione retinente uxor non eſt.*

6. Cæterùm omnino dicendum eſt matrimonium Catholici cum Hæretico validum eſſe, ut teſtatur Div. Thom. ab omnibus Theologis receptus *in* 4. *d.* 39. *quæſt. unica, art.* 1. *ad* 5. Et ex Juriſperitis ferè omnes, prout eos refert, & ſequitur Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 72. *à n.* 2. Joan. Gutierr. *cap.* 104. *n.* 6. Et alii paſſim. Colligiturque *ex cap. decrevit de hæreticis in* 6. Ubi nubens hæretico dote privatur, non tamen jubetur ſeparari. Probatque uſus, & conſuetudo ab Eccleſia Romana receptus, quo prædicta matrimonia ſuſtinentur, tametſi prohibeantur.

7. Neque his obſtant quæ in contrarium adduximus. Nam canoni 72. Sextæ Synodi reſpondent Sanch, Gutierr. Ægid. & alii nullius eſſe authoritatis, eo quòd ſuppoſititii ſint. Secundò concedendo legitimæ authoritatis eſſe, ut placuit Gratiano *in capite ſextam Synodum, capite habeo* 17. *diſtinct.* Et colligitur ex Anaſtaſio Bibliothecario *in præfat. ad ſeptimam Synodum.* Reſpondeo antiquis temporibus matrimonia Catholici cum Hæretico irrita fuiſſe, ſicuti colligitur ex Conciliis Carthaginen. III. *can.* 12. & Calcedonenſi, *can.* 14. & Illiberitano, *can.* 11. 16. *&* 17. & Agathenſi *can.* 67. In quibus eodem modo de matrimonio cum Hæreticis, ac de matrimonio cum Infidelibus, & Judæis eſt ſermo. At poſtmodum conſuetudine abrogata eſt annullatio matrimonii Catholici cum hæretico perſeverante irritatione, & annullatione fidelis cum infideli. Præterquam quòd nomen hæretici *in prædict. can.* 72. Non incongruè ſumitur pro infideli, uti explicuit Theodor. Balſaminis *in commentario ad Nomocanonem Photii tit.* 12. *de Hæreticis can.* 13. Quem refert, & ſequitur Baſilius Ponce *in append. ad cap.* 46. *lib.* 7. *capite* 1. Et conſentit Reginald. 2. *tit. prax. lib.* 13. *num.* 169. Ad Textum *in capite videtur nobis, & ad legem non dubium.* Reſpondeo facta contra legem habenda pro infectis, quando lex factum irritat, ſecus ſi ſuſtinet. In dicto *c. videtur nobis:* Non ſuſtinetur conjugium, quia factum eſt vivente priori conjuge, & cum conſanguinea.

8. Verum eſto matrimonium Catholici cum hæreti-

co

eo validum sit, jure tamen Ecclesiastico prohibitum est; ut constat ex Conciliis Calcedonensi, *cap.*15. Carthagin. *cap.*12. Laodiceno *c.*10. & 31. Illiberitano *can.*16. Et habetur *cap. non oportuit* 28. *q.*1. & *c. decrevit, de Hæreticis, in* 6. Deinde pluribus placet jure Divino positivo hoc matrimonium interdictum esse illis verbis Pauli 2.Corinth.6. *Nolite jugum ducere cum infideli. Et* 2.Corinth.7. *Si dormierit vir ejus, nubat tamen in Domino*, ut videre est apud Justinian. Cornelium, & Tolet. *in ea loca.* Quinimo jure naturali hæc conjugia prohiberi persuadet periculum perversionis, conjugis Catholici, iniquæ educationis prolis, & minus pacificæ cohabitationis, quod plerumque contingit, ut multis comprobat Basil. *in dicto append. c.*2. *per totum.*

9. Sed an hoc matrimonium ita sit prohibitum, ut nullo casu illud celebrare liceat? difficultate non caret, nam esto aliquando cesset periculum perversionis conjugis, iniquæ educationis prolis, & rixosæ cohabitationis, at negari nequit plerumque tale periculum adesse. Ergo obligatio legis, quæ respicit periculum frequenter contingens, cessare non poterit, ex eo quòd in hoc, vel illo casu periculum prædictum absit. Præterea Hæreticus recipiens, & administrans Sacramentum matrimonii peccat, utpotè qui obstat effectui gratiæ recipiendæ. Ergo etiam peccat Catholicus prædicto peccato cooperans. Item exponitur Catholicus periculo non recipiendi verum Sacramentum matrimonii, si Hæreticus credat non esse Sacramentum à Christo institutum, vel si credat licitum esse libellum repudii, & sub hac intentione contrahat, quia contrahit sub intentione essentiæ matrimonii adversa.

10. Cæterùm omnino dicendum est spectato jure naturæ licitum esse conjugium inire cum Hæretico, & quoties prudenter, & probabiliter creditur periculum subversionis, & iniquæ educationis prolis, & jurgiosæ cohabitationis cessare, sicuti notavit Coninch. *disp.*31. *dub.*3. *concl* 3. & *disp.*26. *n.*21. Nam lex naturalis in tantùm obligat abstinere à prædicto conjugio, quatenus in eo prædictum periculum imminet (ut omnes fatentur) ergo cessante prædicto periculo cessat obligatio abstinendi. Deinde spectato iure Ecclesiastico, si in aliqua Provincia, vel regno hoc periculum credatur ut in plurimum cessare, cessat illius obligatio. Quâ ratione asserunt Azor. *t.*1. *instit. moral. lib.*7. *c.*11. *q.*5. Sanch. *lib.*7. *disp.*72. *n.*5. Gutierr. *cap.*104. *n.*7. Gaspar Hurtado *disp.*24. *difficult.*2. *in fine*, in Germania, Polonia, Gallia, aliisque provinciis, quibus Catholici cum Hæreticis permixtim habitant licita esse coniugia, quia periculum perversionis, & iniquæ educationis prolis, minusque pacificæ cohabitationis plerumque cessat. Sed ut rectè advertit Cornel. in 1.Corinth.7. *circa finem.* Coninch. *disp.*31. *dub.*3. *in fine.* Basil. Ponce *in append. matrimonii Catholici cum hæretico, c.*2. *in fine.* Laym. *lib.*5. *sum. tract.*10. *part.*4. *c.*14. *n.*2. Cautè in hac parte procedendum est. Nam esto plerumque in illa regione periculum absit, ideoque lex Ecclesiastica non videatur obligare: at sæpè in uno, vel altero casu periculum adest, & tunc lex naturalis obligat à tali coniugio abstinere. Præterea esto periculum absit, adest tamen scandalum in tali contractu, maximè si Hæreticus palam hæresim profiteatur. Quapropter ut illud coniugium liceat, periculum subversionis, & scandali abesse debet. Et ex his soluta est prima dubitandi ratio. Ad secundam concedo Hæreticum iniquè Sacramentum matrimonii recipere, nego tamen Catholicum suæ iniquitati cooperari, cùm possit Hæreticus Dei gratia adiutus peccatum illud vitare. Ad tertium satis est, quod Hæreticos velit celebrare matrimonium, prout est ab Ecclesia receptum, quamvis ipse ex errore privato contrarium Ecclesiæ censeat.

11. Ex his manifestè constat quoties periculum perversionis in aliqua provincia communiter cessat, neque cernitur adesse in matrimonio, de quo celebrando tractatur, poterit quis absque ulla dispensatione licitè illud matrimonium inire, quia obligatio tum legis Ecclesiasticæ, tum naturalis prohibentis matrimonium Catholici cum Hæretico eo casu cessat. At si in aliqua provincia, ubi Catholici non permittuntur securè suam Religionem profiteri concedatur aliquibus hæc securitas, rectaque prolis educatio, existimo etsi privatâ authoritate matrimonium contrahere non possit, benè tamen accedente Pontificis dispensatione, siquidem solùm ex obligatione legis Ecclesiasticæ abstinere ab eo coniugio tenebantur. Quando autem censeantur Catholici hanc securitatem habere prudentis arbitrio relinquitur spectatis circumstantiis. Equidem si inter magnos Principes; si fidem dent iuramento firmatam sufficiens securitas reputanda est, maximè si danti fidem interfit illius inviolabilis observatio, ut benè notavit Basil. Ponce *in d. append. cap.*5. *n* 4. & *seqq.*

12. Quinimò verum existimo cum eodem Basilio *cap.*6. & 7. Posse Catholicum cum Hæretico matrimonium contrahere cum periculo subversionis, animo tamen firmo prædictæ subversioni non assentiendi, si ex subeundo eo periculo magni fructus sperentur, ut si speretur multorum Catholicorum conversio, eorum tranquillus status, & Ecclesiæ Catholicæ non leve augmentum, Pontificemque debere in sua lege Ecclesiastica dispensare, quia periculum peccandi subire non est intrinsecè malum, quin ex rationabili causa honestari possit, ut multis exemplis comprobavi *tract. de charit. disput. ult. de scandalo. Et tract. de peccatis disp.*2. *pag.*9. §.3. Et colligitur manifestè ex illo *Judith.*9. Quæ ob populi liberationem periculo non levi amittendæ castitatis se exposuit, & ex illo *Esther.*2. Quæ nubens Assuero absque suæ Religionis manifestatione periculum subiit deferendi Religionem, vel saltem præcepta Divina de ciborum abstinentia transgrediendi, prout hæc omnia ponderat Serarius in prædicta loca.

13. In contrahendo hoc coniugio servandi necessariò sunt ritus, & forma ab Ecclesia Romana præscripti, & nullatenus permittendi qui iniquæ sectæ, & erroris professi fuerint. Illis autem servatis optimè potest Parochus huic matrimonio assistere, & hæreticis licentiam concedere; quia assistit cuidamcontractui de se licito, Sacramentique celebrationi, quæ rectè peragi poterat. Quod verò ab Hæretico iniquè recipiatur, & ministretur nec Parocho, nec Episcopo tribuendum est, ut latiùs prosequitur Basil. Ponce *d. append. cap.*9.

Punctum XII.

De impedimento criminis.

1 *Duplex est crimen inhabiles reddens ad matrimonium.*
2 *Explicatur utrumque crimen.*
3 *Examinatur, an occisio conjugis absque adulterio præstet impedimentum?*
4 *Requiritur ad hoc impedimentum, ut occisio physicè facta sit, vel saltem ejus consilio, & mandato.*
5 *Secundo requiritur, ut occisio fiat intentione ineundi matrimonium cum conjuge superstite.*
6 *Tertiò sufficit sive occisio sit uxoris, sive viri.*
7 *Si utrique matrimonium contracturi infideles sint, cùm adulterium committunt, vel occasionem præstant, verius est impedimentum non esse.*
8 *Ut adulterium impedimentum præstet requiritur matrimonium utrique contracturo esse notum.*
9 *Item est necessarium, ut adulterium copula intra vas fœmineum consummetur.*
10 *Quale debeat esse hoc matrimonium contractum, ex quo hoc impedimentum oriatur.*
11 *Qualis promissio de matrimonio contrahendo. Et primò debet esse externa, & acceptata.*
12 *Aliquibus placet fictam non sufficere. Sed verius est oppositum.*

13 *Non opus est esse promissionem mutuam, etsi aliqui contrarium affirment.*
14 *Debet esse promissio pura, non conditionalis.*
15 *Promissio matrimonii post mortem conjugis est irrita.*
16 *Prædicto impedimento criminis annectitur raptus, uti jam explicatum est.*

1. DUplex est crimen, in cujus pœnam Ecclesia inhabiles reddit reos ad matrimonium contrahendum non absolutè, sed cum ea persona, quacum delinquens contrahere intendens delictum commisit, ut rectè adversus Palacios notavit Sanchez ex communi sententia, *lib.7. disp.78. n.1.* Gutierr. *cap.205. n.25.* Coninch. *disp.31. dub.5. concl.5.* Ratio hujus prohibitionis est, ne spe conjugii futuri conjugi innocenti mors immineat.

2. Primum crimen est adulterium simul cum occisione conjugis proprii, vel alieni. *Cap.1. c. significasti. Cap. super hoc. De eo qui duxit in matrimonium. Cap. de conversione infidelium, c si quis vivente, 31. q.1.* Secundum est adulterium cum promissione factâ de matrimonio post obitum conjugis contrahendo, ut constat ex *c.1. Cap. veniens.* Et præcipuè *ex cap. fin. De eo qui duxit in matrimonium. Et capite relatum 31. quæst.1.* Non sufficit adulterium, ut impedimentum matrimonii contrahatur, sed opus est adulterio occisionem conjugis, vel futuri conjugii promissionem adjungi, ut notatur expressè *in cap. significasti, de eo qui duxit uxorem, &c. Et lege regia, fin. tit.2. p.4.* Juxta quam doctrinam intelligendi sunt Textus *in cap.1. & c. illud verò 30. q.1.* Generaliter asserentes nemini licere ducere eam, quam per adulterium polluit, hoc est si simul cum adulterio mortem viri machinatus est, vel conjugium promisit. *Et cap.1. de eo qui duxit in matrimonium*, ubi inquit Textus, *nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, illam maximè, cui fidem dederat uxore sua vivente, aut quæ machinata est in mortem uxoris.* Verbum illud *maximè* intelligendum est demonstrativè, id est inquam, vel simili quæ prius dicta determinat, ut benè notavit Coninch. *disp.31. dub.5. concl.5. num.64.* Gutierr. *cap.105. num.2.* Et tradit Abbas *dict. cap.1. num.3.* Alexand. de Nevo *num.6.* Præpositi. *num.2.* Neque item sufficit promissio de matrimonio contrahendo, sed necessariò debet adulterio adjungi, ut constat *ex cap. relatum 31. quæst.1. cap.1. cap. veniens. Et cap fin. de eo qui duxit in matrimonium, &c.* Et tradunt omnes Doctores.

3. Dubium autem est: An occisio conjugis proprii, vel alieni absque adulterio præstet impedimentum occisori, ne matrimonium cum conjuge superstite contrahat? Qua in re Sanchez *lib.7. disp.79. n.9.* Refert plures affirmantes adulterium necessariò requiri alios negantes. Sed ipse distinctione utitur. Si enim (inquit) uterque machinatus est mortem conjugis inhabiles sunt ad contrahendum inter se, tametsi adulterium ab ipsis commissum non sit: at si unus ex illis tantùm mortem machinatus est, adulterium adesse debet, ut impedimentum contrahatur. Prior pars videtur manifestè probari *ex c. laudabilem 1. De conversione infidelium*, ubi nullâ mentione factâ adulterii Sarracenos, qui ex mandato & consilio uxorum viros peremerunt matrimoniis cum illis uxoribus interdicitur. Secunda pars scilicet requiri adulterium, quando unus tantùm mortem machinatus est, colligitur *ex c. si quis vivente 30. q.1. c.1. cap. super hoc, c. significasti, de eo qui duxit in matrimonium*, & aliis, ubi semper cum machinatione mortis adulterium conjungitur. Atque ita docent Joan. Andreas *in cap. super hoc, de eo qui duxit in matrimonium. Et cap.1. n.2. de conversione infidelium. Et ibi* Abbas *n.8.* Navarr. *c.22. n.46.* Gregor. Lopez *leg. fin. tit.2. part.4. verbo qualqui era.* Bellarm. *lib.1. de matr. c.22. vers. crimen homicidii.* Valent. *4. t. disp.10. q.5. punct.3. de impedimento criminis.* Tolet. *l.7. c.6. n.3.* Thom. Sanchez *lib.7. disp.78. n.9.* Gutier. *c.105. n.12.* Coninch. *disp.31. n.52.* Basil. Ponce *lib.7. cap.43. num.4.* Gaspar Hurtado *disp.23. difficult.1. n.5.* Layman. *lib.5. sum. tract.10. p.4. c.10. num.2.* & alii.

4. Ut verò hæc crimina occisionis, & adulterii impedimentum pariant aliquæ conditiones requiruntur. Primò requiritur, ut occisio Physicè ab adultero facta sit, vel saltem ejus consilio, & mandato, ut colligitur ex *c. si quis vivente 31. q.1. Et c.1. de conversione infidelium.* Neque sufficit mortem esse attentatam, vel consilium, aut mandatum dedisse, si illius non fuit causa, ut pluribus comprobant Sanch. *l.7. disp.78. à n.5.* Gutier. *c.105. à n.7.* Paulus Layman. *dict. c.10. n.1.* Quinimò secundùm probabiliorem sententiam, quam defendit Glossa *in dict. c. si quis vivente, verbo occidisse. Et c.1. de eo qui duxit, in fine. Et ibi* Abbas *n.ult.* Henriq. *lib.12. c.14. n.2.* Sanch. *dicta disp.78. n.6.* Gutierr. *cap.105. num.8.* Coninch. *disp.31. dub.5. n.50.* Layman. *d.c.10. n.1.* Et alii: Non sufficit ratam habere prædictam occisionem, quia ratihabitio non est causa occisionis, sed supponit occisionem factam. Neque obstat ratihabitionem mandato comparari. *Reg. ratihabitionem. De Regulis juris in 6.* Quia id intelligitur de his quæ solùm à voluntate ratum habentis pendent, vel in iis quæ jure disponente pro mandato reputantur, quod tamen in præsenti non contingit.

5. Secundò requiritur, ut occisio fiat intentione ineundi matrimonium cum conjuge superstite. Nam hoc impedimentum statuitur, ne cupiditate alieni matrimonii coniuges occidantur, qui finis locum non habet in iis, qui ut liberiùs libidini vacent, vel ob vitandam accusationem, vel ob aliam causam coniugem occidunt; uti tradit D. Thom. *in 4. d.37. q.2. art.2.* Paludan. *ibi* Henriq. *lib.12. c.14. n.2.* Valent. *t.4. disp.10. q.5. punct.4.* Sanchez pluribus relatis, *lib.7. disp.78. num.13.* Gutierrez *cap.105. num.16.* Coninch. *disp.31. dub.5. num.51.* Layman. *l.5. sum. tract.10. part.4. c.10. num.2. vers. tertio.* Basil. Ponce *l.7. cap.45. num.5.* Gaspar Hurtado *disp.21.* Intentio verò ineundi matrimonium debet esse cum persona determinata; alias si coniugem occidas animo ineundi matrimonium absque determinatione personæ impedimentum non contrahis, eo quod non censeatur vera contrahendi matrimonium intentio, cum matrimonium esse non possit cum incerta, uti notavit Matienzo *l.5. recopil. tit.1. Rub. gloss. . num.180.* Sanch. *l.7. disp.78. n.18.* Gutierrez *cap.105. num.22.* Ægid. Conmch. *dict. disp.31. dub.5. n.55.* Layman. *dict. cap.10. num.2.* Si tamen occidas animo ineundi matrimonium cum una ex filiabus Petri. Placet Venerum *in suo speculo conjug.1. part.34. in fine.* Sanchez & Gutierrez *suprà*, te impeditum esse à contrahendo cum qualibet illarum, quia omnes nuncupatim, & expressè intentæ fuerunt. Quod difficultate non caret. Nam esto intentæ omnes sint; sunt tamen intentæ sub indifferentia, & indeterminatione, quacum matrimonium consistere nequit. Insuper requirunt Basil. *lib.7. cap.45. num.4.* Gaspar Hurtado *disp.23. difficult.1. num.3.* Intentionem hanc exterius iudicari, quia aliàs ab Ecclesia quæ de occultis non iudicat puniri non poterit. Sed rectius alii Doctores huius limitationis non meminerunt, quia Ecclesia non punit intentionem præcisè, sed occisionem externam eâ intentione factam, cum puniat lege ipsa, & non per sententiam opus non est de intentione constare. Argum. desumpto *ex Clement. 1. §. verùm de hæreticis*, ubi Inquisitores excommunicantur qui odio, vel amore ducti iniustitiam reis faciunt, illud certum in foro externo eam intentionem semper adfuisse præsumitur, quoties occiso coniuge intendit adulter matrimonium cum superstite inire, uti advertit Sotus *in 4. d.37. q.unic. art.4. casu 5.* Sanchez aliis relatis, *dict. disp.78. num.19.* Gutierrez *c.105. n.23.*

6. Tertiò alii è quorum numero est Victoria *in sum-*

ma

ma de matrim. n.292. Ledesm. 2. p.4. q.61. art.2. post 3.propos. Cenedo in sum. Sacram. Ubi de matr. c.5. ad fin. in comment. n.38. Et probabile reputat Henriq. l.12. c.14. n.1. in com. litt. V. Requiritur occisionem debere esse uxoris, non viri Textus in c.1. c.super hoc, c.significasti de eo qui duxit in matrimonium, de sola uxoris occisione loquuntur, qui ad viri interfectionem, utpotè minus frequentem non debent extendi. Sed hæc sententia sustinenda non est, nam esto relati Textus solùm loquatur de uxoricidio ; at Textus in c.si quis vivente 31.q.1. Et c.1. de conversione infidelium, expressè de viricidio loquuntur. Præterquam quòd eadem est ratio,& dispositum in uno correlativo ac in alio censeri debet dispositum. Atque ita docent Glossa in c.fin. de eo qui duxit in matrimonium. Matienzo l.5. recopil. tit.1. Gloss.1. Rubr.n.197. Sanchez innumeros referens dict. disp.78. n.8. Gutierr. c.105. n.10. Coninch. disp.31. dub.5. concl.3. n.55. Basil. Ponce l.7.c.45. n.5. Laym. dict. c.10.n.1. Quod verum habet, tametsi occidens infidelis sit, modò adulter fidelis existat, nam licet Ecclesia infidelium delicta punire nequeat, potest tamen fideles punire si delicto cooperati sint, eos ad matrimonium inhabilitando. Censebuntur autem delicto cooperari, tum si ex eorum consilio mors conjugis evenerit, tum si adulterium commiserint : ut tradit Sanchez lib.7. disp.78. a.3. Gutierr.c.105. n.6. Coninch. disp.31. dub.5. concl.3. Tolet. l.6. sum. c.6. n.2. Philiarc. de offic. Sacerdotis, t.1. 2.p. l.2. c.5. impedim.4.

7. Verùm si utrique matrimonium contracturi infideles sint, cùm adulterium committunt, vel occisionem præstant, vel promissionem faciunt futuri conjugii, verius videtur impedimentum non contracturos postmodum ad fidem conversos, eo quòd delictum ob cujus causam est appositum impedimentum non fuerit in Ecclesia consummatum, hoc est perfectum, & integrè partratum à fideli Ecclesiæ subjecto, uti notavit Sanch. disp.79. n.43. Layman. l.5.sum. tract.10. part.4. c.10. num.6.

8. Quoad adulterium attinet, quod simul cum occisione, vel conjugii promissione conjunctum esse debet : requiritur, ut utrique contractum matrimonium notum sit, aliàs non erit perfectè adulterium præbens occasionem captandæ mortis conjugis, ut colligitur ex cap.1. de eo qui duxit in matrim. Quare si vir conjugatus cum fœmina ignara conjugii copuletur, & animo ineundi cum ea matrimonium suam uxorem interficiat, non erit à conjugio impeditus, quia ex parte fœminæ non fuit adulterium formaliter. Quod verum credo esto fœmina conjugata esset, quia adulterium, quod ipsa committit non potuit esse occasio captandæ mortis conjugi à se ignoratæ, uti notarunt Sanchez d.disp.78. n.12. Gutierr. dict.cap.105. num.14. & 15. Coninch. disp.31. dub.5. num.53. Layman. lib.5. sum. tract.10. part.4. cap.10. n.2. Excusat ab hoc impedimento quælibet ignorantia etiam crassa, & supina secundùm Sanchez disp.79. num.38. Rebellum lib.3. quæst.8. Eo quòd hæc ignorantia non sit juris, sed facti. In facto autem excusat quælibet ignorantia juxta reg.ignorantia de Regul. juris in 6. Præterquam quod hoc impedimentum nascitur ex adulterio, ad quod omnes fatentur dolum esse necessariò requisitum. Ex leg. penult. ff. ad leg. Juliam de adulter. At dolus consistere non potest cum ignorantia. Sed rectiùs Navarr. cap.22. n.46. Valent.t.4. disput.10. q.5. punct.3. Coninch. disp.31. dub.5. n.61. Gaspar Hurtado disp.23. difficult.2. n.7. Et alii plures relati à Sanchez suprà, censent solam ignorantiam, quæ ab adulterii culpa excusat excusare ab hoc impedimento. Cùm autem sola ignorantia probabilis non crassa, & supina à culpa adulterii excuset, sola prædicta ignorantia ab hoc impedimento excusare potest. Neque obstat quod adulterium non reputetur stante qualibet ignorantia ad incurrendas pœnas latas in lege Julia de adulteriis, quia illæ pœnæ, utpotè gravissimæ meritò exigunt adulterium dolo commissum. At hoc impedimentum non tam in pœnam adulterii, quàm pro removenda occasione insidiandi vitæ conjugi statutum est, sufficit ergo adulterium esse culpabile.

9. Secundò est necessarium, ut adulterium copula intra vas fœmineum consummetur, aliàs non erit perfectè adulterium impedimentum præstans, uti docuit Glossa, Cardinalis, Abbas & alii in dicto cap. fin. de eo qui duxit in matrimonium. Sanchez l.7. disp.79. à princ. Gutierr. d. cap.105. num.28. Deinde necessarium est, ut matrimonium verum sit, aliàs re ipsa adulterium non erit, ut docent prædicti Doctores Sanch. num.20. Gutierrez num.14. Tandem requiritur ut adulterium simul cum promissione futuri conjugii, vel conjugis occisione durante eodem matrimonio contingat ; nam si aliquod ex his dissoluto conjugio eveniat impedimentum non præstat, sicuti notarunt Sylvest. verbo Matrimonium 8. q.9. dict.5. Sotus in 4. dist.37. q unica, art.4. Sanchez disp.79.n.5. Coninch. dub.5. n.60. Layman.d. cap.10. n.3.

10. Cùm autem adulterium ut impedimentum sit matrimonii contrahendi requiratur necessariò conjugi occisioni conjugis, vel matrimonio inter ipsos adulteros contracto, vel fidei datæ de matrimonio post mortem ineundo : superest explicandum qualiter hoc matrimonium contrahi, qualiterque fides dari debeat, ut locus sit prædicto impedimento. Aliqui è quorum numero est Gaspar Hurtado disp.23. difficul.2.n.8. censent insufficiens esse clandestinum matrimonium, eo quòd hæc sit pœna quæ restringenda est, & non amplianda, videturque apposita pro matrimonio, quod aliàs validum foret, nisi coniux viveret, quodque solùm præstat occasionem captandæ mortis coniugi. Sed rectiùs Sanchez lib.7. disp 79. n.8. Coninch. disp.31.dub.5. n.65. in fine, censent sufficere quodlibet matrimonium attentatum, etiamsi clandestinum sit : nam Textus hoc impedimentum indicentes solùm ponderant matrimonii attentationem, cum sciant necessariò irritum esse debere, eo quòd vivente coniuge contrahatur. Aliàs si matrimonium attentaretur contrahi cum consanguinea insufficiens esset quod non est dicendum, cum hic contractus esto sponsalia non constituat, præbet tamen sufficientem ansam captandi coniugi mortem.

11. Promissio verò de matrimonio contrahendo debet esse externa, & acceptata, aliàs non est vera promissio, nec de se nata obligationem parere, ut fatentur ferè omnes Doctores. Aliqui scilicet Coninch. disp.31. dub.5. n.58. Basil. Ponce lib.7. c.45. n.2. Rebell. lib.3. q.8. Gaspar Hurtado disp.23. difficult.2.n.9. Censent taciturnitatem esse sufficiens signum consensus, eo quòd ut quid favorabile promittatur. In iis autem quæ ut favorabilia offeruntur consensus præsumitur ex sola taciturnitate. Sed rectius Sanch. disp.79. n.25. Gutierr. d. c.105. n.28. censent insufficientem esse taciturnitatem. Nam esto matrimonium ut quid favorabile offeratur de facto, ut offertur favorabile non est. Tum quia acceptans inhabilis redditur ad illud matrimonium contrahendum & pœnis Ecclesiasticis subiicitur. Tum quia in probabili sententia obligatur ad repromittendum, quod onerosum est. At cum promissio non est gratuita, sed onerosa, onusque continet, non censetur acceptari ex sola taciturnitate, ut tradunt Doctores in regul. Qui tacet, de Reg. Juris, in 6. Et leg. quæ dotis, ff. soluto matrim. Neque obstat quod promissarius ignoraverit onus, quod ex acceptatione promissionis subiit, quia ea ignorantia utpotè iuris non præsumitur, & cum taciturnitas sola iuris præsumptione consensum inferat, nullatenus in præsenti inferre potest.

12. Secundò requirunt plures, ut promissio vera sit scilicet ex animo se obligandi, implendique promissum, quia aliàs non est vera promissio, sed promissionis fictio. Et cum hoc impedimentum adversus promittentes feratur, necessariò debent verè promittentes esse,

quia verba maximè in pœnalibus propriè intelligenda sunt. Et explicari potest exemplo legis inducentis irregularitatem rebaptizantibus, & excommunicationem hæresim proferentibus, qui fictè rebaptizent, vel hæresim proferant, & non ex animo, nulla ex prædictis pœnis ligantur. Atque ita docent Henriq. *lib.12. c.14. n.3.* Sà *verbo Matrimonium*, ubi de impedimentis *n.7.* Man. *1.tit. sum. c 229. n.7.* Gaspar Hurtado *disp.23. difficult.2. n.9.* Et probabile reputat Layman. *lib.5. sum. tract.10. part.4. c.10. n.4.* Sed probabilius est promissionem fictam sufficere ad prædictum impedimentum inducendum, modò fictio exteriùs non appareat, sicuti docuit Sanch. *dict. disp.79. n.10.* Gutierr. *d. c.105. n.28.* Coninch. *dub.5. n.57.* Quia ex promissione seriò facta, & cujus fictio non cognoscitur neque ansa occidendi conjugem nascitur, ac ex vera promissione. Jus autem hoc impedimentum constituit ad dictam occasionem tollendam. Ergo promissioni apparenter veræ hoc impedimentum censeri debet appositum.

13. Tertiò aliquibus placet, neque improbabiliter promissionem debere esse mutuam, ut impedimentum præstet. Nam aliàs non est promissio de se sufficiens ad sponsalia constituenda. Jura autem exigentia ad hoc impedimentum matrimonium de præsenti, vel fidem dari am de conjugio futuro indicant necessarium esse, ut illud matrimonium celebretur, qualiter aliàs esset celebrandum, & ea fides detur, quæ ad sponsalia constituenda sufficit. Sic indicat Glos. *in cap significasti. De eo qui duxit, &c.* Et tradit Bellarm. *l.1. de matr. c.22. casu secundo.* Henriq *lib.12. c.14. num.3.* Ugolin. *de Sacram. tract. de matr. c.19. n.8.* Et inclinat Layman. *d. cap.10. n.4. vers. quinta conditio.* Sed contrarium probabilius censuit Sotus *in 4. disp.37. q.unica, art.4. §. secundus casus.* Angles *in 4.sentent. part.1. ubi de matrim. impedim. q. de divortio ob adulterium, art.3.* Sanch. *lib.7. disp.79. n.20.* Rebell. *lib.3. q.8.* Basil. Ponce *lib.7. c.45. n.2.* Gaspar Hurtado *disp.23. difficult.2. n.9.* Et alii communiter. Colligiturque *ex cap. significasti, de eo qui duxit in matrimonium*, ubi maritus impeditur à matrimonio contrahendo, eo quòd vivente uxore fidem puellæ dederit de matrimonio contrahendo. Neque ibi indicatur puella vicissim suam dedisse fidem. Adde in omnibus hoc impedimentum statuentibus solùm requisitum est adulterium cum promissione conjugii. Ergo si hæc promissio conjugii esse possit, quin mutua sit, ut probabilius defendimus, *disp.1. hujus tractatus*, inter veniente adulterio impedimentum præstabit.

14. Quartò placet Navarr. *lib.4. consil. conf.2. de eo qui duxit.* Rodrig. *cap.129. concl.5.* Sanch. *l.7. disp.79. n.11.* Promissionem conditionatam sufficere ad hoc impedimentum inducendum, eo quòd promissio conditionata vera promissio sit, obligans promittentem conditionis eventum expectare, ideoque ansam præbet mortis conjugi captandæ; quæ est ratio statuendi hoc impedimentum. Sed rectiùs procedunt Coninch. *disp.31. dub.5. n.59.* Gaspar Hurtado *disp.23. difficult.2. n.10.* Quibus adhæret Layman. *lib.5. sum. tract.10. p.4. c.10. vers. sexta conditio*, asserentes promissionem debere esse puram, & aut saltem ante mortem conjugis purificatam, quia esto promissio conditionata obliget expectare conditionis eventum, at pendente conditione nullatenus debet censeri simpliciter, & absolutè promissio. Cùm autem hoc impedimentum promissioni conjugis annexum sit, de promissione vera, & propria, & quæ aliàs conjugii obligationem induceret, intelligi debet. Quippè verba legis maximè in pœnalibus non extendenda, sed potiùs restringenda sunt, & hæc ratio probat, esto ex prædicta promissione daretur ansa occidendi conjugem, quia ob similitudinem rationis non debet fieri in pœnalibus extensio. Præterquam quòd ex promissione conditionata ante mortem conjugis non æquè datur occasio occidendi conjugem, sicuti ex promissione absoluta, siquidem ex prædicta promissione concipitur spes certa conjugii, sed sub dubio, & sub conditionis eventu.

15. Ad extremum observandum est promittentem alteri conjugium post mortem suæ conjugis graviter peccaturum, ut deciditur *in c. fin. de eo qui duxit in matrimonium.* Quinimò probabilius est eam promissionem irritam esse non solùm quando impedimentum præstat matrimonii contrahendi, quòd certissimum est, sed etiam quando ex ea promissione impedimentum non oritur eo quòd non sit occisioni, vel adulterio conjuncta; quia hæc promissio à jure reprobatur, utpotè quæ ansam præbet insidiandi vitæ conjugis, Argum. *cap.2. de concess. præbendæ*, ubi ob hanc causam redditur irrita promissio beneficii vacaturi. Et tradunt in præsenti Abbas *in cap. fin. num.1. de eo qui duxit. Et ibi* Alexand. de Nevo *num.4.* Ancharran. *cap. super hoc, num.2. eodem tit.* Lancellot. *institut. juris Canon. lib.2. tit. de divortiis, §. cum ea autem verbo dederint.* Sanchez *lib.7. disp.79. num.40.* Layman. *lib.5. sum. tract.10. part.4. cap.10. in fine.*

16. Huic impedimento criminis annecti potest impedimentum raptus, quod novo jure Conc. Trid. *sess.24. cap.6. de reformat.* Statutum est inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, de quorum intellectu satis diximus *hac disp. part.1. §.2. à num.20.*

Punctum XIII.

De impedimento Ligaminis.

IMpedimentum ligaminis appellatur ipsum matrimonium rectè contractum, quo ligatur conjux, ne possit eo durante aliud matrimonium inire. Hoc impedimentum non solum jure Ecclesiastico, sed etiam naturali, & Divino statutum est, ut latius diximus, *disp.3.* Ubi de unitate, & indissolubilitate matrimonii. At eo matrimonio dissoluto per mortem cessat impedimentum matrimonii contrahendi.

§. I.

Qualiter constare debeat de conjugis obitu, ut possit superstes aliud matrimonium inire?

1 *Debet esse certus de conjugis morte.*
2 *Aliqui diversam certitudinem requirunt, si authoritate publicâ, & non privatâ matrimonium contrahendum sit.*
3 *Verius est eandem certitudinem requiri sive propria, sive Judicis authoritate contrahatur.*
4 *Prudentis arbitrio remittitur certitudo moralis ad contrahendum matrimonium requisita.*
5 *Unius testimonium sufficere plures affirmant.*
6 *Alii oppositum censent.*
7 *Conciliantur supradictæ sententiæ.*
8 *Qualiter fama de morte conjugis certitudinem moralem præstet?*

1. UT possit conjux secundum matrimonium inire, certus esse debet de morte prioris conjugis, eo quòd novi matrimonii contractus cedit in præjudicium illius, si fortè superstes sit, quique jure suo in casu dubio spoliandus non est. Præterquam quòd præsumendus est vivere, dum contrarium probatum non fuerit, ut constat *ex leg. ult. C. de sacrosanctis, Ecclesiis.* Atque ita tradunt omnes *in c. in præsentia de sponsalib.* Quo Textu corrigitur *lex uxores, ff. de divortiis*, quæ uxori dubitanti de morte conjugis absentis licentiam concedit nubendi post quinquennium expectatum, vel post quadriennium, ut habetur *in leg. uxor, C. de Repudiis.* Itemque correctum est *Auth. hodie Cod. de Repudiis*, ubi

uxori

uxori audienti virum in bello obiisse interdicuntur nuptiæ, quin priùs per se, vel per alium adeat belli ducem, ipséque juret obiisse, & aliorum testimonia recipiat, & insuper expectet per annum. Non enim hanc diligentiam præstare tenetur. Satis enim est, si abundè certa reddatur de morte conjugis, uti decisum est *in dict. cap. in præsentia*, & ita tradunt Gutierr. *l. 2. pract. q. 8. numero 5.* Et *de matr. c. 51. n.* Sanch. *l. 2. disp. 46. n. 1. & 2.* & alii apud ipsos.

2. Dubium tamen est quæ certitudo requiratur de morte conjugis, ut quis possit tum propria aùmoritate, tum authoritate Judicis aliud inire matrimonium. Plures, gravésque Doctores relati à Sanchez *l. 2. disp. 46. numero 5.* censent ad contrahendum matrimonium propriâ authoritate sufficere certitudinem probabilem, secùs verò ad contrahendum authoritate Judicis. Priorem partem probant *ex cap. cùm per bellicam, 34. q 2.* ibi: *Nec tamen culpabilis judicetur qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur assumpsit.* Et *ex c. quoniam, §. Porrò, vers. si autem. Ut lite non contestata*, ibi: *Si autem de carnali conjugio sit agendum, tandiu alteruter conjugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur.* At existimationem, seu verisimilitudinem certitudo probabilis, seu opinio præstat. Ergo hæc sufficit. Præterea operans ex credulitate probabili prudenter censetur operari. Secundam partem probant *ex c. in præsentia de Sponsalibus*, ibi: *Nec permittas eos authoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* Et ratione confirmatur, nam Ecclesia nequit conjugem, quem suâ authoritate in matrimonium conjunxit liberum declarare ad novum matrimonium ineundum, quin ei constet prius dissolutum esse.

3. Cæterùm verius existimo eandem certitudinem requiri, ut quis propriâ authoritate novum contrahat matrimonium, & ut Judex id permittat, eo quòd Textus in *c. in præsentia, de Sponsalibus* æquè de utroque casu loquitur: Inquit enim. *Non possunt tales ad aliorum consortium convolare, nec permittas eos authoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte conjugis, ubi certus nuncius requiritur, tum ut Ecclesia eos contrahere permittat, tum ut ipsi contrahere possint.* Et in *c. Dominus de secundis nuptiis* cavetur, ne aliquis ad secundas nuptias transire præsumat, donec ei constet quod ab hac vita migraverit conjux ejus. Debet ergo certitudo moralis adesse, non solùm ut Ecclesia facultatem contrahendi concedat, sed ut quilibet suâ authoritate contrahere possit. Ratio verò videtur aperta, quia ea quæ solùm præstant probabile judicium de morte conjugis insufficientia sunt, ut conjux suo jure, & possessione spolietur. Nam esto ex judicio probabili quis prudenter operetur ea, quæ in nullius cedunt præjudicium, non tamen ea quæ juri alterius acquisito præjudicant. Neque contrarium probant Textus *in c. cum per bellicam, c. quoniam*, exigunt namque existimationem, & verisimilitudinem non quamcunque, sed certam moraliter, uti tradunt Glossa *in d. c. in præsentia in fine.* Et *ibi* Abbas, & *in d. c. quoniam, numero 12.* Covar. *4. decret. 2. pag. c. 7. §. 3. numero 3.* Gutierr. *2. pract. q. 8. numero 4. & seqq.* Mascard. *de probat. conclus. 107. 4. num. 4.* Sanch. *l. 2. disp. 46 n. 6.* Coninch. *disp. 25. dub. 2. in fine.* Et alii apud ipsos.

4. Quæ autem certitudinem moralem præstent prudentis arbitrio relinquitur spectatis circumstantiis, ut optimè advertunt Covar. Gutier. & Sanchez *suprà*. Et tamen certitudine habitâ poterit conjux ad secundas nuptias transire nullâ licentiâ ordinarii requisita, quia nullibi cavetur hanc licentiam expostulandam esse, sicuti notavit Sylvest. *verb. Matrimonium 8. q. 13. dict. 4.* Gutier. *l. 2. pract. q. 8. num. 9.* & *de matrimonio cap. 51. in fine.*

5. Sed an unius testimonium de morte prioris conjugis sufficiat hanc moralem certitudinem præstare? Affirmant Abbas *in dict. cap. in præsentia. numero 6.* Et *ibi* Hostiens. *ad finem.* Angelus *verbo Matrimonium, 3. impedim. 15.* Veracruz *1. p. speculi, art. 42. concluf. 1.* Gutier. *lib. 2. pract. q. 8. numero 4. & de matrim. c. 51. n. 2.* Moventur *ex dict. c. in præsentia*, ubi solùm certus nuntius exigitur, certus inquam, qui spectatâ qualitate personæ, & modò deponendi prudenter judicetur certum deponere.

6. Alii verò, è quorum numero est Bart. *in leg. 2. §. si dubitetur, n. 1. ff. quemadmodum testamenta aperiantur.* Man. *1. t. sum. capite 233. numero 2.* Sanch. *l. 7. disp. 46. num. 12.* censent unius testimonium, nisi aliis conjecturis adjuvetur insufficiens esse. Ducuntur, quia unius testimonium non plenè probat, sed semiplenè, ideoque solùm probabile judicium generare potest, non certum. Ob quam causam *in leg. jurisjurandi, vers. simili modo, C. de Testib.* Et *c. veniens, in fine, de Testibus*, dicitur vocem unius nullius esse, id est nullius effectus esse ad sententiam proferendam. Si enim in causis pecuniariis ex unius tantum testimonio nequit Judex possidentem suâ possessione privare, quomodo poterit in causa matrimoniali, in qua gravius nocumentum vertitur.

7. Cæterùm hæ sententiæ etsi videantur oppositæ re ipsa conveniunt; nam sententia Bart. vera est, dictum unius testis per se spectatum insufficiens esse, cui non opponitur prior sententia concedens unius testimonium sufficere, quia id concedit quando major probatio haberi non potest, & testis ex modo deponendi certum deponere præsumitur. Quod manifestè colligitur ex *dicto cap. in præsentia*, ubi Textus loquitur de maritis, qui causâ captivitatis, vel peregrinationis septennio aberant, de quorum vita, vel morte uxores certificari non poterant etsi diligentiam adhibuerint. Quo casu decidit Textus, *si certus nuntius adsit*, id est si unus qui fide dignus sit, & verbis verosimilibus de morte conjugis teneatur, sufficiens esse, ut ad secundas nuptias possint transire: sic has sententias conciliat Gutierr. *de matrim. capite 51. numero 2.* & videtur expressum *in lege regia, 5. tit. 17. part. 7.* (Otrosi deçimos que siendo el marido de alguna mujer captivo, oyendo en Romeria, o por otro algun lugar estranno, sija la mujer veniesen nuebas del, o mandado que era muerto, e la persona quæ se lo diçe fuese home de creer, si despues se casase ella con otro maguer no fuese muerto el marido primero, e tornase a ella no la podria acusar de adulterio, por quanto ella se caso cuid indo que lo podia haçer con derecho.) Et ibi Gregor. Lopez adducens Textum *in d. cap. in præsentia de Sponsalibus.*

8. Ex his infertur famam præcisè de morte conjugis insufficientem esse ad secundum matrimonium ineundum, quia fama utpote orta ab incerto Authore, & sæpè fallaci certitudinem moralem non præstat, ut deciditur in *c. vestra de cohabitat. Clericor.* At si hæc fama aliis adminiculis adjuvetur, quæ prudentis arbitrio certitudinem faciant moralem, ut si mors contigerit in bello, vel in loco distanti, vel vir sit senex, vel æger, vel non redit cùm redire promisit, sufficiens videtur, ut possit conjux ad alias nuptias transire, quia fama iis circumstantiis vestita certitudinem moralem præstat, juxta Glossam *in c. quoniam frequenter, verbo præsumatur. Ut lite non contestata.* Et tradit Abbas *in c. in præsentia de Sponsalibus numero 6.* Navar. *cap, 22. numero 53.* Mascard. *concl. 1075. num. 4.* Gutierr. *d. cap. 51. numero 4.* Sanch. *disp. 46. num. 15.* & alii apud ipsos. Fama verò probanda est duobus testibus omni exceptione majoribus, qui deponere debent se à fide dignis audivisse, eséque in illo loco publicum, séque credere rem ita se habere. Quinimò si conjecturæ probabilis mortis conjugis non adsint explicare debent à quibus personis audiverint, nisi fortè sex vel octo testibus fama comprobetur, sicuti hæc omnia latiùs prosequitur Mascard. *concl. 749.* & *concl. 1074.* Thom. Sanchez *d. disputation. 46. numero 16.* Leonard. Lessius, *l. 2. de just. capite. 29. numero 144.*

§. II.

Qualiter pœnæ Jure Civili ſtatutæ fœminis, intra annum luctus ſecundò nubentibus, Jure Canonico correctæ ſint?

1 *Qualiter annus luctus computandus ſit?*
2 *Prima pœna eſt infamia.*
3 *Secunda ne poſteriori viro poſſit in ultima voluntate relinquere ultra tertiam partem ſuorum bonorum.*
4 *Tertia eſt incapacitas cujuſcunque hæreditatis, & legati à quocumque præter maritum relicta.*
5 *Quarta, ut omnia relicta in ultima voluntate à marito priori amittat.*
6 *Quinta, ne conſanguineis ultra tertium gradum ab inteſtato ſuccedere poſſit.*
7 *Sexta, ut filiis prioris matrimonii medietatem ſuorum bonorum concedat.*
8 *Has pœnas non incurrit uxor, ſi primum matrimonium vel ſecundum non ſubſiſtit.*
9 *Hæ pœnæ non extenduntur ad virum, qui intra annum luctus uxorem ducit.*
10 *Omnes prædictæ pœnæ Jure Canonico ſunt correctæ, etſi aliqui contrarium cenſeant.*
11 *Sublatæ ſunt hæ pœnæ non ſolum in foro Eccleſiaſtico, ſed etiam ſæculari.*
12 *Uxor nubens intra annum luctus capax eſt cujuſcumque hæreditatis ſive ab extraneo, ſive a marito relictæ.*
13 *Proponitur quæſtio, An legatum relictum ſub conditione, ne ad ſecundas nuptias tranſeat, quodque intra annum luctus peti non poteſt, correctum ſit Jure Canonico?*
14 *Jure Canonico correcta non eſt prædicta diſpoſitio.*
15 *Qualiter alimenta uxori viduæ præſtanda ſint ab hæredibus mariti, ſi ad ſecundas nuptias tranſeat?*
16 *Quid de veſte lugubri?*
17 *Quid de lecto quotidiano?*

1. PLures ſunt pœnæ jure Civili impoſitæ fœminis intra annum luctus nubentibus, ut conſtat *ex tot. Cod. de Secundis nuptiis.* Annus luctus computatur à die mortis prioris viri, & ignoranti cedit juxta *leg. genero. ff. de his qui notantur infamia.* Hæ pœnæ ſtatutæ ſunt, tum ut filii poſt mortem prioris conjugis nati ad ipſum ſciantur pertinere, tum ne ullus ſuſpicare poſſit uxorem cupiditate novi matrimonii ineundi, viri morti cooperatam eſſe, uti expreſsè deciditur *in lege regia 3. tit. 6. part. 7.* Et *ibi* Gregor. Lopez *in gloſſ. ult.*

2. Prima pœna viduæ nubentis intra annum luctus, eſt infamia, quam incurrit ipſo jure tam ipſa, quàm vir eam ducens, uti habetur *in leg. 1. Cod. de ſecundis nuptiis*, juncto *Authent. de nuptiis §. primæ ſiquidem coll. 4.* Et tradit Bald. *in dicta leg. 1. numero 1. verſ. infamis.* Et *ibi* Salicet, *num. 1. notab. 1.* Requiritur tamen ſententia declaratoria delicti, ſeu facti ſcilicet matrimonio ſecundò contracti, ut rectè advertit aliis relatis Sanch. *lib. 7. diſp. 87. num. 3.*

3. Secunda pœna eſt, ne poſteriori viro poſſit in ultima voluntate relinquere ultra tertiam partem ſuorum bonorum ex dicta *leg. 1. Cod. de Secundis nupt.* Ex quo fit manifeſtè neque in vita poſſe ultra hanc tertiam partem illi donare. Nam cum omnis donatio inter conjuges irrita ſit, niſi morte donantis confirmetur, & hæc confirmari nequit ultra tertiam partem, efficitur ultra tertiam partem donari in vita non poſſe. Atque ita docent Gloſſa *in dicta leg. 1. verbo teſtamento.* Et Salicet. *n. 4. q. 1.* Sanchez alios referens *d. diſp. 87. num. 4.* Quòd ſi mulier ſecundum virum inſtituat hæredem ſuorum bonorum, cenſent Gloſſa, & Salicet, *locis allegatis* validam eſſe inſtitutionem, ne mulier teſtata & inteſtata decedat, at obligari virum hæredibus ab inteſtato omnia reſtituere tertiâ parte exceptâ Bartolo *autem in dicta leg. 1. numero 1.* & Baldo. *numero 10.* placet inſtitutionem valere quoad tertiam partem, & quoad reliquas cedere hæredibus ab inteſtato, quod mihi magis probatur. Neque obeſt quod mulier partim inteſtata decedat ex caſu aliquo ſpeciali, & à lege inducto.

4. Tertia pœna eſt, ut ea mulier nubens intra annum luctus reddatur incapax & inhabilis cujuſcunque hæreditatis, legati, fideicommiſſi, donationis cauſa mortis à quocunque præter maritum hæc relinquantur *ex dict. leg. 1. Cod. de Secundis nuptiis*: ibi: *Omnium prætera hæreditatum, legatorum, fideicommiſſorum ſuprema voluntate relictorum, mortis cauſa donationum ſit expers.* Hæc namque omnia ab hæredibus, aut ab inteſtato ſuccedentibus vindicari jubemus. Notandum inquam eſt verbum *expers*, quod denotat nullam partem in eo relicto habere poſſe, juxta *leg. expertes literarum. Cod. de decurionibus lib. 10.* Item notandum verbum *vindicari*, quod probat in vindicantis dominio rem exiſtere. *Leg. in rem actio. 23. ff. de Rei vindicat.* ac proinde uxorem nubentem nullum dominum in ſibi relicta acquirere, ſed ea omnia hæredibus, vel ſucceſſoribus ab inteſtato competere. Atque ita tradunt *in dicta leg. 1.* Alberic. *num. 1. in fine.* Et *ibi* Cynus *in princ. notab. 3.* & *numero 6. q. 8.* Salicet. *num. 1. notab. 2.* Decius *numero 10. notab. 8.* quos refert, & ſequitur Sanchez *dicta diſp. 87. numero 8.* ubi optimè infert obligatam eſſe uxorem nullâ expectatâ ſententia Judicis hæc ſibi relicta aliis hæredibus, ſeu ſucceſſoribus ab inteſtato reſtituere, utpotè quæ nullum dominium in iis acquiſivit, neque capax eſt acquirendi.

5. Quarta pœna eſt, ut omnia relicta in ultima voluntate à marito priori amittat, ut conſtat *ex dicta leg. 1. Cod. de ſecundis nuptiis.* Exprimitur autem ſpecialiter hæc pœna ultra præcedentem, eo quòd mulier intra annum luctus nubens non redditur incapax donationis inter vivos à quocunque alio præter maritum factæ. At donationis factæ à marito omnino incapax eſt, cùm enim durante matrimonio donata à marito uxori non acquirantur, niſi morte confirmata ſint, in morte autem incapax ſit cujuſcunque à marito relicti, fit ſanè nihil à marito donatum retinere poſſe, ſed omnia hæredibus, vel ſucceſſoribus mariti obligatam eſſe reddere, ut expreſsè habetur *in lege regia 3. tit. 12. p. 4.* ibi: (debe de perder las arrhas, y la donaçion que le fiçio el marido finado, y la otras que le fiço el marido finado. Y las otras coſas que le hubieſe dexado en ſu teſtamento, e deben las de aver los fijos que fincaren del, y ſi fijos no dexare los parientes que hubieren de heredar lo ſuyo.) Atque ita tradunt Bald. *in dicta leg. 1. num. 6.* Et *ibi* Decius *num. 5. notab. 13.* Surdus *de aliment. tit. 7. q. 22. num. 14.* Sanchez aliis relatis *d. diſp. 87. num. 10.* & *numero 13.* rectè advertit hæc intelligenda eſſe de donatis titulo lucrativo, non oneroſo, quia de his tantùm prædicta lex 1. loquitur, ideóque non comprehendit ſponſalitiam largitionem, quia hæc non titulo lucrativo, ſed remuneratorio conceditur. Et præcipuè quia hæc conſtante matrimonio acquiritur uxori, unde eâ privari non poteſt niſi accedente ſententiâ condemnatoriâ, vel ſaltem declaratoriâ criminis, ſeu facti.

6. Quinta pœna eſt, ne conſanguineis ultra tertium gradum ab inteſtato ſuccedere poſſit; habetur *in dicta leg. 1. Cod. de ſecundis nuptiis*, & docent *ibi* Baldus *num. 8.* Decius *num. 20.* Sanch. *num. 15.*

7. Sexta eſt, ut filiis prioris matrimonii medietatem ſuorum bonorum concedat. *Leg. ſi qua mulier. 4. Cod. ad Senatus Conſult. Tertullianum.* Et §. *primæ ſiquidem, Authent. de Nuptiis, collat. 4* Hæc autem qua ratione pœna eſt, & non declaratio bonorum, quæ aliàs filiis competunt neceſſariò requirit ſententiam ſaltem declaratoriam, cum ſit privatio juris jam legitimè quæſiti.

8. Has tamen pœnas non incurrit uxor ſecundum, proba

probabiliorem sententiam ; si matrimonium primùm nullum fuit , quia re ipsa non nupsit secundò,& docuit aliis relatis Ripa *in Rub. de secundis nuptiis, num.* 14. Et idem videtur dicendum , si matrimonium secundum non subsistit , esto primum legitimum fuerit , quia re ipsa secundò non nupsit. Et licèt priori viro injuria facta sit , & fortè gravior contrahens irritè secundas nuptias,non obinde infertur afficiendam esse pœnis impositis secundo nubentibus, cùm ipsa solùm apparenter nubat, & non verè, & propriè. Verum in foro externo digna est , ut prædictis pœnis afficiatur , sicut notavit Sanchez *disputat.* 87. *num.* 18.Neque item in prædictas pœnas incidit conjux secundò nubens , si primum matrimonium consummatum non fuit , vel secundum intra annum luctus non consummetur. Nam cùm hæc lex pœnalis sit,& libertati matrimonii non leviter obstans, verba illius in omni proprietate sumenda sunt. At hæc *lex* 1.*Cod.de secundis nuptiis* utitur verbo *maritus*,& verbo *nuptiarum* , quæ solùm matrimonio post consummationem applicantur.Atque ita defendit aliis relatis Sanchez *d. disp.*87. *nu.* 19. Quod verò vidua ætatis minoris sit,si secundò nubat intra annum luctus , nullatenus à prædictis pœnis ob eam causam excusari poterit,quia *dicta lex* 1. generaliter,& indistinctè loquitur,sicuti notarunt Bald. *ibi. post princ.* Et Decius , *numero* 2. & 21.

9.Illud est ferè apud omnes certum teste Sanchez *lib.* 7. *disp.* 87. *num.* 20. nullo modo has pœnas esse extendendas ad virumqui intra annum luctus uxorem secundò ducat , ut expressè notarunt *in* §. *primæ siquidem. Authent. de Nuptiis,coll.*4. ibi:*Sed viri quidem ibant omni observatione securi.* & colligitur ex *dicto leg.* 1. *Cod. de secundis nupt. & leg. si qua mulier. Cod. ad Senatus. Consultum Tertullianum* , quæ expressè de uxore loquuntur,& licèt dispositum in uno correlativo in alio censeri debeat dispositum , id subintelligitur quando est eadem ratio in utroque , quæ tamen non est in præsenti cùm fœminis competat viros lugere , ac proinde à nuptiis abstinere. Secùs verò viris qui lugere uxores non compelluntur, *leg. uxores. ff. de his qui notantur infamia.* His positis.

10.Etsi aliqui censeant Jure Canonico prædictas pœnas corrigi non posse , cùm non tendant ad impediendum matrimonium absolutè , sed ad impediendam illius acceleration em. Alii verò judicent solam pœnam infamiæ sublatam esse, siquidem illius tantùm mentio facta est *in c. finali, De secundis nuptiis.* At verissima, communissimaque sententia docet omnes prædictas pœnas correctas esse , quod optimè potuit præstare Jus Canonicum , tum ut libertati matrimonii faveret , tum ut periculum peccandi in viduis evitaret , quæ rationes æquè in aliis pœnis , ac in pœna infamiæ procedunt, cùm ex timore aliarum pœnarum detineri conjux posset, etsi tentationibus carnis vexata , à matrimonio contrahendo. Sic pluribus relatis Covarruv.*in* 4. *decret. 2.p. c.* 3. §. 9. *numero* 5. & 6. Greg. Lopez *leg.* 3. *verbo fasta un anno tit.* 12. *part.* 4. Gutierr. *in leg. nemo potest. ff. de legatis* 1. & *de matr. c.* 208. *numero* 3. Sanchez innumeros referens, *lib.* 7. *disp.* 87. *num.* 13.& expressè decidit *in leg. regia. 3. tit.* 1. *lib.* 5. *novæ collect.* ibi : (Mandamos que las mujeres viudas puedan libremente casar dentro del anno , &c. sin alguna pena , y sin alguna infamia , &c. no obstante quales quier leyes defueros y ordenamientos , y otra quales quier leyes,&c.) Quod adeò verum est , ut esto vidua nubat in ea parte anni , ut meritò dubitari possit à quo proles sit an à priore , vel posteriori marito , non obinde in aliquam pœnam incurrit. Quia Textus in *dicto c. fin.* & lex regia indistinctè, & generaliter facultatem nubendi concedunt , neque ad aliquam anni partem restringunt , ut alios referens docet Covarruv. *in* 4. *decret.* 2. *p. c.* 4. §. 9. *numero* 3. Anton. Gabriël *lib.* 3 *comm.opin. tit. de secundis nuptiis, concl.* 5. *numero* 6. Sanchez. *lib.* 7. *disput.* 87. *numero* 26. Gutierr. *c.* 108. *numero* 7.

11. Neque solùm hujusmodi pœnæ sublatæ sunt quoad forum Ecclesiasticum,sed etiam quoad forum sæculare,alias si in foro sæculari observandæ essent,meritò vidua à contrahendo matrimonio detineretur , ne legalis infamiæ , aliarúmque pœnarum jacturam in illo foro sustineret contra Textum *in dicto c. fin. De secundis nuptiis.* Atque ita ut certum tradit Glossa *ibi.* Joann. Andreas *numero* 5. Alexand. de Nevo *numero* 12. Petr. Surdus *de aliment. titul.* 7. *quæst.* 22. *numero* 15. Sanch. *lib.* 7.*disputat.* 87. *numero* 27. Gutierr. *capite* 108. *numero* 8.

12. Ex quo fit uxorem intra annum luctus nubentem non solùm capacem , & habilem esse cujuscunque hæreditatis , & legati , seu donationis causâ mortis ab extraneo relictæ, sed etiam relictæ à marito ; quia hæc inhabilitas ,pœna gravissima erat , retardaréque poterat à matrimonio , ideóque sublata est ab Ecclesia , ut aliis relatis docuit Sanchez *numero* 25. Gutierr. *numero* 5. Et eadem ratione sublata est pœna , de qua *in leg. si qua mulier.* 4. *Cod. ad Senatus. Consultum. Tertullian.* Et *in Auth de nuptiis.* §. *primæ siquidem, coll.* 4. nempe quod mulier intra annum nubens teneatur medietatem suorum bonorum filiis prioris matrimonii concedere, quia hæc etiam est pœna in odium festinationis nuptiarum inducta , ideóque abroganda sicut & aliæ pœnæ , ut notarunt aliis relatis Sanchez *num.* 28. Gutierr. *d. cap.* 108. *num.* 9.

13. Supersunt aliquot quæstiones. Prima , An ex *dicto c. fin. de secundis nuptiis*, & *leg. regia* 3. *tit.* 1. *lib.* 5. *collect.* correctum sit Authent. *cui relictum. Cod. de indicta viduit. tollenda.* Et Authent. *de nuptiis.*§.*quæ verò,verf. unde sancimus , collat.* 4. quibus statuitur legatum conjugi ab altero conjuge , seu extraneo relictum sub conditione , ne ad secundas nuptias transeat , minimè peti posse intra annum luctus , nisi spes nuptiarum deficiat; at transacto anno peti posse præstitâ ratione de re cum fructibus restituenda, si conditioni paritum non fuerit? Videtur namque correctum esse , eo quòd absque causa legatarius impediatur à petitione legati toto anno luctus , cum tamen legatum , cui nullum tempus à testatore designatum est statim legatario cedat. Quod si dicas impediri à petitione legati eo anno , quia præsumitur durante anno abstinere à nuptiis potius timore pœnarum , quàm ob retinendum legatum ? Obstat , quia prædicta lex æquè de legatis viro ac uxori relictis loquitur , cùm tamen vir ducens uxorem intra annum luctus nullas incurrat pœnas. Non igitur in timore pœnarum fundari poterat prædicta prohibitio, ac proinde ut contraria nuptiis censeri debet abrogata.

14. Cæterùm tenendum est prædictam legem Jure Canonico , aut regio correctam non esse , eo quòd nullam pœnam contineat , sed dispositionem voluntati testatoris maximè faventem. Quippe cùm testator velit legatum legatario acquiri sub ea conditione abstinendi à nuptiis , & huic voluntati faveat maximè,ne legatum statim concedatur , illius enim detentione per annum legatarii voluntas abstinendi à nuptiis cognoscitur , fit sanè Jure Canonico , aut regio eam dispositionem nullatenus corrigi. Et licèt leges Imperatorum quatenus tales sunt , nullam vim in Hispania obtineant , attamen ut sunt rationi naturali conformes , neque legibus Hispaniæ contrariæ omnino servantur , ut latè probat Burgos de Paz *in leg.* 1. *Tauri a num.* 520. Cùm ergo dispositio Authent.*cui relictum* nec pœnalis sit, nec contraria Juri Canonico , aut nostro regio servanda est. Atque ita tradit Acosta *in leg. cùm tale* §. *si arbitratu, num.* 33. *ff. de conditionibus & demonstrat.* Sanch. *lib.* 7. *disput.* 87. *num.* 19. Gutierr.*dict. c.* 108. *num.* 10. *& sequentibus.*

15. Quæstio secunda est circa alimenta uxori viduæ præstanda ab hæredibus mariti. Etenim hæredes majori obligantur uxori superstiti dotem consistentem in bo-

nis

nis immobilibus ſtatim tradere, at conſiſtentem in bonis mobilibus, ſe moventibus, & incorporabilibus poſt annum à die mortis mariti, juxta *leg. unic. §. exactio Cod. de rei uxoriæ actione, & legem regiam penult. tit.* 11. *part.* 4. A qua veriſſima doctrina duo caſus excipiendi ſunt in quibus bona dotalia mobilia ſtatim poſt mortem mariti ſunt reſtituenda. Primus, ſi in teſtamento ea bona præcipiantur à marito uxori reſtitui. Ut enim legatum illud aliquid operetur. Statim ea bona reſtituenda ſunt, juxta *leg.* 1. *ff. de Dote prælegata,* & *§. ſed ſi uxori inſtit. Ad leg. Falcidiam.* Et tradit Surd. *de aliment. tit.* 7. *q.* 22. *num.* 11. *&* 12. Barboſa *in leg.* 2. *ff. Soluto matrimonio, num.* 36. Secundus eſt, ſi maritus promiſit dotem ſoluto matrimonio reſtituturum, quia illa promiſſio ut aliquid operetur videtur facta de reſtituenda ſtatim dote, dilationíque legali renunciatum, Juxta Bart. *in leg. ſi divortio. n.* 5. *ff de verbor. obligationib.* Et tradit Barboſa *ſupra*, & Gutierr. *d. c.* 108. *num.* 17. Interim autem quod dos in his rebus mobilibus conſiſtens non reſtituitur, obligantur hæredes mariti pauperem uxorem ſuperſtitem alere ex ſententia Gloſſæ communiter receptæ *in dicto §. exactio, verbo reſtituendis.* Et *in leg. divortio, gloſſ.* 2. *ff. ſoluto matr.* Et tradit pluribus relatis Matienzo *in leg.* 3. *gloſſ.* 2 *n.* 19. *tit.* 1. *lib.* 5 *novæ collect.* Barboſa *in leg.* 2 *in princ. n.* 16 *ff. ſoluto matrim.* Verùm ſi prædicta vidua intra annum luctus nubat, ceſſat obligatio in hæredibus eam alendi, tametſi dotem intra illum annum non reſtituant, ſicuti non obligantur reſtituere niſi in caſibus ſupradictis, ut relato Jaſon. *in §. fuerat. num.* 35. *inſtit. de actionib.* docuit Matienzo *ſupra num.* 34. Barboſa *num.* 31. Covarruv. 2. *pag. decretal. cap.* 3 §. 9. *numero* 9 Surd. *de alimentis. tit.* 7. *q.* 22. *numero* 9. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 87. *n.* 30. Gutierr. *cap.* 108. *num.* 14. & alii apud ipſos. His poſitis.

Dubium eſt; An hæc adverſentur diſpoſitioni *cap. fin. de ſecundis nuptiis*, ſiquidem viduæ tranſeunti ad ſecundas nuptias intra annum luctus denegantur alimenta alioquin præſtanda? Sed dicendum eſt nequaquam *prædicto c.* adverſari, neque illam conſuetudinem ullo Jure Canonico torrigi. Quippè viduæ pauperi ad ſecundas nuptias tranſeunti non denegantur alimenta ab hæredibus mariti in pœnam, ſeu odium feſtinati matrimonii, ſed quia jam marito competit obligatio alendi. Quare ſi ab hac obligatione maritus excuſetur, eo quòd inops ſit, hæredes prioris mariti dum dotem non reſtituunt, ceſſare non debent ab alimentis præſtandis. Sic Antonius Cuchus *l.* 5. *inſtit. major. tit.* 12. *n.* 190. Matienzo *in leg.* 3. *gloſſ.* 2 *n.* 19. *tit.* 1. *lib.* 5. *recopil.* Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 87. *n.* 30. Gutierr. *c.* 108. *num.* 18.

16. Quæſtio tertia eſt circa veſtes lugubres, quas hæredes mariti defuncti uxori ſuperſtiti concedunt. Qua in re variæ ſunt ſententiæ, ut videre eſt apud Matienzo *dicta leg.* 3. *gloſſ.* 2. *à num.* 39. Covarrvu. 4. *decret.* 2. *part. c.* 3. §. 9. *numero* 10. Gutierr. *lib.* 2. *pract.* 9. *q.* 95. *à. n.* 6. Antonius Cuchus *lib.* 5. *inſt. majorat. tit.* 12. *num.* 190. Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 87. *numero* 32. Alii aſſerunt hæredes mariti obligatos eſſe uxori ſuperſtiti veſtes lugubres concedere, quando obligati ſunt alimenta præſtare. Alii cenſent ſemper eſſe obligatos viles, & ordinarias veſtes concedere, ſecùs magni valoris. Quod ſi nubat obligatam eſſe hæredibus reſtituere eas veſtes pretioſas, ſecùs viles, quia pretioſæ videntur ſub ea conditione donatæ, viles autem abſolutè. Ego verò exiſtimo in hac parte ſervandam eſſe conſuetudinem. quod ſi, de conſuetudine non conſtet, credo probabilius nullatenus viduam tranſeuntem ad ſecundas nuptias obligatam eſſe has veſtes lugubres ſive modici, ſive magni pretii hæredibus reſtituere. Nam ſi hæredes obligati erant vel ex conſuetudine, vel titulo alimentorum has veſtes lugubres uxori ſuperſtiti concedere, non poſſunt ab ea tranſeunte ad ſecundas nuptias repetere, quia eo caſu loco alimentorum ſuccedunt, quæ ſemel præſtita nunquam reſtituuntur. At ſi hæredes abſque ulla obligatione has veſtes lugubres uxori ſuperſtiti conceſſerint, cùm ea conceſſio facta non fuerit ſub expreſſa conditione, ne ad ſecundas nuptias tranſeat, non videtur uxor obligata ad eas veſtes reddendas. Verùm caſu quo uxor tranſiens ad ſecunda vota, & infra annum luctus teneantur prædictas veſtes lugubres reſtituere, ut placet pluribus relatis à Sanchez *dicta diſp.* 87. *numero* 31. nequaquam excuſatur ab hac obligatione ex *dicto c. fin. de ſecundis nuptiis*, quia hæc reſtitutio non eſt ob pœnam ſecundarum nuptiarum, ſed quia ſecundis nuptiis contractis defecit conditio ſub qua veſtes illæ conceſſæ erant. Atque ita docent Anton. Cuchus, Matienzo Gutierr. & Sanch. *loc. alleg.*

17. Quæſtio quarta eſt de lecto quotidiano, quod ex bonis conjugis defuncti tradendum eſt ſuperſtiti juxt. *leg.* 6. *tit.* 6. *l.* 6. *fori.* Quæ ſic ait. Si el marido, o la mujer muriere el lecho que avia quotidiano ſinque al vivo, y ſi ſe caſare tornelo à particion con los herederos del muerto:) an inquam hæc obligatio reddendi lectum jure Canonico abrogata ſit; Et dicendum eſt nequaquam abrogatam eſſe, quia hæc obligatio tam virum, quàm fœminam ad ſecunda vota intra annum luctus tranſeuntem reſpicit, cùm tamen pœnæ jure Civili inductæ ſolam uxorem aſtringant. Præterea hæc obligatio non eſt pœna nuptiarum, ſed legalis quædam diſpoſitio concedens conjugi infra annum à nuptiis abſtinenti lectum ex bonis conjugis defuncti. At tranſeunti ad ſecunda vota intra illum annum medietatem tantùm, uti ex communi ſententia tradit Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 87. *numero* 32.

Nomine lecti quotidiani non venit intelligendum ſericum, & pretioſum, quo tempore matrimonii conjuges utebantur, ſed quod fuerit conveniens ſtatui viduali juxta perſonarum qualitatem, ut pluribus firmat Monech. *lib.* 4. *præſumpt.* 134. *num.* 5. Gutierr. *lib* 2. *pract. q.* 93. *numero* 6. Sanch. *diſp.* 87. *num.* 32. Sed an veniat intelligendus cancellus, hoc eſt *cama de madera?* Neget Queſada *lib. diverſar. quæſtion c.* 28. *circa finem.* Gutierr. *lib.* 2. *pract. q.* 95. *in fin. n.* 22. Argum. *leg. hæres meus.* §. *fin. ff. de legatis* 3. ubi ideò cenſentur legati lecti teſtitudinei, etiamſi habeant pedes inargentatos, quia illorum fuit facta expreſſa mentio. Cùm ergo in hoc legato nullius fiat mentio cancelli, hic non venit intelligendus. Sed hoc argumentum non urget, expreſſio namque lecti teſtitudinei inducit obligationem concedendi cancellum quantumvis ornatum, qui deficiente expreſſione concedendus non eſſet, benè tamen communis, & vulgaris. Nam cùm lecti omnes frequenter & inplurimum habeant cancellum legato lecto ea omnia intelligenda ſunt, quæ lectum communiter componunt. Si enim (ut inquit Gutierr. & Queſada) comprehenduntur pulvinaria, hoc eſt *almoadas, y colchones*, ſyndones, & lodices, id eſt *mantas y ſabanas* ex Textu & Gloſſa. *in leg. in ſtatum ff. de Verbor. ſignific.* & ornamenta lecti, id eſt *cortinas de la cama cobertor*, per Textum *in leg. librorum. Paragr. ſin. ff. de legatis.* 3. cur non armatura lecti comprehendi debeat, cùm abſque illa nullus ferè lectus conſiſtat?

Hic lectus deducendus eſt ex bonis conjugis defuncti ſuperlucratis, ſi adſint, ſin minus ex capitali ei competenti debitis ex juſtitia prius ſolutis. Quod ſi ad horum ſolutionem bona illius præter lectum inſufficientia ſint, non eſt lectus concedendus, quia hujuſmodi lectus conceditur per modum ſucceſſionis, & hæreditatis, ut indicat titulus, & Rubrica *de las herençias*, ſub quo lex collocatur. At hæres, & ſucceſſor nemo eſſe poteſt bonorum defuncti niſi ære alieno deducto, quia illius bona tantùm ſunt quæ ſuperſunt deducto ære alieno. Ex *l. ſub. ſignatum*, §. *bonn. ff. de Verbor ſignificat. Leg. fructus, ff. ſoluto matrimonio.* Et aliis relatis à Baeza *de non meliorandis ratione dotis filiabus, c.* 22. *à n.* 1. *& ſeqq.* Atque ita tradit Gutier. *lib.* 2. *pract. q.* 94. *per totam*, Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 87. *num.* 32. Zevallos *in ſuis qq. pract. q.* 1. *num.* 10.

Prædictum

Prædictum lectum conjux superstes accipit præstitâ cautione de illo reddendo ad partitionem, si ad secunda vota transeat scilicet intra annum luctus, ut advertit Gutierr. *d. lib. 2. pract. q. 95 num. 15.* Quare si vir, vel fœmina ad secunda vota intra annum luctus transierit statim tenetur in conscientia lectum acceptum reddere, ut inter ipsum, & mariti hæredes dividatur, id enim indicant illa verba. (Et si se casare tornelo a particion con los hærederos del muerto.) Quid enim est inquit Gutierr. *suprà.* (Tornelo a particion con los hærederos del muerto,) quàm ipsum dividere cum eisdem saltem in æstimatione? Sed hoc intelligendum videtur casu quo ex bonis super lucratis deductus sit, quia eo casu dividendus erat. Nam si nulla superfuerunt bona superlucrata, sed ex capitali defuncti fuit luctus deductus, placet Gutierr. *d. q. 95. à num. 17.* integrè hæredibus defuncti esse reddendum, quia seclusâ hac lege integrè illis competebat. Quod certè difficultate non caret, cùm lex de quolibet lecto sive ex bonis superlucratis, sive ex capitali defuncti deducto absolutè statuat reddendum esse non ut cumque, sed ad partitionem, hoc est ut inter ipsum, & hæredes defuncti dividatur.

§. III.

Quæ sint pœnæ Iure Civili statutæ in favorem filiorum prioris matrimonii, & an hæ Jure Canonico abrogatæ censeantur?

1 *Prima pœna. Conjux transiens ad secundas nuptias amittit proprietatem omnium bonorum, quæ à conjuge defuncto habuit, reservantúrque filiis prioris matrimonii retento solo usufructu.*

2 *Secunda. Ne conjux sive vir, sive fœmina secundum matrimonium contrahens possit dare novo conjugi plus quàm dederit uni ex filiis prioris matrimonii, cui minus dedit.*

3 *Tertia. Secundò nubens amittit filiorum tutelam.*

4 *Non sufficit ad amittendam tutelam matrimonium esse ratum, etsi aliqui contrarium opinentur.*

5 *Transitu facto ad secundas nuptias ipso jure amittitur tutela.*

6 *Si maritus uxorem tutricem filiorum relinquat in testamento, communis sententia defendit ipso jure amitti tutelam.*

7 *Si exprimit esto ad secunda vota transeat, probabilius est officio Judicis expelli à tutela debere.*

8 *Plures docent hanc pœnam extendi ad patrem secundam uxorem ducentem. Sed oppositum tenendum est.*

9 *Quarta pœna. Vidua filiorum tutrix transiens ad secundas nuptias, quin prius adeat Judicem incidit in omnes pœnas, quæ viduis infra annum luctus nubentibus impositæ sunt.*

10 *Quinta. Aliquibus placet matrem transeuntem ad secundas nuptias amittere testamenti executionem. Sed contrarium tenendum est.*

11 *Potestas testandi uxori à marito concessa non expirat ob transitum ad secundas nuptias.*

12 *Sexta pœna est privatio educationis filiorum.*

13 *Per transitum ad secundas nuptias non privari educatione filiorum, sed venire privandam plures Doctores censent.*

14 *Probabilius existimo ipso jure privatam esse educatione, nec Judicem posse ei illam concedere.*

15 *Satisfit oppositis fundamentis.*

16 *Hæc pœna non extenditur ad patrem transeuntem ad secunda vota.*

17 *Septima pœna asseritur à pluribus esse, ne possit mulier secundò nubens exemplariter substituere, filio mente capto, muto, & surdo, &c.*

18 *Hanc sententiam admittit* Greg. Lopez, *cum substitutio iniquo animo præsumitur facta.*

19 *Verius est non privari matrem secundò nubentem potestate exemplariter substituendi.*

20 *Suppositâ priori sententiâ est gravis quæstio, an substitutio exemplaris facta à matre vidua reddatur irrita ipsa postea ad secundas nuptias transeunte. Et referuntur plures sententiæ.*

21 *Verius est substitutionem evanescere.*

22 *Pater secundò conjugatus non privatur potestate exemplariter substituendi in omnium ferè sententia.*

23 *Octava pœna solet assignari privatio succedendi in tacita pupillari substitutione. Sed non est admittenda.*

24 *Nona pœna est privatio privilegii honoris mariti.*

25 *Decima, ne teneatur filius alioqui dives dotem suæ matri pauperi secundò nubenti constituere.*

26 *Undecima. Ne ue ad secundas nuptias transiens donationem filio factam revocare ratione ingratitudinis.*

27 *Duodecima est amissio tacita hypothecæ, quam vidua habet in bonis mariti juriſque prælationis. Sed non admittitur.*

28 *Decimaterta est tum obligatio, quam pater habet rogatus ab avo restituendi hæreditatem filiis, tum obligatio præstandi cautionem de bono usu ad venditionem.*

29 *Decimaquarta est obligatio, quam subit mater filii bona administrans de modicis.*

30 *Possunt conjuges se obligare sub aliqua pœna abstinere à secundo conjugio priori dissoluto.*

31 *Prædictæ pœnæ Jure Canonico non sunt irritæ.*

1. SAnch. *lib. 7. disp. 88. à num. 2. usque ad 37.* refert has pœnas, easque optimè explicat, ideóque ejus ordinem sequemur.

Prima igitur pœna est, ut conjux transiens ad secundas nuptias amittat proprietatem omnium bonorum quæ conjuge defuncto habuit, reserventúrque filiis prioris matrimonii retento solo usufructu, juxta *l. fœminæ, C. de secundis nuptiis,* & tradit Gab. *lib. 3. commun. opin. tit. de secund. nupt. concl. 1. à n. 18.* De qua pœna agemus §. *sequenti.*

2. Secunda ne conjux sive vir, sive fœmina secundum matrimonium contrahens possit dare novo conjugi in dotem, vel alio titulo plus quàm dederit sive in vita, sive in morte uni ex filiis prioris matrimonii cui minus dedit: sic habet *in l. hac edictali 6. in princ. C. de secund. nupt.* Quod si plus dederit, ea parte quâ excessit irritum erit, reliquum verò firmum subsistet, ut colligitur *ex de hac edictali 6. in princ. C. de secund. nupt.* Et *ibi* Glossa, Alexand. de Nevo *c. fin. num. 8. de secund. nupt.* Et docuit Anton. Gab. *t. 3. comm. opin. lib. 3. tit. de secund. nupt. concl. 4.* Sanch. *d. lib. 7. disp. 88. num. 3.*

3. Tertia. Mater secundò nubens amittit filiorum tutelam, *l. fin. & Auth. Sacramentum. C. quando mulier tutelæ officio, & Auth. ut sine prohibitione matris, §. un. collat. 7. & l. 5. tit. 16. part. 6.* Et idem intelligendum est, si curatrix filiorum sit, quia dispositum in tutela censetur in curatoria dispositum, Argum. *l. quod si nolit. Paragr. quod in procuratore, ff. de Ædilitio edicto.* Et docet Glossa *in Auth. matri, & aulæ verbo tutelam, C. quando mulier,* Decius *in c. ex parte M. de appellationibus* Greg. Lopez *in l. 4. verbo la guarda, tit. 16. p. 6.* Sanch. alios referens *d. disp. 88. num. 11.* Amittit inquam non per sponsalia de futuro, quia hæ non sunt nuptiæ, sed nuptiarum promissio. Et *Auth. Sacramentum,* expressè dixit contractis secundis nuptiis. Quod adeò verum est, ut nec Judex negare ei tutelam possit ob sponsalia contracta, quia usque hæc perficiantur suspecta reputari non debet. Sicuti ut probabilius docuerunt Greg. Lopez *in d. l. 5. verbo casandose,* Gutierr. *de tutelis, 1. p. c. 9. num. 2.* Menoch. *de arbitrar. casu 151. n. 7.* Sanch. *lib. 7. disp. 88. n. 5.* Matrimonium verò ratum, & firmum esse debet, aliàs non verificabitur ad secundas nuptias verè, & propriè transisse, ut rectè adversus Baldum *in c. ex parte M. n. 20. de appellationib.* notavit Sanch. *d. disp. 88. num. 7.*

4. Sufficere

4. Sufficere autem matrimonium ratum esse, tametsi consummatum non sit ad amittendam tutelam docet Bald. *in l. omnem, n.* 10. *ad Senatusconsultum Tertull.* Alexand. de Nevo *in cap. fin. n.*10. *de secundis nuptiis.* Ant. Gabr. *tom.* 3. *commun. opin. lib.* 5. *tit. de secund. nupt. conclus.* 9. *num.* 13. Quos refert, & sequitur Saneh. *dict. disp.* 88. *num.* 6. Quia textus uxorem transeuntem ad secundas nuptias tutelâ privant, eo quòd violaverit datam fidem à nuptiis abstinendi, & quia per matrimonium suspecta redditur malæ administrationis. Ad has rationes procedunt, esto matrimonium consummatum non sit, ergo, &c. Nihilominus verius censeo requiri matrimonium esse consummatum. Tum quia Textus de transitu ad secundas nuptias expressè locuti sunt, nuptiæ autem propriè non sunt quousque matrimonium sit consummatum. Præterea hæ leges pœnales, & correctoriæ non debent extendi, sed potius restringi, ac proinde de matrimonio in suo esse perfecto, quale est consummatum intelligi debent. Sicuti docuerunt Rom. *singul.* 229. *tu habes quod mater, &c.* Nevizanus *lib.* 2. *silvæ nuptialis, num.* 50. Boëtius *q.* 266. *n.* 5. Gozadinus *cons.* 18. *num.* 4. Menoch. *de arbitr. casu* 151. *num.* 8. Ad rationem oppositam negandum est matrimonii contractu absque consummatione perfectè fidem datam violari, aut suspectam de malâ administratione reddi.

5. Porrò transitu ad secundas nuptias amittitur tutela ipso jure, itaut in conscientia obligatur mater à tutelæ munere abstinere, ut docuerunt Gregor. Lopez *in leg.* 5. *tit.* 16. *part.* 6. *verbo el mas, cercano.* Anton. Gomez *in leg.* 14. *Tauri, n.* 10. Navarr. *cap.* 25. *n.* 67. Sanch. innumeros referens *d. disp.* 88. *num.* 10. Eo quòd matri censenda sit tutela concessa sub conditione, ne ad secunda vota transeat, ut indicat juramentum, quod in susceptione tutelæ præstat à nuptiis abstinendi juxta *leg fin. Cod. quando mulier.* At tutor sub conditione datus si conditioni non pareat cessat *ex leg. tutor datus, ff. de testamentaria tutela*, manifesteque supponitur *in cap. ex parte M. de appellationib.* Ibi, *prædicti filii ejus sub potestate, & tutela ipsius minimè permanerent, cum jam ad secunda vota transisset.* Neque obstat quod *in Auth. Sacramenta, Cod. quando mulier tutelæ officio, &c.* Dicatur *Contractis secundis nuptiis expelli eam à tutela convenit, quasi non de necessitate, sed de honestate expellenda sit, & non ipso jure, sed Judicis officio.* Non inquam obstat, quia Textus loquitur de expulsione quoad factum, non quoad jus, quæ expulsio non est necessaria, cum ipso jure tutela desierit, est tamen maximè conveniens, ut nullâ ratione tutelæ munere uti audeat.

6. Verùm si maritus suam uxorem tutricem filiorum reliquerit in testamento, est gravis quæstio: An mater transiens ad secunda vota hanc tutelam testamentariam amittat? Et quidem quando absolutè, & simpliciter eam relinquit communis est sententia, quam defendit Gregor. Lopez *in leg.* 5. *verbo sacar, tit.* 16. *part.* 6. Anton. Gomez *in leg.* 14. *Tauri, num* 11. Gutierr. *de tutelis* 1. *part. cap.* 9. *n.* 16. Molin. *de primogeniis, lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 46. Matienzo *lib.* 5. *recopilat. tit.* 1 *leg.* 3. *glossa* 2. *num.* 9. Sanch. *dict. disp.* 88. *num.* 8. Et alii apud ipsos amitti ipso jure, Argum. *Auth. de Nuptiis, collat.* 4. §. *fin autem tutelam, vers. nos autem,* ubi textus quoad amittendam tutelam æqualem facit secundò nubentem, ei qui ante transactum lugubre tempus nupserit. At nubens infra annum luctus incapax est cujuscumque tutelæ. Ergo, &c. Deinde quia Textus excludentes matrem filiorum tutela generaliter, & indistinctè loquuntur. Ergo tam de tutela legitima, quàm testamentaria sunt intelligendi, maximè cum eadem ratio in utroque procedat, scilicet suspicio malæ administrationis, & bonorum dissipationis ob secundi viri affectum. Ea autem designatio facta à marito defuncto operatur, ne ejus uxor suscipiens tutelam obligetur satisdare juxta Textum *instit. de satisdat. tutor. in princ.* Eo quòd ejus fides fuerit à filiorum parente approbata; non tamen operatur tutelæ retentionem, si ad secunda vota transeat, cùm præsumi non debeat eam habuisse intentionem. Si enim id intenderet, exprimere poterat.

7. At si de facto uxorem tutricem filiorum reliquit exprimens esto ad secunda vota transeat, Baldus *in cap. ex parte M. num.* 2. *de appellat. Et ibi* Francus *num.* 2. *notab.* 3. Silva nuptialis *lib.* 2. *verbo viduæ non est nubendum, n.* 50. Matienzo *dicta leg.* 3. *glossa* 2. *num.* 9. Sanch. *d. disp.* 88. *num.* 9. Censet non solùm non amittere tutelam per transitum ad secundas nuptias, sed neque Judicis officio ab ea expelli posse. Quia ea designatione qualificata omnem videtur maritus suspicionem quæ esse poterat malæ administrationis excluisse. Si enim hanc suspicionem excludit à quolibet extraneo, quem designaret, cur non ab ejus uxore sibi magis nota? Nihilominus etsi hæc sententia valdè probabilis sit, probabiliorem reputo, quam tradit Ruin. *cons.* 87. *num.* 10. *volum.* 5. Anton. Gomez *dicta leg.* 14. *Tauri, n.* 11. *in fine*, matrem secundò nubentem saltem officio Judicis expelli à tutela debere. Moveor, quia leges in filiorum favorem privarunt matrem secundo nubentem filiorum tutela, eo quod præsumpserit matres secundò nubentes ut in plurimum bona filiorum iniquè esse administraturas, quinimo ob affectum secundi mariti eorum vitæ insidiaturas. At ex designatione à marito facta hæc suspicio frequenter contingens purgari non potest, tametsi purgetur singularis, & privata suæ uxoris suspicio, ergo non obstante ea designatione leges suam vim, & efficaciam retinent. Et confirmo: nullibi est concessum posse matrem ad secunda vota trensèuntem retinere tutelam ex mariti concessione, neque marito leges hanc privationem indicentes abrogâre, aut in illis dispensare. Ergo absque fundamento asseritur ex concessione mariti posse matrem transeuntem ad secunda vota tutelam filiorum retinere. Neque oppositum fundamentum urget, quia extraneo non interdicitur tutela à lege, bene tamen matri transeunti ad secunda vota, neque extraneus suspectus est malæ administrationis, sic mater ad secunda vota transiens.

8. Sed an hæc pœna amittendi filiorum tutelam extendatur ad patrem secundam uxorem ducentem? difficultate non caret; nam esto de sola matre leges loquantur, dispositum in uno correlativo, in alio censeri debet dispositum, maximè cùm eadem ratio in utroque procedat, scilicet suspicio malæ administrationis ob affectum secundi conjugis. Atque ita docent Angel. *Authent. de non eligendo secundo nubentes*, §. *quia vero, n.* 16. Ripa *in leg. fin. quæst.* 26. *Cod. de revocandis donat.* Cassaneus *in consuetud. Burgund. Rub.* 6. §. 8. *n.* 2. *in fine, & num.* 7. Sed oppositum omnino tenendum est, nam si filii sub potestate parentis sint constituti, quando pater ad secunda vota transit, cùm per conjugium non amittat usumfructum in bonis filii, *leg fin. C. de bonis maternis*, nec legitimam illorum bonorum administrationem ratione ususfructus competentem amittere debet, uti deciditur *in leg. generaliter, in fine, vers. negotia, Cod. de secundis nuptiis.* Si verò filii emancipati sint, & illorum tutor pater existat, cum transit ad secunda vota, etsi probabile sit tutelam amittere ob rationem *superiùs* dictam, longè verius est eam retinere, quia nullibi cautum est patrem ob secundum conjugium amittere tutelam, sed solum de matre id est decisum. At leges pœnales, & correctoriæ non debent ex uno casu ad alium extendi, maximè cum adest diversa ratio, ut in præsenti. Quippè pater utpotè majori prudentiâ, & judicio præditus ob novum conjugium filiorum amorem non perdit, sicuti matres, quia levioris sunt ingenii, perdere censentur. Argum. *l. lex quæ tutores, Cod. de administr. tutorum.*

9. Quarta

9. Quarta pœna. Vidua filiorum tutrix si ad secundas nuptias transeat, quin prius adeat Judicem, petatque filiis tutorem designari, & susceptæ tutelæ rationem reddat, & solvat quidquid ratione tutelæ debuerit, incidit in omnes pœnas, quas viduis intra annum luctus nubentibus diximus impositas esse, ut expressè habetur *Auth. de Nuptiis, §. si autem tutelam, collat.* 4 *Et Auth. eisdem pœnis, C. de secundis nuptiis.* Hæc enim pœna non imponitur ob novum conjugium sed ob infidelitatem commissam in tutelæ administratione. Nam cùm in susceptione tutelæ nuptiis renunciaverit, ut deciditur *in Auth. Sacramentum, Cod. quando mulier tutelæ officio, &c.* Promiseritque tacitè ad secunda vota non migraturam nisi prius Judice adito, & tutore filiis petito, & susceptæ tutelæ ratione redditâ, & his omissis ad secundas nuptias transit, supradictâ pœnâ afficitur, ut post alios antiquiores probat Anton. Gabriel. *tom.* 3. *commun. opin. lib.* 3. *tit. de secundis nuptiis, concl.* 9. *num.* 9. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 88. *num.* 13. Quinimo ob hanc causam privatur mater, ne illi filio succedere ab intestato possit etiam via substitutionis, si impubes moriatur, *ex leg. omnem* 6. *Cod. ad Senatusconsultum Tertull.* Bonaque posterioris viri sunt tacitè obligata pro mala hujus fœminæ administratione. *Ex leg. si mater, Cod. ex quibus causis tacit. pign.* Uti notarunt Anton. Gabriel. *dicta concl.* 9 *numero* 4. Sanchez *dict. numero* 15. Ab hac pœna eximitur mater, si minor sit tempore susceptæ tutelæ, tametsi major fuerit tempore quo secundas nuptias contraxit, quia cùm tutela minoribus sit interdicta ea susceptio nulla fuit, ac proinde tutrix non est censenda. Deinde eximitur vir secundam uxorem ducens, quia ipse obligatur ante matrimonium tutorem petere, cùm matrimonii contractu tutelam non amittat, ut rectè docuerunt Anton. Gabr. & Sanch. *suprà.*

10. Quinta: Aliquibus placet matrem transeuntem ad secundas nuptias amittere testamenti executionem, quæ illi est à viro commissa, eo quòd tutela, & executio testamenti æquiparentur, & ex uno ad aliud argumentari liceat. Teste Glossa *in leg. antepenult. verbo ad aliam ff. de Tutelis. Et leg. uxores, verbo adscripsit, ff. de Falsis.* Et aliis relatis Peralta *in l. omnem, n.* 19. *ff. de legatis* 2. At hæc mater perdit ob nuptias tutelam, ergo & testamenti executionem. Atque ita docent, prout refert Sanch. *d. disp.* 88. *n.* 14. Gulielmus Benedict. *cap. Raynutius, verbo qui cum alia, n.* 203. *de testament.* Luca de Penna *in l. quoties, col.* 2. *vers. sed pone mulier, cap. de privil. schol. lib.* 12. Spino *in speculo testament. gloss.* 28. *princip. n* 35. Et sub dubio Joan. Lupus *Rub. de donation. inter vir. & uxorem, §.* 67. *n.* 15. Sed contrarium omnino tenendum est cum ipso Joanne Lupo *in l.* 31. *Tauri, n.* 38. Covarr. *in cap. tua, n.* 3. *de testament.* Greg. Lopez *in l.* 2. *verbo frayles, tit.* 10. *part.* 6. Aviles *in proœm. cap. prætor, gloss.* 1. *n.* 43. Matienzo *lib.* 5. *recop. tit.* 4. *l.* 5. *gloss.* 8. *n.* 5. Sanch. hos, & alios plures referente *d. disp.* 88. *n.* 14. Eo quòd nullibi cautum sit uxorem secundò nubentem perdere testamenti executionem. Neque ex amissione tutelæ hæc amissio infertur, sicuti neque ex concessione tutelæ infertur testamenti executionem concessam esse, ut manifestè probat lex *cum pater, § hæreditatem, ff. de leg.* 2. *juncta l. si arrogati, ff. de tutelis*, ubi deportatione finitur tutela, non tamen executionis, vel electionis officium. Ratio est, quia tutela concessa à lege est matri in filiorum commodum, cui non leviter obstant secundæ nuptiæ. At testamenti executio à testatore conceditur nullius in particulari commodum respicieus. Non igitur mirum est, quod tutela novis nuptiis finiatur, non tamen testamenti executio.

11. Hinc rectè inferunt Joan. Lupus *d. leg.* 31. *Tauri, n.* 38. *&* 39. Sanch. *d. disp.* 88. *n.* 15. Potestatem testandi uxori à marito concessam non expirare ob transitum ad secundas nuptias, quia nullibi hæc privatio indicitur.

12. Sexta pœna est privatio educationis filiorum, cum enim filii apud matrem potiùs, quàm apud quamlibet aliam personam educandi sint, si non victricum eis induxerit, ut dicitur *in leg.* 1. *C. ubi pupilli educari debeant, & Authent. de nuptiis, §. ejusdem quoque, collat.* 4. *Et Auth. ut liceat matri, & aviæ, §. Illud quoque, collat* 8. At victri co eis inducto non apud matrem, sed apud aliam personam educari debent.

13. Difficultas ergo inter Doctores est: An per transitum ad nuptias privetur mater filiorum educatione, vel solùm reddatur suspecta, judicisque arbitrio relinquatur, an privari, vel concedi educatio debeat juxta circunstantias occurrentes.

Qua in re plures gravesque Doctores, quos referunt, & sequuntur Molina *t.* 1. *de justit. disp.* 224. *n.* 12. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 88. *n.* 17. censent matrem secundo nubentem non privari filiorum educatione, sed venire à Judice privandam, nisi fortè probaverit illius esse moris, & honestatis, ut tollat omnem suspicionem malæ educationis, quam per matrimonium incurrit; nam eo casu filiorum educatio non est illi auferenda, sicuti lite motâ in Granatensi prætorio ablata non fuit teste Sanch. *dict. n.* 17. Moventur præcipuè *ex leg.* 1. *C. ubi pupilli educari debeant*, ubi inquit Textus, *Educatio pupillorum tuorum nulli magis quàm matri eorum si non victricum eis induxerit committenda est.* Quando autem inter eam, & cognatos, & tutores orta fuerit dubitatio aditus Præses provinciæ inspectâ personarum qualitate, & conditione perpendet, ubi puer educari debeat. Remittitur ergo Judicis arbitrio penes quem puer educandus sit lite motâ inter matrem, cognatos, & tutores. Neque valet id esse intelligendum, dum mater victricum filiis non induxerit. Tum quia ante inductionem victrici non est in arbitrio Judicis constitutum, penes quem puer educandus sit, cùm lex matrem omnibus aliis præferat. Tum quia pronomen illud *eam* quod relativum est, refertur ad casum propinquiorem præcedentem, qui est cùm mater filiis victricum inducit. Secundo *ex leg. si paterno* 25. *Cod. de negotiis*, ubi supponitur educationem privigni victrico commissam esse, ibi: *Si paterno affectu privignas tuas aluisti.* At victricus magis suspectus est de mala educatione alienæ prolis, quàm mater. Ergo matri ea educatio deneganda non est, quæ victrico conceditur. Tertio ex dicto Platonis *dialog.* 11. *de legib.* lege constituendum dicebat filiorum educationem apud matrem secundo nubentem non esse ex toto rejiciendam, sed in propinquiorum facultate positum esse voluit. Hinc consequenter infert Sanchez *dicta disput.* 88. *num.* 19. Matrem secundo nubentem non excludi à pupillorum educatione, ex eo quod pupillis successura sit in parte, vel in tota hæreditate, quia esto ob hanc causam suspicio iniquæ educationis augeatur, ideoque gravior probatio moris, & honestatis ad illam elidendam sit requisita. At cum nullibi cautum sit ex hoc capite matrem privari; non debet privatio induci. Quapropter si inter matrem denuò nubentem, filioque successuram, & ejus cognatos agitur lis penes quem pupillus sit educandus, si mater probaverit æquè bene apud ipsam, quàm apud alium quemlibet cognatum pupillam educari posse, obligatur Judex ei pupilli educationem concedere. Argum. *l.* 1. *Cod. ubi pupilli educari debeant*, ubi deciditur qualitatem, & conjunctionem contendentium super pupilli educatione spectandam esse; & rectè, quia cùm duo contendunt prævalet qui potentior est, *l. pupillum, §. fin. ff. de re judicata.* Et tradit Barbosa *in leg.* 1. *part.* 7. *n.* 59. *ff. soluto matrim.* At mater conjunctior est filio, & ob hanc partem potentior, ergo illi educatio est concedenda, sicuti tradit Sanch. *d. disp.* 88. *n.* 18.

14. Nihilominus etsi hæc sententia satis probabilis sit veriorem, & probabiliorem reputo, quæ asserit matrem transeuntem ad nuptias privatam esse filiorum educatione, nec Judicem posse eam illi permittere. Sic

docet Gloſſa *in Auth. ut liceat matri & aviæ*, §. *illud quoque*, *verbo non venerit*, *collat.* 8. Ruinus *conſ.* 87. *in fine*, *vol.* 5. Menoch. *de arbitrar. caſu* 168. *num.* 10. Matienzo *lib.* 5. *recopil. tit.* 1. *leg.* 3. *gloſſ.* 2. *num.* 8. Spino *ſpeculo teſtament. gloſſ.* 29. *princip. num.* 13. Et alii relati à Sanch. *d. diſp.* 88. *num.* 16. *in fine*, Moveor nam *ex dicta leg.* 1. *C. ubi pupilli educari debeant.* Et *Authent. de nuptiis*, §. *ejuſdem quoque, collat.* 4. Et *Auth. ut liceat matri & aviæ*, §. *illud. quoque*, *collat.* 8. expreſsè dicitur tradendam eſſe matri, utpotè fide digniori educationem filiorum, niſi ad ſecundas tranſierit nuptias. Hæc igitur ſupponunt tranſeunti ad ſecundas nuptias non eſſe filiorum educationem concedendam. Et licèt *in dicta leg.* 1. ſubjungatur, quando inter matrem, & cognatos orta fuerit dubitatio de filiorum educatione, præſidem provinciæ arbitrari poſſe, penes quem filius educari debeat attenta perſonarum qualitate, & conditione, inde non infertur provinciæ Præſidi commiſſum eſſe arbitrium concedendi filiorum educationem matri ad nuptias tranſeunti. Quippe hæc dubitatio, & lis mota non eſt inter matrem denuò nuptam, ſed inter matrem viduam & cognatos. Quod mihi perſuadet pronomen illud eam, quod relativum eſt, & refertur ad præcedentia cum ſuis qualitatibus, ut probat aliis relatis Roland *conſ.* 79. *numero* 54. *volum.* 3. Menoch *conſ.* 390. *num.* 13. *volum.* 4. At textus in verbis antecedentibus ſolùm de matre vidua egerat, inquit enim concedendam eſſe matri educationem pupillorum, ſi non victricum eis induxerit, mater inquam non indecens pupillis victricum vidua eſt. Ergo in illis verbis nuptias negavit, non conceſſit. Non igitur pronomen *eam* ad matrem nuptam referri poteſt, uti voluit Sanch. Et licèt matri viduæ jus ſtatuerit filiorum educationem concedi, non obinde infertur arbitrio Judicis locum non eſſe, quippè matri concedenda eſt, ſi bonæ opinionis exiſtat, & non aliter, ut declarat lex *regia* 19. *tit.* 14. *part.* 6. ibi: [Pero ſi hubieſe madre que fueſe mujer de buena fama, bien le puede det el fijo que le crèe, e ella puède le tener mientras mantubiere viudez.] Arbitrari ergo Judex debet an bonæ opinionis exiſtat, ut meritò ei concedenda ſit filiorum educatio, vel potiùs neganda, & aliis cognatis concedenda. Secundò moveor *ex dicta leg.* 19. jus commune declarante, quæ decidit matrem ſecundò nubentem privandam illico eſſe filiorum educatione, inquit enim Textus, Mas luego que caſare, deben ſacar aleguer fano de ſu poder: ubi norandum eſt adverbium illud *luego* latinè *ſtatim*, *mox*, *illicò*, quod omnem dilationem excludit, & conſequenter probationem, quæ in contrarium eſſe poterat, Judicis quæ ſententiam, ut ex multis probat Tiraquell. *in leg. ſi unquam, verbo revertatur, numero* 109. *Cod. de revocand. donationib.* Gutierr. *de juram. confirm.* 1. *p. cap.* 62. *n.* 4. Deinde ponderandum eſt verbum *debet*, quod neceſſitatem, non voluntatem importat, ut pluribus exornat Tiraquell. *lib.* 1. *de retractatu lignagier*, §. 1. *gloſſ.* 15. *initio*, Sanch. *lib.* 4. *diſput.* 28. *num.* 2. Non igitur eſt locus Judicis arbitrio. Neque valet dicere ſupradicta procedere caſu quo mater non probaverit incontinenti ejus moris, & conditionis eſſe, ut omnem ſuſpicionem malæ educationis excludat, quia ſi hujuſmodi probationibus locus eſt, jam non illicò, & ſtatim filiorum educatione privatur, neque ex neceſſitate, ſed ex probationis defectui Si enim lex vellet ut in filiorum educatione retineretur poſt nuptias ipſâ probante nullius ſuſpicionis ream eſſe, uteretur verbo *poteſt*, & non verbo *debet*, dicerétque, [mas luego que ſe caſare podran le ſacar el guerfano de ſu poder.] Ergo cùm uſa fuerit lex verbo *debet* omnem hanc probationem excluſit. Quod non leviter confirmatur eo quod eodem tenore matrem ſecundo nubentem filiorum educatione hæc lex excluſit. At eam excluſit *leg. regia* 5. *tit.* 16. *part.* 6. à tutela *ibi*: [debe ſacar los moços de ſu guarda de ſu poder.] Et quod magis eſt eodem tenore ac jus commune à tutela matrem ſecundo nubentem excluſit, ut conſtat *ex Auth. Sacramentum*, *C. quando mulier tutelæ officio*, ibi: *ſed contractis ſecundis nuptiis expelli eam à tutela convenit.* Et *Auth. ut ſine prohibitione matres*, §. *unico*, *verſ. propterea igitur ſancimus*, *collat.* 7. ibi: *Mox tamen ut ſecundas contraxerit nuptias repente expelli à tutela.* Ergo abſque fundamento aſſeritur, *lib.* 1. *C. ubi pupilli educari debeant*, arbitrium Judicis concedi in pupillorum educatione, poſtquam mater ad ſecunda vota tranſit. Tertiò matrem ſecundò nubentem leges privant tutela, eo quòd præſumant cæco amore novi mariti ductam bona pupillorum diſſipaturam, imo illorum vitæ inſidiaturam, ut conſtat *l. lex quæ tutores*, *Cod de adminiſtr.* Et *Auth. de nuptiis*, §. *ſin verſ. nos autem*, *collat.* 4. Et *leg. regia* 19. *tit.* 16. *part.* 6. Sed hæc ratio æquè procedit in educatione, imo & efficaciùs quàm in tutela, quando tutela ab educatione ſeparatur, cùm educatio perſonam reſpiciat, tutela verò bonorum adminiſtrationem. Præterquam quòd tutela regulariter ſimul cum educatione conjungitur, ſi igitur mater ob ſecundas nuptias ſic ſuſpecta redditur ad bonorum pupilli adminiſtrationem, ut jure ipſo eâ adminiſtratione privetur; à fortiori èducatione cenſenda eſt privata. Et confirmatur. Nam victrico permittitur bonorum, pupilli adminiſtratio, *lex. fin. C. de contrario. judicio tutelæ.* Sed non illius educatio ſecundum Gloſſam, *ibi verbo proponis.* Et *l.* 1. *verſ. ſi non victricum*, *C. ubi pupilli educari debeant* quia majorem fiduciam poſtulat educatio perſonæ, quam illius bonorum adminiſtratio. Ergo ſi mater nubens ob ſuſpicionem excluditur ab adminiſtratione bonorum pupilli, ab ejus aducatione excluſa cenſetur. Quartò quoties lex ob præſumptionem aliquid certum ſtatuit, omnem probationem cenſetur excludere, tametſi expreſsè eam non excludat, quia eſt præſumptio juris, & de jure, ut tradit Abbas *in cap. quanto*, *num.* 1. *de præſumptionib.* Et *ibi* Felin. *num.* 3. Covarr. 4. *decret.* 1. *part. cap.* 4. §. 1. *n.* 2. Menoch. *lib.* 1. *præſumpt. quæſt.* 3 *num.* 12. Maſcard. *de prob. concl.* 1218. *num.* 4. At leges ob præſumptionem iniquæ educationis ſtatuunt, ne matri ſi ad ſecundas nuptias tranſeat pupilli educandi concedantur, ſed ex ejus poteſtate extrahantur. Ergo adverſus hanc præſumptionem nulla eſt admittenda probatio. Neque obſtat præſumptionem juris & de jure, adverſus quam nulla admittitur probatio ex actibus præteritis ſumendam eſſe: teſte Everardo *in ſuis locis topicis*, *loco à tempore ad tempus*, *n.* 2. Menoch. *de præſump. lib.* 1. *quæſt.* 3. *in fine*, quominus hæc præſumptio (quidquid dicat Sanch. *d. diſput.* 88. *num.* 27.) ſit juris, & de jure, ſiquidem ex actu præterito, ſcilicet ex novo matrimonio, novique viri amore præſumit jus iniquitatem in educatione committendam, quod ſatis eſt, ut ſit præſumptio juris, & de jure, ut colligitur manifeſtè *ex Authent. ſed jam neceſſe*, *C. de donationib. ante nuptias*, juncta Gloſſ. *Auth. de æqualitate dotis*, *collat.* 7. §. *aliud quoque*, *verbo privilegium.* Et pluribus comprobat idem Sanch. *lib.* 7. *diſput.* 37. *num.* 8. Illud verò cenſeo priori ſententiæ concedendum hanc privationem educationis non ipſo jure judici, ſed Judicis officio faciendam eſſe, eo quòd Textus ſolùm privationem futuram indicent, & Doctores de hac materia loquentes id ipſum ſupponant, ut benè advertit Sanch. *d. diſp.* 88. *numero* 21. Quare dum mater ſecundò nubens à Iudice non privatur pupillorum educatione optimè illam retinere poterit.

15. Argumenta in contrarium non urgent. Primum ex probatione noſtræ concluſionis ſolutum eſt; non enim ad matrem nuptam, ſed viduam referendum eſt arbitrium Judicis: nam cum mater, & vidua ad pupillorum educationem debeat eſſe bonæ famæ, poteſt aliquando hæc qualitas deficere, ut meritò cognati agere poſſint apud judicem de removendo eam à pupillo-

rum

rum educatione, ut constat *ex leg.* 1. juncta Gloss. *verbo ex conditione.* Et *leg. si disceptetur 5. C. ubi pupillus educari debeat.* Ad secundum admitto victrico concedi posse tutelam cum educatione, nego tamen matri nubenti concedi posse. Tum quia victricus non est à jure suspectus, neque ob præsumptionem juris exclusus, sicuti est mater. Tum quia mater ob ejus levitatem, & cæcum in victricum amorem præsumitur vitæ pupillorum insidiatura; quod tamen de victrico non præsumitur. Ad tertium. Plato non decidit quid factum sit, sed quid esset faciendum, cui tamen sententiæ Imperatores non adhæserunt.

16. Hæc pœna ex omnium ferè sententia teste Matienzo *lib. 5. recop. tit. 1. leg. 3. gloss. 2. n.* 8. Spino *in speculo testam. gloss. 29. n.* 14. Sanch. *disp.* 88. *n.* 20. ad patrem transeuntem ad secunda vota non extenditur, quia leges magis de patre, quàm de matre fidunt, ideoque patri tutelam concedunt, quàm matri denegant.

17. Septimam pœnam mulieris secundò nubentis esse affirmat Matienzo *d. gloss. 2. num.* 37. Spino *gloss. 25. num.* 7. Et plures relati à Sanch. *num.* 22. ne possit exemplariter substituere filio mente capto, muto, surdo, & prodigo cui bonis interdictum est, quippe testari nequeunt, eo quòd hæc potestas matri concessa sit ob pietatem, quâ filios prosequi debet, juxta *legem Humanitati 9. C. de impuber. & aliis substit.* Et *leg. regiam 11. tit. 5. part.* 6. At hæc humanitas, & pietas cessat ipsa ad secundas nuptias transeunte, siquidem eo facto noverca, & inimica filiorum constituitur, *leg. lex quæ tutores, C. de administrat. tutorum.* Ergo, &c. Secundò. Hæc mater nuptiis denuò contractis privatur administratione bonorum filii viventis, quia excluditur ab ejus tutela. Ergo etiam privari debet administratione bonorum post mortem cum, respectu utriusque æquè suspecta censeantur.

18. At Greg Lopez *in d. leg. 11. verbo las madres*, Molin. *de justit. tom. 1. tract. 2. disp.* 185. *vers. utrum mater*, & alii plures relati à Sanch. *num.* 23. admittunt prædictam sententiam, cùm substitutio iniquo animo præsumitur facta, ut si facta fuisset in ejus Amasio, aut victrico, quia non decet eam substitutionem subsistere, quæ pietati, & humanitati filii contraria est. Secùs verò si à substituto ita piè, & honestè facta esset ut maritò posset filium si sui compos esset eam fore ratum habiturum, quia tunc in filium humanitatem exercet, ne intestatus decedat.

19. Sed ut rectè Sanch. pluribus relatis *dicta disput.* 88. *num.* 24. etsi prædictæ sententiæ probabiles sint, longè probabilius est matrem secundò nubentem non privari potestate exemplariter substituendi, quia nullibi hæc pœna indicta est. Et ex privatione tutelæ non potest desumi argumentum ad hanc privationem inducendam; partim quia pœnæ extendendæ non sunt, maximè cùm adest diversa ratio ut in præsenti, siquidem sublata matri tutela judex ex officio tutorem designat: at sublata matri potestate substituendi filio nequit Judex substituentem designare, quod esset grave filii præjudicium, quia intestatus decederet; partim quia patri suspecto denegatur tutela filii superstitis. *L. si cum dotem §. eo autem tempore, ff. soluto matrimonio*, non tamen negatur potestas pupillariter substituendi.

20. Suppositа autem priori sententia tanquam vera movet Sanch. *n.* 25. gravem quæstionem: An substitutio exemplaris facta à matre vidua reddatur irrita ipsa postea ad secundas nuptias transeunte? Qua in re refert plures affirmare irritam esse, eo quòd illa substitutio non censeatur consummata, & perfecta eo tempore quo facta est, cùm adhuc filius, & mater vivant postmodum verò perfici nequeat ob matris incapacitatem, ergo redditur irrita. Argum. *l. si sub una, Parag. si quis viam, ff. de verborum obligationib.* & quia incapacitas superveniens substituenti annullabit substitutionem, *l. cohæredi, §. cum filio ff. de vulgari.* Ergo incapacitas superveniens substituendi annullabit substitutionem. Alios refert negantes substitutionem esse irritam, si piè, & humanè facta sit, qualis fieret à filio, si sui compos esset, secùs si aliter. Alios dicentes esse nullam substitutionem, si ea facta statim ad secundas nuptias transit, quia præsumitur dolosè fieri, si ex intervallo.

21. Sed his sententiis omissis verius est substitutionem, non evanescere, ut tradit Sanch. aliis relatis *d. disp.* 88. *n.* 25. eo quòd illa substitutio tempore habili facta integra sit; & perfecta, tametsi effectum non sortiatur, quousque filius decedat, quia est substitutio post filii vitam, neque ex novis nuptiis irritari potest, sicuti non irritatur testamentum ante favorem factum furore superveniente, *Parag. item furiosi instit. quibus non est permissum facere testamentum.* Neque ex eo quòd substitutio evanescat incapacitate, superveniente substituto, inferri potest nullam reddi incapacitatem substituenti supervenientem: quia est longè diversa ratio, quia in substituto substitutio habere debet effectum, qui si incapax est tempore quo illum habere debet, perit substitutio. At ex parte substituentis à puncto quo substitutio fit integrum effectum habet, neque pendet à futura illius incapacitate.

22. Patrem verò secundo conjugatum non privari potestate exemplariter substituendi filio est certum apud omnes, teste Boërio *decis.* 188. *n.* 2. Matienzo *lib. 5. recop. tit. 1. leg. 3. gloss. 2. n.* 37. Sanch. alios plures referente *d. disp.* 88. *n.* 26. eo quòd de patre nullibi cautum sit, & jus de patre potiùs quàm de matre considit.

23. Octava pœna, quàm aliqui Doctores relati à Sanch. *d. disp.* 88. *num.* 27. assignant matri secundo nubenti est privatio succedendi in tacita pupillari substitutione: nam cùm hæc successio ex voluntate substituentis pendeat, marito præsumi potest substituentem velle, ne mater, quæ filio impuberi injuriosa est ad secunda vota transeundo, ei succedat. Sed verius est, quod pluribus firmat Sanch. *num.* 28. ex solis nuptiis secundo contractis hanc voluntatem præsumi non posse. Nam cùm jus hanc successionem matri concedat in tacita substitutione pupillari, qua ob transitum ad secundas nuptias jure ipso non privatur, siquidem nullus est Textus hanc privationem indicens, credendum est substituentem absolutè velle in sua substitutione se juris dispositioni conformare, ac proinde dum aliud non explicat velle matrem secundo nubentem exclusam non esse à substitutione tacita pupillari filii.

Quæ autem sint conjecturæ sufficientes, ut præsumamus matrem exclusam esse, si secundo nubat, sicuti excluditur in substitutione expressa pupillari arbitrio prudentis relinquendum est. Communior sententia teste Sanch. *d. disp.* 88. *n.* 29. *& seqq.* affirmat esse sufficientem conjecturam, si substituens matri legatum reliquerit sub conditione viduitatis, vel dum vidua fuerit. Qui enim volunt fœminam secundo nubentem à parte suorum bonorum excludere, merito præsumi potest voluisse excludere à tota hæreditate.

24. Nona pœna est privatio privilegii honoris prioris mariti. Etenim dum mulier vidua permanet, eodem privilegio honoris fruitur, ac quando nupta erat; quia censetur sub matrimonio præcedenti esse, ut tradunt omnes *in l. ult. C. de bonis maternis, leg. fœmina, ff. de Senatoribus, leg. filii, vers. vidua, ff. ad Municipal.* Et pluribus exornat Tiraquell. *de nobilit. cap* 18. *num.* 9. At si ad secundas nuptias transeat, pereunt prioris viri privilegia honoris, utpotè quæ censeri non potest sub eo matrimonio esse, succedunt privilegia posterioris viri si aliqua sunt, uti habetur *Auth. de nuptiis, collat. 4. Parag. non tamen permittimus.* Et *leg. mulieres, Cod. de dignitatib. lib.* 12.

25. Decima, quam ferè omnes Doctores tradunt, ne teneatur filius alioquin dives dotem suæ matri pauperi secundò nubenti constituere; quia æquum non

erat obligari ad præſtandum quod ſibi indecens, inhonoroſum erat. Verùm ſi mater præſumatur periculum incontinentiæ ſubire, niſi matrimonium contrahat, affirmant Tiraquell. *de jure primogen. quæſt* 62. *num.* 13. *& leg.* 2. *connub. gloſſ.* 1. *part.* 2. *n.* 9. Boërius *deciſ.* 129. *in fine*, Baëza *de non meliorandis filiabus*, *c.* 12. *num.* 49. & aliis relatis Sanch. *à diſp.* 88. *num.* 32. obligatum eſſe filium dotem conſtituere, quia minus illi indecens eſt ſuæ matris novum conjugium, quàm meretricium. Vt ergo meretricium vitet neceſſaria ad conjugium ſubminiſtrare debet. Cæterum etſi hoc ſemper conſulendum ſit, verius exiſtimo hanc filio obligationem non ſubeſſe. Quippè hæc obligatio provenire poteſt vel ex jure poſitivo, vel naturali. In jure poſitivo nullus reperitur Textus, eo quo colligi poſſit. Ex jure autem naturali ſolùm habetur obligatum eſſe filium matri egenti, ſive viduæ ſive nuptæ alimenta miniſtrare, juxta *legem ſi quis à liberis*, §. *parens. ff. de liberis agnoſcendis*, Et licet dos loco alimentorum ſuccedat, valetque argumentum ex alimentis ad dotem, ut probat Everard. *loco ab alimentis ad dotem, n.* 1. id procedit in parentibus qui dotem filiis conſtituere tenentur. Secùs in filiis comparatione parentum, quibus ut nubant non tenentur conſtituere dotem: aliàs ſicut obligatur filius ſuæ matri egenti nuptæ alimenta miniſtrare, obligaretur dotem conſtituere etiam ſecluſo incontinentiæ periculo. Ob vitandum verò in matre periculum incontinentiæ non videtur obligatus deſignare dotem, quia nemo tenetur alienum peccandi periculum Vitare, cum gravi ſui jactura. At deſignatio dotis non leviter filio præjudicat tum in honore, tum in re familiari. Et quamvis matris meretricium magis quàm matrimonium filio injurioſum ſit, at ea injuria non eſt filio imputanda Secùs verò injuria matrimonii, ſi ipſe ad matrimonium dotem conſtituat. Non igitur obligandus videtur matri periculum incontinentiæ habenti dotem deſignare. Atque ita tradit Bald. *in l. unicâ*, *in fine*, *C. de inofficioſis dotib.* Corrafius. *in l. qui liberos*, *n.* 115. *ff. de Ritu nuptiar.*

26. Vndecima: nequit ad ſecundas nuptias tranſiens donationem filio factam revocare ratione ingratitudinis, quia præſumitur non ob ingratitudinem filii, ſed ut victrico placeat revocare, ut dicitur *in Auth. quod mater*, *C. de revocandis donationib.* Et habetur *in l.* 7. *C. eodem tit. &* §. *mater*, *Authent. de Nuptiis*: in quibus Textibus triplex caſus excipitur. Primus, ſi filius vitæ matris inſidiatus fuerit. Secundus ſi manus impias in eam injecerit. Tertius, ſi jacturàm totius ſubſtantiæ molitus fuerit. Hac tamen pœna non afficitur pater ſecundum conjugium contrahens, quia nullibi cavetur, & quia non præſumitur ob amorem uxoris animum mutatus, ſicuti præſumitur de matre ob ejus innatam inconſtantiam, & leviratem: ſic tradit Sanch. *d. diſp.* 88. *numero* 35. *ex gloſſa in d. Authent. mater. verbo*, *niſi tamen*, *& d. Auth. quod mater*, *in fine.*

27. Duodecima juxta aliquos, quos tacito nomine refert Garron. *Rub. Cod. de ſecundis nuptiis*, *num.* 52. *pœna* 26. eſt amiſſio tacitæ hypothecæ, quam vidua habet in bonis mariti, juríſque prælationis pro dote ſibi ſolvenda, juxta *l. aſſiduis*, *ff. qui potiores in pignore.* Etenim cùm hæc hypotheca, & jus prælationis concedatur, ut facilius fœminæ nubere poſſint, *l.* 1. *ff. ſoluto matr.* in vidua jam nupta ratio prædicta ceſſat, ac proinde ceſſare debet privilegium. Sed rectiùs Sanch, pluribus relatis *d. diſp.* 88. *n.* 34. negat viduam ſecundò nubentem amittere dictam hypothecam, & jus prælationis. Nam eſto hoc privilegium fœminis concedatur, ut facilius nuptias contrahere poſſint. At nuptiis contractis, eóque privilegio acquiſito, ſemper retinetur, ſive nuptiæ iterum contrahantur, ſive non, quia ab his jam non pendet, aliàs vidua incapax nuptiarum ob religionis profeſſionem privata eſſet eo privilegio, quod non eſt dicendum: Ergo ex eo quod ſecundas nuptias contraxerit privilegium tacitæ hypothecæ, & juris prælationis, quod in bonis mariti prioris acquiſivit nullatenus amittit, cùm nullo jure hæc pœna inducta ſit.

28. Decimatertia pœna eſt, tum obligatio, quam pater habet rogatus ab avo reſtituere hæreditatem, & filiis ſatisdare de ea reſtituenda, ſi ſecundam uxorem ducat. *Lege jubemus*, §. *in ſupradictis*, *C. ad Trebell.* Et *Auth. de nupt.* §. *placet.* Tum obligatio præſtandi cautionem de bono uſu adventitiorum, quorum, uſumfructum habet, juxta *legem Hac edictali*, §. *his illud*, *C. de ſecundis nuptiis*, Et tradit Matienzo *lib.* 5. *recop. tit.* 1. *l.* 3. *gloſſ n.* 12. *&* 16. Sanch. *d. diſp.* 88. *n.* 35.

29. Decimaquarta pœna eſt obligatio, quam ſubit mater filii bona adminiſtrans reddendi rationem de modicis: *Auth. de Nuptiis*, §. *ſin autem tutelam*, quia ob ſecundas nuptias ſuſpecta redditur, á qua obligatione exempta erat in ſtatu viduali, juxta *l. quamvis*, *ff. de conditionib. & demonſtrationib.* Bald. *in lege cùm oportet*, §. *fin. n.* 4. *Cod. de bonis quæ liberis*, Paul. *ibi*, §. *fin. in fine.* Matien. *lib.* 5. *recop. tit.* 1. *lege* 3. *gloſſ.* 2. *n.* 2. quos refert, & ſequitur Sanch. *d. diſp.* 88. *n.* 36. Additque id verum eſſe, tametſi à viro relicta ſit tutrix filiorum, & à reddendis rationibus relevata, quia non præſumitur relevari tranſiens ad ſecundas nuptias, & in filiorum præjudicium, niſi id fuerit expreſſum.

30. Ad extremum docet rectè Sanch. *d. diſp.* 88. *n.* 37. adverſus alios graviſſimos Doctores poſſe conjuges ſe mutuó obligare ſub aliqua pœna abſtinendi à ſecundo conjugio priori illo diſſoluto, quia nullus eſt Textus hanc obligationem pœnalem interdicens. Nam Textus *in cap. gemna*, *de ſponſalib.* Et *l. Titia*, *ff. de verborum obligationib.* interdicunt ſtipulationem ſponſalibus appoſitam, ne ab illis recedatur. Quæ ſtipulatio meritò ceſſatur, quia cogit ad matrimonium ineundum, quod coactè contractum difficiles exitus habet. *Cap. requiſiſti. De ſponſalibus.* At hæc ſtipulatio non ad matrimonium ineundum, ſed ad abſtinendum à matrimonio cogit quod longè diverſum eſt. Et licèt Textus *in l. quoties* 22. *ff. de conditionib. & demonſtrationib.* reiiciat conditionem appoſitam abſtinendi à nuptiis, & Textus *in l. adigere* 6. *ff de jure patronatus*, remittat juramentum à liberto factum de uxore non ducenda, non inde infertur prædictam ſtipulationem, & obligationem pœnalem à ſecundis nuptiis abſtinendi invalidam eſſe, quia prædicti Textus ſolùm reiiciunt conditionem, & juramentum abſtinendi à nuptiis, quod de primis nuptiis intelligendum eſt juxta Textum *in Authent. cui relictum*, *Cod. de indicta viduit.* non autem reiiciunt conditionem, & juramentum à ſecundis nuptiis abſtinendi. Præterquam quòd aliud eſt conditio, & juramentum ex alienâ voluntate oppoſitum, aliud eſt ſi propriâ voluntate ſuſcipiatur: primum in prædictis legibus reiicitur, non autem ſecundum. Quinimo juramentum à primis nuptiis abſtinendi nunquam reiici poteſt jure Canonico ſpectato, aliàs votum, & juramentum virginitatis ſervandæ irritum eſſet, quod non eſt dicendum

31. Quoad ſecundum *in titulo hujus* §. propoſitum: An ſcilicet prædictæ pœnæ jure Canonico irritatæ ſint? Quamvis aliqui graviſſimi Doctores, quorum meminit Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 88. *num.* 38. cenſeant ſpectato juris rigore irritari, eo quòd obſtent matrimonii libertati, cui favere intendit Textus *in cap. fin. de ſecundis nuptiis.* Attamen receptiſſima ferè omnium Doctorum ſententia eſt, nullam ex prædictis pœnis jure Canonico ceſſari; eo quód non ſint pœnæ ob ſecundas nuptias impoſitæ, ſed poſitis ſecundis nuptiis ſint quædam legales diſpoſitiones juri naturali maximè conformes in favorem filiorum prioris mariti; ſicuti rectè expendunt poſt alios antiquiores Covarr. *in* 3. *decret.* 2. *part. cap.* 3. §. 9. *n.* 5. Anton. Gab. *tit.* 3. *commun. opin lib* 3. *tit de ſecundis nuptiis*, *concl.* 6. *à n.* 1. Matien. *lib* 5. *recop. tit.* 1.

tit. 1. leg. 3. gloss. 2. num. 1. & 44. Sanch. lib. 7. disp. 88. n. 39. Gutierr. in repet. leg. nemo potest, n. 2. ff. de legatis 2. & lib. 2. pract. q. 95. n. 5. & de matr. c. 108. n. 21. & 22. & alii.

§. IV.

Qualiter parens secundum matrimonium contrahens, teneatur reservare filiis prioris matrimonii bona, quæ à primo matrimonio processerunt?

1 *Conjux ad secunda vota migrans, tenetur reservare filiis prioris matrimonii quidquid ab alio conjuge acceperit titulo lucrativo.*

2 *Procedit decisio non solùm in matre transeunte ad secundas nuptias, sed etiam in patre secundum conjugium ineunte.*

3 *Item procedit in bonis à conjuge acceptis non solùm immediatè, sed etiam mediatè.*

4 *Reservanda sunt hæc bona, ut æqualiter inter filios prioris matrimonii dividantur.*

5 *Non est correctum per legem regiam* 19. Tauri.

6 *Filius prælatus in tertia parte bonorum, an succedere debeat in proprietate quinti à matre amissi æqualiter cum suis fratribus, vel an in eo melioratus intelligatur?*

7 Sanch. *censent melioratum intelligi.*

8 *Verius est oppositum.*

9 *Conjux ad secundas nuptias transiens, non potest proprietatem bonorum immobilium, quæ ab alio conjuge accepit alienare.*

10 *Si de facto conjux prædicta bona alienaverit, non amittitur ususfructus conjugi, nec filii possunt à possessoribus vindicare tametsi contrarium censeat* Bald.

11 *Post mortem conjugis poterunt filii ea petere, & vendicare à possessoribus.*

12 *Si parens ea bona non alienavit, sed consumpsit, tenentur hæredes ex illius bonis satisfacere.*

13 *Hæredes mariti obligati sunt restituere uxori bona in dotem accepta, & æstimata, si culpa mariti perierunt.*

14 *Ut locus sit huic reservationi quadruplex conditio requiritur.*

15 *Qui veniant nomine conjugis ad secundas nuptias transeuntis intelligendi?*

16 *Deinde expenditur quale debeat esse matrimonium?*

17 *Supradictis bonis reservandis continetur legatum, quod ex quinto bonorum conjux à conjuge prædefuncto accepit.*

18 *Mater ad secundas nuptias transiens tenetur reservare bona quæ ex substitutione pupillari patris accepit per mortem filii.*

19 *Hæc bona quæ filiis ex testamento patris reservanda sunt debent esse bona ex substantia patris procedentia.*

20 *Bona concessa conjugi superstiti contemplatione conjugis prædefuncti, affirmant plures reservanda esse filiis prioris matrimonii. Sed oppositum verius est.*

21 *An conjux succedens filiæ in dotem ab utroque conjuge donatam reservare eam teneatur filiis prioris matrimonii. Affirmat* Azevedo, *sed rectius* Sanch. *asserit solam dimidiam partem reservandam esse.*

22 *Examinatur, an reservanda sit legitima patris, quam filius defunctus matri superstiti, & transeunti ad secundas nuptias reliquit?*

23 *Non tenetur reservare filius proprii matrimonii bona, quæ pervenerunt ad filium ex substantia avi, in quibus pater vel mater transiens ad secunda vota successit.*

24 *Conjux secundò nubens succedit pleno jure quoad proprietatem, & usumfructum in bonis, quæ aliunde pervenerunt ad filium, quam ex substantia parentis mortui.*

25 *Procedit hæc reservatio bonorum quoad proprietatem, tametsi filii hæredes conjugis defuncti non fuerint.*

26 *Bona conjugis defuncti superstiti parta titulo oneroso ipsius sunt pleno jure.*

27 *Conjux succedens in bonis, quæ filius à suo patre ex titulo oneroso habuit, non est obligatus reservare ea filiis prioris matrimonii.*

28 *Arræ reservandæ non sunt filiis prioris matrimonii, secus verò sponsalitia largitas.*

29 *Lucra acquisita constante matrimonio quoad medietatem non sunt reservanda.*

30 *Bona quæ conjux superstes acquirit ex defuncti matrimonio, lege, seu consuetudine sic disponente reservanda sunt filiis, juxta probabiliorem sententiam.*

31 *Bona quæ conjux superstes acquirit ex pacto cum defuncto inito, verius est reservanda esse.*

32 *Quarta pars bonorum conjugi defuncti debita conjugi superstiti pauperi, reservanda est filiis prioris matrimonii.*

33 *Ad bonorum reservationem necessariò requiritur, ut filii prioris matrimonii supersint.*

34 *Proponuntur sententiæ, An si ex priori matrimonio supersint filii, cùm conjux ad secundas nuptias transit, ipsique nulla relicta prole viuente conjuge decesserint, obtineat conjux plenè dominium illorum bonorum, ac si nullos ex priori matrimonio filios habuisset?*

35 *Resolvitur parentem secundo conjugatum in eâ proprietate succedere, consolidarique cum usufructu.*

36 *Solvuntur opposita fundamenta.*

37 *Fructus illorum bonorum, quos conjux transiens ad secunda vota percipere potest, & quorum proprietas filiis prioris matrimonii reservatur, si tempore mortis nondum percepti sint, ad filios prioris matrimonii pertinent.*

1. COnjux ad secunda vota migrans tenetur servare filiis prioris matrimonii quidquid ab alio conjuge acceperit, quocumque titulo lucrativo, sive donatione inter vivos, sive ex ultima voluntate reservato sibi tantùm usufructu dum vixerit: Habetur *in leg. fœminæ, in princ. & leg. hac edictali, §. illud, C. de secundis nuptiis, leg. 2. C. de indicta viduit. tollenda leg. mater, Cod. ad Tertulian.* Et *Authent. de Nuptiis, §. si verò expectet, collat. 4.* Et *leg. regia 26. tit. 13. part. 5.* & tradunt ferè omnes Doctores. Quod adeò verum, est ut statim ac secundum matrimonium perficitur nullâ expectatâ judicis sententiâ dominium, & proprietas illorum bonorum jure sic disponente liberis prioris matrimonii adjudicetur, solúsque ususfructus patri concedatur, ut constat *ex dicta Authent. de Nuptiis, §. si verò, collat. 4.* Et *ex d. leg. fœminæ.* Et *Authent. ex. testamento, Authent. in donationibus, de secundis nuptiis.* Et *leg. generaliter initio, C. eodem tit.* Et notavit Sanch. *disp. 89. n. 2.* Gutierr. *c. 109. n. 4* Ratio hujus decisionis præcipua est injuria tum conjugi defuncto, tum liberis ipsius facta, uti colligitur *ex Auth. de Nuptiis, § si autem tutelam, & §. quæ verò, & §. soluto*, & aliis.

Et licèt Textus *in dicta leg. fœminæ, in princ.* loquatur de conjuge transeunte ad secundas nuptias post annum luctus, à fortiori est idem dicendum si transeat intra annum luctus, uti docuit Glossa *ibi verbo statutum, & d. leg. generaliter eodem verbo*, & *ibi* Bald. *in princ. ante primum notabile.* Sanch. *d. disp. 89. n. 2.* Gutierr. *c. 109. n. 7.* Quippe injuria conjugi defuncto, & liberis irrogata gravior est.

2. Proceditque decisio non solùm in matre transeunte ad secundas auptias, sed etiam in patre secundum conjugium ineunte, uti colligitur *ex Auth. de nuptiis, collat. 4. §. si vero expectet*, ibi: Et *hæc communis mulieris, & viri multa sit posita.* Et *leg. generaliter, C. de secundis nuptiis.* Favor namque filiorum, qui ab hac respuitur æquè in patre, ac in matre procedit, ut multis allegatis docet Covarr. 4. *decret. 2. p. c. 3. §. 9. n. 7.* Ant. Gomez *in leg. 15. Tauri, n. 4.* Matien. *lib. 5. recop. tit. 1. leg. 4 gloss. 3. n. 1.* Azevedo *ibi n. 29.* Gutierr. *lib. 2. pract. q. 95. n. 3. & de matr. c. 109. n. 8. & 25.* Sanch. innumeros referens *l. 7. disp. 89. n. 10.* expresséque decisum est *in leg. 15.*

leg. 15. *Tauri*, quæ hodie eſt *leg.* 4. *tit.* 1. *lib.* 5. *novæ collect.*

3. Rurſus deciſio procedit non ſolùm in bonis à conjuge immediatè acceptis, ſed etiam mediatè. v. g. ex ſucceſſione filii prioris matrimonii. Quia hæc propriè ſunt à conjuge accepta, ut colligitur *ex Auth. de Nuptiis*, §. *hinc nos*, *verſ. autem inteſtatus* Et *ibi* Gloſſa. Et pluribus comprobat Sanch. *d. diſp.* 89. *n.* 18. Gutierr. *cap.* 109. *n.* 2. quidquid in contrarium prætendit Fachineus *lib.* 3. *contr. c.* 64. comparatione bonorum, quæ ex ſucceſſione filii habentur.

4. Reſervare autem debet hæc bona æqualiter inter filios prioris matrimonii dividenda. Nam licet jure antiquo Codicis *in l. general. in princ.* Et *leg. fœminæ. C. de ſecundis nuptiis*, permiſſum eſſet matri ad ſecundas nuptias tranſeunti bona à conjuge priore accepta inter filios prioris matrimonii dividere, & in eis præferre quem ex illis vellet. At jure novo Authenticorum hæc electio, & diviſio ſublata eſt, ut conſtat *ex Auth. lucrum, C. de ſecundis nuptiis*, ibi: *Lucrum hoc æqualiter inter liberos diſtribuatur, non arbitrio parentis permittitur.* Idem habetur *Auth de Nuptiis*, § *venient. collat.* 4. Et *Auth. de non eligendo ſecundò nubentes, proſpeximus, coll.* 1. Et licèt Sarmiento, *lib.* 7. *ſelect. c.* 11. *n.* 1. contendat diſpoſitionem juris antiqui Codicis incorrectam eſſe quoad bona, quæ conjux ex ſucceſſione filii acceperat, ſiquidem *Auth. lucrum*, *C. de ſecundis nuptiis*, & aliis expreſsè tantum loquuntur de bonis ab alio conjuge acceptis immediatè, non verò de iis quæ mediatè ſcilicet ex ſucceſſione filii acquiruntur, & juris correctio quoad fieri poſſit vitanda eſt. At rectiùs Anton. Gomez *in leg.* 14. *Tauri. num.* 2. & 3. Matien. *lib.* 5. *recop. tit.* 1. *leg.* 3. *gloſſ.* 2. *num.* 42. Azevedo *in leg.* 4. *n.* 5. Molin. *t.* 1. *diſp.* 163. *notab.* 3. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 89. *n.* 4. Gutierr. *lib.* 3. *pract. quæſt.* 43. *num.* 25. Et *de matr. cap.* 109. *num.* 9. & 10. cenſent nullatenus conjugem poſſe in bonis quæ filiis prioris matrimonii reſervantur diviſionem, aut prælationem facere. eo quòd hæc diviſio, & prælatio ex natura rei fieri nequit ab eo, qui in illis bonis Dominium non habet, ſolumque ex permiſſione legis id præſtare poteſt. At lex antiqua Codicis non permittebat expreſsè hanc diviſionem, prælationem in bonis à conjuge mediatè habitis, ſed ſolùm in bonis, quæ à conjuge immediatè provenerunt. Leges verò Authenticorum omnem hanc diviſionem, & prælationem jure Codicis permiſſam ſuſtulerunt. Ergo cenſenda eſt ſublata poteſtas dividendi, & præferendi tam in bonis immediatè à conjuge habitis, quàm mediatè.

5. Neque hoc correctum ullo modo eſt per legem regiam 19. *Tauri*, hodie lex. 3. *titul.* 6. *lib.* 5. *collect.* quâ ſtatuitur, ut poſſint parentes meliorare filium quem malint in tertia, & quinta ſuorum bonorum parte, ibi: [Puedan ſeñalar en cierca coſa o parte de ſu hacienda el tertio, y quinto de mejora;] quia hæc lex loquitur de bonis, quæ parentis propria ſunt, non de bonis, quæ ſunt filiorum propria, & tantùm uſus fructus parenti competit, ut rectè notavit Sanch. *diſp.* 89. *n.* 3. Gutierr. *c.* 109. *n.* 10.

6. Ex his deducitur quid ſentiendum ſit, ſi conjux prædefunctus prætulit filium in tertia bonorum ſuorum parte, & quintum reliquit conjugi ſuperſtiti jure legati, qui poſtmodum ad ſecundas nuptias tranſit, an ille prælatus in tertia parte bonorum ſuccedere debeat in proprietate illius quinti æqualiter cum ſuis fratribus, juxta diſpoſitionem *dicta Auth. lucrum*, *C. de ſecundis nuptiis*, quæ decidit æqualiter inter filios prædictum lucrum eſſe diſtribuendum non arbitrio parentis, an potius ille filius in tertia illius quinti melioratus ſit.

7. Sanch. *d. diſp.* 89. *n.* 5. cenſet meliorandum, & reſiduum inter ipſum, & alios fratres æqualiter dividendum, teſtatùrque duos Cauſidicos Prætorii Granatenſis à ſe conſultos ſic affirmaſſe. Ducitur eâ ratione, quia Authenticæ ſunt infertæ, in libro Codicis à quodam privato Authore, ideoque vim legis obtinere nequeunt, niſi quatenus cum originario concordant. At *Authent lucrum*, malè tranſlatum eſt ex originario quod eſt *Auth. de nuptiis*, §. *venient collat.* 4. ſiquidem omiſſa ſunt verba, ideóque ſecundùm portionem unuſquiſque hoc lucretur. Ergo filius ille ſucceſſurus eſt in illo quinto ſecundùm portionem, ſecundùm quam patri defuncto ſucceſſit, cùm ſuccedat in illius bonis, atque adeò in tertia præferendus eſt.

8. verùm etſi hic modus dicendi probabilis ſit, veriorem exiſtimo qui affirmat filium illum æqualiter cum aliis fratribus in illo quinto ſucceſſurum, quod ipſemet Sanch. generaliter probavit adverſus Sarmiento *d. diſp.* 89. *n.* 3. & 4. Et docet expreſsè Gutierr. *c.* 109. *n.* 12. & *ſeqq.* Et ſuboſcurè Ripa *in leg. fœminæ*, *in princ. in nova edit. q.* 25 *num.* 67. *Cod. de ſecundis nuptiis.* Move or: quia filius ille eſto fuerit à patre prælatus in illo quinto, cùm integrum conjugi ſuperſtiti reliquerit, neque aliquid diſpoſuit de diſtributione illius quinti caſu, quo conjux ſecundum matrimonium iniret. Ergo reliquit juris communis diſtributioni, quâ ſtatuitur æqualiter inter filios diſtribuendum eſſe. Secundò: Authenticæ eſto inſertæ ſint in libro Codicis à quodam privato Authore (quod non credimus) vim tamen legis obtinent, provt ibi inſertæ ſunt, quia ſic ſunt à tempore immemoriali approbatæ, & ſecundùm earum tenorem cauſæ in tribunalibus dèciduntur; ac proinde eſto malè tranſlata eſſe ex originario, ſecundùm illius tranſlationem interpretatio facienda eſt. Tertiò: quia dictum Authent, originarium *de Nuptiis*, §. *venient.* nullatenus hanc inæqualitatem, & prælationem probat, ſed potius contrarium, cùm manifeſtè dicat ex quo (ideſt qualiter) bona illa inter liberos eſſe dividenda, quia omnes æquè ſecundis nuptiis offenduntur. Cùm verò inquit. Unuſquiſque ſecundùm portionem ſuam lucretur, non intelligit de portione prælationis, de qua nulla mentio facta eſt, ſed de portione legitima, in qua omnes filii æqualiter parti ſuccedunt.

9. Secundò deducitur conjugem ad ſecundas nuptias tranſeuntem non poſſe proprietatem bonorum, quæ ab alio conjuge accepit alienare, obligare; aut de ea alio modo diſponere; quia non proprietas, ſed uſus fructus tantùm ei competit, ut deciſum eſt *in leg. fœminæ*, *& leg. generaliter*, *in princ. C. de ſecundis nuptiis.* Et *Auth. de nuptiis*, §. *ſed quod ſancitum eſt.*, *collat.* 4. & tradunt omnes. Ideóque tenetur maximè mater iliorum bonorum inventarium facere, & ſatiſdare de illorum reſtitutione filiis facienda cum æſtimatione damni, vel deteriorationis, juxta *leg. Hac edictali*, §. *is illud.* & §. *nobilibus*, *C. de ſecundis nuptiis.* Et *ibi* Gloſſa communiter recepta. Quod intelligendum eſt, ſi bona ſint mobilia, nam ſi immobilia ſint & mater ſit ſolvendo non videtur obligata prædictam cautionem præſtare, quia hæc difficilius alienantur, & quia omnia ſua bona ſunt tacitè hypothecata pro horum bonorum ſolutione. juxta *l. ſi quis prioris.* § *finali*, C. *de ſecundis nupt.* Et tradunt Anton. Gomez *in leg.* 15. *Tauri. n.* 5. Azevedo *in leg.* 4. *n.* 50. & 53. *tit.* 1. *lib.* 5. *novæ collect.* Gutierr. *c.* 106. *de matr. n.* 16.

10. Quod ſi de facto conjux prædicta bona alienaverit, placet Baldo *in l. generaliter*, *Paragr. in his*, *C. de ſecundis nuptiis*, ſtatim conjugem amittere uſum fructum, & cum proprietate conſolidari, poſſéque filios ea à quibuſcumque poſſeſſoribus vindicare, argum. Textus *in l. ſic uſus fructus*, *ff. de jure dotium & paragr. finitur*, *inſtit. de uſufructu.* Sed rectiùs contrarium cenſuit Ant. Gomez *in d. leg.* 15. *Tauri*, *n.* 5. Sanch. *d. diſp.* 89. *n.* 7. Gutierr. *c.* 109. *n.* 14. eo quòd illa bona non ſint filiis adjudicanda, niſi poſt mortem conjugis uſufructuarii, juxta *Auth. de non eligendo ſecundò nubentes*, *paragr. hoc autem*, *collat.* 4. At contingere poteſt, ut filii priùs quàm mater decedant, quo caſu nihil ad eos pertinet. Nequeunt ergo vivente matre ea bona vindicare.

vindicare. Quod secùs est in aliis usufructuariis, quorum bonorum dominium irrevocabiliter alteri competit, quæ si à fructuario alienentur indebitè, dominus ea vindicare potest. At filii non sunt firmiter domini illorum bonorum, siquidem decedentes ante matrem, neque ipsi, neque eorum hæredes aliquid acquirunt, ac proinde ante mortem matris ea vindicare nequeunt, uti colligitur *ex Auth. de Nuptiis*, §. *sed quod sancitum est*. Et *ibi* Glossa.

11. Post mortem verò conjugis poterunt filii ea petere, & vindicare à possessoribus, quòd non solùm verum existimo de iis bonis, quæ post transitum ad secundas nuptias alienata sunt, sed de his quæ antea alienata fuerunt. Nam licèt ea alienatio facta sit tempore congruo, at facta est sub eo onere à secundis nuptiis abstinendi. Quâ conditione non servatâ revocabilis est alienatio à filiis post mortem matris, utpotè in eorum præjudicium facta, sicuti tradit ex communi sententia Ant. Gomez *in dicta lege 5. Tauri, n. 5.* Gutierr. *d.c.* 109. *n.* 15. probátque expressè *Textus in* §. *hoc autem*, *Auth. de non eligendo secundò nubentes*, *collat.* 1.

12. Quod si parens ea bona non alienavit, sed consumpsit, tenentur hæredes ex illius bonis filiis satisfacere, ut deciditur *in leg. fœminæ*. Et *l. generaliter*, *Cod. de secundis nuptiis*, nam cùm solùm usumfructum in illis bonis habeat, nequit ea consumere. Quod si voluntariè consumit obligatur illorum æstimationem filiis tradere. Secùs esset, si absque ejus culpa bona illa consumerentur; quia tunc filiis utpotè dominis pereunt, juxta *l. incendium*, *C. si certum petatur*. Atque ita tradit Bald. *in d.l. generaliter*, *num.* 2. Nicolaus Arelatens. *ibi*, *n.* 116. Ripa *in d.l. fœminæ*, *in fine*. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 89. *n* 8. Gutierr. *c.* 109. *n.* 17.

13. Juxta quam doctrinam infert Gutierr. *à n.* 18. *& seqq.* obligatos esse hæredes mariti restituere uxori bona in dotem accepta, & æstimata, si culpa mariti perierunt. Secùs verò si ipsi probaverint absque illius culpâ consumpta esse. Quod intelligendum est de bonis in specie consistentibus, secùs verò de bonis, quæ consistunt in pondere, numero, & mensura; hæc enim etiam inæstimata tenentur hæredes mariti uxori reddere juxta valorem, & æstimationem tempore dissoluti matrimonii contingentem, quia ea accipit maritus quasi in mutuum sub obligatione distrahendi, vendendi, & consumendi. Quippè maritus constituitur custos, & procurator uxoris, & ipsius rerum dotalium. Vide Anton. Gom. *l.* 51. *Tauri*, *à num.* 42.

14. Ut verò huic reservationi bonorum locus sit, quadruplex conditio requisita est ex communi sententia teste Sanch. *disp.* 89. *num.* 9 & Gutierr. *c.* 109. *num.* 24. Prima, ut conjux ad secundas nuptias transeat. Secunda, ut bona sint acquisita ex conjugis prædefuncti patrimonio. Tertia, ut sint acquisita titulo lucrativo. Quarta, ut supersint filii prioris matrimonii.

15. Circa primam conditionem, quæ est ut conjux ad secundas nuptias transeat, dubitatur primò, quid nomine conjugis intelligatur? Et certum est intelligi non solùm matrem, sed patrem, ut *superiùs* diximus. An autem intelligantur avi, & proavi comparatione nepotum, aliorúmque descendentium? Negat Molin. *t.* 1. *tract.* 2. *disp.* 163. *notab.* 3. eo quòd leges statuentes hanc bonorum reservationem frequenter nomine, filiorum utuntur, *ut in leg. fœminæ*, *in princ. Cod. de secundis nuptiis*. Et *Auth. de nuptiis*, §. *quod infirmas*, ibi *: filiis*, *quibus solis hæc servavimus :* ubi notanda est dictio *solis*, quæ nepotes excludit, *leg. jubemus*, §. *fin. C. ad Trebellian.* Et licèt hæreditas magis debita sit parentibus, quàm aliis ascendentibus, *Auth. defuncto*, *& Cod. ad Trebell.* hoc solùm probat avos, & proavos privandos hæreditate esse ob secundum conjugium, siquidem parentes privantur, non tamen de facto privatos esse, cùm leges correctoriæ, & finales ex similitudine rationis extendi non debent ultra casum expressum. Cæterùm communissima sententia est, & omnino sequenda, avos, & proavos sicut & parentes privari quoad proprietatem bonis ab avita, & proavita acceptis, sicuti privantur parentes ob secundum matrimonium contractum, reservarique nepotibus, aliisque descendentibus, sicuti docuit Glossa *in l. generaliter*, *in princ. C. de secundis nuptiis*, Menoch. *concl.* 155. *num.* 31. *volum.* 2. Gregor. Lopez *in leg.* 26. *verbo fican. tit.* 13. *part.* 5. Matien. *lib.* 5. *recop. tit.* 1. *leg.* 3. *Gloss.* 3. *in fine*, Gutierr. *de matr. c.* 109. *n.* 27. Sanch. plures referens *lib.* 7. *disp.* 89. *num.* 12. Ratio est, quia esto in prædictis legibus nomen filii tantùm expressum sit, id factum est ratione frequentioris usus, & quia de patre sermo habebatur; præterquam quod *in leg. fœminæ*, *in fine princ.* nomine liberorum utitur, sicut *& Auth. lucrum*, *Cod. de secundis nuptiis*. At appellatione liberorum nepotes, reliquique descendentes veniunt, uti dicitur *in leg. liberorum* 220. *ff. de verb. significat.* Deinde *in leg. in quibus*, *C. de secundis nuptiis*. Et *leg. si quis prioris*, *C. eodem tit.* expressè habetur non solùm filiis, sed nepotibus, & pronepotibus hæc bona reservari.

Hoc autem, ut rectè notarunt Sanch. & Gutierr. *suprà*, intelligendum est de bonis, quæ avus ab avia, vel è contra acceperit, esto ad nepotes priùs pervenerint. Secùs est de bonis aliunde quàm ab avo, vel avia susceptis, quæque pater vel mater reliquerit filiis suis. In his namque esto avus, vel avia succedat, non obligatur ea nepotibus reservare transiens ad secunda vota. Quia hæc nec mediatè sunt bona conjugis prædefuncti.

16. Secundò dubitatur, quale debeat esse matrimonium tam primum, quàm secundum, ut locus sit prædictæ bonorum reservationi? Et in primis certum est priùs matrimonium debere esse consummatum, nam cùm hæc reservatio in filiorum favorem statuta sit, cessante matrimonii consummatione, non adsunt filii, quibus favor præstari possit, quibusque irrogetur injuria matrimonio secundò contracto, uti docuit Sanch. *lib.* 7. *disp* 87. *num.* 19. Gutierr. *cap.* 109. *num.* 28. *in fine*. Si autem hoc primum matrimonium consummatum sit, at constat fuisse irritum, distinguendum est, si utriusque conjugis malitia contigit irritatio, quo casu filii legitimi sunt, nullatenus secundo matrimonio prædicta reservatio contrahitur. At si ex parte alterius conjugis bona fides adfuit, quæque sufficit, ut filii legitimi nascantur, docet Ripa *Rub. Cod. de secund. nupt. num.* 13. Sanch. *disp.* 89 *num.* 13. locum esse huic reservationi, quia his filiis utpotè legitimis irrogatur injuria novis nuptiis. Quod mihi difficile est. Nam cùm hæc reservatio pœnalis sit, & imposita ob secundas nuptias, & hæ verè, & propriè secundæ non sint, sed primæ, siquidem priores irritæ fuerunt, non videtur dicta reservatio ad has nuptias extendi, neque filii propriè dehonestantur ex eo quòd eorum parens novas nuptias contrahat, cùm tamen priores veræ non fuerint. Si enim Sanch. *d. num.* 13. censet excusari ab hac reservatione, si secundum conjugium irritum sit, quia verè non est conjugium; cur non excusabit, quod prius matrimonium irritum fuerit.

Posito autem priori matrimonio legitimo & consummato, verius existimo secundum matrimonium & legitimum, & consummatum esse debere, uti docet Sanch. *d. disp.* 89. *num.* 13. Gutierr. *cap.* 109. *num.* 28. Debere esse legitimum constat, quia aliàs non est secundum. Quod verò debeat esse consummatum probo, quia Textus hanc reservationem indicentes utuntur nomine nuptiarum, ad quas conjux superstes transire debet. At nomine nuptiarum matrimonium consummatum intelligitur, maximè in legibus correctoriis, & pœnalibus, qualis hæc est. Præterea quia nec viro, nec filiis prioris matrimonii plenè, & perfectè irrogatur injuria secundo matrimonio absque consummatione.

17. Circa secundam conditionem, quæ est, ut bona sint à conjuge prædefuncto accepta, varias movet

quæſtiones Sanch. *d. lib. 7. diſp. 89. à. n. 14.* quem ſequitur Gutierr. *d. c. 109. num. 29.* Prima, an ſub. prædictis bonis reſervandis contineatur legatum, quod ex quinto bonorum, vel juxta conſuetudinem loci conjux ſuperſtes à conjuge prædefuncto accepit? Ratio dubitandi eſt, quia hoc legatum accepit conjux à conjuge prædefuncto, tanquam ab extraneo, ſiquidem extraneo concedi poterat, ideò namque ſi filius prioris matrimonii leget aliquid patri, vel matri, non tenetur pater vel mater tranſiens ad ſecundas nuptias hoc legatum filiis reſervare, quia accepit a filio tanquam ab extraneo, ut expreſsè deciditur *in Authent. ex teſtamento, C. de ſecundis nuptiis.* ergo idem erit in legato à conjuge accepto. Sed oppoſitum omnino tenendum eſt in filiorum favorem ex expreſſo Textu *in l. fœmina, in princ. C. de ſecundis nuptiis*, ibi: *teſtamento jure directo, aut fidei commiſſi, aut legati titulo*, quia hæc omnia habentur titulo lucrativo, neque corrigitur hæc lex per *Auth. ex teſtamento*, ſed ob favorem filiorum, ſatisfactionem injuriæ illis illatæ redditur conjux deterioris conditionis, quàm quilibet alius extraneus, uti docuerunt Oldrad. *conſ. 33. num. 3.* Ripa *in dicta l. Fœmina, in princ. in nova edit. q. 16. num. 51.* Boërius *dec. 185. num. 7.* Palacios Rubios *l. 14. Tauri, num. 22.* Et *ibi* Caſtillo *n. 8.* Zifuentes *l. 15. Tauri, n. 2.* Et *ibi* Anton. Gomez *n. 2.* Matien. *lib. 5. recop. tit. 1. l. 3. gloſſ. 2. num.* Azevedo *leg. 4. num. 21. & 26.* Molina *lib. 2. de Hiſpanor. primogen. c. 10. n. 60.* Molina Jeſuita, *tom. 2. tract. 2. diſp. 431. verſ. dubium eſt*, Sanch. *lib. 7. diſp. 89. n. 14.* Gutierr. *c. 109. num. 29.*

18. Secunda quæſtio, an hæc reſervatio comprehendat bona quæ ex ſubſtitutione pupillari patris per mortem filii conſecuta mater eſt? Si enim ſubſtitutio illa pupillaris cenſeatur teſtamentum patris intrat reſervatio, ut eſt notiſſimum. Si verò cenſeatur filii ceſſat reſervatio *ex Auth. ex teſtamento, C. de ſecundis nupt.* Quod ſi cenſeatur utriuſque patris, & filii; patris quoad ordinationem; filii quoad ſucceſſionem gravior eſt dubitatio. In qua Bald. *conſ. 24.* quod incipit, *Ad evidentiam, n. 3.* & latiùs *conſ. 216.* incipiens *caſus talis eſt:* cenſet non teneri matrem ad ſecundas nuptias tranſeuntem ea bona filiis reſervare, quia eſto ex ordinatione teſtamentaria ſui conjugis acceperit, accepit tamen ex filii ſucceſſione teſtamentaria juxta *leg. Papinianus, §. ſed neque impuberi ff. de inofficioſo teſtam.* Ergo poterit mater ea ſibi reſervare: nam in caſu dubio pœna reſervationis extendenda non eſt, Conſentit Boërius *dec. 186. n. 2.* Anton. Gab. *t. 5. commun. opin. lib. 5. tit. de ſecundis nuptiis, concl. 3. num. 24.* Sed rectiùs Garron. *Authent. ex teſtamento, à n. 15. uſque ad 18. C. de ſecundis nuptiis*, Acoſta *in cap. ſi pater, 3. p. verbo cenſendum, num. 19. de Teſtament. in 6.* Sanch. *lib. 7. diſp. 89. n. 15.* Gutierr. *cap. 109. num. 30.* cenſent bona, quæ mater habet ex ſubſtitutione pupillari patris filio facta reſervanda eſſe aliis filiis prioris matrimonii. Quia ea bona non ex legatione, & liberalitate filii accepit, ſiquidem filius ea matri auferre, aut gravare non poterat, ſicuti poteſt quæ ex ſuo teſtamento & liberalitate reliquit. Sed ea mater habet ex liberalitate teſtamentaria ſui conjugis? quippè poterat conjux prædefunctus conjugem à ſubſtitutione excludere, & alteri extraneo concedere. Sed quæ conjux ſuperſtes ex liberalitate ſui conjugis, & ex illius bonis accepit, tenetur filiis prioris matrimonii reſervare. Ergo tenetur reſervare bona ex hac ſubſtitutione pupillari accepta.

19. Hæc autem bona, quæ filiis ex teſtamento patris reſervanda ſunt debent eſſe bona ex ſubſtantia patris procedentia. Si enim aliunde ſint, eo quod alius tertius patri commiſerit poteſtatem teſtandi, ſeu de ſuis bonis diſponendi, & utens hac facultate ea bona ſuo conjugi reliquit, vel abſolutè, vel per ſubſtitutionem pupillarem, nequaquam hæ filiis prioris matrimonii reſervanda ſunt: quia hæc non à conjuge conferuntur quoad veram dominii tranſlationem, ſed ſolùm quoad electionem, & executionem cùm ipſe illorum dominus non fuerit, ſed ab eo qui poteſtatem conjugi conceſſit. Arg. *l. unum, ex familia, §. ſi falcidia ff. de legat. 2.* ſicuti notavit Sanch. *d. diſp. 89. n. 16.* Gutierr. *c. 109. n. 30.*

20. Tertia quæſtio: An bona conceſſa conjugi ſuperſtiti contemplatione conjugis prædefuncti teneatur tranſiens ad ſecunda vota filiis prioris matrimonii reſervare? Supponimus ita conceſſa eſſe conjugi ſuperſtiti, ut eſto contemplatione conjugis prædefuncti fuerint conceſſa, verè illorum dominus fiat. In hac quæſtione affirmativam partem nempè reſervanda eſſe hæc bona tuetur Ant. Gomez *in leg. 14. Tauri, n. 7.* Valaſc. *conſ. 16. n. 2. volum. 1.* Molin. *t. 2 de juſt. tract. 2 diſp. 431. verſ. dubium eſt.* Moventur quia moraliter loquendo cenſenda ſunt ea bona à conjuge prædefuncto procedere, ſiquidem ob illius cauſam conjugi ſuperſtiti donata ſunt, aliàs non donanda. Sed rectiùs contrarium cenſuit Roman. *conſ. 405. àn. 1.* Decius *in c. Eccleſia de conſtitut. n. 125.* Caſtillo *leg. 15. Tauri, n. 2. verſ. ſed primum verius*, azevedo *in leg. 4. n. 42. tit. 1. lib. 5. novæ collect.* Villalobos *in ſuo æ rario commun. opin. lit. B, n. 38.* Sanch. alios allegans *diſp. 89. n. 17.* Gutierr. *c. 109. num. 31.* Ducor, quia lex privans conjugem ob ſecundas nuptias proprietate bonorum acquiſitorum, & filiis prioris matrimonii reſervans eſt pœnalis, uti traduut omnes, & conſtat *ex Authent. de nuptiis, §. ſi verò expectet*, ibi: *& hæc communis mulieris, & viri mulcta ſit.* Sed hæc loquitur de bonis, quæ conjux ab alio conjuge accepit, ut probat manifeſtè *lex fœminæ, in princ. C. de ſecundis nuptiis*, ibi: *ex facultatibus priorum mæritorum*: & paulò inferiùs *ex bonis priorum maritorum.* Ergo non debet extendi ad bona, quæ non ex facultatibus mariti, ſed ex alterius facultatibus contemplatione mariti conjugi donata ſunt. Nam eſto cenſeantur fuctione juris à marito donata, non tamen verè, & propriè. Non igitur lex pœnalis ad ea bona extendi debet.

21. Quarta quæſtio, An conjux quæ ſucceſſit filiæ in dotem ab utroque conjuge donatam reſervare eam teneatur filiis prioris matrimonii tranſiens ad ſecunda vota? Affirmat etſi dubius Azev. *in l. 4. n. 57. tit. 1. lib. 5. novæ coll.* eo quòd in illa dote, quæ filiæ patrimonium eſt nequeat diſtingui pars, quæ ab ipſa conjuge ſuperſtite proceſſit. Sed rectiùs Sanch. *d. diſp. 89. num. 20.* cenſet ſolam dimidiam partem illius dotis reſervandam eſſe, ſi ab utroque conjuge æquè dos conſtituta fuit, ſin minus reſervandam eſſe ſolam eam partem, quæ à bonis conjugis prædefuncti proceſſit, quia ſola ea reſervantur, non tamen reſervantur quæ à conjuge ſuperſtite proceſſerunt. Non enim conjux ſuperſtes ſua propria bona filiis prioris matrimonii reſervare debet, ac proinde nec tenetur reſervare uſumfructum, quem in bonis conjugis prædefuncti habet, uti notavit Sanch. *d. diſp. 89. n. 11.* Gutierr. *c. 109. n. 15.* Neque item quæ propria induſtria, & labore acquiſivit, uti tenent omnes.

22. Quinta quæſtio. Quidam filius aliis ſuis fratribus legitimam patris reliquit, unus ex his fratribus deceſſit, ob cujus obitum mater hæres fuit non ſolùm legitimæ illius filii, ſed etiam illius patris, quam ex ſuo patre acceperat, reſervandáne eſt hæc pars aliis filiis, ſi ad ſecundas nuptias tranſeat? Affirmat Azevedo *in l. 40. n. 50. tit. 1. lib. 5. recopil.* motus ex doctrina Bald. *in Auth. ex teſtamento, n. 1. C. de ſecundis nuptiis*, Aſſerentis bonorum originem ſpectandam eſſe. Hæc autem bona à patre proceſſerunt, ergo ea filiis prioris matrimonii reſervanda ſunt. Sed rectiùs Petr. Barboſa *in leg. poſt dotem, n. 76. in fine, ff. ſoluto matrim.* referens deciſum eſſe. Sanch. *d. diſp. 80. n. 22.* Gutierr. *c. 109. n. 32.* cenſent prædictam partem fratris præmortui in qua alius frater ſucceſſit, non eſſe filiis prioris matrimonii reſervandam. Quia eſto à patre proceſſerit,

non

non tamen processit immediatè, sed mediatè scilicet medio fratre. At ut rectè tradit Salicet. *in Authent. ex testamento paulò post princ. super verbo pervenerunt, C. de secundis nuptiis*, conjux transiens ad secunda vota ea sola bona reservare tenetur filiis prioris matrimonii, quæ ab altero conjuge immediatè acceperit, vel mediâ successione filii in bonis paternis. Secùs verò quæ acceperit mediâ successione filii in bonis fratris, quia hæc non sunt censenda bona parentis, sed fratris, à quo originem duxerunt,

23. Sexta quæstio est de bonis, quæ pervenerunt ad filium ex substantia avi, aliorúmque ascendentium præter patrem, & matrem: An si pater, vel mater transiens ad secundas nuptias in his bonis filio succedat, teneatur ea aliis suis filiis prioris matrimonii reservare? Affirmant Matienzo *lib. 5. recop. tit. 1. leg. 3. gloss. 2. n. 15.* Et Molin. *t. 1. de justit tract. 2. disp. 163. notab. 3.* Quia ea bona videntur ex substantia paterna provenire. Sed contrarium tenendum est cum Bartholo *in Auth. ex testamento, n. 2. C. de secundis nuptiis*, Greg. Lopez *in leg. 26. tit. 13. p. 5. verbo finean*, Ant. Gomez *leg. Tauri, n. 2.* Azevedo *leg. 4. n. 43. tit. 1. & leg. 6. tit. 9. lib 5. novæ collect.* Ant. Gab. *t. 3. commun. opin. lib. 3. tit. de secundis nuptiis, concl. 3. num. 26.* Sanch. aliis relatis, *disp. 86 n. 23* Gutierr. *de matr c. 109. n 33.* Nam Textus hanc reservationem indicentes expressè loquuntur de bonis, quæ ex substantia conjugis præmortui pervenerunt ad filium, & in quibus superstes conjux ex lege succedit. At cùm hæc dispositio (ut sæpè dictum est) pœnalis sit non debet ex uno casu, ad alium extendi; maximè cùm sub nomine substantiæ paternæ non veniat intelligenda substantia, quæ ab avo, & proavo processit. Item per transitum ad secundas nuptias solus conjux præmortuus propriè offenditur, ejúsque filii non autem avus, & proavus. Ergo substantia avi, & proavi, aliorúmque ascendentium non debet in hac reservatione comprehendi. Quod procedit, tametsi contemplatione patris hæc bona filio ab avo relicta sint, uti notarunt Azevedo *d. l. 4. n. 43.* Sanch. *n. 23. in fine*, Gutierr. *numeto* 34.

24. Ex his à fortiori infertur conjugem secundò nubentem succedere pleno jure quoad proprietatem, & usumfructum in bonis quæ aliunde pervenerunt ad filium, quàm ex substantia parentis præmortui, nempè quæ ad ipsum ex persona extranea pervenerunt, vel ipse filius sua acquisivit industria, uti habetur *in leg. mater 5. C. ad Tertull.* Et *in Auth. de nuptiis § hinc nos alia, vers. sed quarta, collat 4.* Et licèt gravis controversia inter Doctores sit, an hoc procedat, si conjux post mortem filii secundas contraxerit nuptias verior, & receptior est sententia, quam aliis allegatis docet Sanch. *disp. 89. n. 24.* Gutierr. *c. 109. n. 35.* procedere sive conjux post mortem filii, sive ante contraxerit nuptias, ut videtur expressè decisum *Auth de nuptiis, § hinc nos, vers. sed quanta.* ibi: *Et quanta quidem quæ ex paterna substantia ad filium pervenerunt, eorum solummodò habet usum ad secundas omnino sive prius, sive postea veniens nuptias, in residuis verò omnibus rebus, quæ aliunde erant filii præter paternam successionem veniat secundùm vocationem nostram.* Ecce qualiter conjux transiens ad secundas nuptias sive ante, sive post mortem filii pleno jure succedat in his omnibus, quæ filius habuit aliundè, quam ex paterna substantia.

25. Monent testè Sanch. *d. disp. 89. n. 25.* & Gutier. *d. cap. 109. num. 36.* hanc reservationem bonorum quoad proprietatem, quam conjux transiens ad secunda vota tenetur facere filiis prioris matrimonii, procedere, tametsi filii hæredes conjugis defuncti non fuerint, eo quòd hæreditati paternæ renunciaverint, nisi fortè ob ingratitudinem à successione repellantur. Deciditur expressè *Auth. hæres, C. de secundis nuptiis*, ibi: *Hæredes lucro cedunt liberis, licèt hæredes non sint patris, aut matris, aut utriusque, nisi fuerint ingrati, & probetur ingratitudo.* Quippe per renunciationem solùm præsumuntur cedere successioni jure sanguinis illis competenti, non autem hæreditati, quæ ob injuriam illis factam à lege conceditur. Excipe nisi renunciationis tempore jam ea bona conjugi superstiti pervenerint, nam eo casu censenda est renunciatio extendi ad prædictum lucrum, uti ex Decio *cons. 206. vol. 2. & Rub. C. de secundis nuptiis, n. 7.* Ripa *leg fœminæ, in princ. q. 9. n. 19.* tradit Sanch. *d. n. 25.* & Gutierr. *n. 36.* Dixi, *nisi ob ingratitudinem à successione repellantur*, quia ingrati velut mortui reputantur, *§. quoniam infirmos, verbo ubique tamen, instit. de Nuptiis*, & sicut si mortui essent filii, nulla esset illis reservatio, sic nulla est ingratis. Idem probat Sanch. & Gutierr. de filiis successionis incapacibus, uti sunt professi in ordine Minorum, & Societas Jesu, quibus nihil est reservandum.

26. Circa tertiam conditionem, quæ est, ut bona conjugis defuncti superstiti parta sint titulo lucrativo. Nam si titulo oneroso parta fuerint, efficiuntur plenè conjugis quoad proprietatem, & usum fructum, uti colligitur *ex l. fœminæ, in princ. C. de secundis nuptiis*, ibi: *Donationibus factis, vel cujuslibet munificæ liberalitatis præmio: & ex Auth. hoc lucrum, C. eodem tit.* ubi bona reservanda filiis ob secundas nuptias appellantur lucrum. Quo nomine sola acquisita titulo lucrativo digna sunt, ut ex omnium sententia tradit Sanch. *disp. 89. n. 36.* Gutierr. *c. 109. n. 37.* Et plures refereus Azevedo *l. 4. n. 47. tit. 1. lib. 5. novæ collect.*

27. Ex his primò deducitur conjugem succedentem in aliquibus bonis, quæ filius ex titulo oneroso habuit à suo patre non esse obligatam novas nuptias contrahentem reservare filiis prioris matrimonii quia, hæc non habet conjux à conjuge prædefuncto ex munificâ liberalitate, sed ex filii contractu, uti notavit Garron. *in Auth. ex testamento, in edit. nova, n. 29. C. de secundis nuptiis*, Sanch. *disp. 89. n. 28.* Gutierr. *cap. 109. n. 40.*

28. Secundò deducitur quid sentiendum sit de arrhis, & sponsalitia largitate? Fateor communem esse sententiam prædicta reservanda esse filiis prioris matrimonii, ut constat ex pluribus, quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 6. disp. 41. n. 3.* Gutierr. *c. 109. n. 38.* At veriorem, & probabiliorem existimo sententiam asserentem arrhas pleno jure conjugis esse, nec reservari debere filiis prioris matrimonii, quia non conceduntur titulo lucrativo, sed remuneratorio ad compensandam inquam nobilitatem, pudicitiam, aliàsve dotes sponsæ, ideóque solent instar contractus deduci in pactum, neque aliter uxor, ejúsque parentes ad matrimonium convenire volunt. Secùs verò est de sponsalitiâ largitate, quæ in signum amoris conceditur & de qua loquitur Textus *in l. fœminæ, Cod de secundis nuptiis*, ibi: *Quidquid de facultatibus priorum maritorum sponsalium jure, quidquid etiam nuptiarum solemnitate percepit.* Quæ omnia latiùs probavi *disp. 1. punct. 12. §. 8.*

29. Tertiò deducitur quid sit sentiendum de lucris acquisitis constante matrimonio? Et breviter respondeo medietatem illorum lucrorum, quæ conjugi dissoluto matrimonio competit ita illius esse propriam, ut esto ad secundas nuptias transeat, non obligatur filiis prioris matrimonii reservare, quinta censetur propriâ industriâ acquisita. Nam esto fuerit acquisita industriâ alterius conjugis, ob vitam individualem: quam profitentur, unius labor alteri communis est, sicuti docent Ripa *in l. fœminæ, in princ. q. 22. n. 59. C. de secundis nuptiis*, Covarr. *4. decret. 2. p. cap 3. §. 9. n. 8.* Anton. Gomez, *leg. 14. Tauri, num. 3.* & Tello *num. unico*, Castillo *n. 2.* Azevedo *leg. 6. n. 1.* & *ibi* Matien. *gloss. 2. num. 2. tit 9. lib. 5. collect.* Thom. Sanch. *lib. 7. disp. 89. num. 29.* Gutierr. *lib. 2. pract. q. 95. num. 21. & de matr. cap. 109. n. 40.* adversus Zifuentes *lib. 14. Tauri, n. 1.* Et Menchaca *de succes. creat. lib. 1. §. 1. n. 15. in fine.*

30. Quartò infertur quid sit sentiendum de bonis, quæ conjux superstes acquirit ex defuncti patrimonio statuto,

ſtatuto, lege, ſeu conſuetudine ſic diſponente ? Graviſſimi Doctores ſequuti Bald. *in l. fin. C. de bonis quæ liberis, in fine*, cenſent hæc bona reſervanda non eſſe, ſic Menoch. aliis relatis, *conſ. 155. numero 32. volum. 2.* Caſtillo *leg. 15. Tauri, numero 2.* & *ibi* Anton. Gomez, *numero 3.* Gomez Arias *leg. 12. Tauri, numero 16.* & *17.* Segura *de bonis lucratis conſtante matrim. numero 86.* Gregor. Lopez *in leg. 26. verbo las arrhas. titul. 13. part. 5.* Et inclinat Ioan. Lupus, *leg. 14. Tauri, n. 7.* Ducuntur quia hæc bona non acquirit conjux ex munifica liberalitate mariti, ſiquidem ipſo invito acquiruntur, ſed ex neceſſitate per legem inducta ob matrimonii contractum. At leges indicantes reſervationem loquuntur de acquiſitis à marito titulo liberali : ergo, &c. Nihilominus etſi prædicta ſententia ſatis probabilis ſit, probabiliorem exiſtimo, quæ aſſerit prædicta bona filiis reſervanda eſſe, quam docuit Bald. ſibi contrarius *Auth. ex teſtamento, num. 6. C. de ſecundis nuptiis*, Bartol. *in reg. un. num. 2. verſ. item poſſumus, C. de inofficioſ. dotib.* Covarr. 4. *decret. 2. p. cap. 3. §. 9. num. 7.* Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 9. leg. 6. gloſſ. 2. num. 3.* Azevedo *in leg. 3. num 21. & leg. 4. num. 27. tit. 1. lib. 5. recop.* Ioan. Garcia *de conjugali acquæſtu, n. 8. & de expenſis, c. 13. n. 16.* Sanch. aliis relatis *lib. 7. diſp. 89. num. 30.* Gutierr. *lib. 2. pract. q. 95. n. 20. & de matr. cap. 109. n. 42.*

31. Quintò infertur deciſio illius quæſtionis, ſi uterque conjux paciſcantur, qui primus deceſſerit, alteri relinquat quintam ſuorum bonorum partem, an hæc pars conjugi ſuperſtiti adjudicata reſervari debeat filiis prioris matrimonii ? Affirmat Boërius *dec. 285. n. 7. & 8.* Guillelm. Benedictus *cap. Raynutius, de teſtament. verbo uxorem, deciſ. 5. ubi de ſucceſſione ab inteſtato, n. 87. & verbo qui cum alia, n. 105.* Garron. *Auth. ex teſtamento, n. 86. in nova edit.* & Joan. Garcia *de conjugali quæſtu, numero 8. & de expenſis, c. 13. numero 16.* Ducuntur, quia eſto ſint acquiſita ex contractu, contractus ille non tollit liberalitatem, & munificentiam, cùm nihil ex parte conjugis ſuperſtitis, datum fuerit defuncto in compenſationem, ſeu commutationem lucri acquiſiti. Sed rectius contrarium cenſuit *Ripa, dicta leg. fœminæ, quæſt. 17. num. 39. C. de ſecundis nuptiis*, & quamvis dubitus, Joan. Lupus, *l. 14. Tauri, n. 7.* Sanch. *diſp. 89. num. 32.* Gutierr. *cap. 109. num. 43.* eo quòd hoc lucrum competit conjugi ſuperſtiti ex contractu oneroſo, quippè obligatus erat tantundem conjugi defuncto concedere, ſi fortè priùs quàm ipſe deceſſiſſet. Non igitur ex liberalitate, & munificentia cojugis prædefuncti habet, cum in ejus commutationem, & obligationem ſubierit, defunctóque tradiderit tantumdem illi concedendi, anteaquam ipſe præmoreretur.

32. Ad extremum hujus conditionis advertit optimè Sanch. *lib. 7. diſp. 89. num. 33.* & Gutierr. *cap. 109. n. 43.* quartam partem bonorum conjugis defuncti debitam conjugi ſuperſtiti pauperi, juxta diſpoſitionem Textus *in Authent. præterea, C. unde vir, & uxor. & lege regia 7. tit. 13. part. 6.* reſervandam eſſe filiis prioris matrimonii in omni eventu, ſive conjux ſuperſtes tranſeat ad ſecundas nuptias, ſive non ; quia ſic cavetur *in dicta Authent.* ob filiorum favorem. Hac enim ratione, & paupertati conjugis & filiorum commodo lex conſulit. Et quamvis *in dicta lege regia 7.* hoc omiſſum ſit, non inde inferri debet deciſionem Authent. correcta eſſe, ut rectè notavit Gutierr. *n. 43.* Hæc quarta ut placet Gregor. Lopez *in dicta leg. 7. verbo filios*, extrahenda eſt non de quinta parte, de qua poteſt quilibet diſponere, ſed de cumulo hæreditatis. Neque obeſt, quod filii graventur in legitima, quia non gravantur ex libera voluntate parentis, ſed ex legis diſpoſitione, ut manifeſtè conſtat, cùm filii ab inteſtato ſuccedunt parenti, quo caſu conjux pauper hanc quartam petere poteſt. An autem debeatur conjugi pauperi, ſi patrem divitem habeat ? variant Doctores, ut videre eſt in Gregor. Lopez *dict. leg. 7. in medio.* Barboſa *in leg. maritum 13. num. 99. ff. ſoluto matrimonio.* Verius exiſtimo debitam eſſe. Tum quia hæc quarta pars debetur uxori non habenti propria bona, ut conſtat ex illis verbis legis regiæ. [Ni ella lohubieſe de lo ſuyo.] Tum quia abſolutè pauper eſt, etſi divitem patrem habeat.

33. Vltima conditio requiſita ad bonorum reſervationem eſt, ut ſuperſint filii prioris matrimonii, ut conſtat *ex dict. lege fœminæ, C. de ſecundis nuptiis*, & *Auth. de nuptiis, §. ſi vero expectet ; §. primæ ſiquidem, collat. 4. & lege generaliter, C. de ſecundis nuptiis.* Nam cum in illorum favorem hæc reſervatio ſtatuta ſit, illis deficientibus ceſſat Neque refert, an conjux defunctus ex alio matrimonio liberos habeat, ut teneatur conjux ſuperſtes, ex quo nulli liberi habiti ſunt bona à conjuge defuncto accepta illi reſervare, quia Textus *in dicta lege fœminæ, & leg. generaliter*, de conjuge quæ liberos habens tranſit ad ſecunda vota expreſsè loquuntur, ſicuti aliis relatis notarunt Sanch, *lib. 7. diſp. 89. numero 34.* Gutierr. *cap. 109. numero 45.*

34. Difficultas autem eſt : An ſi ex priori matrimonio ſuperſunt filii, cum conjux ſecundas nuptias contrahit, ipſique nullâ relictâ prole vivente conjuge deceſſerint, obtineat conjux plenè dominium illorum bonorum, ac ſi nullos ex priori matrimonio filios habuiſſet ? Negat Gloſſa *in Auth. ex teſtamento, verbo filii, C. de ſecundis nuptiis*, Corneus *conſ. 242. num. 6. vol. 2.* Ludov. Roman. *conſ. 379. in fine* : eo quod hæc privatio inducta eſt in compenſationem injuriæ viro, filiiſque prioris matrimonii irrogatæ, quæ nullatenus ceſſat, tametſi poſt contractas nuptias filii deceſſerint. Deinde proprietas illorum bonorum à puncto ſecundi matrimonii contracti, filiis prioris matrimonii eſt applicata. Ergo per illorum mortem non redit ad conjugem, ſed tranſit ad illorum ſucceſſores.

Alij è quibus eſt Bolognin. *addit. ad Matheſilanum de ſucceſſion. ab inteſtato, art. 2. princ. membro 1. n. 22.* Garron. *Rub. C. de ſecundis nuptiis, in nova edit. remedio 3. ad evitandas pœnas ſecundò nùbentium, num. 124.* & *Autht. ex teſtamento, num. 79. C. eodem tit.* aſſerunt prædictam ſententiam procedere cum filii decedentes hæredem inſtituunt, ſecús verò quando ab inteſtato decedunt. Nam decedentibus ab inteſtato ſine prole illorum parens ſuccedit, & proprietas cum uſufructu conſolidatur. At inſtituto hærede videtur hæres in proprietate ſuccedere, quia hæres filii perſonam repræſentat. *Auth. de jurejurando à moriente præſtito in princ.*

35. Cæterùm longè verius eſt, & omnino tenendum parentem ſecundò conjugatum in ea proprietate ſuccedere, conſolidaríque cum uſufructu. Quæ fuit ſententia Bart. *conſ. 54. vol. 1.* & *Auth. de non eligendo, §. hoc autem, n. 1. & 2. collat. 1. & Auth. ex teſtamento, num. 1. C. de ſecundis nuptiis*, & *ibi* Bald. *num. 2.* Anton. Gomez, *leg. 14. Tauri, num. 16.* Zevallos *in ſuis qq. pract. quæſt. 671.* Sanchez innumeros referentis *dicta diſput. 89. numero 37.* Gutierr. *cap. 109. numero 46.* Moveor *ex leg. fœminæ, §. illud, ad fin. C. de ſecundis nuptiis*, ubi Textus ad hanc reſervationem excludendam æquiparat conjugem non ſuſcepiſſe filios ex priori matrimonio, vel illos mortuos eſſe, ibi : *Quod ſi nullam ex priori matrimonio habuerit ſucceſſionem, natus, native deceſſerint.* At nullâ exiſtente ſucceſſione nulla eſt reſervatio. Ergo etiam nulla eſt filiis decedentibus. Neque *ibi* deciditur, an deceſſerint inteſtati, vel teſtati, ſed ex eo tantùm quòd deceſſerint reſervatio tollitur ; uti colligitur, *ex §. Quoniam infirmus, Authent. de Nuptiis.* Ex quo ſit hanc proprietatem, quæ filiis applicatur, non applicari ipſis firmiter & irrevocabiliter, ſed potius revocabiliter, pendenter à morte ſui parentis illis viventibus. Nam ſi illi priùs deceſſerint, nequaquam de proprietate illa diſponere poſſunt, ſed redit ad parentem, ut de illorum interitu aliquod accipiat ſolatium, *juxta textum in leg. Hac edictali*,

edictali, §. *his illud*, *versf hoc quoque caveat*, C. *de secundis nuptiis*, ibi, *ut ad eundem lucrum redeat luctuosum*. Ex quo fit in facultate, quam habet filius descendentibus carens, etiamsi sub patria potestate existat modò pubes sit disponendi de tertia suorum bonorum parte juxta *leg* 6. *Tauri*, quæ hodie est *lex*. 1. *tit*. 8. *lib*. 5. *compilat*. & *l*. 5. *Tauri*, quæ hodie est *l*. 4. *tit*. 4. *eodem lib*. non esse computandam proprietatem horum bonorum, quæ post mortem sui parentis ad ipsum devenire debebat, quia illa proprietas decedente ipso redit ad parentem, & cum usufructu consolidatur; uti aliis relatis notavit Sanch. *lib*. 7. *disput*. 89. *numero* 39. Gutierr. *c*. 109. *numero* 47.

36. Ex his soluta sunt opposita fundamenta. Admittimus hanc proprietatem bonorum filiis applicari in compensationem injuriæ, sed revocabiliter, si prius quàm parens decesserint, vel incapaces successionis extiterint. Ideóque etsi conjux transiens ad secundas nuptias privetur proprietate illorum bonorum, ad illam tamen morte, seu incapacitate filiorum superveniente redire potest. Et licèt hæres à filio designatus illius personam repræsentet, illa repræsentatio non est vera, sed ficta, uti denotant verba illa *Auth. hæres quodammodo videtur eadem persona cum defuncto*: dictio *quodammodo* improprietatem reportat: *in suis ff. de liberis*, *& post humi*, Præterquam quòd non potest defunctum repræsentare, nisi in iis in quibus hæres existit, at cum proprietatem illam nequeat defunctus in alium transferre, ut potè quæ non est sibi absolutè, & irrevocabiliter data, non potest comparatione illius hæredem instituere.

37. Denique adverte fructus illorum bonorum, quos conjux transiens ad secunda vota percipere potest, & quorum proprietas filiis prioris matrimonii reservatur, si tempore mortis nundum percepti sint, ad filios prioris matrimonii simul cum proprietate pertinent, quia usufructuarius prout erat ille conjux non transmittit ad hæredes fructus nondum perceptos; nec illos facit suos, *ex l. si fur*. *l. defuncta*, *ff. de usufructu*, *l. si usufructuarius messem. ff. quemadmodum usufructus amittatur*, §. *is verò*, *instit. de rerum divisione*, & tradunt aliis relatis Azev. *l*. 4. *n*. 46. *tit*. 1. *lib*. 5. *recop*. Sanch. *lib*. 7. *disp*. 89. *n*. 40. Gutierr. *c*. 109. *n*. 48.

§. V.

Expenduntur casus, in quibus conjunx transiens ad secunda vota non tenetur reservare filiis prioris matrimonii bona, quæ ex conjugis prædefuncti substantia processerunt

1. *Excusatur à reservatione bonorum, si filius decedens superstitem patrem instituat hæredem, aut legato, vel fideicommisso ea bona parenti relinquat. Et hic est primus casus.*
2. *Secundò quoties filii prioris matrimonii consensum præstiterint secundis nuptiis à parente contractis*
3 *Proponuntur objectiones adversus hunc casum, & solvuntur.*
4 *Debet esse consensus manifestus.*
5 *Item omnium filiorum.*
6 *Deinde à filio pubere præstitus.*
7 *Non requiritur in filio nuptiis parentis consentiente scientia, quod amittat reservationem prædictorum bonorum.*
8 *Consensus filiorum secundis nuptiis parentis præstitus non evitat pœnas impositas secundo nubentibus, quæ non sunt in favorem filiorum statutæ.*
9 *Tertius excusatur à reservatione, si ex viri prædefuncti consensu conjux superstes ad secunda vota transeat.*
10 *Consensus conjugis defuncti in secundum matrimonium debet esse expressum, vel conjecturis certis manifestus.*
11 *Si conjux defunctus testetur bona à se relicta conjugi superstiti titulo oneroso, & non lucrativo donata, reservanda non sunt.*
12 *Quartus, excusant aliqui ab hac reservatione, si conjux transiens ad secundum matrimonium minor sit. Sed contrarium est verius.*
13 *Quintus, excusant aliqui, si filius post ætatem pupillarem decedat, illique mater succedat in bonis paternis, Sed non admittitur.*
14 *Sextus, si mubat ex privilegio Principis.*

1. PRimus & præcipuus casus, in quo conjux secundum matrimonium iniens excusatur à reservatione bonorum conjugis prædefuncti, est si filius decedens superstitem patrem instituat hæredem, aut legato, vel fidei commisso ea bona parenti relinquat. Habetur expressè *Auth. ex testamento*, *Cod. de secundis nuptiis*, & *Authent. de nuptiis collat*. 4. §. *hinc nos*, *vers. si igitur*. Quippe eo eventu percipit pater ea bona à filio instar cujusdam extranei, uti dicitur *in d. Auth. ex testamento*. At extraneus institutus hæres, legatarius, vel fideicommissarius possidebit ea bona pleno jure quoad proprietatem, & usumfructum. Ergo eodem modo parens ea possidere debet. Quæ ratio probat, sive institutio, legatum, aut fidecommissum contingat antequam parens secundas nuptias contrahat, vel post illas contractas: utroque eventu proprietatem, & usumfructum illorum bonorum acquirit, instar extranei illi concessa sunt. Atque ita docent Bartolus *Auth. de nuptiis*, §. *hinc nos*, *numero* 1. & *Auth. de non eligendo secundò nubentes*, §. *cum igitur*, *numero* 7. *collat*. 1. Angel. *in pr. numero* 7. Cifuentes *l*. 15. *Tauri*, *numero* 1. *post*. 4. *limitat. vers. in* 2. *casu*. Ant. Gabr. *t*. 3. *lib*. 3. *de secundis nuptiis*, *concl*. 3. *numero* 26. Villalobos *in suis communib. opinionib. litt. B. numero* 37. Sanch. aliis relatis, *disput*. 89. *n*. 41. & 42. Gutierr. *de matr. cap*. 109. *n*. 49.

2. Secundus: quoties filii prioris matrimonii consensum præstiterint secundis nuptiis à parente contractis, excusatur parens à pœna reservationis, eo quòd hæc indicta sit in satisfactionem injuriæ prædictis filiis irrogatæ, quæ injuria omnino cessat ipsis filiis consentientibus. Atque ita docent Glossa *Auth. de non eligendo secundò nubentes*, *verbo copulantur*, & *ibi* Angel. *num*. 8. Parisius *cons*. 29. *num*. 81. *vol*. 3. Cifuentes, *leg*. 15. *Tauri*, *n*. 2. *limit*. 1. & *ibi* Castillo *num*. 5. *vers unum tamen*, Anton. Gomez *num*. 6. Matienzo *leg*. 3. *gloss*. 2. *num*. 43. *tit*. 1. *lib*. 5. *compilat*. Azevedo *leg*. 4. *num*. 361 *ejusdem tit*. & *lib*. Thom. Sanch. plures referens *lib*. 7. *disp*. 89. *num*. 43. Menoch. *cons*. 626. *n*. 1. *volum*. 7. Gutierr. *cap*. 109. *de matr. num*. 50.

3. Sed adversus hanc communem sententiam insurgit Sarmiento *lib*. 1. *Select. interpret. cap. per totum*, quem sequitur Andreas Fachineus, *lib*. 3 *controvers. juris*, *cap*. 65. Moventur primò; quia nulla est lex, ex qua colligi possit hanc reservationem in hoc casu cessare. Quod si dicas cessare, quia cessat ratio ob quam hæc reservatio inducta est? obstat, quia hæc reservatio non solum ob injuriam factam filiis, quorum charitatem secundas nuptias contrahens negligere videtur, sed etiam ob injuriam conjugi prædefuncto irrogatam, cujus memoriam despicit, aboleréque intendit, uti dicitur *in Authent. de Nuptiis*, §. *sin autem*. Ergo esto cesset injuria facta filiis eorum consensu, cum non cessset injuria conjugi prædefuncto irrogata, cessare non debet hæc reservatio. Secundò filii nuptias parentis impedire nequeunt, & illis assentientes opus laudabile exercent. Non igitur ob eam causam detrimentum pati debent; siquidem jure constitutum est, ut qui contradicendo actum impedire nequit, nullum consentiendo sibi paret præjudicium, *leg. Cajus*, *ff. de pignoratitia actione*, & *leg. quæ. dotis*, *ff. soluto matrim*. & tradit latè Tiraquell. *de retractu convention*. §. 1. *gloss*. 9. *num*. 146. Verùm etsi hæ rationes difficiles sint, ob illas tamen non est à communi sententia recedendum. Quare ad primam

primam reſpondeo admittendo prædictam reſervationem ſtatutam eſſe in compenſationem injuriæ, tum conjugi defuncto, tum filiis prioris matrimonii factæ conjunctim, & non diviſim. Vnde deficiente aliquâ ex his injuriis ceſſat pœna reſervationis. Ad ſecundam, admitto filios impedire non poſſe nuptias ſui parentis, at obligaros non eſſe illis conſentire, & quamvis qui impedire nequit actum nullum ſibi præter præjudicium pœnale conſentiendo; benè tamen parare ſibi poteſt præjudicium legale, cum lex ob conſenſum præſtitum tollere poſſit jus, quod aliàs non conſentiens haberet, ut manifeſtum eſt in domino qui ſui ſervi matrimonio conſentit, qui ratione conſenſus præſtiti nequit ſervum venundare in partes longinquas, ubi matrimonio uti non poſſit.

4. Conſenſus autem, quem filii præſtare debent parentis conjugio, debet eſſe manifeſtus, ita ut apertè conſtet prædictum conjugium approbare. Quare non ſufficit quod ſciant ſuum parentem velle ſecundum inire matrimonium, nec repugnent, quia in his quæ gravis ſunt præjudicii ſententia cum taciturnitate non eſt ſignum ſufficiens conſenſus, maximè cum filii plures rationes honeſtas habere poſſint non contradicendi, ſicuti adverſus alios docet Sanch. *diſp.* 89. *num.* 44. Marc. Anton. Peregrin. *conſ.* 78. *num.* 11. *&* 17. Fachineus *dicto c.* 65. *verſ. quinta concluſio, juncto §. jam quid mihi.* Azevedo *l.* 4. *n.* 36. *titul.* 1. *lib.* 5. *novæ collect.* Gutierr. *cap.* 109. *numero* 15.

5. Item debet eſſe conſenſus omnium filiorum, ut omnibus præjudicet. Vnde ſi aliqui conſentiant, alii verò repugnent, vel ſaltem negativè ſe habeant ſoli conſentientes bonorum proprietate privabuntur. Non enim unius conſenſus alteri præjudicare debet, ut aliis relatis notavit Sanch. *d. diſp.* 89. *n.* 43. Gutierr. *c.* 109. *n.* 51. Quod ſi filii deceſſerint relictis neporibus, ſatis erit horum conſenſus, utpotè qui filiorum perſonam repræſentant, & in jure acquiſito ſuis parentibus ſuccedunt, ut benè notavit Menoch. *conſ.* 155. *n.* 21. *&* 31. *volum.* 2. Sanch. *n.* 46. Gutierr. *n.* 52.

6. Inſuper requiritur conſenſus à filio pubere præſtitus Nam impuberes utpotè ignari conſilii inſufficientes ſunt ad hanc ceſſionem. Quod verum eſt quamvis accedat licentia, vel conſenſus tutoris, ut adverſus Anton. Gabr. *tit.* 3. *commun. opin. lib.* 3. *tit. de ſecundis nuptiis concl.* 1. *num.* 36. probat latè Garron. *Rub. de ſecundis nuptiis, in nova edit. rem.* 2. *contra pœnas ſecundò nubentium. n.* 121. *verſ. an ſi filii*, Sanch. *diſp.* 89. *n* 47. Gutierr. *n.* 52. Quod ſi pubes ſit filius, minor tamen 25. annis juſtâ cauſâ moveri debet ad hunc conſenſum præſtandum, ut firmiter cenſeatur reſervationi cedere; aliàs reſtitui poteſt in integrum, ſicuti relato Angelo *conſ.* 396. *n.* 4. Menochio *conſ.* 237. *n.* 21. *lib.* 3. tradit Fachineus *lib.* 3. *controverſ. juris, cap.* 65. *verſ. tertia concluſio*, Gutierr. *num.* 53. *&* 54.

7. Nullatenus vero requiritur in filio nuptiis parentis conſentiente ſcire ſe amittere reſervationem prædictorum bonorum prædictum conſenſum præſtando, non ſolùm in foro externo, in quo ignorantia hujus juris non præſumitur, ſed neque in foro conſcientiæ. Quippe hæc reſervatio non tollitur, eo quòd filius cedat reſervationi, & proprietatem bonorum ob ſecundas nuptias ſibi applicatam renunciet, ſed quia conſentiendo nuptiis tollit cauſam, ob quam hæc reſervatio indicitur, ſcilicet injuriam ſibi per ſecundas nuptias irrogatam, ut acutè notavit Sanchez *numero* 47. Gutierr. *numero* 56.

8. Illud tamen in propoſito obſervandum eſt cum Sanchez *num.* 48. Gutierr. *n.* 57. conſenſum filiorum ſecundis nuptiis parentum præſtitum mihil operari ad evitandas pœnas, quæ non ſunt in favorem filiorum ſtatutæ, ſed ſolùm ad evitandas pœnas legales concernentes ipſorum favorem. Vnde ſi defunctus legatum uxori relinquat ſub conditione, ne ad ſecundas nuptias tranſeat, ipſa verò ex filiorum conſenſu nubat, legatum amittet; quia filiorum conſenſus diſpoſitioni parenti defuncti præjudicare nequit.

9. Tertius caſus in quo ceſſat obligatio prædictæ reſervationis eſt, ſi ex viri prædefuncti conſenſu conjux ſuperſtes ad ſecunda vota tranſeat. Nam cum in compenſationem, ſatisfactionémque injuriæ defuncto conjugi, & filiis irrogatæ hæc reſervatio ſit inducta, & viro conſentiente hæc injuria ceſſet, ceſſat reſervatio, uti pluribus relatis ex communi ſententia firmat Sanch. *d. diſpit* 89. *n.* 49. Gutierr. *in l. nemo poteſt, n.* 17. *ff. de legat.* 1. *&* *de matr. cap.* 109. *n.* 58. adverſus Sarmiento *lib.* 1. *ſelect. c.* 4. *n.* 3. Fachineum *lib.* 3. *controv. c.* 65. *verſ. quarto.* Quod procedit, ut benè ſupradicti Doctores Sanch. Gutierr. advertunt, eſto infrà annum luctus nupſerit, quia abſolutè nubit ex conſenſu viri, & ſic ceſſat injuria. Pœnæ verò jure civili inductæ nubentibus infra annum luctus Iure Canonico abrogatæ ſunt. Neque opus eſt, conſenſui parentis præmortui conſenſus filiorum accedat, ut contra Carraſium *lib.* 3. *miſcellan. c.* 1. *n.* 12. & Azevedo *d. l.* 4. *n.* 37. *tit.* 1. *lib* 5. *compilat.* docuerunt Menoch. *conſ.* 155. *n.* 33. Sanch. *diſp.* 89. *n.* 55. Gutierr. *cap.* 109. *n.* 63. eo quód hæc reſervatio æque ſatiſfactionem injuriæ viro præmortuo irrogatæ, ac irrogatæ filiis ſtatuitur. Quare ſi ex conſenſu filiorum ceſſat, ceſſare debet ex viri conſenſu. Neque obeſt quod filii ex tali conſenſu detrimentum patiantur, quia id ex conſequentia evenit, ex eo quòd pater injuriam remittit, & jure ſuo utitur.

10. Conſenſus verò conjugis defuncti in ſecundum matrimonium ſuperſtitis debet eſſe expreſſus, vel conjecturis certis manifeſtus; qualis eſſet, ſi legatum uxori reliquiſſet, caſu quo ad ſecunda vota tranſiret, ſufficienter enim illâ legatione nuptias illius approbavit; ut tradit Bald. *in l.* 1. *n.* 6. *C. de ſecundis nuptiis*, Sanch. aliis relatis, *diſput.* 89. *n.* 52. Gutierr. *de matr. c.* 109. *n.* 60. Quod verum eſt, tametſi intra annum luctus nupſerit, quia pœnæ ob feſtinatas nuptias jure civili ſtatutæ prorſus abrogatæ ſunt, uti notarunt Sanch. & Gutierr. *ſuprà.* Non tamen eſt conjectura certa approbationis nuptiarum, quod conjux defunctus poteſtatem conjugi ſuperſtiti reliquerit diſponendi in vita, vel in morte de legatis á ſe relictis virtute enim hujus poteſtatis non poterit de proprietate legati ſibi conceſſi diſponere, ſi ad ſecundas nuptias tranſeat, quia illa poteſtatis conceſſio non eſt nuptiarum approbatio, ſicuti docuerunt Sanch. *n.* 53. Gutierr. *n.* 61.

12. Quod ſi conjux defunctus teſtetur bona à ſe relicta conjugi ſuperſtiti fuiſſe titulo oneroſo, & non lucrativo donata, ſatis eſt, ut conjux tranſiens ad ſecundas nuptias ea plenè retinere poſſit, nec debeat ex titulo nuptiarum filiis illius reſervare. Nam cùm ſola conjugis defuncti voluntate hæc reſervatio ceſſet, & hæc locum non habeat in bonis titulo oneroſo quæſitis, ſufficienter ſuam voluntatem declaravit affirmans titulo oneroſo ea bona conjugi dediſſe: ſicuti aliis relatis tradit Simon de Pretis *de interpret. ult. volunt. lib.* 1. *interpret.* 1. *circa legata dub.* 10. *num.* 121. quem refert, & ſequitur Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 89. *num* 57. & Gutierr. *c.* 109. *n.* 65.

12 Quartum caſum, in quo conjux tranſiens ad ſecunda vota excuſatur ab hac reſervatione, & retinere bona à conjuge accepta poteſt, aſſerunt Socin. *in reg.* 272. *n.* 3. Boërius *deciſ.* 185. *in fine*, Villalob. *in ſuo ærario commun. opin. litt. B. n.* 50. Ant. Gabr, *t.* 3. *commun. opin. lib.* 3. *de ſecund. nupt. concl.* 1. *n.* 46. eſſe, ſi conjux tranſiens minor ſit, quia ratione minoris ætatis videtur ab hac pœna excuſata, uti videtur probare *lex* 2. *C. ſi adverſus delictum.* Sed meritò contrarium cenſuit Azevedo *lib.* 5 *recop. tit.* 1. *leg.* 4. *n.* 38. Sanch. *diſp.* 89. *n.* 58. Gutierr. *d. c.* 109. *n.* 66. Fachin. *l.* 3. *controv. c.* 69. *in fine*, quia nullo jure probatur hæc limitatio, nec rationi conſona erat, cùm in præſenti non agatur de damno vitando,

ſed

sed de lucro captando, in quo eventu minor ætas nihil refert. Lex verò 2. excusat minorem à privatione successionis, aliisque pœnis secundò nubentibus indictis, eo quòd prius non adierit judicem, petieritque tutorem filiis designari. Quod alienum est à nostro instituto.

13. Quintum casum referunt aliqui, si filius post ætatem pupillarem decedat, illique mater succedat in bonis paternis, quia videtur hæc non à parente, sed à filio accipere. Sed rectius Cifuentes *leg. 15. Tauri, n. 2. limitat. 4.* Azevedo *d. l. 4. tit. 1. lib. 5. recept. n. 40 & 41.* Sanch. *d disp. 89. num. 59.* Gutierr. *c. 109. n. 67.* Censent nullatenus hunc casum esse admittendum; nam esto filius ante, vel post ætatem pupillarem decedat, si in illius bonis parens ab intestato succedit, censetur non à filio tanquam ab extraneo, sed à filio personam patris repræsentante, atque adeò ab ejus patre ea bona accipere, uti colligitur aperte *ex Auth. de Nuptiis, collat. 4. §. hinc nos, vers. si igitur.*

14. Sextus casus eximens conjugem secundò nubentem à reservatione bonorum est, si nubat ex privilegio Principis; nam cùm hoc privilegium aliquid operari debeat, si hanc reservationem non tollit nihil est quod operari possit, siquidem pœnæ statutæ nubentibus intra annum luctus abrogatæ sunt. Atque ita docet *Glossa in leg. solet. 10. verbo liceat, ff. de his qui notantur infamia,* Angel. *in repet. leg. Mater, C. ad Tertullianum, n. 5.* Decius *in l. 1. n. 10. C. de secundis nuptiis,* Anton. Gomez *l. 15. Tauri, n. 6. ad fin.* Boërius *decis. 185. n. 25.* Anton. Gabr. *tom. 3. comm. opin. lib. 3. tit. de secundis nuptiis, concl. 1. n. 45.* Azeved. *l. 4. n. 46. tit. 1. lib. 5. recop.* Sanch. *lib. 7. disp. 89. n. 60.* Gutierr. *cap. 109. num. 68.* Estque omnium sententia teste Fachineo *dicto cap. 65. in fine,* tametsi ipse contrarium censeat.

Alios casus refert Gutierr. in quibus non habet locum hæc reservatio, sed eos §. *præcedenti*, retulimus ideoque ab eis in præsenti supersedendum est.

§. VI.

An vidua fornicationem committens incidat in pœnas secundò nubentibus statutas?

1 *Pœnæ Jure Civili statutæ adversus secundò nubentes intra annum luctus, Jure Canonico non corriguntur, quatenus afficiunt viduam fornicantem.*
2 *Post annum luctus si vidua fornicetur probabilius est non incurrere pœnas statutas nubentibus intra annum luctus.*
3 *Quoad pœnas statutas secundò nubentibus non est dubium viduam fornicantem incurrere.*
4 *Jure Castellæ vidua luxuriosè vivens amittit lucra, quæ constante matrimonio acquisivit, teneaturque hæredibus mariti restituere, non tamen amittit dotem.*
5 *Prædicta pœna locum habent in foro conscientiæ juxta probabilem sententiam.*
6 *Rectius est solâ accedente Judicis authoritate.*
7 *Ex his infertur viduam fornicantem privari sententiâ declaratoriâ criminis accedente proprietate bonorum ex prioris viri substantia acquisitorum.*
8 *In viro luxuriosè vivente hanc pœnam locum habere negant plures.*
9 *Probabilius est oppositum.*
10 *Vidua fornicationem committens amittit tutelam, educationemque filiorum.*

1. TAmetsi Jure Canonico correctæ sint pœnæ Jure civili statutæ adversus secundò nubentes intra annum luctus, nullatenus tamen corriguntur, quatenus afficiunt viduam fornicantem. Nam ut constat *ex cap. fin. de secundis nuptiis,* hæ pœnæ corriguntur, ne illis secundæ nuptiæ, quæ licitæ sunt impedirentur, quod in fornicatione, quæ omni jure illicita est non processit. Neque rationi consonum erat, ut Jus Canonicum viduis delinquentibus faveret. Atque ita ut certum ex omnium sententia adversus unum Corneum tradit Sanchez *lib. 7. disp. 90. n. 1.* Gutierr. *c. 110. n. 1.*

Quapropter vidua intra annum luctus fornicationem committens incidit in omnes pœnas, quæ Jure civili statutæ sunt eo tempore nubentibus, ut constat *ex Auth. de restit. & ea qua parit. §. fin.* & subditur ibi ratio. *Non enim aliquid amplius habet castitate luxuria,* & habetur *leg. regia. tit. 12. part. 4.* Et licèt plures Doctores videantur ad has pœnas incurrendas exigere consuetudinem fornicandi. At longè verius est unicam fornicationem intra annum luctus commissam sufficientem esse ut tradit Covarr. *4. decret. 2. p. cap. 7. §. 6. num. 12. in fine,* Acosta *in cap. si pater, 1. p. verbo legavit, num. 40. de Testament. in 6.* Joan. Garcia *de conjugali acquæstu, num. 45.* Matien. *lib. 5. recop. tit. 9. l. 5. gloss. 8. n. 5.* Barbosa *leg. 2. part. 1. in princ. n. 67. ff. soluto matr.* Sanch. *lib. 7. disp. 90. n. 2.* & colligitur tum *ex dicto Authent.* Quod viduam parientem non ex priori matrimonio omnibus pœnis secundò nubentium afficit: partus autem ex unica fornicatione provenire potest, idque indicat verbum illud *propter stuprum.* Item ratio illius Textus decidendi, *ne plus luxuriæ, quàm castitati tribuatur.* Tum ex dicta lege regia ibi. (Si antes que pasase el anno ficiese maldad de su cuerpo.)

2. Post annum verò luctus, si vidua fornicetur probabilius est non incurrere pœnas statutas nubentibus intra annum luctus, eo quod Textus *in §. fin. Auth. de restit. & ea quæ parit.* ubi hæ pœnæ fornicantibus indicuntur, expressè de fornicantibus intra annum luctus loquitur. Neque est eadem ratio de fornicante post modum, siquidem fornicatio tempore luctus commissa gravior est, magisque virum offendit. Si enim Jus civile indicavit ob nuptias eo tempore contractas dehonestari, à fortiori id ipsum de fornicatione censebit. Atque ita docet aliis relatis Sanchez *lib. 7. disp. 90. n. 5.* Ubi *n. 6.* Id ipsum dicendum esse asserit spectato jure nostro regio *in l. 4. tit. 12. part. 4.* Ibi: *si ante que pasase el año,* per argumentum à contrario. Cui non obstat *lex 9. tit. 12. lib. 3. fori,* quæ inquit. (Si despues de la muerte de su marido no ficiere buena vida pierdalo todo quanto la dexo.) Nam ut rectè tradit Acosta *cap. si pater, de Testam. n. 36. & 41.* Matien. *lib. 5. recop. tit. 9. leg. 5. gloss. 8. num. 5. & 6.* Barbosa *l. 2. part. 1. in princ. n. 67. & 68. ff. soluto matr.* Sanchez *disp. 90. num. 6.* Gutierr. *c. 110. n. 1.* Leges fori vim legis non obtinent, nisi usu comprobentur. Præterquam quod loquitur de vidua, quæ turpiter vivendi habitum habet, moreque meretricio stupra admittit.

3. Verùm quoad pœnas statutas secundò nubentibus, non est dubium viduam fornicantem sive intra annum luctus, sive post incurrere, ne plus tribuatur luxuriæ, quàm castitati, contra *Auth. de restitut. & ea quæ parit, §. fin.* Ubi latè probat Garron. *Rub. Cod. de secundis nupt. pœna 28. num. 57.* Aviles *in proœmio, cap. prætor. gloss. 1. n. 36.* Sanchez *lib. 7. disp. 90. n. 7.* Gutierr. *c. 110. n. 2.*

4. Jure autem Castellæ vidua luxuriosè vivens si intra annum luctus, sive post amittit lucra, quæ constante matrimonio acquisivit, teneturque ea hæredibus mariti restituere, sicuti expressè decidit *lex regia 5. fine, tit. 9. lib. 5. recop.* Ad quem effectum non satis est viduam semel, aut iterum fornicari, sed necessarium est huic vitio deditam esse, id enim indicant verba illa legis. *Y siendo viuda viviere luxuriosamente*; uti colligitur *ex leg. & mulieri 15. ff. de curatore furioso, & aliis, &c.* Ibi: *& mulieri quæ luxuriosè vivit:* Juncta *gloss. verbo & mulieri.* Neque enim censenda est vitam luxuriosam agere quæ semel tantùm fornicata est, ut benè aliis relatis docent Covarr. *in 4. decret. 2. p. cap. 7. §. 6. num. 12. in fine.* Acosta *in cap. si pater, 1. part. verbo legavit, num. 38. de testam. lib. 6.* Aviles *in proœmio,*

cap. prætor. num. 39. Matien. *lib.* 5. *recopil. tit.* 9. *leg.* 5. *gloſſ.* 8. *num.* 7. Azevedo *leg.* 4. *tit.* 1. *lib.* 5. *n.* 12. Barboſa *l.* 2. *part.* 1. *in princ. num.* 69. *ff. ſoluto matrim.* Zevallos *pract. quæſt. q.* 708. *n.* 16. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 90. *n.* 8. Gutierr. *lib.* 2. *pract. q.* 122. *per totam, & de matr. c.* 110. *n.* 4. Tametſi contrarium ſentiant Anton. Gomez, Mexia, Joan. Garcia, relati à Sanch. *num.* 8.

Dotem verò nequaquam amittit vidua fornicationem committens, etiam intra annum luctus, quia nullibi habetur hæc privatio, uti aliis relatis docuerunt Acoſta *ſuprà, num.* 44. Matien. *num.* 10. Barboſa *num.* 65. Sanch. *num.* 6. Gutierr. *num.* 6.

5. Sed an prædictæ pœnæ locum habeant in foro conſcientiæ ante ullam Judicis ſententiam, itaut vidua intra annum luctus fornicans teneatur nullâ expectata ſententia reſtituere quidquid à marito liberali titulo acceperit etſi poſt illum annum, vel intra luxuriosè vivat, omnia lucra conſtante matrimonio acquiſita? Non levis eſt difficultas, eo quod vidua ſic delinquens eiſdem pœnis afficiatur, quibus jure civili afficienda erat, ſi nuberet, ut conſtat *ex Auth. de reſtit. & ea quæ parit. §. fin. Et ex leg. regia* 3. *tit.* 12. *part.* 4. At ſi intra annum luctus nuberet, ipſo jure amittit omnia legata à priori viro, illiuſque hæredibus applicantur, ut decidit *in leg.* 1. *C. de ſecundis nuptiis.* Et colligitur ex eo quòd lex non fiſcum, ſed hæredes mariti vocet ad ſucceſſionem, ea namque vocatione, & applicatione innuit ſub conditione non tranſeundi ad nuptias donata eſſe, ac proinde tranſitu ad nuptias ceſſare donationem, & donatum hæredibus applicari. Ergo idem dicendum eſt, ſi fornicationem committeret, aliàs plus haberet luxuria, quàm caſtitas contra Textum *in Auth. de reſtit. & ea quæ parit. §. fin.* Atque ita innuunt Præpoſit. *citata, q.* 9. *num.* 16. *Qui filii ſint legit. mi*, Garron. *Rub. C. de ſecund. nupt. n.* 73. *verſ. & plus dico*, Corneus *l. fideicommiſſum, n.* 3. *verſ. & ex prædictis, C. de fideicommiſſ. Et ibi* Padilla *n.* 12. Tello *leg.* 6. *Tauri, num.* 21. Surd. *de aliment. tit.* 7. *q.* 24. *n.* 12. *&* 23.

6. Sed rectiùs Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 90. *n.* 11. Quem ſequitur Gutierr. *d. cap.* 110. *n.* 7. Exiſtimat viduam ſic delinquentem non eſſe obligatam hæredibus mariti reſtituere quod ab ipſo acceperat, aut conſtante matrimonio acquiſierat, quouſque criminis declaratio accedat. Quia eſto jure ipſo privetur bonis prædictis, cùm ea privatio in pœnam delicti ſtatuatur, neceſſariò exigit ſententiam ſaltem declaratoriam criminis ut multis comprobavi *tract. de legib. diſp.* 2. *punct.* 2. Neque obeſt quod non fiſcus, ſed hæredes vocentur, quia ob injuriam defuncto factam applicantur ea bona iis, qui ejus perſonam repræſentant, media tamen ſententia. Neque inde fit plus tribui luxuriæ, quàm caſtitati, ſiquidem idem quod ſecundis nuptiis Jure Civili admittendum erat, amittitur fornicatione, tametſi modus amittendi diverſus ſit, eo quòd nuptiæ non ſint delictum, ac proinde amiſſio ob illas pœnas propriè eſſe non poteſt. Secus verò amiſſio ob fornicationem, quæ quia pœna eſt ſententiam exigit.

7. Ex his videtur inferendum viduam fornicantem privari ſententia declaratoria criminis accedente proprietate bonorum ex prioris viri ſubſtantia acquiſitorum, obligarique eam filiis prioris matrimonii reſervare, ſicuti ad ſecundas nuptias tranſiſſet, ne plus habeat luxuria, quàm caſtitas contra Textum *in Auth. de reſtit. & ea quæ parit in undecimo menſe poſt mortem viri, §. fin.* Eſtque communis omnium ſententia teſte Azevedo *l.* 4. *n.* 10. *&* 11. *tit.* 1. *lib.* 5. *compilat.* Gutierr. *c.* 110. *n.* 11. Thom. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 90. *n.* 13. Quamvis ipſe *n.* 14. contrarium ſentiat in foro conſcientiæ, eo quòd in fœmina fornicante non ſit eadem ſuſpicio iniquæ tractationis filiorum prioris matrimonii, quæ eſt ſecundò nupta, cùm nec amaſium, neque illius filios ita ardenter diligat, ac ſecundò nupta ſolet maritum, ejuſque filios diligere. Quæ fuit ratio hujus reſervationis.

8. Sed an in viro luxuriosè vivente hæc pœna locum habeat? variant Doctores, Pinellus *in l. ult. n.* 19. *C. de bonis maternis*, quem ſequitur Gutierr. *d. c.* 110. *n.* 13. negat, eo quòd in viro non procedat eadem ratio, ac in matre. Nam mater ob ejus levitatem, imprudentiam, ac judicii defectum neque redditur ſuſpecta filiis prioris matrimonii fornicando, ac nubendo. At pater utpotè prudentior, ac judicio conſtantior luxuriosè vivendo filiis ſuſpectus non redditur. Et fortè ob hanc rationem luxuriosè viventi mulieri interdicitur tanquam prodigæ bonorum adminiſtratio, ut ex communi reſolvit Ant. Gomez *l.* 14. *Tauri, n.* 13. Arias Pinell. *d. l. fin. n.* 14. Quæ tamen viro luxuriosè viventi non interdicitur. Neque obeſt plus operari caſtitatem, quàm luxuriam contra Textum *in Auth. de reſtit. & ea quæ parit. §. fin.* Siquidem vir ad ſecundas nuptias tranſiens, privatur bonorum proprietate ex conjugis defuncti ſubſtantia quæſitorum, non tamen luxuriosè vivens, quia id procedit quando eſt eadem ratio, quæ non videtur eſſe in præſenti.

9. Cæterùm etſi hæc ſententia probabilis ſit, probabiliorem exiſtimo virum luxurioſum æquè privari proprietate bonorum, ac fœminam, quæ fuit expreſſa ſententia Nicolaï Arelatenſ. *C. de ſecundis nuptiis, q.* 5. *n.* 22. Bolognini *addit. ad Matheſilanum, de ſucceſſione ab inteſt. art.* 2. *princ.* Cifuentes *leg.* 15. *Tauri, ad fin.* Tello *l.* 6. *Tauri, n.* 25. Et favet Ripa *leg. fin. q.* 26. *n.* 98. *Cod. de revocandis donationib. Et* Bart. *leg. his ſolis, in fine, Cod. eodem tit.* Moveor, quia hæc reſervatio bonorum, ut ſæpè dictum eſt, ſancita fuit in ſatisfactionem injuriæ, quæ per ſecundas nuptias tum conjugi defuncto, tum illius filiis irrogatur: at hæc injuria gravior fit fornicatione ſive commiſſa à fœmina, ſive à viro. Ergo æquum eſt ut eadem pœna mulctetur, locumque habeat dictum Authent. ne luxuriæ pluſquam caſtitati tribuatur.

10. Secundò infero ob eandem rationem viduam fornicantem ſive intra annum luctus, ſive poſt amittere tutelam, educationemque filiorum, uti pluribus firmant Azevedo *l.* 4. *num.* 14. *tit.* 1. *lib.* 5. *collect.* Sanchez *diſp.* 90. *n.* 15. Gutierr. *de tutelis, l.* 1. *p. cap.* 9. *num.* 19. *& de matr. cap.* 112. *n.* 15. Nam cùm ſecundis nuptiis prædicta tutela ipſo jure privata ſit, educatione verò niſi contrarium Judici videatur, efficitur fornicatione privandam eſſe, ne plus comparet luxuria, quàm caſtitas. Debet tamen ſententia ſaltem declaratoria criminis accedere, quia aliàs non videtur obligata vidua tutelam, educationemque filiorum relinquere, cùm experientia teſte compertum ſit plures viduas fornicari, quæ tutelam, educationemve filiorum non relinquunt, nec tamen obinde à Confeſſariis non abſolvuntur, ſicuti benè notarunt Gutierr. & Sanch. *ſuprà.* Illud certum ex eiſdem Doctoribus virum viduum luxurioſum tutela non eſſe privandum, ſiquidem ea per ſecundum conjugium non privatur.

§. VII.

An pœnæ à teſtatore impoſitæ ſecundis nuptiis ſint Jure Canonico correctæ, locumque habeant in conjuge fornicante?

1 *Suppono conditionem excludentem nuptias à teſtatore appoſitam ei, qui nunquam nupſit, neque matrimonium conſummavit nullam eſſe; valere tamen ſi viduæ appoſita ſit.*

2 *Hæreditas, ſeu legatum uxori, vel viro relictum ſub conditione, ne tranſeat ad ſecunda vota, ceſſat omnino, & in foro conſcientiæ reſtituendum eſt hæredibus legantis nullâ expectatâ ſententiâ Judicis.*

3 *Dupliciter conditio excludens à ſecundis nuptiis poteſt apponi à teſtatore.*

4 *Si legatum sub conditione negativa factum sit, tenetur institutus cautionem præstare de conditione observanda, sin minus restituturum legatum.*

5 *Si verò legatum sub conditione distributum fuerit, nullam cautionem tenetur legatarius præstare.*

6 *An prædictum legatum annuatim relictum legatarius acquirat illo anno, quo conditioni non paruit? variant Doctores.*

7 *Verius est legatum non deberi legatario integrè, sed pro quota anni parte, quâ à nuptiis abstinuit.*

8 *Legatum conjugi ab alio conjuge, vel ab extraneo absolutè relictum nequaquam amittitur, etsi secundò, vel tertiò nubat.*

9 *Examinatur, an legatum relictum conjugi sub hac conditione, si castè, & honestè vixerit amittatur transitu ad secundas nuptias? Proponitur triplex sententia.*

10 *Approbatur ultima.*

11 *Si secundæ nuptiæ statum viduæ, ejusque conditionem dedecerent, etsi* Sanch. *existimet prædicta conditione excludi Verius est oppositum.*

12 *Examinatur an legatum relictum sub conditione castè, & honestè vivendi unica fornicatione amittatur? Proponitur duplex sententia.*

13 *Has duas extremas sententias* Sanch. *conciliat.*

14 *Ex qua distinctione tria infert* Sanch.

15 *Displicet distinctio à* Sanch. *constituta, & resolvitur quæstio.*

16 *Satisfit fundamentis primæ sententiæ.*

17 *Examinatur an legatum sub conditione castè, & honestè vivendi amittatur à fœminæ amplexibus virorum, tactibúsque impudicis vacanti? Affirmat communis sententia.*

18 *Contrarium defendit* Navarr.

19 Sanch. *sub distinctione respondet.*

20 *Quid nobis sentiendum sit? Et satisfit distinctioni à* Sanch. *constitutæ.*

21 *Deciditur legatum relictum sub conditione non transeundi ad secundas nuptias non amitti fornicatione, nec matrimonio irrito.*

22 *Nec idem amittitur dictum legatum sponsalibus de futuro, nec matrimonio de præsenti non consummato.*

23 *In foro tamen externo ex officio Judicis amittendum est fornicatione commissa, aut matrimonio irrito contracto.*

24 *Legatum relictum viduæ, dum vidua fuerit nequaquam amittitur etiam ex Judicis officio, & ex eo quòd Religionem profitcatur.*

25 *Legatum relictum conjugi ab alio conjuge, quandiu in ejus domo habitaverit, transitu ad secundas nuptias amittitur.*

26 *Legatum relictum conjugi, quandiu cum filiis defuncti commoratus fuerit transitu ad secunda vota perire, sive legatum relictum sit uxori à marito, sive econtrà affirmant plures.*

27 *Verius est non amitti ipso jure, si conjux velit filios secum retinere.*

28 *Decedentibus filiis mater prædictum legatum retinere potest.*

29 *Legatum alicui relictum, quandiu apud uxorem testatoris commoratus fuerit, transeunte ipsâ ad secundas nuptias non perit, tametsi legatarius cum ea uxore non commoretur.*

30 *Vir condens testamentum, & legans uxori si ea defuncta aliam ducit, non debetur legatum posteriori, si sub nomine proprio legatum factum est.*

31 *Si verò sub nomine appellativo legatum factum est, ut lego uxori meæ, alii affirmant, alii negant.*

32 *Examinatur quibus conferendum sit legatum annuum pro maritandis fœminis relictum, & asseritur solis fœminis primò nubentibus conferendum.*

33 *Fœminis jam maritatis etiam pauperibus legatum pro fœminis maritandis non videtur concedi posse.*

34 *Quid si hoc legatum certæ personæ relictum sit.*

1. ALiqua in hoc §. sunt certa, alia apud Doctores controversa, ut notavit Sanch. *lib. 7. disp. 91. per totam.*

Primò suppono conditionem excludentem nuptias à testatore appositam ei qui nunquam nupsit, neque matrimonium consummavit nullam esse, valere tamen si viduæ apposita sit; ut pluribus comprobat Sanch. *lib. 1. disp. 33. & 34. n. 30. & seqq. & lib. 7. disp. 91. n. 5.* Matienzo *lib. 3. gl. 2. num. 14. t. 1. lib. 5. novæ. collect.* Gutierr. *cap. 111. num. 1.* & nos diximus *disp. 1. & 2.* ubi de conditione à nuptiis retrahente.

2. Vnde fit hæreditatem, seu legatum uxori, vel viro relictum sub conditione ne transeat ad secunda vota cessare omnino, & in foro conscientiæ nullâ expectatâ Judicis sententiâ restituendum esse hæredibus legantis, quia illa non est pœna, sed conditio à testatore apposita, ut legatum effectum habeat, ut multis relatis, docet Sanch. *dicta disp. 91. num. 3.* Gutierr. *c. 111. num. 3.* Vasq. *de testament. cap. 8. §. 2. num. 31.* Et colligitur apertè *ex Authent. cui relictum, C. de indicta viduit.* Et idem censet Sanch. & Gutierr. esse dicendum de legato relicto sub hac conditione, *si castè vixerit*, amittitur namque quantumvis occultè conditio cesset. Quod verissimum est posito quòd testator intellexerit de turpitudine occulta, quia illa non est pœna delicti, sed conditio requisita pro legato obtinendo. At nihil difficile est credere testatorem sub illis verbis, *si castè vixerit*, turpitudinem occultam, & omnino secretam voluisse excludere. Sed potiùs censerem solam turpitudinem; ex qua honor, & fama læditur intelligendam esse, sicuti credit Menchaca *de succes. progressu, in præf. lib. 1. num. 98.*

3. Secundò præmitto conditionem excludentem à secundis nuptiis dupliciter à testatore apponi posse, negativè, vel distributivè; negativè apponitur quando nuptiæ absolutè negantur, ut si dicas *lego conjugi centum si non nupserit, si castitatem servaverit.* Distributivè verò apponitur, cùm juxta executionem conditionis legatum distribuitur, ut si leges uxori hæreditatem, illiúsve fructus quandiu, quousque, seu donec vidua fuerit.

4. Si legatum sub conditione negativa factum sit tenetur institutus cautionem præstare de conditione observanda, sin minus restituturum legatum cum fructibus, juxta *l. Mutiana.* Et *l. hæres meus*, §. *qui post Mutianum.* Et §. *quamvis ff. de condit. & demonst. Leg. cum filius*, §. *qui Mutianam ff. de legatis 2.* Et *leg. regia 7. tit. 4. part. 6.* Legatum verò post annum ab obitu testatoris numerandum tradandum est, nisi fortè antea spes nuptiarum deficiat. Ut expressè deciditur *Authent cui relictum, C. de indicta viduit. tollend.* Et *Authent. de nuptiis*, §. *quæ verò, vers. unde sancimus*, quod Jure Canonico correctum non est, ut *superius* diximus. Etenim cùm prædictæ conditioni contravenire institutus possit, dum vivit, æquúmque sit legato non privari; meritò jus disposuit, ut legatum legatario traderetur præstitâ supradictâ cautione. Hæc autem cautio (si fieri potest) pignoratitia, vel fidejussoria esse debet, sin autem juratoria sufficit secundùm Greg Lop. *leg. 7. verbo no quisiere, tit 4. part. 6.* Et Molin. *tit. 1. tract. 2. disputat. 206. vers. quando aliquis.* Quod si postmodum hæres, vel legatarius conditioni non paruerit, tenetur hæreditatem, vel legatum cum omnibus suis fructibus ab initio perceptis aliàs successuro restituere, quia ea institutio, & legatio nulla est, ejúsque nullitas retrotrahitur ad initium institutionis, & legationis ut expressè deciditur *Authent. cui relictum, Cod. de indicta viduit. tollenda*, ibi. *Quod sic admittitur, ac si ei relictum, vel ordinatum non esset.* Atque ita docent *ibi* Paulus *numero 4.* Jason. *numero 7.* Mol. *lib. 2. de primogen. cap. 12. num. 21.* Alter Molina Jesuita *t. 1. tract. 2. disp. 207. vers. postea de jure* Mantica *de conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 19. num. 22.* Sanch. *lib. 7. disp. 91 num. 6.* Quinimò

ut benè tradit Molin. *lib. 2. de primog. cap. 12. num. 21.* Mantica *num. 22.* Covarr. *reg. peccatum 2. p. Parag. 6. num. 4.* Sanch. *dicto num. 6.* non ſolum obligatur reſtituere fructus perceptos, ſed alias percipiendos à ſucceſſore, ſi inſtitutio, vel legatio defuiſſet, quia in his detrimentum paſſus eſt.

5. Verùm ſi legatum ſub conditione diſtributiva fuerit, nullum legatarius tenetur præſtare cautionem, eo quòd nihil receptum obligari poſſit ad reſtituendum, cùm nihil accipere poſſit, niſi conditione impleta, uti notavit Salicet. *leg. fin. n. 3. C. de indicta viduit.* Ruin *conſ. 170. n. 2. in fine*, Mantica *lib. 11. de conjecturis ult. volunt. tit. 19. n. 22.* Quos refert, & ſequitur Sanch. *lib. 7. diſp. 91. n. 9.*

9. Sed an prædictum legatum annuatim relictum legatarius acquirat illo anno, quo conditioni non paruit? Diſcordant Doctores. Nam Immola *in l. cum filius, §. qui Mutianam, numero unico, de legat. 2.* Et Acoſta *lib. 2. ſelect. cap. 18. n. 4.* negant, quia legatum non debetur, niſi poſitâ conditione, at ea conditio integro anno non extitit, ergo legatum integrum illius anni deberi non poteſt. Limitat autem Acoſta, niſi conditio defecerit abſque culpa legatarii, eo quòd initio anni mortuus ſit, quia tunc ceſſandum eſt conditione integrè impleta, ac proinde legatum integrè deberi.

Verùm in utroque eventu deberi legatum viduæ, eo anno quo nubit aſſirmarunt Alberic. *in l. defuncta, n. 3. ff. de Vſufructu, & quemadmodum quis utatur.* Jaſon. *in l. divortio, in princ. n. 7. ff. ſoluto matrim.* Signorolus *conſ. 66.* Mantica *de conjectur. ult. volunt. lib. 10. tit. 2. n. 24.* Sanch. *lib. 7. diſp. 91. n. 10.* Moventur *ex leg. filiæ, & leg. à nobis, à. de annuis legatis*, ubi ſtatuitur ſat eſſe annum inceptum eſſe, ut legatum annuum integrè debeatur. Quippè, ſi initio anni ea conditio extitit, eo ipſo legatum legatario acquiritur.

7. Cæterum etſi hæ ſententiæ ſint ſatis probabiles, veriorem exiſtimo legatum non deberi legatario integrè, ſed proquota anni parte, qua à nuptiis abſtinuit. Nam cùm ſolùm debitum ſit pro tempore, quo à nuptiis abſtinet, ſiquidem ſub ea conditione conceditur, à nuptiis autem non integro anno, ſed parte illius abſtinuit, cenſendus eſt partem legati, & non integrum legatum acquiſiſſe. Quod non obſcurè docuit Bart. *in dicta leg. à nobis.* Et Crotus *in leg. nemo poteſt, n. 54. ff. de legat. 1.* quatenus aſſerunt legatum relictum ſub conditione alicujus facti à legatario exequendi deberi pro quota anni parte, quâ legatarius factum executus eſt; quibus adhæret Mantica *de conjecturis ultim. volunt. lib. 10. tit. 2. num. 14.* Ergo legatarius, cui legatum relictum eſt ſub conditione abſtinendi à nuptiis non poterit legatum habere, niſi pro ea anni parte, qua à nuptiis abſtinuit. Neque contrarium colligitur *ex leg. filiæ, & leg. à nobis*, quia ibi tantùm dicitur legatum annum deberi conditione initio anni exiſtente, ſed an totum, integrúmque legatum debeatur plures decidunt. Præterquam quòd prædictæ leges intelligi poſſunt de legato, quod diviſionem non patitur.

8. Tertiò præmitto legatum conjugi ab alio conjuge, vel ab extraneo abſolutè relictum nequaquam amittitur, etſi ſecundò, vel tertiò nubat, quia cùm nuptiæ non ſint delictum & abſque ulla conditione legatum relictum fuerit, nulla eſt cauſa ob quam amitti poſſit, maximè cùm Iure Canonico correctæ ſint pœnæ Jure Civili ſtatutæ intra annum luctus nubentibus. Atque ita docent Covarr. *4. decret. 2. p. cap. 3. §. 9. n. 11.* Acoſta *l. cùm tale, §. ſi arbitratu, limitat. fin. n. 32. ff. de conditionib. & demonſt.* Mantica *de conjectur. ultim. volunt. lib. 10. tit. 5. n. 22.* Surd. *de alimentis, tit. 7. quæſt. 23. n. 18.* Sanch. aliis relatis *lib. 7. diſput. 91. n. 12.* Gutierr. *de matrim. cap. 111. n 5.* Quod procedit, tametſi alimenta, & uſufructus legata ſint. Nam cùm conjux defunctus hæc legans potuerit ſecundas nuptias excludere, & ſub conditione ab illis abſtinendi legatum concedere, poſito quòd id non expreſſerit, cenſendus eſt permiſiſſe; ſi enim ex ea omiſſione in aliis legatis nuptiæ cenſentur permiſſæ, cur non in legato alimentorum, quod favorabilis eſt? Atque ita docent Surd. *de aliment. tit. 7. quæſt. 23. n. 6. & ſeqq.* Anton. Gab. *t. 3. commun. opin. lib. 3. tit. de ſecundis nuptiis, concl. 1 num. 43.* Sanch. aliis relatis, *lib. 7. diſp. 91. numero 12.* Gutierr. *dict. cap. 111. num. 5.* His poſitis Sanch. *à n. 14.* ſex quæſtiones movet.

9. Prima: An legatum relictum conjugi ſub hac conditione, ſi caſtè, & honeſtè vixerit amittatur tranſitu ad ſecundas nuptias? In qua quæſtione triplicem refert ſententiam. Prima eſt Bart *in Authent. de non eligendo ſecundò nubentes, § cùm igitur, n. 1. Et in leg. ult. in fine, C de indicta viduitate*, Abbatis, *cap. quòd à te, n. 3. de cleric. conjugat.* Et *cap. ut clericorum, n. 5. De vita & honeſtate clericor.* Felin. *in cap. ſi cautio, n. 40. de fide inſtrumentor*, Caſtillo *in leg. 15. Tauri, num. 1. verſ. quod eſt verum*, Menchaca *de ſucceſſionum progreſſu, lib 3. §. 27. num. 29.* Ludovic. Lopez, *lib. 2. contractib. c. 45. verſ. tamen verior eſt*, Vega *2. tit. ſum. c. 32. caſu 29.* Molinæ Jeſuitæ, *tit. 1. tract. 2. diſp. 207. poſt medium*, quæ negat prædictum legatum amitti, niſi fortè de teſtatoris voluntate, aut ex communi uſu loquendi appareat illis verbis; nuptias excludi. Ducuntur eo quòd ſecundæ nuptiæ, imò caſtitati, & honeſtati non obſtent ex Textu expreſſo *in cap. Nicæna 31. diſt.* Et *leg. mulier, §. cum proponeretur, ff. ad Senatuſconſultum Trebellianum.* Et tradit D. Thom. *2. 2. quæſt. 152. articul. 3. in corp.* Secunda, quæ eſt aliorum, quos tacito nomine refert Roſella, *verbo Adulter. num. 6.* diſtinguit, an legans vir doctus ſit, vel ſimplex? Si doctus ſit, cùm ſciat ſecundis nuptiis caſtitatem ineſſe, non eſt cenſendus illis verbis nuptias excludere, maximè cùm interpretatio facienda ſit adverſum eum, qui legem potuit dicere apertiùs. At ſi vir ſimplex ſit, credendum eſt ſub omnimoda caſtitate legatum reliquiſſe.

10. Tertia, cui ipſe Sanch. ut probabiliori adhæret hac utitur diſtinctione, ſi legatum relictum ſit à filiis, vel nepotibus ipſius conjugis ad ſecundas nuptias tranſeuntis, vel ab alio conjuge defuncto, ejúſque conſanguineis, legatum amittetur ſecundis nuptiis contractis, ſecùs verò ſi à quocunque alio fuerit legatum relictum. Et placet hæc ſententia præcipuè, quia communis eſt, ut conſtat ex iis quæ adducit Covarr. *4. decret. 2. part. cap. 3. §. 9. numero ultim.* Anton. Gomez, *leg. 14. Tauri, numero 9.* Mantica *de conjectur. ultim. volunt. lib. 11. tit. 19. numero 39.* Villalobos *in communibus opinionibus, verbo uxor. numero 126.* Zevallos *in ſuis qq. pract. quæſt. 151. numero 3.* Sanchez *dicta diſput. 91. a numero 16.* Deinde verba quæ indifferentia ſunt, & quæ varios ſenſus recipere poſſunt, intelligi debent ſumi à proferente ſecundùm ſenſum, qui ſua maximè intereſt. *Leg. fin. in fine, ff. de obligationib. & actionib.* At illa verba *ſi caſtè, & honeſtè vixerit*, indifferentia ſunt, ut de omnimoda, & perfecta caſtitate intelligantur, vel de ſola caſtitate, quæ conjugio ineſt: ex alia parte conjugi defuncto, ejúſque conſanguineis, viduæque filiis magni refert, ut de perfecta caſtitate, quæ abſtinentiam à nuptiis continet intelligantur, ſiquidem hac ratione vidua amorem. & memoriam, ſui conjugis conſervat, qui ſecundis nuptiis aboletur. Ergo ſic intelligenda ſunt. Quæ ratio in aliis perſonis non procedit, ideóque aliæ perſonæ dictis verbis ſolam turpitudinem propriam cenſendæ ſunt voluiſſe excludere. Et licèt aliqui Doctores cenſeant tertias, & ulteriores nuptias excludi, eo quòd ea caſtitate nuptiarum multiplicatio deficiat. At rectiùs Covarr. *dicto cap. 3. §. 5. in fine*, Anton. Gomez *leg. 14. Tauri, numero 9.* Gregor Lopez, *leg. 1. verbo o mas. tit. 12. part. 5.* Mantica *de conjectur. ultimar. volunt. lib. 11. tit. 19. num. 32.* Sanch. *diſp. 11. num. 14.* cenſent nullatenus excluſas eſſe, quia æquè tertiæ, ulteriorèſque

rioresque nuptiæ castæ sunt, sicuti primæ, & secundæ.

11. Si autem secundæ nuptiæ itatum viduæ, ejusque conditionem dedecerent, vel quia est ætatis provectæ, vel quia tertium Ordinem D.Francisci professa est, vel quia nubit longè inferiori, aut legantis inimico censet Sanch. plures referens *à num.26.* Prædictas nuptias exclusas esse illis verbis *si castè, & honestè vixerit*, à quocunque fuerit ea conditio appolita, quia illæ nuptiæ cùm viduæ famam denigrent, non censendæ sunt honestæ. Cæterùm contrarium verius censerem, nam esto illæ nuptiæ viduam dedeceant, & legantem offendant, id provenit ex circunstantiis extrinsecis, non ex eo quòd castitati, aut honestati opponantur. Si igitur illis verbis *si castè, & honestè vixerit*, appositis à consanguineis conjugis, vel ab alio extraneo sola turpitudo illicita excluditur, secundæ, vel tertiæ nuptiæ quantumvis minus convenientes exclusæ non erunt.

12. Quæstio secunda: An legatum relictum sub conditione castè, & honestè vivendi unica fornicatione amittatur? In hac quæstione duplicem sententiam refert Sanchez *dicta disp 91. à num.31.* Prima negat, quæ est Azevedi *in leg.4. tit.1. n.19. lib.5. novæ collect.* Dicitur *ex §. item lex Julia de adulteriis, in vers. eadem lege, instit. de publicis judiciis:* Ubi lege Julia puniri dicitur stuprum illius qui virginem, vel viduam honestè viventem etiam absque vi stupraverit. Supponit ergo cum honestate vitæ stuprum unicum consistere posse. Secundò *ex leg. stuprum 41. ff. de Ritu nuptiarum*, ibi: *stuprum intelligitur etiam in his mulieribus esse quæ turpiter viverent, vulgoque quæstum facerent*: Ubi notandum est *turpiter vivere, & quæstum facere* idem esse. Tertiò ex unico actu non denominatur quis honestus, vel inhonestus, sicuti neque prodigus, aut liberalis, sed ad prædictam denominationem actuum frequentia desideratur, uti pluribus exornat Sanchez *dicto num.41.* Quartò luxuriosè vivere opponitur castè, & honestè vivere, ut de se constat: at non dicitur luxuriosè quis vivere ex solo unico actu fornicationis, ut *superiori §.* diximus, sed necessariò habitus, & consuetudo turpiter vivendi desideratur. Ergo, &c.

Secunda sententia, quæ unica fornicatione contenta est, ut legatum amittatur est Baldi, *in leg. penult. in princ. numero unico, ff. de excusat. tutorum.* Jason. *in leg. fin. num.31. vers. in ultima parte, Cod. de indicta viduit.* Præpositi *cap. Nicæna, num.4. dist.31.* Guilielm. Benedicti *cap. Raymutius num.228. vers. qui cum alia de Testament.* Beroii *cons.30. n.2. volum.2.* Zephali *cons.500. num.39. volum.4.* Bertachini *in suo repertorio litt. V. verbo uxor. usufructuaria.* Sylv. *verbo Legatum 1. quæst.5. num.9. & verbo Legatum, 2. in fine.* Covarruv. *4. decret. 2.p.cap.6. §.8. num.17.* Navarr. *cap.23. num.62. Et cap.25. num.65.* Zenedo *collect.154. ad decret. num.9. & 10.* Henriq. *lib.13. de excommunicat. cap.65. num.2. in comment. litt. V.* Philiarci *de officio Sacerdot. t 2. p.2. lib.6. cap.22.* Menoch. *de præsumpt. lib.4. præsumptione 188. numero 12.* Manticæ *de conjecturis ultim. volunt. lib.11. tit.19. num.35.* Vegæ *2.t. sum. cap.32. casu 9. Et titul.1. cap.94. casu 2. ad finem.* Ludovic. Lopez *titul.1. instruct. conscient. cap.195. post medium.* Ducuntur primò, quia si unicam fornicationem committas inhonestus, & turpis es, quippe hæc nomina, *turpis, adulter, homicida, raptor, &c.* Delictum significantia unico actu contenta sunt, ut constat *ex leg. Athletas, §. prævaricator, ff. de his qui notantur infamia. Et leg. quis sit fugitivus ff. de ædilitio edicto. Et cap. fin. de raptorib.* Et tradit Abbas *in cap.1. num.58. de Judiciis. Et ibi* Decius *in 2 lectura, num.112.* Dominic. *in cap.1. de vita, & honestate clericor. in 6. num.8.* Et Francus *ibi num.3.* At qui turpis, & inhonestus est, castè & honestè non vivit. Ergo ob unicam fornicationem conditio castè vivendi non servatur. Secundò si promittas castè vivere, (uti promittunt qui subdiaconatu insigniuntur, juxta Textum *in cap.1. Et cap. quando distinction.28.* Et omnes Religiosi cùm professionem faciunt) promittis ab omni actu turpi abstinere. Ergo testator petens pro conditione sui legati ut castè vivas, petit ut ab omni actu turpi te contineas. Tertiò caste, & honestè vivere est castitatem servare. At unicâ fornicatione commissâ non servatur castitas, sed potiùs violatur. Ergo unica fornicatio, unicusque actus turpis sufficit, ut conditioni caste vivendi pareas.

13. Has duas extremas sententias Sanchez *libro septimo, disputatione nonagesima prima, numero trigesimo tertio.* Hac distinctione conciliat. Si legatum viduæ relictum sit ab ejus filiis, vel à marito, ejusque filiis, vel ab aliquo alterutrius consanguineo, arctissimave amicitia conjuncto, unicâ fornicatione amittitur, utpote qui unicâ fornicatione graviter offendatur, & in hoc casu secundam sententiam veram censet. At si legatum ab alio extraneo relictum sit postulat etiam fornicationem frequentiam, ut jure optimo possit dici ejus vita impudica, & inhonesta. Probat Sanch. suam distinctionem; nam esto illa verba *castè, & honestè vivere* habitum sonent, nec possit dici vita impudica, & inhonesta illius viduæ, quæ semel aut iterum fornicatur, ideoque appolita ab extraneo exigunt turpitudinis frequentiam. At appolita ab his qui unica fornicatione legatarii graviter dehonestantur, credendum est illis verbis voluisse omnem turpitudinem excludere, sicuti ad hanc offensionem *superius*, collegimus illis verbis non solùm turpitudinem illicitam voluisse maritum à conjuge superstite excludere, sed quæ secundis nuptiis inest. Neque alienum est à proprietate sermonis aliquando ob causam gravem, & urgentem recedere. Argum. *leg. maritum, 29. vers. qui quæstioni, ff. ad leg. Juliam de adulteriis.* Ubi sola unica permissio adulterii per maritum, censetur de uxore quæstus factus ob rei gravitatem, cùm tamen proprie quæstum facere consuetudinem adulterandi ob pretium significet.

14. Hinc tria infert Sanch. *d. disp.91. à n.34.* Primò legatum ab uxore, ejusque filiis relictum viro superstiti sub conditione caste, & honeste vivendi unà vel alterâ fornicatione, seu turpitudine commissa non amitti, sed opus esse turpitudinis frequentia. Quod à fortiori procedit, si à consanguineis viri relictum sit. Ducitur, quia nec uxor, nec alii consanguinei graviter offenduntur ex una, vel altera viri fornicatione, ac proinde nulla ratio est cogens à verborum proprietate recedere, sicuti in fornicatione fœminæ contingit. Secundò infert, & recte Sanchez plures referens legatum amissum vel ob fornicationem, vel ob vitam inhonestam non recuperari reditu ad meliorem frugem, quia conditione legati deficiente legatum expiravit. Tertiò deducit legatum annuum relictum ad collocandas fœminas honestas, seu honestæ vitæ posse concedi iis quæ una, vel altera vice fornicatæ sunt, tametsi consanguineæ sint testatoris, quia ex quo testator nullam consanguineam specialiter designavit, sed extraneas simul cum ipsis legati participes fecit, quamvis consanguineis jus prælationis concesserit, videtur æqualem in omnibus castitatem exegisse, neque ex turpitudine consanguineæ singulariter offendi.

15. Cæterùm huic distinctioni Sanchez acquiescere non possum, non enim testator eam conditionem caste, & honeste vivendi appoluisse censendus est, ob vitandam suam infamiam, sed ob castitatis amorem, & in illius observationem, & cultum, ut patet in eo, qui legatum relinquit pro maritandis fœminis caste viventibus. Ergo non ex infamia proveniente testatori ex turpitudine legatarii colligendus est valor, vel nullitas legati, sed ex violatione virtutis castitatis. At castitatis virtus æque violatur unica fornicatione à legatariis testatori extraneis, sicut ab ejus consanguineis. Ergo idem in omnibus dicendum est. Quapropter existimo secundam sententiam. Probabiliorem esse, tenendamque

damque in judicando, & solvendo, nempe conditionem illam castè, & honestè vivendi unica fornicatione publica sive facto, sive jure deficere. Et præter rationes *ibi* adductas hac consideratione convincor. Vidua cujus fornicatio publicè constat censeri nequit castè & honestè vixisse, siquidem saltem eo tempore quo fornicata est inhonestè vixit. Deinde ex unica fornicatione denominatur fœmina simpliciter, & absolutè inhonesta, & impudica etiam secundùm Sanchez *disp.*41. *num.*40. Ergo denominari nequit casta, & honesta, ergo nec castam vitam duxisse. Debet tamen fornicatio publica esse, ut legatum amittatur, quia dum occulta est, etsi apud Deum inhonesta sit, apud homines tamen castè, & honestè vivere censetur, & testator præsumi debet de honestate visibili; & hominibus apparente locutum esse; aliàs fœmina secretò se polluens incapax esset legati, quod pro fœminis honestis relictum est. At eo ipso, quo turpitudo probata fuerit etsi unica sit, repellendus est legatarius à legato, utpotè cui conditio requisita non aptatur. Et ex his solvitur fundamentum Sanchez.

16. Fundamenta verò primæ sententiæ sic dilues. Ad primum desumptum ex §. *item Lex Julia, de Adult.* admittimus stuprum committi posse cum virgine, vel vidua honestè vivente, honestè inquam antequam stuprum committeret, secùs illo commisso. Ad secundum ex *leg. stuprum* respondeo *ibi* tantùm definiri stuprum esse posse cum his mulieribus, quæ ita turpiter vivunt, ut sui quæstum faciant, *ibi* tamen non deciditur vivere turpiter esse quæstum facere, siquidem absque quæstu potest mulier turpiter vivere: Ad tertium concedo ex unico actu honestatis non denominari quempiam honestum, negamus tamen non denominari inhonestum, & turpem ex unico actu turpitudinis, quippè bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Ad quartum admitto luxuriosè vivere opponi contrariè castè, & honestè vivere, sed non contradictoriè, ideoque stare optimè potest quod quis non castè, & honestè vixerit quin vixerit luxuriosè, quia ad vitam luxuriosam requiritur, quod luxuriis abundet, at ut quis dicatur non castè, & honestè vixisse, sufficit quod aliquando à castitate defecerit.

17. Quæstio tertia. An legatum sub conditione castè, & honestè vivendi amittatur à fœmina amplexibus virorum, tactibusque impudicis vacanti; Communis sententia censet amitti, quia hæc castitati adversantur, & fœminam inhonestam, & impudicam denominant. Sic Bald. *cons.*207. *num.*1. *Et* 2. *volum.*4. Covarruv. 4.*decret.* 2.*p. cap.*7. §.6. *num.*3. *in fine.* Menoch. *de præsumpt. lib.*5. *præsumpt.*41. *num.*38. Mantica *de conject. ultim. volum. lib.*11. *tit.*19. *num.*34. Salcedo *additionib. ad Bernard. Diaz reg.*216. *in fine.* Zenedo *collect.*154. *ad decret. num* 9. & 10. Graffis 1.*p. decis. lib.*2. *cap.*11. *n.*58. Man. *sum. t.*1. *cap.*99. *n.*1. Lara *leg. si quis à liberis*, §. *si quis ex his*, *n.*147. *de liberis agnoscendis.* Et alii relati à Sanch. *disp.*91. *n.*38.

18. Contrariam sententiam defendit Navarr. *sum. cap.*23. *n.*92. Eo quod prædicti actus etsi castitati adversentur, quia tamen non plenè, & perfecte, sed inchoative adversantur non denominant fœminam simpliciter impudicam, nec legati incapacem. Et confirmari potest ex iis quæ tradit Sanch. *lib.*10. *disp.*4. *n.*12. Asserens prædictis tactibus non præberi sufficientem causam divortio, nec dotis amissioni.

19. Sanchez verò *dicta disp.*91. *n.*40. Sequens Ludovic. Lopez 1.*part. instruct. cap.*193. Censet prædictum legatum amitti, si toties hos actus fœmina multiplicaverit, ut meritò impudica censenda sit. Secùs verò ex uno, vel alio actu hujusmodi lascivo. Nam esto unicus actus fornicationis sufficiat ad amittendum legatum à viro, ejusque consanguineis conjugi relictum, id est quia actus fornicationis, utpote in materia luxuriæ perfectus, & completus committentem denominat simpliciter impudicum. Secùs verò est de hujusmodi actu impudico.

20. Cæterùm in hac quæstione aliter dicendum videtur. Si enim forum externum spectemus, prima sententia asserens fœminam his turpibus actibus vacantem legatum amittere sustinenda est, tum ob suspicionem vehementem, quam de se præbet fornicationis, vel pollutionis, tum in pœnam turpitudinis commissæ, meritò namque privari à Judice debet legato honeste, & caste viventibus relicto, quæ sic turpiter vivit. At si forum conscientiæ spectemus placet mihi Navarri sententia. Nam cùm hæc privatio odiosa sit, non est ultra proprietatem verborum extendenda. At verba castè, & honestè vivendi secundùm proprietatem sumpta non deficiunt plenè, & perfectè ex hujusmodi actibus libidinosis secluså fornicatione, vel pollutione, quia in materia luxuriæ non sunt actus consummati, & perfecti. Ergo ex illis tantùm legatum amitti non potest; nam ad amittendum legatum conditionale debet conditio integrè deficere.

Distinctionem verò Sanchez suis dictis parum consequentem nullatenus probandam censeo. Si enim unicus actus hujusmodi turpitudinis non sufficit excludendam conditionem castæ, & honestæ vitæ, cùm tamen unica pollutio, vel fornicatio sufficiat, neque etiamsi pluries multiplicetur sufficiens erit. Quippe ob multiplicationem non redditur diversus, aut distinctus, ergo si ratione sui non reddit committentem simpliciter inhonestum, & impudicum, quia integrè, & perfectè non est castitati oppositum, sicuti est pollutio, vel fornicatio, neque etiam multiplicatus reddit committentem simpliciter inhonestum, & impudicum, cùm nunquam integrè, & perfectè, sed inchoatè tantùm castitati opponatur.

21. Quæstio quarta; An legatum relictum sub conditione non transeundi ad secundas nuptias amittatur fornicatione, vel matrimonio irrito, aut consummato? Breviter respondeo fornicatione non amitti, quia sub abstinentia à secundis nuptiis non continetur abstinentia à fornicatione, aliàs vovens non nubere peccaret contra votum fornicando. Neque obest quod fornicatio magis contraria sit testatoris voluntati quam nuptiæ, utpotè quæ magis castitati opponitur, magisque ipsum, & legatarium dehonestat, quia cùm sub illis verbis abstinendi à nuptiis ea voluntas expressa non sit, censenda est mente retenta, ac proinde nullum effectum operari. Sic docet Navarr. *c.*25. *n.*65. Sanch. *disp.*91. *n.*42. Adversus Acosta *in l. cum tale*, §. *si arbitratu, in fine n.*25. & 30. *ff. de condition. & demonstr.* Zenedo *coll.*154. *ad decretal. num.*9.

Neque etiam matrimonio irrito sive culpabiliter, sive absque culpa contracto legatum prædictum amittetur, quia cum matrimonium irritum non sit matrimonium, sed solùm matrimonii attentatio, ex illo verificari non potest sic contrahentem ad matrimonium transire, sed solùm illius transitum procurasse. At conditio prædicta legati non procuratio matrimonium excludit. Ergo ob illam procurationem, & attentationem legatum in foro conscientiæ amittendum non est. Favetque huic sententiæ regula juris. Non præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum, & axioma illud quod vitiosè factum est reputari debet, ac si factum non esset, juxta *leg. quoties*, *ff. Qui satis dari cogantur. Et l.*4. §. *condemnatum, ff. de re judicata.* Et tradit Sanch. *d. disp.*91. *n.*43.

22. Neque item amittetur dictum legatum sponsalibus de futuro contractis, quia per sponsalia de futuro conditioni abstinendi à nuptiis propriè non contravenitur. Quippe sponsalia de futuro non sunt nuptiæ, sed nuptiarum initium, & illarum obligatio. Et licèt proximè accingendus reputari debet pro accincto, *leg. si pecuniam*, *ff. de conditione ob causam*, id solùm habet locum in favorabilibus, & à jure expressis, sicuti

sicuti etiam dispositum in matrimonio censeri debet in sponsalibus dispositum, juxta *leg. oratio ff. de sponsal.* At cùm jure non sit dispositum, quod sub conditione à testatore appositâ abstinendi à nuptiis sponsalia contineantur, neque ea conditio favorabilis sit, sed potiùs odiosa, non est cur ad sponsalia extendatur, ut latè, & optimè probat Beroius *toto cons. 31. vol. 2.* Simon de Pretis *de interpret. ultim. volunt. lib. 1. interpret. 1. circa legata, dub. 10. num. 116.* Sanch. *lib. 7. disp. 91. num. 44.*

Neque denique videtur amittendum per matrimonium de præsenti, quod consummatum non sit, quia ante consummationem non est à voluntate testatoris integrè recessum. Nuptiæ namque propriè non sunt, quousque matrimonium consummetur; sic docuit Sanch. *num. 35.*

23. Verùm etsi in foro conscientiæ non amittatur legatum per fornicationem, aut matrimonium irritum, at ex officio Judicis amittendum est in pœnam delicti, ne plus habeat luxuria, quàm castitas. Et idem censeo ob sponsalia, & à fortiori ob matrimonium, meritò enim privari debet legato, qui voluntatem habuit se illo privandi. Neque his dissentit Sanchez *d. disp. 91. à n. 43.*

24. Illud est certum legatum relictum viduæ, dum vidua fuerit neque quam amitti, neque ex Judicis officio amitti debere ex eo quòd Religionem profiteatur, quia Religio viduali vitæ non obstat, sed potiùs firmiter conservat. Neque professio Religionis delictum est, sed potius opus maximè laudabile, ut ob illius causam legato privari debeat, sic relato Baldo, Jason. & aliis docuit Sanch. *num. 46.*

25. Quæstio quinta quid dicendum sit de legato relicto conjugi ab alio conjuge, quandiu in ejus domo, vel cum ejus filiis habitaverit, an inquam transiens ad secundas nuptias illud amittat?

Et quidem legatum habitationis etiam absolutè relictum uxori à viro, vel è contra transitu ad secundas nuptias omnino amittitur, eo quòd prædictum legatum factum sit, ut legatarius habitatione ipsa defuncti memoriam conservet, quæ tamen secundis nuptiis abolebitur, uti tradit Greg. Lopez *in leg. 21. verbo el esu mujer, tit. 31. p. 3.* Perez *lib. 5. ordin. tit. 2. leg. 1. fol. 115.* Sanchez *lib. 7. disp. 91. n. 50.* Et idem est dicendum, quando legatum factum sit conjugi superstiti, dum in domo conjugis defuncti perstiterit, quia eo legato procuratur memoria defuncti retineri, cui secundæ nuptiæ obstant; sicuti docuit Bald. *in leg. voluntatis, n. 10. Cod. de Fideicommiss.* Jason. *in leg. 1. n. 5. Cod. de Legatis.* Surdus *de Aliment. titul. 7. q. 23. n. 22.* Quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 7. disp. 91. n. 51.*

26. Si verò loquamur de legato relicto conjugi, quamdiu cum filiis defuncti commoratus fuerit, gravior est dubitatio, an per transitum ad secunda vota pereat legatum? Affirmant perire tam legatum relictum uxori à marito, quàm relictum marito ab uxore Guilielmus Benedictus *cap. Raynutius n. 170. verbo qui cum alia de Testament.* Joan. Lupus *leg. 15. Tauri, n. 5. Et ibi* Castillo *post princip.* Gomez Arias *leg. 13. Tauri, n. 1.* Matien. *lib. 5. recop. tit. 1. leg. 3. gloss. 2. n. 18.* Et alii quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 7. disp. 91. n. 48.* Ducuntur, quia sic legans intendit, ut filiorum educatio, & habitatio apud conjugem superstitem perpetua sit. At hæc impediuntur transitu ad secundas nuptias, siquidem conjux redditur suspecta malæ tractationis, filiisque præbetur sufficiens causa divertendi à matris denuò nuptæ societate, ergo perit legatum.

27. Cæterùm etsi hæc sententia sit satis probabilis, probabiliorem existimo, quæ affirmat ipso jure non amitti prædictum legatum, si conjux transiens ad secunda vota velit filios secum retinere, ut tradit Gloss. *in leg. cum tale, verbo sententia, ff. de condit. & demonstrat.* Bart. & Pinel. *ibi statim in princip.* Salicet. *leg. 1. num. 4. Cod. de Legatis.* Lara *leg. si quis aliberis, §. si quis ex his, n. 196. & 197. ff. de liberis agnoscendis.* Et alii: Ducor, quia vir transiens ad secunda vota non amittit filiorum tutelam, nec educationem, mater verò etsi tutelam amittit, non tamen educationem, etsi arbitrio Judicis relinquitur, an conservari in ea debeat, uti *superius* probavimus etiam ex sententia Sanchez. Ergo ex solo transitu ad secundas nuptias non habent filii occasionem sufficientem à societate matris divertendi, siquidem ipsa illius honestatis, moris & conditionis esse potest, quæ suspicionem ortam ex secundis nuptiis evincat.

28. An autem decedentibus filiis mater prædictum legatum amittat? Difficultate non caret, eo quòd videatur legatum esse factum conjugi in favorem filiorum, ut ipsi rectè educarentur. Nihilominus satis probabile est retineri à conjuge posse, quia credendum est non adæquatè in filiorum favorem fuisse legatum factum, sed in beneficium conjugis, & ob illius contemplationem, ideoque cessante filiorum favore non cessat legatum, sicuti relato Garron. *Rub. Cod. de secundis nuptiis, pœna 15. num. 34.* Docet Sanch. *disput. 91. numero 49.*

29. Hinc inferendum est legatum alicui relictum quandiu apud uxorem testatoris commoratus fuerit, transeunte ipsa ad secundas nuptias non perire legatum, tametsi legatarius cum illa uxore non commoretur, quia testator intendit eo legato obligare legatarium, ut quantum in se est cum ejus uxore vivat; at transeunte ipsâ ad secundas nuptias cessat esse testatoris uxor, & reputatur uxor comparatione testatoris, & legatarii ac si mortua esset, ergo quamvis legatarius cum illa non commoretur non est illi culpæ tribuendum. Non igitur legatum amittere debet, sicuti multis comprobat Simon de Pretis *de interpretat. ultim. volunt. lib. 1. interpretat. 1. circa legata, dub. 10. n. 5.* Quem refert, & sequitur Sanch. *lib 7. disp. 91. n. 52.*

30. Quæstio sexta, An vir condens testamentum, & legans uxori eâ defunctâ aliam ducat, debeatur & legatum illud uxori posteriori. Manifestum est non deberi, si sub nomine proprio legatum factum est, ut si dixerit, *lego meæ conjugi Mariæ.* Sic relato Menoch. *de præsumpt. libro quarto, præsumpt. 122. numero 14.* tradit Sanch. *dicta disp. 91. num. 58.* Gutierr. *cap. 111. de matr. n. 8.* Limitat autem, & benè, nisi testator secundæ uxori nomen prioris imposuisset, quia ea impositione manifestè indicavit voluisse secundam loco prioris surrogari juxta Textum *in leg. filia, §. ult. ff. de condit. & demonstrat.*

31. Si verò sub nomine appellativo legatum factum est, lego uxori meæ. Alii affirmant, alii negant deberi, prout referunt Covarruv. *in cap. requisisti n. 3. de testam.* Mantica *de conjectur. ult. volunt. lib. 8. tit. 15. num. 1. & 2.* Menoch. *de præsumptionib. lib. 4. præsumpt. 122. num. 8.* Et quidem si vir tempore conditi testamenti conjugatus non erat certum debet esse legatum uxori postmodum assumptæ debitum esse, nam cùm uxori mortuæ debitum esse non possit; ne ea dispositio irrita sit, affirmandum est legare voluisse uxori assumendæ: sic tradunt Covarruv. & Mantica *suprà.* Sanchez *dicta disput. 91. numero 59.* At si vir conjugatus erat tempore conditi testamenti, quamvis Menoch. *num. 11 & 12.* satis probabiliter existimet posteriori uxori legatum deberi, quia testator in ea dispositione perseverans; cùm eam revocare posset, satis indicavit voluisse secundæ uxori applicari, maximè cùm in casu dubio semper ea præsumptio sumenda est, quæ actum, & dispositionem testatoris sustinet, non verò quæ illum cassum, & irritum, fuisset, probabilius est cassam esse dispositionem, & uxori postmodum assumptæ indebitum esse legatum, uti docuit Sanchez *dict. disput. 91. num. 59.* Gutierr. *de matrim cap. 111. n. 9.* cum Covarr. & Mantica *suprà.* Nam tempore conditi testamenti illud legatum referri non poterat ad uxorem postmodum assumptam, quia illi testator neque affectus erat, nec dum illius cogitationem habere poterat, post-

modum verò nullum hujus relationis judicium dedit, nam perseverantia in priori actu potius huic relationi adversatur, quàm fovet, quippè ea dispositio secundæ uxori aptari nequit, nisi ex voluntate testatoris ex prima in secundam uxorem subrogatio fiat.

Temperat autem hanc doctrinam Barbosa *in leg. divortio*, §.8. *n.*10. *ff. soluto matrim.* Quem sequitur Sanch. *d. disp.*91. *n.*60. Ne procedat in legato alimentorum, seu alio quovis uxori favorabili, quia concurrente duplici favore scilicet ultimæ voluntatis, & rei legatæ præsumendus est testator secundam uxorem loco prioris subrogare. Et placet hæc limitatio.

32. Quæstio septima, quibus conferendum sit legatum annuum maritandis fœminis relictum.

Etsi Ripa, Decius, & Sylvest. relati à Sanch. *dict. disp.*91. *n.*54. Videantur sentire fœminis secundo nubentibus conferri hoc legatum posse. At longè verius est, & omnino tenendum solis fœminis primò nubentibus esse conferendum, quia ea testatoris verba de solis primis nuptiis intelligi debent. Arg. *leg. boves*, §. *hoc ferm. ff. de verb. signif.* Ibi: *Hoc sermone, dum nupta erit, primæ nuptiæ significantur.* Et ibi Tiraq. plures referens *n.*111. Et docuit Bart. *in proximo decretal. n.*25. Guiliel. Benedict. *c. Raynutius, verbo & uxorem cum alia, n.*79. *de Testament.* Mantica *de conject. ult. volunt. l.*8. *tit.*5. *num.*21. Gutierr. *de matrim. cap.*11. *num.*7. Sanchez aliis relatis *disp.*91. *n.*55.

Hanc doctrinam Sanch. cui Gutierr. adhæret variis modis temperat; primò ne procedat in vidua, quæ prius matrimonium non consummavit, nam comparatione hujus secundæ nuptiæ primæ censeri debent, nam nuptiæ quæ consummatæ non sunt nuptiæ integræ, & perfectæ non appellantur. Secundò, ne procedat in vidua, cujus prius matrimonium irritum fuit, quia præstare non debet impedimentum quod de jure non sortitur effectum, neque illa vidua secundò nubit, cùm primæ nuptiæ, utpotè irritæ, nuptiæ non sint. Tertiò temperat casu quo nullæ essent fœminæ ætate nubiles, nam cùm hoc legatum posito quod personæ determinatæ factum non sit exigat necessariò, ut persona, cui est concedendum habilis sit ad matrimonium, in cujus finem conceditur ex communi sententia tradit Bald. *in leg. sancimus in fine, C. de nuptiis.* Garron. *Rub. C. de secundis nuptiis, n.*5. Deficientibus aliis fœminis viduæ concedi potest ex verosimili testatoris mente, ne opus pium differatur. Quod si legatum certæ personæ factum sit, quæ tamen duodecimum annum nacta non est, alteri applicari nequit, quia testator eam personam determinatè designans dilationi legati tradendi consentit. Quippà legatum, quousque fœmina nuptiis apta sit concedi non debet, quia non urget causa, ob quam factum est, ut benè docet Mantica *l.*11. *de conject. ultim. volunt. titul.*21. *n.*5. Sanch. *disp.*91. *n.*62.

33. Fœminis autem jam maritatis etiam pauperibus legatum pro fœminis maritandis non videtur concedi posse, quia defecit finis testatoris, quippe testator legato intendit, ut fœminæ defectu dotis innuptæ sint, neve earum pudicitia periclitetur, quæ ratio in fœminis maritatis cessat. Atque ita sustinent Bald. *in leg. fin. n.*21. *C. de sentent. quæ sine certa quantit.* Jason. *leg. quominus, n.*133. *vers. quinto pro eadem parte, ff. de fluminib.* Perez *lib.*5. *ordinan. tit.*2. *leg.*1. *vers. dubium est.* Sanch. *dict. disp.*91. *n.*64. Gutierr. *c.*111. *n.*10.

34. Verùm si hoc legatum certæ personæ, ut in matrimonium collocaretur relictum sit, ipsaque vivo testatore, ipsoque ignorante nupserit, censet Mantica *de conject. ult. volunt. l.*12. *tit.*1. *n.*13. Legatum perire, quia deficit finis, ob quem est concessum. Secùs vero (inquit) si conscio testatore nupserit, quia ex eo quòd testamentum non mutavit, cùm posset, præsumitur voluisse legatum illud puellæ conferri oneribus contracti matrimonii sustinendis. Sed rectiùs Joan. Lup. *c per vestras de donation. inter vir. & uxor. notab.*3. §.20. *n.*6. Sarmiento *l.*2. *sect cap.*1. *n.*10. Tiraquel. *tract. cessante causa limitat.*18. *in fine.* Spino *speculo testamentor. gloss.*14. *princ. n.*152. Zevallos *in suis qq. pract. q.*138. *a n.*6. Gutierr. *c* 111. *n.*11. Sanchez aliis relatis *disp.*91. *n.*65. Affirmant sive ignorante testatore fœmina hæc nupserit, posse illi legatum prædictum conferri quia non extinguit legatum, sed potiùs illud firmat conditionem legati impletam esse. Argum. *leg. si jam facta* 11. *ff. de conditionib. & demonstrat.* Et pluribus exornat Covarr. *cap. officii, numero de testament.* Neque finis legati præcipuus censendus est in præsenti deficere. Hinc namque est testatorem se benevolum animum, & benefactorem illius fœminæ ostendere qui post matrimonium contractum adhuc perseverat. Quinimò existimat Sanchez *num.*66. quem sequitur Gutierrez *numero* 11. legatum relictum consanguineis maritandis etsi dari non possit maritatis tempore testamenti, utpote quod incertis personis relictum sit, bene tamen dari posse iis, quæ mortuo testatore nupserint, quia ab eo tempore jus aliquale in prædictum legatum habent, neque omnino incertis personis relictum est, sed aliquo modo certis scilicet consanguineis, in quas suum affectum, & voluntatem ostendere testator potest.

Punctum XIV.

De impedimento impotentiæ.

§. I.

Quid, & qualis sit impotentia ad matrimonium?

1 *Impotentia ad copulam est impotentia ad penetrandum vas fœmineum.*
2 *Multiplex est impotentia.*
3 *Variant Doctores: An impotentia, quæ vinci nequit absque probabili periculo gravis morbi sit perpetua?*
4 *Communis sententia, & amplectenda asserit, solam eam impotentiam, quæ absque peccato, vel morte corporali, aut illius gravi periculo vinci non potest, esse perpetuam.*
5 *Si judicio Medicorum impedimentum removeri possit absque gravi vitæ periculo per opus humanum, & licitum non constituit impotentiam perpetuam.*
6 *Examinatur quæstio, An fœmina nupta, cujus arctitudini ex Medicorum judicio subveneri potest absque gravi vitæ periculo obligata sit scissuram pati?*
7 *Resolvitur fœminæ licitum esse scissuram pati, quoties absque periculo corporali eam sustinere potest.*
8 *Deinde fœmina, quæ nullam in se specialem arctitudinem habet obligata non est scissuram sustinere, tametsi absque alio incommodo possit.*
9 *Verùm si fœmina præ cæteris arcta sit, & conscia hujus arctitudinis contrahat cum eo qui illius est ignarus, probabilius reputo obligatam esse scissuram pati, si absque gravi suæ salutis detrimento sustinere possit.*
10 *Fœmina nunquam obligata est hanc scissuram à viro Medicis inconsultis pati.*
11 *Fœminam, quæ ob ejus arctitudinem non potuit à viro agnosci, ideoque ab ejus consortio separata fuit, si postmodum probatum fuerit ab alio cognitam fuisse, affirmant plures reddendam esse priori viro nullo laboranti impedimento frigiditatis, vel maleficii.*
12 *Sed rectius alii censent ex eo facto non sumi sufficientem præsumptionem, quod potuerit à viro cognosci.*
13 *Non est impotentia perpetua ad matrimonium. esto fœmina sciat concipere non posse absque manifesto periculo vitæ, vel sui, vel prolis.*

1. IMpotentia ad copulam est impotentia ad penetrandum vas fœmineum, & semen generationi aptum intra illud effundendi; quæ impotentia provenire potest

à

à natura, tam ex parte viri si sit nimis frigidus, aut calidus, quàm ex parte fœminæ si sit nimis arcta vel provenire potest ab extrinseco, ut ex castratione, vel maleficio.

2. Deinde hæc impotentia alia est absoluta comparatione omnium fœminarum, alia respectiva comparatione hujus, vel illius fœminæ. Rursus alia est perpetua, alia temporalis: perpetua est, quæ absque peccato, vel corporali periculo tolli non potest per opus humanum, ut expressè à contrario sensu colligitur *ex cap. fraternitatis. De Frigidis, & maleficiatis*, ibi: *Nos autem perspicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter Divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo poterat removeri, sententiam divortii per errorem licèt probabilem novimus esse prolatam, &c.* Ex quo Textu Doctores communiter colligunt impotentiam, quæ solo Divino miraculo removeri potest perpetuam esse; quia miraculum cùm sit præter rerum naturam expectari nequit, necdum comprobari, sicuti pluribus comprobat Sanch. *lib.* 7. *disp.* 93. *numero* 8. Gutierrez *de matrim. cap.* 112. *numero* 22. Deinde colligunt impotentiam, quæ absque peccato tolli nequit perpetuam esse quia id possumus, quod jure possumus. Cùm autem peccatum jure facere non possumus, nequaquam est possibile illud impedimentum removere, uti pluribus comprobat Sanchez *d. disp.* 93. *numero* 9. Gutierrez *de cap.* 112. *numero* 23. Coninch. *disput.* 31. *dub.* 7. *numero* 76. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 11. *numero* 1.

3. Sed quid nomine corporalis periculi intelligatur, an mors ipsa, an illius periculum, an etiam periculum gravis morbi? variant Doctores. Aliquibus placet impotentiam, quæ vinci nequit absque probabili periculo gravis morbi esse perpetuam. Nam esto *in dict. cap. Fraternitatis*, videatur periculum mortis exigi, inquit enim Textus: *Violentia inferatur non solummodò levis, sed ita gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur.* Ergo cùm ex gravi morbo hoc periculum, mortis eveniret, si timetur gravis morbus, etiam mors timeri debet, & consequenter impotentia, quæ vinci non potest absque gravis morbi periculo perpetua censenda erit. Sic Henriq. *de matr. l.* 12. *c.* 7. *num.* 6. Vega *t.* 2. *sum. cap.* 34 *casu* 111. Alii verò sustinent solam eam impotentiam, quæ absque peccato, vel morte nequit tolli esse perpetuam, nam quæ cum periculo mortis tollitur superstite persona quæ erat impotens dici non potest perpetua, siquidem ipso facto probatum est durante, vitâ tolli posse. Sic Innocent. *in dict. c. Fraternitatis à n.* 1. *& seqq.* Joan. Andreas *ibi n.* 16. Anton de Butrio *n.* 22. *&* 23. Anchar *n.* 16. *q.* 2. Cardinal. *n.* 5. Præpositi. *n.* 18. *&* 20. & alii relati à Sanch. *l.* 7. *disp.* 9. *n.* 16.

4. Communis tamen sententia, & amplectanda asserit, solam eam impotentiam, quæ absque peccato, vel morte corporali, aut illius gravi periculo vinci non potest esse perpetuam, quia periculum grave morti æquivalet. Quæ verò absque periculo gravis morbi superari non potest, perpetua censenda est, si morbus ille mortis periculum inducat, secùs verò si solam gravem molestiam, & dolorem: sic Glossa communiter recepta *in dict. cap. Fraternitatis*, *verbo corporali.* Gregor. Lopez *leg.* 2. *tit.* 8. *p.* 4. *verbo sin peligro.* Matien. *lib.* 5. *recopil. tit.* 1. *Rub. gloss.* 1. *n.* 97. Sanch. pluribus relatis *lib.* 7. *disp.* 93. *n.* 18. Gutierr. *de matr. cap.* 112. *n.* 28. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 11. *n.* 1.

5. Ex his infertur, si judicio Medicorum impedimentum removeri possit absque gravi vitæ periculo per opus humanum, & licitum, tametsi patiens impedimentum tenuat curationem, imò nec teneatur illam sustinere non est censendum illud impedimentum perpetuum, quia impedimenti perpetuitas non pendet ex voluntate patientis impedimentum, neque ex eo quòd latur, vel non tollatur, sed ex eo quòd spectatâ rei naturâ tolli, vel non tolli possit absque vitæ periculo, uti docuit Paludan. *in* 4. *d.* 34. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 2. *n.* 3. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 12. §. 1. Dominic. Sotus *in* 4. *d.* 34. *q. unica*, *art.* 2. *vers. sed ais*, & alii plures, quos refert, & sequitur Sanchez. *lib.* 7. *disp.* 93. *num.* 15. Quando autem Medici dubii sunt, an ex medicamentis apponendis ad removendam impotentiam periculum mortis subsit, censendum est subesse, ut rectè cum Petro de Ledesma advertit Sanchez *d. n.* 15. Gutierr. *de matr. c.* 112. *n.* 27.

6. Superest tamen triplex gravis quæstio. Prima, An fœmina nupta, cujus arctitudini ex Medicorum judicio subveniri potest absque gravi vitæ periculo, ut apta viri congressui reddatur obligata sit scissuram pati? In qua quæstione distinguendum est, an fœmina præ cæteris arcta sit, ob cujus arctitudinem à viro nequit cognosci, an verò ex parte sua nullam præ cæteris arctitudinem habeat? Si præ cæteris arcta sit, tenent plures relati à Sanchez *lib.* 7. *disp.* 93. *n.* 31. obligatam esse scissuram pati, quoties absque gravi periculo mortis judicatur fieri posse. Nam cùm illud matrimonium validum sit, & ex matrimonio obligatio ad copulam oriatur. Hæc autem esse non possit absque scissione, videtur obligata scissuram sustinere, Quando verò fœmina nullam specialem arctitudinem habet præter virgineum claustrum, censet Petrus de Ledesma *tract. de matr. q.* 58. *art.* 1. *circa finem*, non esse fœminam obligatam pati scissuram, aut aliam curationem subire, tametsi absque gravi incommodo eam sustinere possit; quia per ipsam non stat quominus debitum reddat. Non igitur ipsi, sed virò penès quem est defectus sunt medicamenta adhibenda. Sanchez verò *l.* 7. *disp.* 93. *n.* 32. *&* 34. plures referens sentit fœminam sive præ cæteris arcta sit, sive non, obligatam esse scissuram pati, quando absque periculo gravis infirmitatis fieri potest, tametsi non absque gravi molestia, & dolore, hic enim videtur sustinendus, ut obligationi conjugali fiat satis.

7. Cæterum in hac re dicendum primò est adversus Bald. *lib.* 7. *cap.* 62. fœminæ licitum esse scissurum pati, quoties absque periculo corporali eam sustinere potest, quia licitum est naturam juvare ad actum honestum, uti omnes Doctores supponunt de hac quæstione tractantes, cum inquirant, an obligata sit.

8. Secundo dico, fœmina, quæ nullam in se specialem arctitudinem habet ut à viro cognoscatur præter virgineum pudorem, obligata non est scissuram sustinere, tametsi absque ullo incommodo eam sustinere possit, uti docuit Petrus de Ledesma *superius* relatus, & Gaspard. Hurtado *disp.* 22. *difficult.* 7. Et Basilius Ponce, *lib.* 7. *de impediment. cap.* 62. *à. num.* 2. Moveor, quia conjux in matrimonio corpus suum alteri conjugi tradit ad usum conjugalem, prout à natura destinatum est, at natura non destinavit apertionem claustri virginalis in ordine ad conjugalem usum fieri debere alio medio quàm viri pudendo, quinimò omnem alium modum utpotè extraordinarium natura abhorret, ergo non tenetur fœmina illo uti.

9. Tertiò dico, si fœmina præ cæteris arcta sit, & conscia hujus arctitudinis contrahat cum eo qui illius est ignarus, probabilius reputo obligatam esse scissuram pati, si absque gravi suæ salutis detrimento eam sustinere possit, in quo communi sententiæ assentior. Ducor quia sic contrahens virum decipit non manifestans ei illam difficultatem, quam ipse præsumere non tenebatur. Ergo ratione illius deceptionis obligata est ea medicamenta sustinere, quæ virgineum claustrum disponant æquè aptum congressui, ac est claustrum cæterarum fœminarum. Fateor tamen hanc obligationem rarò contingere posse, cùm vix possit evenire, quod fœmina sciat se præ cæteris arctam esse, ejusque arctitudinem à viro superari non posse, ideoque censeo rarò vel nunquam obligandam esse ad eam scissionem sustinendam, cùm ipsa per matrimonium viro corpus

suum

ſuum tradidit aperiendum, non Chirurgo. Et fortè ob hanc cauſam nunquam jura ſtatuerunt in litibus ſubortis de impotentia virgineum clauſtrum aliquo artificio reſerari, ſed ſolùm triennalem habitationem concedunt. Signum ergo eſt nullam hujus medii eſſe obligationem.

10. Illud verò certiſſimum eſt etiam in doctrina Sanchez *lib.7 diſput.93.n.* 29. fœminam obligatam non eſſe hanc ſciſſuram à viro Medicis inconſultis pati, ſed illo tentante eam præſtare ligno, ferro, digitis, alióve inſtrumento poſſe ab ejus conſortio fugere, quouſque hujus violentiæ ſecuritatem faciat. Quippè virò datum non eſt portam virgineam alio inſtrumento, quàm ſui pudendo reſerare, maximè cùm ex hac reſeratione non leve damnum ſalutis fœmina pati poſſit, periculúmque ſit, ut factâ reſeratione adhuc commiſceri viro non poſſit.

11. Secunda quæſtio, An fœmina, quæ ob ejus arctitudinem non potuit à viro cognoſci, ideoque ab ejus conſortio ſeparata ſit, ſi experientiâ teſte probatum fuerit ab alio cognitam fuiſſe, debeat priori viro reddi, qui nec frigiditate, nec maleficio laborabat? Affirmant Innocent. *in dict.c fraternitatis, à n.* 1. *& ſeqq.* Et *ibi* Hoſtienſ. *n.* 7. Alexand. de Nevo aſſerens communem *n.* 17. quia eo facto videtur ſufficienter comprobari potuiſſe à priori viro illam arctitudinem ſuperari, ac proinde validum fuiſſe inter illos conjugium.

12. Sed rectiùs. Abbas *in d.c. fraternitatis, n.* 2. *&* 3. *& ibi* Gloſſa *verbo ſimili*, & alii plures, quos refert, & ſequitur Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 93. *n.* 13. *& ſeqq.* Gutierr. *c.* 112. *numero* 26. cenſent non ex eo quòd à ſecundo viro cognita ſit ſumi concludentem præſumptionem, quod potuerit à priori cognoſci, ſed attentè examinandum eſt, & inſpiciendum, an ſecundus vir ſit priori omnino ſimilis ætate, robore, ac membro virili. Nam ſi in aliquo ex his diſſimilis exiſtat non eſt priori viro reddenda. Secùs verò, ſi diſſimilitudo probata non fuerit, nam eo caſu præſumitur eſſe priori ſimilis, & conſequenter potuiſſe à priori cognoſci; uti traditur in *d. c. Fraternitatis*, ibi: *Sententiam divortii per errorem licèt probabilem novimus eſſe prolatam, cùm pateat ex poſt facto quod ipſa cognoſcibilis erat illi, cujus ſimili commiſcetur.*

13. Tertia quæſtio, An cenſeatur impotentia perpetua ad matrimonium, ſi fœmina ſciret concipere non poſſe abſque manifeſto periculo vitæ vel ſui; vel prolis Ratio dubii eſt, quia ſtante eo periculo fœminæ eſt impoſſibilis copula, cùm non poſſit ei abſque peccato vacare. Ergo nequit obligationem ad copulam ſubire, quæ eſt matrimonii eſſentia. Sic docuit Henriquez aliis relatis *l.* 12. *de matr. capite* 7. *numero* 8. ſed rectiùs Sanchez alios plures referens, *l.* 7. *diſp.* 93. *num.* 27. *&* 28. Gutierrez *c.* 112. *num.* 17. Coninch. *diſp.* 31. *dub.*7. *numero* 96. affirmant eam impotentiam perpetuam non eſſe, quia ſolùm eſt impotentia pro tempore, quo fœmina apta eſt conceptioni, cùm autem evenire poſſit tempus ſterilitatis, convincitur manifeſtè eam impotentiam perpetuam non eſſe. Non enim requiritur ad matrimonium, ut conjuges ſe obligent ad reddendum debitum quovis tempore. Satis enim eſt ſi ſe obligent ad illud reddendum, cùm legitimum impedimentum abſit, aliàs contrahens morbo affectus, quo à debiti redditione excuſatur diceretur impotentiam ad contrahendum perpetuam habuiſſe.

§. II.

Quæ impotentia impedimentum ſit matrimonii contrahendi?

1 *Impotentia perpetua, & abſoluta vas fœmineum penetrandi, ibidémque ſemen effundendi de ſe generationi aptum, eſt impedimentum dirimens. Secùs ſi hæc impotentia temporalis ſit.*

2 *Aliquibus placet eſſe neceſſarium quod fœmina ſeminare valeat, ſed non approbatur.*

3 *Steriles optimè poſſunt matrimonium contrahere.*

4 *Senes decrepiti capaces ſunt matrimonii contrahendi, ſi natura vel arte calere poſſint.*

5 *Senex adeò exhauſtus, ut judicio Medicorum juvari non poſſit ad copulam habendam aptus non eſt matrimonio contrahendo, etſi plures Doctores contrarium ſentiant.*

6 *Infirmus cujus ſalus deſperata eſt, capax eſt matrimonii contrahendi.*

7 *Hoc matrimonium habet vim legitimandi prolem ſuſceptam.*

8 *Si impotentia non ſit perpetua, ſed temporalis, impedimentum non præſtat matrimonio contrahendo.*

9 *Si ea impotentia temporalis diu duraturа eſt, illius conſcius peccat mortaliter, ſi alteri conjugi ſuam impotentiam non manifeſtet.*

10 *Impotentia ſive temporalis, ſive abſoluta ſuperveniens matrimonio contracto nequit illud diſſolvere.*

11 *Si ſuperveniat impotentia verum ſemen effundendi, non impedit debiti petitionem, & redditionem. Secus ſi impotentia ſit ſeminandi extra vas.*

12 *Si impotentia ſuperveniens non ſit copulæ, ſed generationis non eſt obligata mulier reddere, tametſi poſſit reddere. & petere.*

1. CErta ſententia eſt ferè omnium Doctorum, impotentiam perpetuam, & abſolutam vas fœmineum penetrandi, ibidémque ſemen effundendi de ſe generationi aptum, eſſe impedimentum dirimens matrimonii contrahendi. Secùs verò ſi hæc impotentia temporalis ſit, aut matrimonio ſuperveniat. Conſtat *ex cap.* 2. *& cap. fraternitatis, & aliis de Frigidis, & maleficiat.* Et *ex leg. regia* 17. *tit.* 2. *part.* 4. *& leg.* 6. *tit.* 8. *eadem part.* Ratio prioris partis eſt manifeſta. Nam cum per matrimonium conjuges fiant una caro, hoc præſtare nequeunt altero impotente coïre. Quapropter ſi vir vas fœmineum penetrare nequeat, tametſi in illius introitu ſemen verum effundat, cenſeri debet impotens ad matrimonium, quia illa ſeminatio per ſe non ſufficit, ut conjuges fiant una caro, tametſi aliquando per accidens virtute naturali matricis aliqua pars ſeminis intromittatur. Præterea illa ſeminatio per ſe illicita eſt, quia eſt ſeminatio extra vas; ergo potentia ad ſic ſeminandum impotentia cenſenda eſt, cùm non ſit potentia ad actum honeſtum, & licitum. Si autem vir potens ſit vas fœmineum penetrare, impotens tamen effundere ſemen per ſe generationi aptum, nequaquam matrimonio contrahendo aptus eſt, quia nequit ſe obligare ad copulam; ex qua una caro fiat, juxta illud *Geneſ.* 2. ubi habetur *Erunt duo in carne una.* Ob quam cauſam Sixtus V. anno 1587. definivit Eunuchos utroque teſticulo carentes jure naturæ incapaces eſſe matrimonii contrahendi, nam eſto valeant vas fœmineum penetrare, non tamen poſſunt emittere ſemen, quod per ſe generationi aptum ſit, uti latiùs innumeros referens docet Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 92. *à numero.* 7. *& ſeqq.* Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 16. *num.* 18. *& de matr. cap.* 112. *num.* 7. Coninc. *diſp.* 51. *dub.* 7. *num.*76. Paul Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 11. *n.*1. Gaſpar Hurtado *diſp.* 22. *difficult.* 3. *num.* 7. *& difficult.* 5. *per totam.*

2. Quod ſi vir potens ſit vas fœmineum penetrare, & intra illud ſemen ex ſe generationi aptum effundere, quamvis aliqui Doctores, quorum meminit Sanchez ſtatim referendus, quibus Gaſpar Hurtado, *d. difficult.* 5. *in fine.* adhæret, inſuper requirant, ut fœmina ſeminare valeat, ut matrimonium inter ipſos contractum teneat; longè verius eſt eam potentiam neceſſariam non eſſe, ut tradit Sanchez *dicta diſputat.* 92. *num.* 9. ſeminandi Gutierr. *lib.* 1 *can.qq c.*16. *n.* 16. *& de matr. c.* 112. *num.*8. Nam eſto ſemen mulieris generationi valde conferat, ſimpliciter tamen neceſſarium non eſt, & ſaltem

negari

negari non potest id esse dubium : at in casu dubio pro matrimonii valore ferenda est sententia juxta Textum *in cap. fin. de sentent. & re judicata.*

3. Ex his deducitur quid dicendum sit de matrimonio senum & sterilium ? Et quidem steriles non posse verum matrimonium contrahere docuit Iason *cons.* 115. *num.* 1. *volum.* 1. Felin. *in cap. cum sit. n.* 15. *vers demum scire, de foro competenti*, eo quòd impotentes sint copulæ generationi aptæ, ad quam tanquam ad finem primarium matrimonium refertur. Sed contrarium tanquam omnino certum tenendum est cum D. Tho passim ab omnibus recepto *in* 4. *dist.* 34. *q. unica art.* 2. Barbosa *leg.* 1. *par.* 1. *num.* 98 *ff. soluto mat.* Sanch. *lib.* 7. *disp.* 92. *à n.* 24. Gutierr. *de matr. c.* 112. *num.* 16. quia steriles valentes semen effundere una caro effiiciuntur, nam esto ex illo semine generatio nequeat evenire, id non est seminis natura, quæ ejusdem rationis est cum natura aliorum seminum generationem inferentium, sed ex speciali qualitate, & temperamento subjecti, ac proinde matrimonii valori obstare non potest. Neque refert quod finis primarius matrimonii frustratur per accidens, quia non est spectandum, quod per accidens contingit, sed quod per se ex illa copula evenire potest. Adde matrimonii finem non esse tantùm prolis generationem sed concupiscentiæ remedium per copulam de se generationi sufficientem, qui finis in sterilibus obtinetur.

4. Quoad senes decrepitos attinet impotentes esse ad matrimonium contrahendum asseruit Portius *in pr. inst. de nuptiis, colum.* 4. *ad finem in vers. in fine glossæ.* Et dubius mansit Ant. Gomez *leg.* 9. *Tauri, nu.* 57. *in fine.* Et probabile censuit Henriq. *lib.* 12. *de matr. cap.* 7. *num.* 3. *in comment. litt.* X. eo quòd inepti videantur ad copulam gnerationi aptam. Sed longè verius est, & omnino tenendum capaces esse matrimonii contrahendi, si natura, vel arte calere possint ad coitum, quia eo ipso fieri possunt una caro, ex qua generatio per se sequi possit. Vix enim reperietur ullus adeo senex, qui aliquando natura, vel saltem medicinæ arte non possit ad copulam excitari, ut tradit Glossa *in cap. nuptiarum* 27. *q.* 1. *verbo in quibusdam* Tiraquel. plures referens *in leg.* 9. *connubiali gloss.* 1. *par.* 7. *numero* 19. ideóque Ecclesia nullos senes à matrimonio contrahendo reiicit. Atque ita doce S. Thom. *in* 4. *d.* 31. *q. unica artic.* 2. *ad* 3. Covarruv. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 8. §. 2. *numer.* 10. Mantica *de conject. ultim. volunt. lib.* 11. *tit.* 13. Duenas *in reg.* 350. *limit.* 1. Rodrig. *t.* 1. *qq. regul. q.* 13. *art.* 1. Gutierr. *cap.* 112. *de matr. num.* 13. Sanch. aliis relatis *disp.* 92. *num.* 19. *& seqq.* In fœminis autem certissimum esse debet ob senectutem non esse censendas impotentes ad matrimonium, siquidem earum frigiditas non impedit seminis vitalis receptionem, uti docuit Sylvest. *verbo Matrimonium* 8 *q.* 16. *dicto* 4. Barbosa *in leg.* 1. *part.* 1. *n.* 97. *ff. soluto matr.* Anton Cuchus, *lib.* 5. *instit major. tit.* 12. *n.* 262. Sanchez *dicta disputat.* 92 *n.* 22. Gutierr. *d. cap.* 112. *n.* 14.

5. Quinimo senem adeò exhaustum, ut judicio Medicorum juvari non possit ad copulam habendam, graves Doctores, nempe Tabiena *verbo impedimentum, impedim* 12. *q.* 3. *nu.* 4. Navarr. *lib.* 4. *consil. tit. de sponsa. lib. cons.* 39. *num.* 15. *&* 18. aliàs *tit. de desponsat. impub. concl.* 4. *num.* 15. *&* 18. Man. Rodrig. *in sum.* 1. *tom. cap.* 255. *concl.* 5. *num.* 5. Vega 2. *tom. sum. cap.* 34. *casu* 61. quibus favent Anton. de Butrio *in cap.* 2. *nmm.* 5. *de frigidis, & maleficiat.* Jason. *in leg. sed est quæsitum. nu.* 1, *ff. de liberis, & posthumis* Roland. à valle *de lucro dotis, q.* 103. *num.* 17. *t.* 9. *tract. diversor. in novis.* censent capacem esse matrimonii contrahendi, quia saltem habitu retinet potentiam intra vas seminandi, tametsi actu & per accidens ob senectutem ea privatus sit. Sed rectiùs contrarium probat Abbas *in c.* 2. *de Frigid. & maleficiat. num.* 5. Et *ibi* Innocent. *n. unico* Ancharran. *num.* 1. Hostiens. *in fine.* Præposit. *num.* 4. Alexand. de Nevo *num.* 4. Glossa *in leg. sed est quæsitum. 6. verbo nec ætas. ff. de liberis, & posthumis*, Et additio Gloss. *in leg. sancimus. verbo homines. Cod. de Nupt.* Greg. Lopez *leg.* 1. *tit* 8. *par.* 4. *in fine.* Matien. *Rub. tit.* 1. *lib.* 5. *recopilat. gloss.* 1. *nu.* 193. Anton. Cuchus *lib.* 5. *instit majorat. tit.* 12. *num.* 257. Gutierr. *canon. qq. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 13. *& de matrim. cap.* 112. *num.* 15. Barbosa *leg.* 1. *part.* 1. *num.* 94. *ff. soluto matr.* Sanch. *lib.* 7. *disp.* 22. *num.* 23. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 11. *in fine.* Etenim hujusmodi seni copula est impossibilis, ergo nequit ad illam obligari. Ergo impotens est ad matrimonium contrahendum, de cujus essentia est obligatio nativa ad copulam. Nec refert, an hæc impotentia à natura, an ex accidenti proveniat, ex quocunque enim capite oriatur reddit subjectum incapax matrimonii contrahendi, utpotè quod ad copulam obligari non potest.

6. Hinc oritur gravis difficultas. An infirmus cujus salus desperata est capax sit matrimonii contrahendi. Videtur namque incapax esse, siquidem in eo statu est constitutus ; ut nullâ medicinæ arte juvari possit ad copulam habendam. Habet igitur impotentiam perpetuam, ac proinde subire non potest obligationem à matrimonio requisitam. Contrarium tamen usu, & consuetudine Ecclesiæ probatum est, & communi Doctorum sententiâ tenet Covarruv. 4. *decret.* 2. *part. capite* 8. *Parag.* 2. *numero* 10. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 105. *n.* 3. Basil. Ponce *lib.* 7. *cap.* 65. *n.* 7. Gutierr. *cap.* 118. *n.* 1. Coninch. *disp.* 31. *dub.* 7. *n.* 88. Paulo Layman. *tract.* 10. *par.* 4. *cap.* 11. *n.* 6. Quia moribundus etsi ob vehementiam morbi impeditus sit à copula habenda, at illius potentiam integram habet. Quod si vi morbi potentia destructa esset (quod nunquam præsumitur) eo casu incapax esset matrimonii contrahendi.

7. Quinimo hoc matrimonium habet vim legitimandi prolem antea susceptam, uti adversus Bald. *in leg. eam quam num* 37. *Cod de fidei commissi.* asserunt Tiraquel. *in leg. si unquam. verbo susceperit num* 73. *Cod. de revocand. donationib.* Covarruv. 4. *decretal.* 2. *p. cap.* 8. *Parag.* 2. *num.* 10. Anton. Cuchus *lib.* 5. *instit. major. tit.* 11. *num.* 138. Gregor. *leg.* 1. *tit.* 13. *part.* 4. *verbo se casa con ella* Gutierr. *in repetit. Parag sui n.* 108. *instit. de hæredum qualit. & differ. & de matr. cap.* 118. *n.* 2. Thom. Sanch. *lib.* 7. *disput.* 105. *num.* 4. *& seqq.* Et probat Textus *in cap. tanta, qui filii sint legit.* ub hæc vis legitimandi prolem conceditur matrimonio vero, quale hoc esse necessariò concedendum est. Hæc autem legitimatio utpotè vera, & absoluta vim habet excludendi substitutum vocatum sub conditione, si institutus absque liberis legitimis decesserit, quando non probatur animo fraudandi substitum matrimonium contractum esse, uti adversus Angelum *in leg. nuper. num.* 3. *Cod. de natur. liberis* affirmat plures referens Gutierr. *in repet. Parag. sui num.* 169. *instit. de hæredum qualit. & differ. & de matr. cap.* 118. *num.* 3. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 105. *num.* 7. *&* 8. At animo fraudandi, seu excludendi substitutum probatum fuerit matrimonium esse contractum in articulo mortis, esto legitimatio teneat ; communiòrque sententia doceat non esse excludendum substitutum, ut constat ex his quæ referunt Gutierr. & Sanch *locis allegat.* at satis probabile est, & fortè verius substitutum excusum esse. Quippe nequit dici fraudem committere adversus substitutum, qui jure suo utitur, facitque actum honestum, & à jure sibi permissum. Præterea iniqua intentio patris contrahentis matrimonium non debet privare filium hæreditate ob legitimationem sibi proveniente, cùm verus legitimus sit eámque hæreditatem non à patre, sed ab instituente accipiat, uti docuit Sarmiento *libro* 1. *selectar. cap.* 6. *numero* 8. Menchaca *lib.* 3. *controvers. usu frequent. capite* 4. *num.* 5. Joannes Garcia *de nobilib gloss.* 11. *numero* 59. *& in tract. de hipotheca post contractum. nu.* 14. Spino *in speculo testament. glossa* 15. *in princ. numero* 109. Molin. *tom.* 1. *tractat.* 2.

tractat. 2. diſp. 172. ad finem. Sanch. *lib. 7. diſp. 105. num. 10.*

8. Verùm ſi impotentia non ſit perpetua, ſed temporalis impedimentum non præſtat matrimonio contrahendo, uti tradit D. Thom. ferè ab omnibus receptus *in 4. diſt. 34. quæſt. un. art. 2. in corp.* Petrus de Ledeſm. *quæſt. 58. art. 1. in diffic. princip. paulò ante ſolutionem argumenti* Rodrig. *1. tom. ſum. cap. 235. num. 1.* Sanchez *diſp. 92. num. 4.* Gutierr. *de matr. cap. 112. num. 3.* Coninch. *diſp. 31. dub. 7. num. 78.* Paul. Layman. *lib. 5. ſumm. tract. 10. par. 4. cap. 11. num. 1. & 2.* & alii apud ipſos. Quippe impotens pro aliquo tempore, & non in perpetuum abſolutè potens eſt, poteſt ergo abſolutè obligari ad copulam habendam.

9. Si tamen ea impotentia temporalis diu duratura ſit, illius conſciùs matrimonium contrahens peccabit mortaliter, ſi alteri conjugi ſuam impotentiam non manifeſtet ob gravem deceptionem, & injuriam, quam illi irrogat uſu conjugali privans, quem ipſe putabat expeditum habere, ut benè probat Sanch. *lib. 7. diſp. 92. num. 5.* Gutierr. *de matr. cap. 112. num. 4.*

10. Quod ſi impotentia ſive temporalis, ſive abſoluta matrimonio jam contracto ſuperveniat, nullatenus illud diſſolvere poteſt, tametſi conſummatum non ſit, quia matrimonium ratum ſolâ profeſſione Religionis ſolvitur, ut contra Gratianum, & alios ex communi ſententia docet Sanchez *diſp. 102. à num. 3.* Gutierr. *de matr. cap. 116. num 1.* Et probat Textus *in capite ſi qui 32. quæſt. 7.* Et *in cap. ſi uxor. 32. quæſt. 5.* Quibus non obſtat *can. quod propoſuiſti, eadem cauſa, & q.* Et *cap. ex litteris de Frigidis, & maleficiat.* ubi ob impotentiam conceditur licentia tranſeundi ad aliud matrimonium, quia intelligi debet de impotentia matrimonium antecedente, non ſubſequente.

Difficultas eſt, qualiter hæc impotentia ſuperveniens matrimonii uſum impediat?

11. Cui difficultati dicendum, ſi ſuperveniat impotentia verum ſemen effundendi, ut vir quia poſt matrimonium utroque teſticulo orbatur, non impedit debiti petitionem, & redditionem, ut benè docuit Tolet. *lib. 7. ſum. capite 12. num. 4.* quia per accidens contingit non poſſe veram copulam conjugalem habere, verùmque ſemen effundere. At ſi impotentia ſit ſeminandi intra vas ob imbecillitatem viri, vel fœminæ arctitudinem, aliàmve cauſam non prohibet his conjugibus tactus, oſcula, & amplexus abſque pollutionis periculo, uti docent omnes. Imò nec copulam conjugalem, dum certi non ſunt ſemen eſſe extra vas effundendum. Quare quoties ſpes aliqua ſubeſt intra vas ſeminandi, toties poterunt ad copulam conari, tametſi videant ſæpè extra vas ſemen effundi, ſiquidem procurant rem licitam, ſcilicet copulam conjugalem, quam ſibi eſſe poſſibilem credunt: uti colligitur *ex cap. laudabilem de frigid. & maleficiat.* ubi triennium conceditur ad inveſtigandam potentiam: Sic Sanch. *lib. 9, diſp. 17. num. 20.* Navarr. *cap. 22. num. 60. & in cap. conſideret. de pœnitent. diſt. 5. num. 48* Henriq. *lib. 11. cap. 15. num. 4.* Laym. *lib. 5. tract. 10. par. 4. c. 11. num. 4.*

12. Quod ſi impotentia ſuperveniens non ſit copulæ, ſed generationis, eo quòd mulieri conſtet fœtus ſemper mortuos parere, aut ſe manifeſto vitæ periculo exponi ſi concipiat, ex Medicorum judicio non videtur obligata reddere; quia nemo tenetur debitum alteri ſolvere cum tam gravi ſui, proliſve detrimento. At petere, & reddere ei licet, quia ob vitandum incontinentiæ, & ſalutis animæ periculum juſtè periculum corporis ſuſtinere poteſt, maximè cùm hoc periculum non ſit ita certum; non enim certum eſt prolem ex copula eſſe ſuſcipiendam, & caſu quo ſuſcipiatur eſſe in partu periclitaturam: ut benè Sanch *lib. 7. diſp. 102. num. 8. & 11.* Coninch. *diſp. 31. dub. 7. n. 87.*

§. III.

An impotentia reſpectiva impedimentum ſit matrimonii contrahendi?

1 *Impotentia reſpectiva eſt comparatione hujus, & non alterius.*

2 *Impotentia reſpectiva ſi perpetua ſit dirimit matrimonium contrahendum.*

3 *Qualiter cognoſcatur hanc impotentiam non à natura, ſed à maleficio provenire?*

4 *Quamvis aliqui cenſeant ex maleficio oriri non poſſe impotentiam perpetuam. Verius eſt oppoſitum.*

5 *In dubio, An ex maleficio naſcatur impotentia perpetua, vel temporalis, triennio conjuges copulæ carnali vacare debent.*

1. IMpotentiam reſpectivam appellamus, ob quam conjux impotens eſt ad congreſſum cum hac fœmina, vel quia virgo eſt, vel quia eſt nimis arcta, vel quia ab extrinſeco ob maleficium impeditur, ideoque eſt duplex impotentia, alia naturalis, ſeu à natura proveniens, alia artificialis, ſeu ab extrinſeco emanans.

2. Quocumque ex his modis detur impotentia modò perpetua ſit, hoc eſt quæ abſque peccato, vel gravi corporis periculo tolli nequit impedimentum eſt matrimonii contrahendi, uti latè docet Sanch *lib. 7. diſp. 93. à n. 2.* Gutier. *cap. 112. n. 19. & 20.* & *cap. 113. à num. 1.* Baſil. Ponce, *lib. 7. cap. 6. per totum.* Coninch. *diſp. 31. dub. 7. à n. 77.* Paul. Layman. *lib. 5 ſummæ tract. 10. part. 4. cap. 11. à n. 1.* Et de impedimento à natura proveniente eſt ferè expreſſus Textus *in c. fraternitatis de frigidis, & maleficiat.* Et de impedimento maleficii probat Textus *final. 33. q. 1. & de frigidis, & maleficiatis.* Et ratione evidenter convincitur. Nam per matrimonium conjuges ſibi invicem obligantur, ut una caro fiant, quam obligationem ſubire nequeunt, ſi copula illis ſit impoſſibilis, tametſi cum aliis poſſibilis ſit.

3. Cognoſcitur autem hanc impotentiam non à natura, ſed à maleficio provenire ex parte viri, ſi ſentiat aliquando genitalium organum inflari, & erigi, nocte; vel in vigilia pollui, & cùm vult fœminæ accedere ſubitò laxari, & concidi; frigidus enim nullo ex his motibus agitatur, nec dum appetitum veneris ſentit. Ex parte fœminæ indicium eſt provenire impotentiam ex maleficio, ſi nimis horreat virum ſibi copulari volentem, nullâque via pertrahi poſſit ad acceſſum, cùm tamen circa alios moveatur, & excitetur, vel comparatione viri nimis arcta reddatur, cùm tamen compertum ſit aliis ſimilibus non reddi.

4. Sed non deſunt Doctores, qui ſentiant ex maleficio oriri non poſſe impotentiam perpetuam, quia nullum eſt maleficium, quod tolli non poſſit, vel Eccleſiæ exorciſmis, vel ſaltem ab Authore maleficii, vel ab alio malefico. Ergo nulla eſt ex maleficio impotentia perpetua, ſiquidem humana induſtria ceſſare poteſt: ſic docuit Gloſſa *in cap. final. 33. q. 1. & in cap. fraternitatis de Frigidis, & maleficiat.* Innocent. *in c. laudabilem, 5. eodem tit.*

Sed contraria ſententia ſcilicet poſſe dari impotentiam perpetuam provenientem ex maleficio veriſſima eſt, uti docuit D. Thom. *in 4. d. 34. q. unica, art. 3. in corpore,* quem ferè omnes ſequuntur teſte Sanch. *diſp. 94. à n. 8.* Gutierr. *de matrim. cap. 113. à n. 1.* Baſil. Ponce, *lib. 7. cap. 65. num. 6.* colligiturque expreſsè *ex c. fin. 33. q. 1.* quod eſto ſit cujuſdam Archiepiſcopi, uſu, & conſuetudine Eccleſiæ approbatus eſt, uti cenſent Doctores *in c. fin. de Frigid. & maleficiat.* per Textum *ibi,* & probatur *ex leg. 5. regia,* & *fin tit. 8. part. 4.* Et ratione convincitur, nam experientiâ teſte reddi conjux poteſt ex maleficio ſic impotens ad copulam, ac ſi frigidus à natura eſſet, quia maleficio deſtructa eſt generativa potentia,

neque

neque humana industria reparari potest. Quod si impotentia non sit destructâ, sed solùm maleficio ligata, & impedita, contingere potest, ut hoc ligamen, & impedimentum tolli nequeat, ordinariis Ecclesiæ exorcismis, aliove medio licito. Nam esto Author maleficii, & quicumque alius signa malefica removere possit animo destruendi pactum cum dæmone initum, fortè Author maleficii mortuus est, nec reperitur alius qui hæc signa removere sciat. Ergo eo casu censenda est impotentia perpetua.

5. In dubio; An ex maleficio nascatur impotentia perpetua, vel temporalis, triennio conjuges copulæ carnali vacare debent, quam si perficere non potuerint, declarandum est adesse perpetuam impotentiam, ex Textu *in c. fin. de frigidis, & maleficiat.* Et tradit ex communi Sanchez *l.7. disp.94. n.12.* Gutierrez *c.113. n.7.*

§. IV.

An impotentia ex defectu ætatis impedimentum sit matrimonii contrahendi?

1 *Spectato jure naturæ nulla ætas signata est matrimonio contrahendo. Secus jure Ecclesiastico.*
2 *Ab hac doctrina excipitur, nisi proximus pubertati discretione, potentiaque coeundi polleat.*
3 *Quis dicatur proximus pubertati.*
4 *Qui ante ætatem puberem contraheret ignorans malitiam supplere ætatem, mortaliter peccaret.*
5 *Omnino tenendum est completa pubertate aptos esse ad matrimonium contrahendum, tametsi potentiam coeundi non habeant, etsi aliqui contrarium censeant.*
6 *Cum dubium est, An impotentia perpetua vel temporalis sit, non possunt conjuges dissolutionem petere, quousque plenam pubertatem nacti sint?*

1. SPectato jure naturæ nulla determinata ætas signata est matrimonio contrahendo, sed ea censetur apta, quæ perfectum usum rationis attingit, quia illa est sufficiens, ut contrahens se obligèt ad copulam conjugalem mediâ potentiâ successu temporis habendam, sicuti ex omnium sententia docuit Sanch. *l.7. disp.104. n.11.* Jure tamen Ecclesiastico ætas ad matrimonium contrahendum est in viris decimus quartus annus completus, in fœminis duodecimus, uti constat *ex c. puberes, c. continebatur, c. attestationes, c. ex litteris de desponsat. impuber.* Quod adeò verum est, ut esto Rebell. *lib.3. q.16. sect.2.* Censeat non esse necessarium eam ætatem mathematicè completam esse, sed sufficere, si moraliter completa sit, uti judicatur si 20. vel 30. dies deficiant, quia quod parum distat nihil distare videtur; & quia ea ætas definita est ob præsumptionem potentiæ ad copulam, quæ eo tempore, & non antea creditur adesse. Rectiùs tamen Sanch. *disp.204. in princ.* Basil. Ponce, *l.7. c.65. n.1.* Gaspar Hurtado *disp.22. diffic.12. n.45.* Et alii asserunt eam ætatem mathematicè compleri debere, sicuti debet compleri ætas ad professionem Religionis, & Ordines assumendos. Etenim quoties jus ætatem alicui actui præscribit integra esse debet. Neque in his quæ à jure præscripta sunt locum habet regula illa. *Quod parum distat, &c.* Aliàs nihil firmum esset, sed solùm procedit regula illa in his quæ ab humano arbitrio pendent. Neque obstat quod ob præsumptionem potentiæ eo tempore frequenter contingentem ætas determinetur. Satis enim est quod determinata sit, ut nemini liceat prædictæ determinationi contravenire.

2. Ab hac doctrina excipiendum est, nisi proximus pubertati discretione, potentiaque coëundi polleat, juxta Textum *in c. continebatur, cap. de illis de desponsat. impuberum.* Quia eo casu validè, & licitè tum in foro conscientiæ, tum in foro externo matrimonium contrahet. Sed quia hæ qualitates ante pubertatem præsumuntur, ut rectè tradit Sanch. *d. disp.104. n.21.* Basil. Ponce, *d. c.65. n.1.* contrahenti incumbit onus probandi eas qualitates ante contractum habuisse, aliàs irritum matrimonium judicabitur. Primò namque probare debet matrimonii valorem, illiusque onera rectè percepisse. Hoc enim intelligitur sub nomine discretionis, & prudentiæ, cujus sit mentio *in c. fin. de desponsat. impuber.* Deinde probare debet habuisse coëundi potentiam, quæ per copulam cum alia, vel seminis effusione, si fortè contingit, vel per alia signa Medicorum judicio probanda est, ut benè Basilius *dict. c.65. n.4.*

3. Proximus verò pubertati dicitur secundùm aliquos, cui duo, vel tres anni deficiunt, alii cui sex menses tantùm, alii arbitrio Judicis relinquunt, alii & veriùs cui solus unus annus deficit, ut insinuatur *in cap. continebatur. de desponsat. impuber.*

4. Qui autem ante ætatem puberem contraheret ignorans malitiam supplere ætatem mortaliter peccaturus esset, utpotè qui attentat contractum ab Ecclesia reprobatum, inire, ut colligitur *ex cap. non est, 2. de desponsat. impuber.* Et tradunt adversus Sanch. *lib.1. disput.17.* Rebell. *lib.4. quæst.5.* Cominch. *disp.21. n.54.* Basil. Ponce *lib.7. cap.63. n.3.* Gaspar Hurtado *disp.22. difficult.12. n.47.* Ex urgentissima tamen causa poterit ordinarius cum impuberibus usum rationis habentibus dispensare, ut matrimonium validè, & licitè contrahant: sicuti notavit Sanchez *disp.104. num.9.* Gaspar Hurtado *d. difficult.12. in fine.*

Pubertate obtenta si desit contrahenti potentia coëundi non desunt qui probabiliter asserant matrimonium non subsistere, quia contrahens ex defectu ætatis non obtinet coeundi potentiam non videtur ætatem ad matrimonium requisitam obtinere juxta Textum *in c. puberes, de desponsat. impuber.* Et tradit *ibi* Glossa, *verbo tardissime. Et in c. continebatur, eodem tit. verbo proxime. Et in sum. verbo sponsalia 30. q.2.* Abbas *in d. c. puberes, n.4.* Dicens forte hanc sententiam esse veriorem, Alph. à Vemerux *in suo speculo conjugali, art.59. concl.2.*

5. Sed longe verius est, & omnino tenendum completo in viris decimoquarto anno, & in fœminis duodecimo habiles esse ad matrimonium contrahendum, tametsi potentiam coeundi non habeant, modò sperent successu temporis eam habituro, ut docuit Sylvest. *verbo Matrimonium 5. q.7.* Covarr. *4. decret. 1.p. c.5. n.2.* Petr. de Ledesm. *q.58. art.5. in fine.* Mascard. *de prob. concl.889. n.10.* Sanch. *lib.7. disp.104. n.5.* Gutierrez *cap.117. n.1.* Quia Textus eam potentiam postulant, cùm ante pubertatem contrahitur matrimonium, non verò adepta pubertate, aliàs non daretur triennium ad experiendum an illa impotentia temporalis sit, vel perpetua, sed illicò conjugium dissolvendum esset.

6. Sed quod tempus expectandum sit, ut censeatur illa impotentia perpetua vel temporalis? Variant Doctores. Alii censent triennium esse expectandum, alii biennium. Verius, & receptius est dissolutionem peti non posse, quousque conjuges plenam pubertatem adepti sint, scilicet vir decimum octavum annum, & fœmina decimumquartum, juxta Textum *in §. minorem, instit. de adoptionib. Et leg. arrogato, ff. eodem. Et leg. Mela, ff. de alimentis, & cibariis.* Quippe cum hominum complexiones diversæ sint, æquitas postulat ne matrimonii dissolutio intentetur ob impotentiam, quousque conjux ea ætate polleat in qua perfectum robur natura comparat: sicuti aliis relatis docuit Sanchez *lib.7. disp.104. n.18.* Gutierrez *c.117. n.1.* Basil. Ponce *lib.7. c.65. n.1.* Excipe nisi ad oculum pateat impotentiam non ex imbecillitate naturæ, sed ex frigiditate, vel alio impedimento provenire, uti advertunt Gutierrez & Sanchez *suprà.*

§. V.

An hermaphroditus impotens ſit matrimonio contrahendo?

1 *Quid ſit hermaphroditus.*
2 *Quando hermaphrodito conſtat quo ſexu emineat validè, & licitè ſecundùm illum matrimonium contrahit.*
3 *Si ſecundùm ſexum imbecilliorem contrahat, validè contrahet, & fortè licitè, ſi potens ſit ad coïtum.*
4 *Illud certum conjugio ſecundùm unum ſexum contracto, non poſſe alio uti.*
5 *Quam diligentiam facere hermaphroditus debet, cùm dubius eſt, quo ſexu prævaleat?*

1. HErmaphroditus eſt qui utroque ſexu pollet virili, & fœmineo. Judicatur autem vir, vel fœmina juxta ſexum prævalentem ex Textu *in leg. quæritur.* 10. *ff. de ſtatu hominum.* Quod ſi neuter prævaleat, æquè vir, ac fœmina judicandus eſt, electióque ſexus ei conceditur, à qua ſemel facta variare non licet: uti docet aliis relatis Sanch. *l.* 7. *diſp.* 109. *n.* 1. Gutierr. *de matr. c.* 119. *n.* 1.

2. Quando hermaphrodito conſtat quo ſexu emineat validè, & licitè ſecundùm illum matrimonium contrahit, ita ut ſi ſexu virili prævaleat fœminam ducere poſſit, ſi autem prævaleat fœmineo, viro poſſit copulari, uti docuit Gloſſa *in cap. ſi teſtis, verbo ad teſtimonium*, 4. *q.* 3. Angel. *verbo Hermaphroditus, n. ult.* Sylveſt. Tabiena, & Armilla *eodem, in fine*, Sanch. *diſp.* 106. *n.* 4. Gutierr. *d. c.* 119. *n.* 1.

3. Sed an ſecundum ſexum imbeciliorem validè, & licitè contrahere matrimonium poſſit? Difficultate non caret. Sanchez *dicta diſp.* 106. *num.* 5. & Gutierrez *cap.* 109. *num.* 1. negant eo quòd ex ſexu fortiori vir, vel fœmina hermaphroditus reputetur; non autem ex ſexu debili, & infirmo. Sed rectiùs diſtinguit Baſil. Ponce, *lib.* 7. *de impedim. cap.* 65 *in fine, num.* 8. Gaſpar Hurtado, *diſp.* 22. *difficul.* 10. *in fine, n.* 35. ſi ſecundum ſexum debilem impotens eſt ad coïtum, non poterit ſecundum illum contrahere. At ſi potens ſit validè, & fortè licitè contrahere poterit, quia eſto ex ſexu fortiori vir, vel fœmina denominetur, abſolutè tamen & ſimpliciter vir, vel fœmina ex ſexu debiliori ſpectato, cùm ſecundùm illum habeat potentiam ad congreſſum. Igitur attento naturæ jure poterit juxta illum contrahere. Jure autem poſitivo nullibi invenitur irritum tale conjugium, quinimò nec prohibitum. Ergo non ſolùm validum; ſed fortè licitum erit ſecluſo uſu, & conſuetudine.

4. Illud eſt certum conjugio ſecundum unum ſexum contracto peccatum adulterii eſſe altero uti, quia hermaphroditus nequit alteri corpus ſuum tradere in duplicis ſexus uſum, ſed in uſum unius tantum, ut æqualitas ſervetur.

5. Quod ſi non conſtet hermaphrodito quo ſexu prævaleat, ſpectato uſu, & conſuetudine nequit matrimonium contrahere, quin prius à Medicis inveſtigetur quem ſexum habeat fortiorem, qui ſi dubii ſint, electio ſexus hermaphrodito conceditur. Quam electionem coram Judice Eccleſiaſtico facere obligatur, penès quem eſt cautionem juratoriam ab hermaphrodito petere, quod nunquam altero ſexu utetur. Quæ diligentia ſemper præmittenda eſt antequam Parochus huic matrimonio interſit, ſicuti benè docent Majol. *de irregularit. lib.* 3. *cap.* 25. *n.* 16. Sanch. *d. diſp.* 106. *num.* 6. *& ſeqq.* Gutierr. *d. cap.* 119. *n.* 2. *& ſeqq.*

§. VI.

Qualiter impotentia perpetua impedimentum ſit matrimonii contrahendi?

1 *Si matrimonium ſumatur pro traditione corporis ad prolem generandam, ut frequenter ſumitur, non ſolùm jure poſitivo, ſed naturali impedimentum præſtat impotentia perpetua. Secùs ſi matrimonium ſumatur pro quadam confœderatione.*
2 *Aliqui affirmant hanc confœderationem verum matrimonium conſtituere.*
3 *Oppoſitum verius eſt.*
4 *Satisfit fundamento* Baſilii.

1. SI matrimonium ſumatur, ut communiter ſumitur pro traditione corporis ad prolem generandam, omnes ferè Doctores conveniunt non ſolum jure poſitivo, ſed naturali non poſſe cum impotentia perpetua coëundi contrahi, quia nequit illa impotentia affectus ſe ad copulam obligare, uti colligitur *ex tota cauſa* 33. *quæſt.* 1. Et *ex toto tit. de Frigidis, & maleficiat.* Et *ex motu proprio Sixti V. edito anno* 1587. At ſi matrimonium ſumatur pro quadam confœderatione ad ſimultaneam habitationem, obſequiorúmque communicationem ſecluſo incontinentiæ periculo, non videtur ex impotentia ad coïtum irritari, tametſi omnino diſſuadendum ſit, ſic pluribus comprobat Sanch. *l.* 7. *diſp* 97. *à n.* 5. & Gut. *de matrim. c.* 114. *àn.* 1. Et colligitur *ex c. conſultationi.* Et *c. laudabilem de frigidis, & maleficiat.* Et *c.* 2. 33. *q.* 1. Et *ex dicto motu proprio Sixti V.* Et *ex lege regia* 1. *tit.* 9. *p.* 4. ibi: [Pero ſi quiſieren callar ſu embargo, y vivir en uno no como marido y mujer para a yuntarſe carnalmente, mas como hermanos puedan lo façer.]

2. Controverſia autem eſt, An illa ſocietas, & confœderatio verum matrimonium conſtituat tam jure naturæ, quàm Eccleſiaſtico. Affirmare videtur Paludan. *in* 4. *d.* 34. *quæſt.* 2. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 22. §. 3. Veracruz *in ſuo ſpeculo conjug.* 1. *part. art.* 38. Petr. Sotus *lect.* 5. *de matrim. cap.* 8. Medina *l.* 5. *de continentia, cap.* 74. quibus favet D. Thom. *in* 4. *d.* 34. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 4. *&* 3. *part. quæſt.* 39. *art.* 2. prout eos refert, & ſequitur Baſil. Ponce, *lib* 7. *de matr. cap.* 56. Moventur *ex dicto cap. conſultationi*, & *c. laudabilem de Frigidis, & maleficiat.* & *ex dicto motu proprio Sixti V.* ubi ſupponitur poſſe inter impotentes, matrimonium contrahi in ordine ad caſtè, vivendum. Ratione à priori ſuam ſententiam Baſilius confirmat quia de eſſentia matrimonii tantùm eſt mutua conjunctio animarum in naturalem vitæ ſocietatem cum diverſitate ſexus: at hæc conjunctio ſtare optimè poteſt cum impotentia ad coïtum, ergo impotentia ad coïtum matrimonio non obeſt. Conſequentia, & minor legitimæ ſunt. Majorem in qua eſt difficultas ſic probat; quia commune eſt, & ſatis à Doctoribus receptum dominium rei ab uſu illius diſtingui. Poteſt ergo conjux impotens dominium ſui corporis alteri tradere, tametſi illius uſum non tradat. Ergo eſſe corpus impotens ad uſum obſtare nequit dominii tranſlationi. A poſteriori probat Baſilius, quia nullum Sacramentum eſſe poteſt, ſi illi deſit materia neceſſaria, ut patet in Baptiſmo, Pœnitentia, Euchariſtia, & Confirmatione. At hoc Sacramentum Matrimonii conſiſtere poteſt abſque potentia ad copulam, ut contingit, cùm hæc impotentia matrimonio jam contracto ſupervenit. Ergo.

3. Cæterùm omnino dicendum eſt talem confœderationem verum matrimonium non eſſe non ſolùm jure Eccleſiaſtico, quod mihi certiſſimum eſt, ſed etiam jure naturali. Quæ fuit ſententia Bonavent. *in* 4. *d.* 34. *art.* 2. *quæſt.* 1. Navarr. *c.* 22. *num.* 60. & *lib.* 4. *conſil. tit. de frigidis, & maleficiat. conſil.* 3. *num.* 2. *in ſecunda edit.*

edit. Matien. *Rub. gloss. 1. num. 196. tit 1. lib. 5. collect.* Barbosa *leg. 1. part. 1. num. 91. ff. soluto matr.* Gutierr. *de matrim. cap. 114. num. 1.* Coninch. *disput. 31. dub. 7. concl. 1. n. 76.* Gaspar Hurtado, *disp. 22. difficult. 4 n. 10.* Vasq. *3. part. disp. 125. cap. 7.* Sanchez plures referens *lib. 7. disp. 97. art. 2.* colligitúrque *ex dicto motu proprio Sixti V.* absolutè definientis imponentes ineptos esse ad matrimonium contrahendum, idque satis insinuatur *in cap consultationi.* Et *c. laudabilem, de Frigid. & maleficiat.* ubi absque ulla distinctione matrimonii ad copulam, vel ad castè convivendum deciditur stante impotentia non posse conjugem haberi ut uxorem. Ratio verò videtur manifesta, quia matrimonium primò, & per se institutum est ad honestam humani generis propagationem, ut constat ex illo *Genes. 2.* ubi dicitur *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, &c.* At conjux impotens nequit tradere sui corporis dominium ad prædictam propagationem, tametsi tradat, uti servus ad rerum domesticarum obsequium, ergo nequit verum matrimonium constituere. Præterea si prædicta confœderatio esset verum matrimonium, pater cum filia, frater cum sorore contrahere possent, siquidem inter ipsos mutua obligatio sibi invicem obsequendi, & alendi potest intercedere. Item ex mutuo consensu dissolvi hoc matrimonium posset, cùm solùm ob bonum prolis, & in ordine ad illam indissolubile censeatur. Deinde adulterium non esset accessus ad aliam, siquidem non traditur corpus, cujus alter habeat dominium. Quæ certè absurda sunt. Et quamvis Basilius illis respondere intendat, credo intentionem non esse assecutum.

4. Fundamentum, quo movetur Basil. leviss imum est. Dicimus namque matrimonii essentiam esse animorum, corporúmque conjunctionem in naturalem vitæ societatem, humanique generis propagationem, ut colligitur ex definitione matrimonii communiter approbata, & satis indicata ab Alexand. III. *in cap. illud quoque, 11. de præsumptionib.* dicente esse conjunctionem maris, & fœminæ, & ex fine ad quem est institutum. Et licèt dominium rei ab usu illius distinguatur, at nequit tradi dominium, quin tradatur jus, & potestas illa re utendi, tametsi ex alio capite contingat eam potestatem ligari, & usum illius impediri, ut evenit in iis qui matrimonium contrahunt sub voto castitatis, vel sub promissione invicem facta castè vivendi. Minus efficax est ratio à posteriori. Aliud enim est fieri matrimonium, & Sacramentum, aliud esse matrimonium factum. Ad matrimonium, Sacramentúmque constituendum necessariò requiritur corpus generationi aptum, quia debet tradi illius dominium in ordine ad generationem, secùs verò post matrimonium contractum, quia dominium semel traditum non perit pereunte potentiâ generandi, cujus indicium manifestum est quia impotentibus, quibus impotentia contracto matrimonio supervenit licent tactus & amplexus, qui tamen non licent iis qui cognitâ impotentia contraherent, uti tradit Sanch. plures referens. *l. 7. disp. 97. num* 4. Gutier. *cap. 114. num. 3.*

§. VII.

Qualiter dubia impotentia impedimentum sit matrimonii contrahendi, vel saltem illius usus?

1 *Dubius de impotentia necessario abstinere debet à matrimonii contractu sub gravi culpa.*

2 *Si non obstante dubio contrahat non solùm reddere, sed & petere potest, ut Ecclesia constet, an valide contraxerint.*

3 *Si dubitetur, an matrimonium consummaverit, & re diligenter examinata dubium vinci nequit, sententia ferenda est pro matrimonii valore.*

4 *Quando dubium est, an præcesserit impotentia vel subsecuta fuerit matrimonium, asserunt plures satis probabiliter præsumi debere præcessisse.*

5 *Verior est opposita sententia.*

6 *Procedit doctrina, quando post longum tempus à matrimonii contractu allegatur impotentia.*

7 *Quando est dubium, an impotentia naturalis, vel accidentalis sit, præsumi accidentalis debet.*

1. DUplex dubium de impotentia esse potest. Primum, an sit vera impotentia? Secundum, an præcesserit, vel subsequuta sit matrimonium?

Dubius de impotentia necessariò abstinere debet, sub gravi culpa à matrimonii contractu, tum ob gravem injuriam, quam alteri conjugi potenti irrogat, uti ex certa sententia tradit Sanch. *disp. 103. in fine.* Gutierrez *de matr. c. 116. in fine num. 3.*

2. Quod si non obstante eo dubio contrahat non solùm reddere, sed & petere potest, ut Ecclesiæ constet, an validè, vel invalidè contraxerit, sicuti prædicti Doctores advertunt. Si verò intra triennium quod ab Ecclesia conceditur ad hanc investigationem non potuerit matrimonium consummare, judicio Ecclesiæ separandus est, quia præsumitur cum impotentia perpetua contraxisse.

3. At si dubitetur, an matrimonium consummaverit, & re diligenter examinata vinci dubium nequit, sententia feranda est pro matrimonii valore, quia unusquisque præsumitur potens, dum contrarium non probatur, ut docuit Innocent. *in c. 1. n. 3. de frigid. & maleficiat.* Dominicus Soto *in 4. d. 34. q. unic. art. 2. vers. rogas,* & alii quos congerit Sanch. *suprà n. 3.* Gutier. *c. 126. num. 2.*

4. Rursus cùm de impotentia constat, dubitatur autem an præcesserit, vel subsecuta fuerit matrimonium? variant Doctores, ut videre est apud Sanch. *lib. 7. disp. 103. à num. 1.* Et quidem sive impotentia proveniat ex frigiditate naturæ, sive proveniat ex maleficio, sive ex humana industria, debere præsumi matrimonii contractum præcessisse asserunt satis probabiliter Hostiens. *in sum. de frigidis, & maleficiat. §. quæ impotentia, numero 7.* Et *in cap. fraternitatis, num. 4. eodem tit.* ibique communiter scribentes Montalvus *in leg. 4. & leg. ad finem, tit. 8. part. 4* Greg. Lopez *leg. eodem tit. & part. verbo de talenbærgo,* Matien. *Rub. gloss. 1. num. 204. tit. lib. 5 collect.* Mascard. *de probat. concl. 816. num. 19. & concl. 1027. num. 5.* Henriq. *lib. 12. cap. 8. numero 5.* & alii plures relati à Sanch. *dicta disp. 103. numero 2.* Quorum fundamentum est. Nam impotentia quæ est à natura semper præsumitur fuisse, cum ea quæ à natura proveniunt perpetua sint, impotentia verò accidentalis, etsi per se non præsumatur ad esse, nisi dum fuerit probata; at posito quod in præsenti constat eam adesse, & solùm dubium est an matrimonium præcesserit, vel subsequuta sit, expedit præsumptionem sumere, quæ conjugibus, proli, & matrimonio favorabilior sit: at prædictis favorabilius est, si præsumatur impotentiam præcessisse. Quippe potest conjux potens aliud matrimonium inire & prolem generare, vitaréque periculum accedendi ad non suam. Ergo, &c.

5. Nihilominus verior mihi videtur sententia Ant. de Butrio *in cap. Fraternitatis, num. 20. de frigid. & malefic.* præsumi debere impotentiam quamcunque matrimonio subsecutam esse, non præcessisse, & de impotentia accidentali proveniente scilicet ex maleficio, vel morbo, vel abcissione membri docuit Sanchez *dicta disp. 103. numero 5.* Gutierr. *dicto cap. 116. numero 3.* Etenim unusquisque præsumi debet à natura potens, dum contrarium non probatur. Ergo asserenti illam impotentiam conjugis ante matrimonium fuisse, cum id non constet incumbit onus probandi, quod si probationi succumbit præsumendus est fuisse potens, atque adeò matrimonium ritè contractum esse. Neque est periculum accedendi ad non suam, cùm jure optimo præsumere debeat suam esse. Potius namque in dissolutio-

ne matrimonii hoc periculum reperitur, ſi fortè potens alteri copuletur, cùm dubium maximum ſit, an ſit priori ligatus.

6. Prædicta doctrina procedit, quando poſt longum tempus, ſcilicet poſt aliquot annos à matrimonii contractu allegatur impotentia. Nam ſi illicò, ac matrimonium contractum eſt impotentia opponatur, eaque conſtet cenſenda eſt matrimonium præceſſiſſe. Non enim brevi tempore præſumi quis poteſt ex uno ad aliud extremum tranſire, uti notarunt Sanchez, & Gutierr. *loc. alleg.*

7. Quando verò dubium eſt, an impotentia naturalis, vel accidentalis ſit ſemper præſumenda eſt accidentalis quia dum contrarium non conſtat, non eſt præſumendum naturam defeciſſe. Sic Sanch. & Gutierr. *ſuprà.*

§. VIII.

Qualiter conjugi tam potenti, quàm impotenti liceat adverſus matrimonium proclamare?

1 *Conjugi potenti licitum eſt proclamare adverſus impotentem quocumque tempore.*
2 *Mulieri alleganti viri impotentiam tranſacto bimeſtri à matrimonio contracto, & copulâ attentatâ deneganda eſt audientia, quouſque triennium tranſeat.*
3 *Qualiter conjugi impotenti liceat reclamare explicatur.*

1. HUcuſque diximus, qualiter impotentia impedimentum præſtet matrimonio contrahendo: ſuper eſt dicendum qualiter ſic contractum diſſolvendum ſit. Cum autem ea diſſolutio regulariter incipiat à conjugum querela, utpotè quibus eſt impotentia notior, examinandum eſt qualiter proponi poſſit? Et quidem conjugi potenti licitum eſſe proclamare adverſus impotentem manifeſtum eſt, cum ſua maximè interſit non eſſe impotenti alligatum. Sed quo tempore proclamare debeat ut audiatur non ſatis conſtat. Nam *in cap. 1. de frigidis, & maleficiat.* denegatur audientia mulieri alleganti viri impotentiam, ſi initio matrimonii hoc eſt poſt unum, vel duos menſes à contracto matrimonio, & copula intentata non proclamaverit. At *in cap. fin. eodem tit.* auditur mulier reclamans poſt octo annos. Et *capite fraternitatis, eodem*, auditur reclamans poſt multos, & meritò: quia quod nullum eſt tractu temporis conval eſcere non poteſt.

2. Dicendum igitur eſt mulieri alleganti viri impotentiam tranſacto bimeſtri à matrimonio contracto, & copula attentata audientiam denegandam eſſe, non quidem abſolutè, ſed quouſque triennium tranſeat, quia præſumitur verum non dicere, ſiquidem ita ſerò proclamavit. Citò enim, & in parvo tempore (ait Pontifex) ſcire potuit, ſi cum viro coïre potuiſſet. Excipe tamen niſi per ſigna certa, & evidentia, vel vero ſimiliter evidentia impotentiam ſe offerat probare; tunc enim triennium expectandum non eſt, ſed ſtatim audiri debet, quia ceſſat falſitatis præſumptio, in qua deciſio Pontificis nitebatur, uti pluribus comprobat Sanchez *lib. 7. diſp. 109. numero 5.* Gutierr. *cap. 120. numero 20.* Notanter *dixi tranſacto bimeſtri à matrimonio contracto, & copula attentata.* Nam eſto *lex regia 6. tit. 8. part. 4.* ſolùm unicum menſem concedat, ſtandum eſt deciſioni *capite 1. de frigid. & maleficiat.* bimeſtre concedentis. Hoc autem bimeſtre computandum eſt à die, quo vir poſt matrimonium contractum copulam intentavit, uti colligitur *ex dicto capite 1.* dum eam rationem ſerotinæ proclamationis redit, quod citò mulier noſſe poſſet, an vir ſecum coïre potuiſſet; hoc namque nullo modo ſcire potuiſſet, niſi vir copulam intentaſſet. Ergo à tempore niſus copulæ, & attentatæ bimeſtre computandum eſt, ut rectè Gloſſ. *in ſum. verbo quod autem, in fine 33. q. 1.* Et *in cap. laudabilem, verbo celebrat. de frigidis, & maleficiat.* Et *ibi* Innocent. & Hoſtienſ. ſtatim *in princ.* Ant. de Butrio, *numero 10.* Alexand. de Nevo *numero 10.* Sanchez *lib. 7. diſp. 109. numero 4.* Gutierr. *cap. 120. num. 19.* Tranſacto autem triennio conceditur mulieri audientia, tametſi per ſigna dubia impotentiam probare intentet, juxta Textum *in c. fraternitatis.* Et *c. fin. de frigidis, & maleficiat.* Sicque hujuſmodi, Textus qui videbantur oppoſiti conciliat Sanch. *d. diſp. 109. num. 14.* cui adhæret Gutier. *c. 120. numero 27.*

3. Quoad conjugem impotentem attinet, ſi periculum incontinentiæ timeat, niſi diſſolutionem matrimonii procuret, receptum à Doctoribus eſt reclamare poſſe, eo quòd tunc nequeat cum conjuge ſimul habitare, eámque ut ſororem habere. Quod ſi prædictum periculum abſit (quod rarò contingit) diſtinguendum eſt, ſi tempore contractus matrimonii ſuam impotentiam ignoravit optimé reclamare poteſt, ne cogatur onera matrimonii ſuſtinere, uxorémque alere, uti colligitur *ex cap. 1. de frigidis, & maleficiat.* ubi vir propriam frigiditatem allegavit. Et idem eſt ſi impedimentum ſe teneat ex parte fœminæ, eo quòd abſque periculo corporali nequit apta reddi viri congreſſui reclamare poteſt, ne viro tanquam capiti ſubiiciatur, cùm tamen caput non ſit. At ſi tempore contracti matrimonii ſuæ impotentiæ conſcius fuerit, nequit renuente conjuge potente ſeparationem procurare, quia ratione deceptionis factæ, & injuriæ irrogatæ, videtur obligationem ſuſcepiſſe omnia onera matrimonii ſuſtinendi: ſicut hæc omnia docet Sylveſt. *verb. Matrimonium 8. q. 16. dicto 1.* Sanch. pluribus relatis *diſp. 124. n. & ſeqq.* Gutierr. *de matr. cap. 121. numero 13.*

§. IX.

Quæ probatio requiratur, ut matrimonium diſſolvi poſſit ob impotentiam?

1 *Probationes exigendæ ſunt quoad fieri poſſit clariores.*
2 *Expenduntur ſigna impotentiæ.*
3 *Si impotentiæ ſigna ſint certa, & evidentia, ſtatim abſque alia probatione alióque termino ſpectato conjugium diſſolvendum eſt.*
4 *Si ſigna veroſimilia ſint, ita ut impotentiam moraliter certam demonſtrent, non eſt expectandum triennium.*
5 *In prædicto caſu non requiritur juramentum conjugum, & ſeptimæ manus propinquorum, etſi aliquibus contrarium placeat.*
6 *Si ſigna impotentiæ dubia tantùm ſint, & unius conjux impotentiam fatetur, alius negat, ſervanda eſt forma ſtatuta* in cap. laudabilem de frigid. & maleficiat.
7 *Si elapſo triennio adhuc veritas cognoſci non poteſt, regulariter pro matrimonio ſententia ferenda.*
8 *Quod ſi uterque conjux impotentiam fatetur, plures cenſent non eſſe concedendum triennium, ſed tempus arbitrarium.*
9 *Oppoſita ſententia verior eſt.*
10 *Satisfit fundamento oppoſito.*
11 *Ultra triennium requiritur juramentum utriuſque conjugis, & aliæ conditiones.*

1. DIſſolutio matrimonii graviſſima eſt, utpotè in qua verſatur non leve animarum periculum, ideóque oportet judicem nimis circumſpectum eſſe, & probationes exigere quoad fieri poſſit clariores. Ut docet Gloſſa *in cap. fin. in fine de frigid. & maleficiat.*

2. Signa igitur impotentiæ in triplici ſunt differentia. Quædam certò, & evidenter concludunt. Quædam veroſimiliter. Quædam dubiè, & præſumptivè tantum. Quæ fuit diſtinctio Ant. de Butrio *in cap. laudabilem de frigid. & maleficiat. numero 14.* Et *ibi* Præpoſit. *num. ult.* Et Alexand. de Nevo *numero 16. & 17.* & aliorum, quos refert, & ſequitur Sanch. *diſp. 107. n. 2.* Gutierr. *de matr. cap. 120. numero 2.* Baſil Ponce, *lib. 7. cap.*

cap. 66. num. 2. Signa evidentia sunt ex parte viri, si testiculis careat, si virilia sint amputata, si omnino sicca ita ut erigi ad coitum nequeant. Ex parte fœminæ si ita arcta est, ut judicio Medicorum à nullo viro absque manifesto periculo cognosci valeat. Verosimilia censentur ex parte viri, quando aliqualiter membrum ad copulam erigitur, & ex parte fœminæ, quando ob excessum pudendi timetur ab eo viro cognosci non posse, bene ab aliis. Dubia verò sunt, quando ex maleficio impotentia procedit, vel ex alio capite prudentis arbitrio, & in his Doctores conveniunt, ut videre est apud Sanchez *lib. 7. disp. 107. à num. 3.* Gutierr. *de matr. cap. 120. à num. 2.* Basilio Ponce, *lib. 7. cap. 66. num. 2.* His suppositis,

3. Dico primò, si impotentiæ signa sint certa, & evidentia statim absque alia probatione, alióque termino spectato conjugium dissolvendum est, uti ex omnium sententia tradit Sanch. Gutierr. & Basil. *supra.* Quippè triennium, aliæque probationes à jure requiruntur, ut impotentia constet; ea autem manifestè apparente frustrà exhibentur.

4. Secundò dico, si signa verosimilia sint, ita ut impotentiam moraliter certam demonstrent triennium expectandum non est, quippe in humanis moralis certitudo evidentiæ æquivalet. Sic docet Sanch. *d disp. 107. n 4.* Gutierr. *c. 120. n 4.* Basil. Ponce, *lib. 7. cap. 66. n. 2. & 6.* Gaspar Hurtado *disp. 22. diffic. 11. num. 38.*

5. Addunt tamen Anton. de Butrio, *in cap. laudabilem de frigid. & maleficiat. num. 14.* Et *ibi* Alexand. de Nevo, *numero 17.* Sanchez Basil. & Gutierr. *supra*, in prædicto casu requiri juramentum conjugum, & insuper septimæ manus propinquorum, hoc est juramentum septem testium propinquorum ex parte cujuslibet conjugis; aut illis deficientibus septem vicinorum testantium se credere conjuges verum fateri, & præterea necessarium esse, ut conjux impotens inspiciatur à Medicis, seu matronis, quorum omnium testimonia convenientia sint. Sed licèt hæc communi Doctorum sensu probata sint, spectato juris rigore placet mihi sententia Gasparis Hurtado *disp. 22. de matr. difficult. 11. num. 38.* asserentis nec juramentum conjugum, nec septimæ manus propinquorum, nec impotentis inspectionem necessaria esse, cùm signa impotentiæ moraliter certa sunt. Non enim illæ probationes jure naturali requiri possunt, neque aliquæ aliæ, cùm de veritate impotentiæ moraliter certum sit. Neque item jure positivo, quia juramentum conjugum, & septima manus propinquorum, inspectióque impotentis solùm requiritur in casu dubio, & post triennalem habitationem, ut constat *ex cap. laudabilem, & ex cap fin. de frigid. & maleficiat.* ubi hæc habentur. *Si igitur triennalis habitatio stante morali certitudine impotentia necessaria non est, neque etiam prædictæ aliæ conditiones, quæ subsequuntur.*

6. Tertiò dico, si signa impotentiæ dubia tantùm sint, & unus conjux impotentiam fateatur, alius neget, servanda est forma statuta *in dicto capite laudabilem de frigid. & maleficiat.* nempe iis conjugibus juramentum esse deferendum de impotentia, & insuper accedere debet juramentum septimæ manus propinquorum, id est septem consanguineorum illius, conjugis impotentiam fatentis, qui testentur se credere illum conjugem verum dicere. Ex parte verò conjugis negantis impotentiam nulli testes jurantes requiruntur, uti docuerunt Innocent. Joan. Andr. & Ancharran. *in cap. laudabilem de frigidis, & maleficiat. in princ.* Quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 7. disp. 109. num. 13.* Gutierr. *cap. 120.* Præterea debet triennium his conjugibus concedi, ut copula vacent, sicuti ex communi sententia decidit Rota apud Farinac. *1. p. decis. 695.* Quod triennium omnino concedendum est, cùm impotentia ex maleficio provenit, quia decursu temporis, & orationis instantis, aliisque remediis adhibitis fortè removebitur, uti tradit Hostiens. *in d. cap. laudabilem, n. 1. & c. fin. ad finem, verbo triennium, de frigid. & maleficiat.* Et ibi Joan. Andreas *num. 11.* Ancharran *n. 9. notab. 12.* Gregor. Lopez, *l. 5. verbo fasta este placo, tit. 8. part. 4.* Sanch. *lib. 7. disp. 197. num. 9.* Gutierr. *de matr. cap. 120. num. 7.*

7. Quod si elapso triennio adhuc unus affirmet, & alter neget matrimonium consummatum esse, neque veritas per signa verosimiliter certa inveniri possit, regulariter pro matrimonio sententia ferenda est, quia stat pro illo possessio, uti notavit Alexand. de Nevo *in dict. capite laudabilem, num. 17. casu 4.* Sanch. *lib. 7. disp. 109 num. 15.* Quod efficaciùs procedit, quando mulier asserit se à viro cognitam esse, tunc enim potiùs ipsi, quàm viro neganti credendum est, ut rectè aliis relatis docuerunt Mascard. *de probationib. concl. 312. num. 24.* Sanch. *disput. 109. n. 9.* Gutierr. *cap 120. num. 25.* Basil. Ponce *lib. 7. cap. 66. numero 8.* Neque enim præsumi debet fœminam velle cum impotenti habitare. Si verò ipsa neget se à viro cognitam esse, offerarque probare matronarum aspectu, adhuc existimat Basilius non esse illi fidem adhibendam, sed viro asserenti eam cognovisse, eo quòd hic aspectus utpotè minus decens, non est permittendus. Præterquam quòd fallaciæ subjectus est. Sæpè enim mulieres se virgines fingunt, cùm tamen sint corruptæ. Sed contrarium in hac specie communis sententia firmat cum Glossa *in capite si quis acceperit, verbo tempore 33. q. 1.* Et *in capite. proposuisti, in fine.* Et *cap. penult. de probationibus* Et. *cap. 1. verbo caput de frigid. & maleficiat.* Gutierr. *de matr. cap. 120. num. 21.* Sanch. pluribus relatis *disp. 109. n. 6.* & probari videtur ex dicto *capite proposuisti*; ubi juramento puellæ, & testimoniis illarum septem mulierum fides est potiùs ordinata. Et licèt hæc probatio utpotè minus decens permittenda non sit, quando alia haberi potest, at aliis probationibus deficientibus ob veritatem inveniendam permitti debet, rationéque necessitatis honestatur. Neque obest esse probationem deceptioni subjectam, id enim solùm probat non esse concludentem, non tamen probat non esse verosimilem, & satis probabilem, aliàs nulla humana probatio adhibenda esset, cùm omnes fallaciæ subiiciantur.

8. Quando verò uterque conjux impotentiam fatetur, plures gravésque Doctores asserunt non esse concedendum triennium, sed tempus aliquod arbitrarium, ut duorum, vel trium mensium, vel ad summum unius anni. Quo elapso accedente juramento conjugum, & septimæ manus propinquorum absque ulla alia diligentia esse matrimonium dissolvendum. Sic docuit glossa *in cap. 1. verbo per verum, & verbo probari de frigidis, & maleficiat.* Angelus *verb Matrimonium 3. impedim 16.* Rotella *verb. Divortium, numero 1.* Sylvest. *q. 18. unm. 21.* & alii relati à Sanch. *disp. 108. numero 3.* Et probari potest *ex d. cap. 1' de frigidis, & maleficiat*, ubi mulier allegans viri impotentiam. Si intra bimestre reclamasset audiretur, & matrimonium nullo expectato triennio dissolveretur. Neque satisfacit, si dicas id verum esse, quando per signa certa, vel moraliter certa viri impotentiam probaret, quia eo casu non denegaretur audientia, etiamsi serò reclamasset, ut *superius* diximus. Loquitur ergo Textus de probatione impotentiæ ex signis dubii. Deinde probatur *ex cap. laudabilem, eodem tit. de frigidis, & maleficiat.* à contrario sensu: ibi enim triennium conceditur, quia unus negat impotentiam, alter affirmat. Nullus est autem Textus triennium exigens utroque conjuge impotentiam testante, ergo absque fundamento petitur. Tandem quia efficax probatio videtur esse utriusque conjugis confessio, siquidem elapso triennio hæc sufficiens judicatur.

9. Nihilominus communior, veriórque sententia, & tenenda asserit in prædicto casu triennium concedendum esse, quam docuit Glossa *in cap. si quis acceperit verbo tempore 33. q. 1. & cap. laudabilem de frigidis, & maleficiat.*

maleficiat. verbo uterque, Abbas *ibi in fine*, *& in c. 1. eodem. titul. n. 5. & cap. fin. num. 4.* D. Thom. *in 4. d. 34. in expoſit. litteræ Mag. verſ. ſeptima manu*, Gregor. Lopez, *leg. 6. tit 8. part. 4. in gloſſ. fin.* Maſcard. *de probat. tom. 1. concluſ. 311. verbo coitus, num 4. & tom. 2. verbo frigiditas, num. 5. 8. & 16.* Sylveſt. *verbo matrimonium 8. num. 16.* Et alii quam plures Canoniſtæ, & Theologi, quos refert, & ſequitur Sanch. *diſp. 108. num. 5.* Gutierr. *de matrim. cap. 120. num. 20.* Baſil. Ponce, *lib. 7. c. 66. num. 4.* Gaſpar Hurtado, *diſp. 22. difficult. 11. num. 40.* Et colligitur *ex dicto cap. laudabilem*, ubi *in princ.* ſtatuitur dubiis probationibus de impotentia triennium eſſe concedendum. Deinde diſtinguuntur duo caſus, non ut in illis hæc triennii probatio omittatur, ſed an ultra illam aliæ probationes requirantur, uti ex contextu litteræ conſtat. Et præterea ratione convincitur. Si enim cùm unus negat, alter affirmat impotentiam, triennium aſſignatur, ut veritas eluceat: eadem & potiore ratione aſſignandum eſt, cùm uterque teſtatur impotentiam; quippè hic caſus graviori periculo deceptionis eſt expoſitus, juſtéque timeri poteſt inter conjuges colluſio ob voluntatem à matrimonio recedendi, ideóque Judex cautiſſimè procedere debet, & veritatem diligentiùs inveſtigare. Adde etſi utriuſque conjugis confeſſio probet impotentiam adeſſe, at probare nequit eſſe perpetuam, cùm eam ſignis certis, vel veroſi militer certis non probent, debet ergo triennium adhiberi, ut ipſis Judicique conſtet, an temporalis ſit, vel perpetua, an ex maleficio, vel ex alia cauſa, quæ decurſu temporis removeatur?

10. Neque fundamentum oppoſitæ ſententiæ urget. Ad Textum *in cap. 1.* reſpondemus mulieri ſerò reclamanti denegari audientiam, quouſque triennium elabatur, quia præſumitur fictè reclamare, vel reclamare ex ſignis tantùm dubiis, & non evidentibus. Quando verò intra bimeſtre reclamat conceditur audientia, quia præſumitur ex ſignis certis velle impotentiam probare. Quod ſi illam ex his ſignis non probet, conceditur triennium. Textus verò *in cap. laudabilem* noſtram ſententiam confirmat, uti *num. præcedenti* expendimus, *ibique* diximus, quare ultra confeſſionem utriuſque conjugis triennium requiratur?

11. Rurſus ultra triennium requiritur juramentum utriuſque conjugis fatentium impedimentum. Vir namque jurare debet ſe bonâ fide, & abſque dolo copulam intentaſſe, nec conſummare potuiſſe, mulier verò jurare debet per eam non ſtetiſſe, quin matrimonium conſummatur. Inſuper accedere debent ex parte cujuſlibet conjugis ſeptem propinqui, ipſi verò deficientibus ſeptem vicini bonæ famæ, qui jurare debent ſe credere conjuges verum affirmare. Uti habetur *dicto cap. laudabilem.* Et tradit lex regia *5. tit. 8. part. 4.* Quod ſi tot teſtes haberi non poſſint pauciores ſufficient arbitrio Judicis, ut docuit Gloſſa *in cap. requiſiſti*, *verbo ſeptima manu 33. q. 1.* Greg. Lopez, *in d. leg. 5. verbo ſic te.* Maſcard. *de probat. concl. 889. numero 7.* Sanch. aliis relatis *diſput. 108. num. 12.* Quinimò ſi deſint conſanguinei, & vicini ſufficiunt alii teſtes omni exceptione majores: ut tradit ipſe Sanchez *numero 13.* Gutierr. *capite 120. num. 11. & 12.* Baſil. Ponce. *l. 7. c. 66. num. 5.* Forma autem hujus juramenti: etſi jure communi ſpectato fieri deberet tactis ſacroſanctis Evangeliis, ut conſtat *ex d. c. laudabilem*, conſuetudine tamen præſcriptum eſt, ut ſuper Cruce præſtetur, teſte Covar. *in c. quamvis pactum, de pactis in 6. §. 1. num. 2. ad fin.* Sanch. *l. 7. diſp. 108. num. 14.* Gutier. *de matr. cap. 120. num. 12.*

Præter hoc juramentum aliqui exigunt inſpectionem impotentis, ſed abſque firmo fundamento. Cùm *in cap. laudabilem*, non exigatur hæc diligentia, cùm uterque conjux fatetur impedimentum, uti notavit Sanch. *l. 7. diſp. 108. num. 6.* Gutierr. *capite 120. numero 9.* Baſil. Ponce, *d. cap 66. num. 5.* Juramentum autem conjugum, & propinquorum ita neceſſarium eſt, ut eo deficiente ſententia lata pro matrimonii diſſolutione nulla ſit, uti colligitur *ex d. c. laudabilem*, & *c. fin. de frigid. & maleficias.* & tradit Sanch. Gutier. & Baſilius *ſupra.*

§. X.

A quo tempore triennium computandum ſit, & quales debeant eſſe matronæ de virginitate depoſituræ?

1 *Non eſt computandum triennium à die contracti matrimonii niſi copula fuerit intentata.*
2 *Proponuntur variæ ſententiæ à quo tempore computandum ſit.*
3 *Verius cenſeo ſpectato juris rigore computandum eſſe à die quo conjuges ſimul habitarunt in eodem lecto.*
4 *Computandum eſt hoc triennium, modò conjuges plenam pubertatem fuerint adepti.*
5 *Hoc triennium continuum eſſe debet.*
6 *Matronarum teſtimonium de virginitate deponentium, fallaciæ ſubjectum eſt.*
7 *Sufficiunt duo vel tres, etſi aliqui ſeptem requirant.*
8 *Quales debeant eſſe matronæ de virginitate depoſituræ.*

1. TRiennium ad inveſtigandam impotentiam ſtatutum *in d. c. laudabilem de frigid. & maleficiat.* computari non poteſt à die contracti matrimonii, niſi copula attentata fuerit, ut colligunt omnes Doctores *ex cap. requiſiſti 33. q. 1.* teſte Sanch. *l. 7. diſp. 110. num. 1.* Gutier. *cap. 121. numero 1.*

2. Sed an eo die numerandum ſit, an verò à decreto Judicis, variant Doctores. Nam Hoſtienſ. *in ſum. tit. de frigidis, & maleficiat. §. qualiter, & quando num. 12.* & *in cap. fin. eodem tit. num. 10.* Et ibi Joan. Andr. *num. 11.* Ancharran. *numero 9. notab. 12.* Anton. Cuchus *lib. 5. inſtit. majorat. tit. 12. numero 267.* Cavalcan. *2. part. deciſ. 18. numero 7.* & alii cenſent ia impedimento maleficii enumerandum eſſe à die copulæ intentatæ. Alii verò è quorum numero eſt Henriquez *in cap. 1. n. 2. de frigid. & maleficiat.* Brunel. *de ſponſalib. concl. 18. declarat. 4. numero 10. & 14.* id concedunt in impedimento frigiditatis. At Gloſſa *in ſum. verbo quod autem, 33. q. 1.* Abbas *in capite fin. de frigidis, & maleficiat.* Et *ibi* Innocent. Gregor. Lopez *leg. 5. tit. 8. part. 4. verbo darplaco.* Gutierrez *de matr. cap. 121. numero 3.* Sanchez aliis relatis *lib. 7. diſput. 110. numero 4. & 5.* in omni impedimento, ſed præcipuè in impedimento frigiditatis enumerari triennium debere à die, quo conjuges ſimul habitarunt in eodem lecto, quia ab eo die vehementer præſumiter copulæ vacaſſe, ut notavit Gutierrez *d. capite 121. numero. 2.*

3. Ego verò cenſeo ſpectato juris rigore hanc ultimam ſententiam veriorem eſſe, uti colligitur *d. c. laudabilem*, ubi expreſsè habetur triennium enumerandum eſſe à die celebrati conjugii, quia ab eo die præſumuntur conjuges copulam intentaſſe. Idem demonſtratur *in cap. fin. eod. tit. de frigid. & maleficiat.* ubi mulier allegans multis annis cùm viro habitaſſe, nec potuiſſe pati congreſſum nullo expectato ulteriori triennio ſeparatur. Verùm ſpectatâ conſuetudine, ſtylóque Romanæ curiæ triennium computandum eſt à decreto Judicis, quia ab eo die præmiſsâ peccatorum confeſſione, & Euchariſtiæ ſumptione diligentiùs copula procuratur. Sic ſæpè tenuit Rota teſte Farinac. *volum. 1. conſilior. deciſ. 27. & 277. & vol. 2. conſilior. deciſ. 192. & 216.* Riccio *in praxi deciſ. 239. numero 1.* Baſilio Ponce, *l. 7. capite 66.* Quòd ſi ante Judicis decretum triennalis habitatio præceſſit, arbitrio Judicis relinquitur juſtis de cauſis abbreviare triennium, ut notavit Rota *dict. deciſ. 226.* Riccius & Baſil. *loc. alleg.*

4. Quod vero aliqui Doctores cenſent triennium enumerandum eſſe ſive à die matrimonii contracti, ſive à decreto

decreto Judicis, tametsi conjuges non fuerint plenariè pubertatem adepti, minus verum est. Nam esto *in d. c. laudabilem*, Et *c. fin. de frigidis, & maleficiat.*. nulla ætatis distinctione apposita omnibus de impotentia dubitantibus statuatur triennium. At rationi consonum est, ne ante plenam pubertatem, quæ in viris est 18. annus & in fœminis 14. dictum experientiæ tempus incipiat Quippè dum eam ætatem conjuges non attingunt præsumi jure potest impotentiam coëundi non ex frigiditate, aut maleficio, sed ex debili complexione, & conditione provenire, ut optimè docuit Card. *in c. puberes, n. unico de sponsat. impuber.* quem sequitur Sanch. *lib. 7. disp. 110. n. 10.* Gutier. *de matr. c. 121. n. 4.*

5. Hoc triennium continuum esse debet, uti deciditur *c. fin. de frigidis, & maleficiat.* ibi: *Intra prædictos octo annos continuum triennium insimul habitasse.* Quod si interpolatum fuerit supplendum est, ut docuit Joan. Andreas *in d. cap. fin. n. 9.* Mascard. alios referens, *de probat. concl. 889. n. 8.* Sanch. *lib. 7. disp. 111. n. 5.* Gutierr. *de matr. c. 121. n. 8.* Aliquibus placet, scilicet Sylvest. *q. 20. n. 23.* Henriq. *lib. 12 de matrim. c. 7. n. 2. & c. 8. n. 2.* non esse censendum interpolari, si per majorem anni partem insimul habitent Argumento desumpto ex habitatione Scholasticorum in Vniversitatibus, qui si majori anni parte commorentur, toto anno censentur commorari, Alii minus probabiliter interpolari judicant triennium, & supplendum, si aliquibus diebus etsi paucis separentur. Rectiùs tamen Hostiens. Joan. Andreas, Præposit. Panormit. & alii quos referunt, & sequuntur Mascard. *de probationib. concl. 889. n. 8. & 9.* Sanch. *dict. disp. 11. à n. 3.* Gutierr. *n. 7. & 8.* Basil. Ponce, *lib. 7. c. 66. in fine*, sentiunt triennium hoc non perdere continuationem ex eo, quod uno vel altero mense anni conjuges ob negotia occurrentia separati vivant, quia continuatio triennii non debet esse mathematica, sed civilis, & moralis, & qualem conjuges frequenter habent, quæ ob brevem absentiam, tum peregrinationis, tum negotii domestici gerendi causâ non censetur deperdi.

6. Quoad matronas attinet de virginitate fœminæ deposituras juxta Text. *in c. Ne cuiquam, c. quod si pœnitentia 27. q. 1. & c. fraternitatis.* Et *c. litteræ de frigidis & maleficiat.* negare non possum earum testimonium fallaciæ subjectum esse, eo quòd fœminæ corruptæ sæpè se virgines effingant, uti docuit Aug. *l. 1. de civit. Dei, c. 18.* Ambros. *li. 6. epist. 1. ad Syngrium Veronensem Episcopum* Panormit. *in d. c. fraternitatis.* Arnald. à Vilnova *l. 3. breviarii, c. 6.* Et supponitur *c. penult. de probationib.* Sed non obinde ea diligentia omittenda est, quia ex ea esto non certò veritas eliciatur, elicitur tamen probabiliter. Ob quam probationem diligentia quæ aliàs minus decens est licita & honesta redditur.

7. Has matronas alicui videri posset debere esse septem, eo quod in *c. proposuisti de probationib.* dicatur *juramento puellæ, & testimoniis illarum septem mulierum esse potiùs fidem adhibendam.* Verùm *ibi* narratur factum, non autem deciditur id necessarium esse ad attestationem. Quare existimo duas, vel tres sufficere. Non enim recedere debemus absque expresso Textu à regula communi asserente in ore duorum, vel trium stare omne verbum *c. in omni negotio de testibus.* Quinimò Mascard. *de probationib. concl. 1174. n. 21.* placet, si in oppinando una tantùm matrona sit, & hæc satis petita ejus testimoniũ sufficiens esse, quodque probabile reputat Sanch. *l. 7. disp. 113 n. 17.*

8. Debent autem hæ matronæ esse honestæ, providæ, & prudentes, ut constat *ex c. fraternitatis, c. fin. de frigidis, & maleficiat.* testarique debent juxta propriæ artis peritiam, hoc est quantum ex arte propria conjicere possunt virginem esse, aut non esse, impedimentum habere arctitudinis, vel non. Aliam autem certitudinem habere nequaquam possunt. Vt verò testimonium præbeant, debent non tantùm inspicere virginem sed manibus obtrectare, ut videtur supponi *cap penult. de probationib.* ibi: *Sæpè manus fallitur, & oculus obstetricum.*

Præter has diligentias alias poterit Judex facere, si hæ sibi visæ non fuerint sufficientes. Vnde potest Medicos vocare, ut etiam ex eorum testimonio impedimentum arctitudinis constet. Neque enim in re tam gravi, ut benè Sanch. *disp. 113. n. 28. in fine*, quælibet diligentia superflua censenda est: agitur namque de matrimonii dissolutione, dèque licentia ad alium conjugium transeundi.

§. XI.

An conjux propriâ authoritate recedens ob alterius impotentiam sit statim restituendus?

1 *Refertur triplex sententia.*
2 *Resolvitur conjugem recedentem statim esse restituendum nisi incontinenti probationes impotentiæ certas, & evidentes offerat.*
3 *Quod efficacius procedit, cùm conjux recedit, antequam triennium experientiæ à jure concessum elapsum sit.*

1. TRes sententias probabiles refert in hoc puncto Sanch. *lib. 7. disp. 112.* Alii negant esse locum restitutioni, quia spolium non est, ubi matrimonium non fuerit consummatum. Argum. *cap ex transmissa, de restitut. spoliat.* ubi viro petenti restitutionem uxoris ei conceditur, dummodò probet matrimonium & copulam. Ergo cùm conjux potius intendit copulæ impotentiam probare, nequit restitutionem petere. Alii verò affirmant restitutionem concedendam esse, si sponsa de præsenti traducta sit in domum sponsi, secùs si se virginem esse probaverit. Alii tandem concedunt restitutionem quoad habitationem, mutuáque obsequia, secùs quoad copulam, quia copulæ possessionem non habet.

2. Ego verò dicendum existimo conjugem recedentem statim esse restituendum, nisi incontinenti conjux recedens probationes impotentiæ certas, & evidentes offerat: nam illis oblatis non restitutio, sed matrimonii irriti declaratio facienda est. At seclusâ probatione certâ, & evidenti impotentiæ restituendus est conjux recedens antequam de valore matrimonii audiatur, non solùm ad mutuam cohabitationem, obsequiorúmque exhibitionem, ut placuit Sanch. *d. disp. 112. num. 8.* sed etiam ut copulæ vacare possint, uti colligitur *ex cap. ex parte, de restitut. spoliator.* Ratione namque matrimonii conjuges adinvicem jus possident, nisi Religionem profiteri velint, ut mutua sibi obsequia præstent, mutuóque reddant sibi debitum petitum. Ergo conjux hoc jure alterum spolians ante omnia cogendus est conjugi spoliato restitutionem præstare.

3. Hæc efficaciùs procedunt, cùm conjux recedit antequam triennium experientiæ à jure concessum elapsum sit, eo quòd hoc tempus à jure concedatur ad examinandam impotentiam. Quâ examinatione omissâ, impotentiæ allegatio nullius est momenti, uti docuit Sanch. *dicta disp. 112. num. 12.* Quod si lapso triennio conjux ob impotentiam alterius recedit, non est statim restituendus, sed admitti debent impotentiæ exceptiones, sicuti ex communi sententia tradit Sanch. *suprà.*

§. XII.

Qualiter prius matrimonium ob impotentiam dissolutum restaurandum sit?

1 *Si ob impotentiam ex frigiditate provenientem separetur à priori conjuge, incapax est alterius conjugii.*
2 *Matrimonio dissoluto ob fœminæ arctitudinem, si illa aliud ineat, sub distinctione respondetur, an reddenda sit priori viro.*

3 *Si diſſolutio matrimonii ob impotentiam ex maleficio provenientem facta fuerit juxta requiſita à jure, nulla reſtauratio facienda eſt.*

4 *Si ob impotentiam in genere abſque expreſſione cauſæ ſpecialis prius matrimonium diſſolvatur, & vir impotens aliud ineat matrimonium ſtatim ſeparandus eſt.*

5 *Illis caſibus, in quibus prius matrimonium inſtaurandum eſt, uterque conjux pœnitentiam agere debent de perjurio.*

6 *Conjuges redditi ad prius conjugium poſteriori diſſoluto, ſi intra triennium copulari non poſſunt ſeparandi ſunt, & ad poſterius conjugium reddendi.*

7 *Sententia in conjugali cauſa non tranſit in rem judicatam*

8 *Apponuntur aliqua notabilia pro prædictorum intelligentia.*

1. SI conjux ob impotentiam ex frigiditate provenientem à priori conjuge ſeparetur, incapax eſt alterius conjugii. Quare ſi de facto aliud init ſtatim ſeparandus eſt, utpotè incapax judicatus. Si verò ſecundum matrimonium conſummaverit priori conjugi ſi vivit, reſtituendus eſt, quia jam conſtat falsò impotentiam allegaſſe. Et idem eſt, ſi quamlibet aliam fœminam fornicariè cognoviſſet. Quinimò eſto prior uxor obierit cùm ſecundas nuptias contrahit, ab illis ſeparari debet omnino, quouſque ſe potentem probet, & Eccleſiam fuiſſe deceptam, quia interim ſtat adverſus eum præſumptio. Vti ex communi ſententia docent Sanch. *lib. 7. diſp. 99. à n.* 4. Gutierr. *de matr. cap. 115. n. 1. & ſeqq.* Baſilius Ponce, *lib. 7. cap.* 64.

2. Matrimonio autem diſſoluto ob fœminæ arctitudinem, ſi ipſa aliud ineat matrimonium, diſtinguendum eſt, ſi ſeparatio fuerit, eo quòd comparatione cujuſlibet viri judicata fuit ita arcta, ut abſque periculo vitæ cognoſci non poſſit ſeparanda eſt, & priori conjugi reddenda. At ſi facta fuerit matrimonii diſſolutio ob arctitudinem reſpectivam, quia ſcilicet reſpectu prioris viri arcta fuit judicata (uti regulariter contingit) non eſt ſtatim à ſecundo viro ſeparanda, & priori reddenda, tametſi non levis adſit præſumptio nullitatis ſecundi conjugii, ſed ante omnia examinandum eſt, an ſecundus vir priori ſit omnino ſimilis, ut inde inferatur à priori viro congnoſci potuiſſe, juxta Textum *in cap. fraternitatis de frigidis, & maleficiat.* Quippè poteſt mulier comparatione unius eſſe ita arcta, ut abſque periculo vitæ nequeat cognoſci, quæ ab aliis abſque hoc periculo cognoſcibilis ſit, ut rectè tradit Sanch. *d. diſp. 99. à n.* 15. Cui aſſentitur Gutierr. *d. cap.* 115. *numero* 4. Baſil. *lib. 7. cap. 94. numero* 3.

3. Verùm ſi diſſolutio matrimonii ob impotentiam ex maleficio provenientem facta fuerit lapſo triennio experientiæ, aliiſque probationibus à jure requiſitis, nulla reſtauratio facienda eſt, tamet ſi maleficiatus aliud matrimonium ineat, quia ſatis commune eſt aliquem eſſe maleficiatum comparatione unius tantùm, & non alterius, ſicuti videtur expreſsè deciſum *in cap. fin.* 33. *quæſt.* 1. & *leg. regia finali tit.* 8. *part.* 4. ibi: [Mas ſi el que fueſe maleficiado maguer lo departieſe la ſanta Igleſia de una muger, ſi deſpues caſaſe con orra bien puede fincar con la ſecunda; e no debe torna a la primera. *E* eſto es porque podria ſer maleficiado a la primera muger, e no a la ſegunda] Et tradit *ibi* Gregor. Lopez Sanch. plures referens *lib. 7. cap. 65. num.* 6.

4. Quod ſi ob impotentiam viri in genere abſque expreſſione cauſæ ſpecialis prius matrimonium diſſolvantur (quod Judex præſtare non debet) ſi vir impotens aliud ineat matrimonium ſtatim ſeparandus eſt, utpotè qui abſolutè eſt impotens judicatus, mulier verò ſi alteri nubat ſeparari non debet, quouſque prius inveſtigetur cauſa impotentiæ, ob quam prius conjugium fuerit diſſolutum, quod optimè cognoſcetur, ſi Judex qui prioris matrimonii diſſolutionis ſententiam protulit cauſam diſſolutionis expreſſerit. At ea non expreſſa ex actis in priori proceſſu, & ex cauſis quas teſtes, & matronæ reddiderint colliget Judex diſſolutionis cauſam. Quod ſi neque ex his cognoſci poſſit, denuo Judex inquirat cauſam impotentiæ. Interim tamen mulier à ſecundo conjugio ſeparari non debet, quia ſtat pro ipſo poſſeſſio, ut prudenter diſcurrit Sanch. *lib. 7. diſp. 99. à num.* 27. quem ſequitur Gutierr. *de matr. d. cap.* 115. *num.* 9. Baſilius Ponce *lib. 7. c.* 64. *num.* 4.

5. In illis autem caſibus, in quibus prius matrimonium inſtaurandum eſt, uterque conjux pœnitentiam agere debent de perjurio commiſſo, dum in ſeparatione jurarunt impotentiam juxta Textum *in cap. laudabilem de Frigid. & maleficiat.* ibi: *& peractâ pœnitentiâ cogantur, ad connubia priora redire.* & idem habetur *c. requiſiſti* 33. *q.* 1. Sed ut inquit Turrecremata *ibi in fine*, ſatis eſt pœnitentiam incœptam eſſe, imò ut placet Sanch. *d. diſp. 99 num.* 30. Gutierr. *cap.* 115, *num.* 10. ſufficit pœnitentiam eſſe injunctam, quia ſatis eſt pœnitentiæ exequendæ obligationem ſubiiſſe, ut peracta moraliter cenſeatur. Neque enim credendum eſt Pontificem velle ob pœnitentiæ executionem inſtaurationem prioris matrimonii differre cum animarum jactura.

6. Conjuges verò redditi ad prius conjugium poſteriori diſſoluto ob errorem deprehenſum, ſi intra triennium copulari non poſſunt, omnino ſeparandi ſunt, & ad poſterius conjugium reddendi; quia convincitur impotentiam reſpectivam vel ex frigiditate, vel ex maleficio habere ut pluribus relatis aſſerit Sanch. *d. diſp. 99. num.* 34. At ſi tempore quo prius conjugium inſtaurandum eſſet alter conjux ſit profeſſus, cùm per profeſſionem prius matrimonium ratum diſſolvatur, nulla eſt reſtitutio facienda. Conjux verò tranſiens ad ſecundum matrimonium ſeparandus eſt, ſi ante profeſſionem alterius tranſivit, quam nulliter contraxit: ſecùs vero ſi profeſſione facta tranſiſſet, uti ex Petro de Ledeſma notavit Sanch. *d. diſp. 99. num.* 38. ubi *num.* 39. inquit: *Si ad ſacros Ordines vir aſcendiſſet, uxore in ſæculo remanente reſtituendum uxori eſſe, ſi ipſa petat, quia ſacris Ordinibus matrimonium ratum non diſſolvitur, ſecùs ipſa non potente.*

7. Ex ſupradictis manifeſtum eſt ſententiam in conjugali cauſa latam quantumcunque confirmata ſit, vel elapſus fuerit terminus ad appellandum non tranſire in rem judicatam, ſed retractandam eſſe, quoties compertum fuerit ex errore proceſſiſſe, uti deciditur *cap. lator. verſ. mandamus Cap. conſanguinei. Cap. tenor. de ſententia, & re judic. Cap. fraternitatis de frigidis, & maleficiat.* Et *ibi* communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Covarruv. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 8. §. 12. *num.* 12. *& ſequentibus.* Saneh. *lib. 7. diſp.* 100. *num.* 1. *& ſequentibus.* Quinimò Judex ex officio etiam invitâ parte tenetur ad hujuſmodi retractationem, quia ſua intereſt peccata auferre, & inconvenientia vitare, ut dicitur *in cap. Porro de divortiis.* At non leve eſt inconveniens matrimonium validum irritum declarare, & virtute hujus declarationis conjuges ſe liberos reputare, cùm tamen non liberi, ſed allegati exiſtant. Sic docuit Cardinal. *in cap. lator. num. unico verſ. in gloſſ. fin. de ſentent. & re judic.* Sanch. *d. diſp.* 110. *num.* 3. Gutierr. *c.* 15. *num.* 14.

8. Pro hujus illationis intelligentia plura advertunt Covarruv. Sanch. & Gutierr. *locis alleg.* quæque ſunt maximè notanda. Primò ſententia in cauſa matrimoniali non tranſit in rem judicatam quoad hoc, ut per vim querelæ non poſſit contra eam allegati, non ſolùm à conjuge condemnato, ſed etiam à quocunque alio, quia omnibus competit peccata vitare. Suſcipit authoritatem rei judicatæ, ne per appellationem corrigi poſſit, nève impugnetur, quin allegans contra ipſam ſuæ impugnationis cauſam veroſimilem proponat, quam Judex

prius

prius summariè non citato adversario cognoscere debet, qua varosimili apparente audiendus est, sin minus repellendus. Audiri autem debet nova querela, novóque libello proposito, quia secundùm priorem instantiam transit sententia in rem judicatam, ex Textu *in cap. ex litteris ad finem, de in integrum restitut.* proponendaque est, querela coram eo Judice, qui adiri potest per simplicem querelam, qui est ipse coram quo priùs causa matrimonialis acta fuit, vel agi poterat. Secundò advertunt sententiam in causa matrimoniali transire in rem judicatam quoad expensas, in quibus succumbens condemnatus fuit, quia ex firmitate hujus condemnationis nullum peccatum fovetur, quæ est ratio retractandi sententiam circa matrimonii nullitatem. Ex quo evidenter infertur, si observata sententia ex consensu utriusque conjugis peccatum cesset, vti contingit, cùm iis movetur circa matrimonii valorem ob impedimentum metus, vel conditionis servilis ignoratæ. Et hic qui allegavit impedimentum succumbit, quia pronunciata, sententia valuisse conjugium legitimo tempore non appellavit, aut appellationem non est persecutus; non potest adversus sententiam latam insurgere, quia ex hujus observatione nullum est peccatum.

Pro complemento doctrinæ de impedimentis matrimonii supererat dicendum de impedimento coactionis, & clandestinitatis. Sed de his *disp.* 2. ubi de matrimonio coacto, & clandestino latè egimus.

Punctum Ult.

De dispensatione impedimentorum matrimonii.

1. PLura in præsenti examinanda *tract. 3. de legib. disput. ult. de dispensationibus* pro tenuitate nostri ingenii enodavimus, ideóque illis suppositis quæ propria fuerint hujus puncti, decidemus.

§. I.

Qui possint dispensare in impedimentis matrimonii dirimentibus.

1 *In impedimentis jure naturali, & Divino dirimentibus nulla humana potestas dispensare potest. Secus in impedimentis jure Ecclesiastico dirimentibus.*

2 *Præter summum Pontificem nullus alius jure ordinario in prædictis impedimentis dispensare potest.*

3 *Hinc fit jure ordinario non posse Episcopum dispensare in prædictis impedimentis.*

4 *Neque item delegatus summi Pontificis, nisi ei specialiter committatur.*

5 *Commissarius Cruciatæ ex delegatione potestatem habet dispensandi in impedimento affinitatis ex fornicatione provenientis.*

6 *Deinde Nuntii Hispaniarum facultatem specialem habent dispensandi ante & post contractum matrimonium in impedimento publicæ honestatis.*

7 *Ratione urgentis necessitatis posse Episcopum dispensare cum his, qui bona fide impedimento ligati contraxerunt, ut matrimonium ratificent, docent Doctores communiter.*

8 *Explicatur qualis sit urgens necessitas hanc potestatem concedens.*

9 *Prædictâ potestate gaudet Episcopus non solùm post contractum matrimonium, sed etiam ante, si casus necessitatis exigentis dispensationem occurrat.*

10 *Aliqui asserunt posse Episcopum post matrimonium contractum, dispensationéque subreptitiâ obtentâ dispensare in eo impedimento dispensationem Pontificis confirmando.*

11 *Hæc extensio non approbat.*

12 *Vicarius generalis Episcopi non gaudet hac facultate.*

13 *Resolvitur posse Episcopum prædicto Vicario eam facultatem concedere.*

14 *Satisfit oppositis fundamentis.*

15 *Plures Doctores censent non posse Episcopum dispensare in impedimentis matrimonio supervenientibus petitionem debiti interdicentibus.*

16 *Verius est spectatâ consuetudine hanc Episcopis facultatem esse concessam.*

17 *Ob eam consuetudinem possunt Episcopi dispensare, ut debitum petant qui voto castitatis ligati matrimonium contraxerunt.*

18 *Societatis Religiosi, aliique Mendicantes destinati à suo Provinciali facultatem habent dispensandi ad petendum debitum, cum his qui voto castitatis ligati contraxerunt.*

1. EX supradictis constat aliqua esse impedimenta jure Divino, imò naturali matrimonium impedientia, alia verò solo Ecclesiastico. In impedimentis jure naturali, & Divino matrimonium impedientibus, qualia sunt impotentiæ, & ligaminis, & secundùm communem sententiam consanguinitatis in primo gradu, nullus potest dispensare, quia nullibi invenitur hæc concessa potestas: uti colligitur ex his quæ diximus *d. tract. 3. disp. 6. punct. 2. & 3.* At in impedimentis, quæ à jure Ecclesiastico proveniunt, optimè potest Pontifex dispensare; licitè si adsit causa, validè eâ non interveniente, siquidem ab ejus voluntate habent esse matrimonii impedimenta, ut latiùs dixi *d. disp. 6. punct. 4.* Solùm erat dubium, An Pontifex dispensando in impedimento, quod matrimonium dirimebat, quo sublato conjuges denuò contrahant filium illegitimè conceptum legitimum reddat non solùm quoad officia Ecclesiastica, sed etiam quoad sæcularia. In quo dubio etsi plures negaverint, probabilius censuimus affirmativam partem *tract. 13. de benef. disp. 4. p. 1. §. 5.*

2. Præter summum Pontificem nullus alius jure ordinario in prædictis impedimentis dispensare potest, quia in lege Superioris nequit inferior dispensationem concedere, nisi ab ipsomet Superiore jure, vel consuetudine reperiatur concessum. Vti diximus *d. disp. 6. p. 5.* At nec jure, nec consuetudine reperitur posse alium à Pontifice jure ordinario in impedimentis dirimentibus dispensare. Ergo horum dispensatio solius est summi Pontificis. Sic docuit Anastas. Germonius *de sacrorum immunitatib. lib. 3. cap. 11. n. 105.* Tolet *lib. 7. sum. cap. 18. n. 5.* Gutierr. *de matrim. cap. 122. num. 2.* Sanchez plures referens *lib. 8. disp. 6. n. 14.*

3. Hinc fit in his impedimentis jure ordinario non posse Episcopum dispensare, quodque de impedimento affinitatis, seu consanguinitatis decisum est à sacra congregatione teste Farinacio *volum. 4. decis. concil. sess. 24. cap. 5. ad fin.* ibi, *Episcopus authoritate ordinariâ non habet facultatem in gradibus affinitatis, seu consanguinitatis à jure prohibitis contrahentes matrimonia dispensandi.* At idem est de aliis impedimentis. Quare non est audiendus Dominic. Sotus *in 4. d. 42. quæst. 1. art. 1. ante solutionem ad primum principale*, asserens posse Episcopum dispensare in impedimento cognationis ortæ ex Baptismo tempore necessitatis collato. Et *quæst. 2. artic. 2. in fine corp.* quem sequitur Ludovic. Lopez *2. part inst. cap. 51. in fine.* Eman. Sa, *verbo Matrimonium*, ubi de impedimentis dirimentibus *num. 6.* asserens dispensare posse in impedimento cognationis legalis. Et *d. 41. q. unica art. 2. in fine.* Cui adhæret Ludovic. Lop. *tract. de matrim. cap. ultim. vers. propterea.* Sa, *verbo matr.* ubi de impedimentis dirimentibus *numero 12.* dicens in impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus ortæ, si expeditissimus non sit accessus ad Pontificem, posse Episcopum dispensare. Non inquam Sotus, neque alii Doctores ipsum sequentes audiendi sunt, quia nullo fundamento nituntur, cujus virtute in his impedimentis, hanc potestatem Episcopo conceditur, cùm in aliis impedimentis ex omnium ferè sententia denegetur.

negetur Sicuti rectè notavit Sanch. *dicta diſp. 6. n. 17.* Gutierr. *tract. de matr. c. 122. n. 4.*

4. Secundò ſit in his impedimentis neque Legatum ſummi Pontificis poteſtatem habere, niſi ei ſpecialiter committatur, quia in diſpenſationibus non habet Legatus à latere ampliorem facultatem in provincia ſibi commiſſa, quàm Epiſcopus in ſua diœceſi: ſicuti docent Gloſſa *in cap. quia circa, verbo à ſede.* Et *cap. quod dilectio, verbo indulgentiam de conſanguin. & affinit.* Innocent. *in cap. ex parte num. unico de Tranſactionibus.* Et *ibi* Immola *nu. 6.* Abbas *in cap. quod tranſlationem, & n. 9. de officio legati.* Covarru. *de ſponſal. 2. part. cap. 9. §. 10. num. 1.* Anton. Cuchus *lib. 2. inſtit. major tit. 5. n. 142.* Coninch. *diſp. 33. dub. 3. concl. 5.* Gutierr. *de matr cap. 122. nu. 3.* Sanch. *lib. 3. diſp. 6. n. 15.* & alii paſſim.

5. Dixi *jure ordinario*, nam ex delegatione Commiſſarius Cruciatæ poteſtatem habet diſpenſandi in impedimento affinitatis ex fornicatione provenientis cum his, qui ſervatâ formâ Trident. Conc. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* contraxerunt hoc impedimento ligati, ſi tamen ex parte unius contrahentis bona fides adfuerit tempore contractus matrimonii, ipſique declarata fuerit ejus nullitas, tametſi cauſa ſpecialis non declaretur, uti advertit Sanch *lib. 8. diſp. 6. n. 23.* Gutierr. *c. 122. num. 8.* Coninch. *diſp. 33. dub. 3. concl. 6. in fine.* Gaſpar Hurtado *de matrim. diſp. 26. difficult. 2. num. 8.* Baſil. Ponce, *lib. 8. cap. 13. num. 8.* Inſuperque poteſtatem habet legitimandi prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam ex eo matrimonio. Quod intelligendum eſt quando fuit ſuſcepta utriuſque contrahentis mala fide, uti advertunt Sanch. Coninch. Baſil. Hurtad. *ſuprà.* Nam ſtante bonâ fide ex parte unius proles inde concepta legitima eſt, juxta Textum in *cap. ex tenore. Qui filii ſint legitimi.* Hanc poteſtatem diſpenſandi, & legitimandi prolem exercere poteſt Commiſſarius etiam præſente Pontifice, quia eſt ei abſque ulla reſtrictione conceſſa, ſicuti notarunt Sanch. Baſil. Coninch. & alii *ſuprà.*

6. Deinde Nuncii Hiſpaniarum facultatem ſpecialem habent diſpenſandi ante & poſt contractum matrimonium, impedimento publicæ honeſtatis, legitimandique prolem ſuſceptam, teſte Nicolao Garcia, 11. *part. de benefic. cap. 5. num. 367.* quem approbare videtur Baſil. Ponce, *lib. 8. capit. 13. numero 10.*

7. Ratione tamen urgentis neceſſitatis poſſe Epiſcopum diſpenſare cum his qui bonâ fide impedimento ligati contraxerunt, ut matrimonium ratificent docent communiter Doctores, Sylveſt. *verbo diſpenſatio, quæſt. 9. §. decimoquinto.* Armilla *ibi: num. 20.* Angel, *num. 5.* Navarr. *cap. 22. num. 85.* Sanch. *lib. 2. diſp. 40. num. 3.* Coninch. *diſp. 33. dub. 3.* Vaſq. *1. 2. diſp. 178. cap. 2. num. 16.* Rebell. *2. part. de oblig. juſtit. lib. 3. quæſt. 5. num. 20.* Salas *de legib. diſp. 20. ſect. 3. n. 25.* Baſilius Ponce, *lib. 8. cap. 13. num. 2.* Riccius *praxi deciſ. 261.* Gaſpar Hurtado *diſp. 26. de matr. difficult. 2. n. 6.* Gutierr. *de matrim. cap. 49. num. 7.* & alii plures apud ipſos. Ratio, quia cum hæc facultas diſpenſandi animarum bono maximè expediat, non eſt veroſimile Epiſcopis denegatam eſſe à Pontifice, præcipuè cùm ipſe Pontifex ignorare non poſſit Epiſcopos hac facultate uti, Doctoréſque litteris, & ſcripturis mandare ea uti poſſe.

8. Vt autem hac poteſtate Epiſcopus utatur urgens neceſſitas eſſe debet, qualis eſt ſi conjuges abſque gravi inconvenienti ſeparari non poſſunt, neque pro diſpenſatione obtinenda eſt facilis recurſus ad Pontificem, vel ad eum qui vices Pontificis haberet, tum ob paupertatem, tum quia Pontifex, & privilegiatus longè diſtant, & interim conjuges incontinentiæ periculum patiuntur, uti advertunt prædicti Doctores. Neque pauperibus conjugibus obligatur Epiſcopus pecunias concedere, uti diſpenſationem impetrent, ſicuti aſſeruit Gab. vaſq. *loco citato:* quia alia opera nobiliora Epiſcopo offerri poſſunt, in quæ ſuam pecuniam expendat, ut benè Salas, *de legib. diſp. 20. ſect. 3. num. 27.* Sanch. *lib. 4. ſum. cap. 46. nu. 30.* Baſil. Ponce, *lib. 8. de matrim. cap. 13. num. 3.* Et latiùs diximus *dicta diſp. 6. de legib. p. 5. num. 9.* Item impedimentum debet eſſe, ſecretum, aliàs non urgeret neceſſitas obtinendi ab Epiſcopo diſpenſationem, uti docuerunt pluribus relatis Riccius, Sanchez, Coninchius, Baſilius *locis allegatis.* Præterea debent conjuges matrimonium bonâ fide contraxiſſe, quia non præſumitur Pontifex aliter velle facultatem Epiſcopo concedere: conjuges enim mala fide contrahentes digni non ſunt Eccleſiæ benignitatem experiendi, cujus ſalubria præcepta temerè contempſerunt. Vnde ſi temerè, & malitioſè omiſſis denunciationibus contraxerint, nequaquam poterit. Epiſcopus diſpenſare ob rationem Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 5. de reformat. matrim.* quia ejus authoritatem contempſerunt, indignique ſunt experiendi Eccleſiæ benignitatem, ſicuti advertit Sanch. Coninch. & Baſil. *loc. alleg.* Quinimò Nicol. Garcia 11. *part. de benefic. cap. 5. n. 357.* utriuſque conjugis bonam fidem ad hanc Epiſcopalem diſpenſationem exigit; aliàs conjugi malâ fide contrahenti diſpenſatio conceditur. Sed rectiùs Thom. Sanch. *lib. 2. diſp 40. num. 4.* Et Baſil. Ponce, *lib. 8. cap. 13. num. 4.* cenſent unius conjugis bonam fidem ſufficientem eſſe ad hanc diſpenſationem concedendam, quia ſtante unius conjugis bonâ fide cenſetur matrimonium bona fide contractum. Argum. *cùm inhibitio de clandeſtina deſponſat.* Et *cap. ex tenore. Qui filii ſint legitimi.* Neque æquum erat, ut malitia unius alteri noceret, potiùs namque benignitatem Eccleſiæ decet, ut ratione innocentis nocenti beneficiat.

9. Prædicta poteſtate gaudet Epiſcopus non ſolùm poſt contractum matrimonium, ſed etiam antea, ſi caſus neceſſitatis exigentis diſpenſationem occurrat, ſicuti occurrere poteſt, cum aliquis morti proximus matrimonium contrahere aſtringitur ob legitimandam prolem, ob reſtaurandum honorem ob diſcordias ſedandas, vel ob propriæ animæ ſalutem, uti docuerunt Sanch. *lib. 2. diſp. 40. num. 7.* Gab. Vazq. *dicta diſp. 178. cap. 2.* Salas *de leg. diſp. 20. ſect. 3.* Baſil Ponce, *lib. 8. c. 13. num. 6.* Gaſpar Hurtado, *diſp. 26. diffic 2. n. 7.* Et colligitur *ex cap. 2. de deſponſat. impuber.* ibi: *Diſtrictius inhibemus, ne aliqui ante ætatem canonibus præſcriptam conjungantur, niſi forte aliqua urgentiſſima neceſſitate interveniente, ut poté pro bono pacis talis conjunctio toleretur.* Toleretur inquam non permiſſivè, ſed approbativè, ut advertit Baſil. Ponce, *d. cap. 13. n. 6.* Ergo ex urgenti neceſſitate ante contractum matrimonium poteſt Epiſcopus in impedimento ætatis diſpenſare, ſed eadem eſt ratio in aliis impedimentis. Ergo in omnibus admitti debet hæc diſpenſatio. Ratio autem id manifeſtè convincit, ideò namque conceditur Epiſcopo poteſtas diſpenſandi in his impedimentis matrimonio contracto, quia communi Reipublicæ bono, animarúmque ſaluti expedit, ne urgente neceſſitate homines remedio ſalutari deſtituantur: at ante matrimonium contractum urgere ea neceſſitas diſpenſationis poteſt, ut compertum eſt. Ergo concedenda eſt Epiſcopis hæc poteſtas.

10. Ad hæc reduci poteſt ſententia Gloſſæ, Cardinalis, Hoſtienſis, Henrici, Alexand. de Nevo, & aliorum *in cap. quia circa, de conſang. & affinit.* Speculatoris *tit. de deſponſat. §. nunc. de Epiſcoporum, num. 17. verſ. 144.* Selvæ *benefic. 4. part. q. 7. num. 140.* Bertachini *tract. de Epiſcopo, lib. 4. part. 2. q. 49. n. 139. verſ. 141.* Conrad. *in templo judic. lib. 2. cap. 5. de Epiſcopo §. 4. n. 10. verſ. 140.* Gut. *de poteſt. Pontificis c. 17. verſ. 127.* ſub dubio Baſilius Ponce, *lib. 8. cap. 13.* Et Gaſpar Hurtado *diſp. 26. difficult. 2.* aſſerentium poſſe Epiſcopum poſt matrimonium contractum diſpenſationèque ſubreptitiâ obtentâ diſpenſare in eo impedimento, diſpenſationem Pontificis confirmando. Quia id videtur conceſſum in *d. capit. quia circa*, quatenus Pontifex conſultus de his qui ſubreptitiâ diſpenſatione contraxerunt reſpondit

Epiſcopo

Episcopo interroganti: Dissimultare poteris, ut maneant in copula sic contracta, cùm ex separatione videas grave scandalum imminere, illa namque dissimulatio dispensatio est. Nam licèt dissimulatio superioris quæ suo facto, & impunitate fit non sit dispensatio, ut probat Textus in *cap. cùm jam dudum de præbendis*, at dissimulatio verbis facta dispensatio censeri debet, quia est quædam approbatio

11. Hæc tamen extensio mihi non probatur, quia nullo fundamento nititur. Nam ex Textu *in cap. quia circa*, nullatenus colligi potest Pontificem Episcopis hanc potestatem concessisse, ad summum enim probaretur eo casu datam fuisse illi Episcopo eam facultatem. non tamen inde inferendum est omnibus Episcopis datam esse. Sed neque hoc ex prædicto Textu probatur. Non enim Pontifex alicujus dispensationis meminit, sed solùm dixi ob grave scandalum ex separatione imminens permittendos esse illos conjuges in sua bona fide perseverare. Si autem ipse Pontifex dispensaret, vel facultatem dispensandi Episcopo concederet, monendi essent conjuges, ut matrimonium revalidarent, quia copula subsequens cùm procederet ex errore, quo credebant se matrimonio esse ligatos, matrimonium constituere non poterat, ut falsò, & satis inconsequenter suis principiis existimavit Basil. Ponce, *dicto lib. 8. cap. 13. num. 7.* ut interpretationem legitimam Thom. Sanchez *libro 2. de matrimonio disputat. 38. numero 12.* impugnaret.

12. Vicarius verò generalis Episcopi prædictâ facultate dispensandi non gaudet, tametsi in ejus facultate expressum esset, ut possit dispensare in casibus Episcopalibus etiam matrimonialibus, quia cum ij casus non pertineant Episcopo jure ordinario, sed extraordinario, ob urgentem necessitatem non censentur Episcopales, uti docuit Henriquez *lib 12. c. 13. num. 1.* Sanch. *lib. 2. disp. 40. n. 9. & 10.* Gutierr. *de matr. c. 49. n. 12. & 13.*

13. An autem Episcopus eam facultatem suo Vicario vel alteri delegare possit? difficultate non caret, eo quod jurisdictio voluntaria commissa ex privilegio Principis delegari non potest, secundùm Bald. *leg. 3. nu. 6. Cod. quando provocare non est necesse.* Et tradit Gratian. plures referens *reg. 443. num. 13* sed hæc jurisdictio dispensandi in casu urgentis necessitatis commissa est à Pontifice Episcopis, ergo nequeunt Episcopi eam delegare. Et confirmari potest tum *ex cap. ult. §. fin de officio delegati*, ubi dicitur: *Quod nulli cui commissum fuerit excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus licet hæc aliis demandare; quia non jurisdictio sed certum ministerium illi committitur*: tum ex decreto Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform.* ibi: *& in quibuscunque, casibus concedit namque Episcopis casus occultos, ut possint ab eis per seipsos, vel per Vicarium specialiter deputatum, quoscunque sibi subditos absolvere.* Ergo ex se Vicarium deputare Episcopi non poterant, aliàs ut quid Concilium id expressit? Sed omnino tenendum est posse suo Vicario, & cuilibet alteri potestatem dispensandi in impedimentis ob urgentem necessitatem specialiter delegare, sicuti docuit Covarruv. *lib. 3. var. cap. 20. à num. 6.* Sanch. *lib. 2. disp. 40. à nu. 15.* Gutierr. *de matrim. cap. 4. num. 16.* Ratio ea est, quia hæc potestas à Pontifice conceditur Episcopis quatenus tales sunt. At jurisdictio Principis privilegio, competens alicui non quà talis persona est, sed quatenus talem dignitatem, vel officium retinet, non est delegata, sed ordinaria, & jurisdictionis ordinariæ jura habet, ut tradit Bart. *in leg. ambitiosa. num. 34. ff. de decretis ab ordine faciend.* Cavarru. *d. cap. 20. n. 6.* Sanch. *disp. 40. num. 14.* Gutierr. *n. 16.* Ergo hæc potestas Episcopis competens cum eorum dignitati, & officio perpetuò sit annexa delegari potuit juxta Gloss. *in cap. fin. de officio ordinarii.* Quod adeò verum est, ut non solùm possit Episcopis hanc potestatem delegare pro uno vel alio casu occurrente, postquam ipse casus evenerit, ut placuit Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 14. nu. 7.* juncto commento *litt. O.* Et *lib. 14. de irregularit. cap. 19. in fine*, sed antequam casus ullus evenerit, poterit hanc potestatem suo Vicario, vel alteri ad omnes casus eventuros specialiter delegare. Verbum enim *specialiter* non specialem casum exigit, specialem, & expressam delegationem, ut tradit aliis relatis Sanch. *d. disp. 40. n. 17.* Gutierr. *cap. 49. num. 21.*

14 Neque obstat oppositum fundamentum: admitto jurisdictionem commissam à Principe delegari non posse, si commissa sit personæ, secùs verò commissa sit dignitati, vel officio in perpetuum. Et ad Textum, *in c. ult. §. fin. de officio delegati* respondeo id esse intelligendum, quando nudum ministerium committitur personæ, quod non est quando ex privilegio perpetuo dignitati concesso eam potestatem habet, quia tunc non est nudum ministerium, sed jurisdictio ordinaria. Ad decretum Concilii respondet optimè Sanch. & Gutierr. *locis allegatis*, non posse Vicarium ratione vicariatus dispensare in iis casibus, qui ob urgentem necessitatem Episcopis conceduntur, benè tamen si specialiter ad id munus fuerit deputatus. Neque enim dicendum est in hac commissione Episcopis facta certæ personæ industriam electam, esse siquidem non solùm Episcopis præsentibus, sed futuris facta est. At futuri Episcopi incogniti sunt. Ergo illis electis non est electa industria certæ personæ, ut optimè docet Jason. *in leg. more, n. 65. ff. de jurisdict. omnium judic.* Greg. Lop. *in l. 47. in fine, tit. 18. part. 3.* Menoch. aliis relatis *lib. 1. de arbit. q. 64. num. 17.*

15. Porrò si de impedimentis matrimonio supervenientibus loquamur, quæque debiti petitionem interdicunt, uti est affinitas contracta cum conjuge ob incestum cum ejus consanguinea in primo vel secundo gradu commissum, vel spiritualis cognatio ob filium levatum ex sacro fonte, plures graviissimique Doctores. Covarr. *in 4. decret. 2. p. c. 7. §. 2. n. 6 ad finem*, Matien. *lib 5. recop. tit. 1. Rub. gloss. 1. n. 103.* Graffis *1. p. decis. lib. 2. c. 81. n. 3.* Gaspar Hurtado *disp. 26. difficult. 2.* & alii quorum meminit Gutier. *lib. 1. canon. qq c. 23. n. 16.* existimant Episcopo nequaquam competere hanc potestatem dispensandi, nisi ad summum in casu urgentis necessitatis, uti diximus competere in impedimentis matrimonium dirimentibus, ut matrimonium contrahatur, quia nullibi reperitur hæc potestas Episcopis concessa,

16. Cæterùm etsi spectato juris rigore prædicta sententia amplectanda sit; at spectatâ consuetudine censeo verissimum posse Episcopum cum his conjugibus in debiti petitione dispensare, uti probat usus, & consuetudo, quem habent in his impedimentis dispensandi. Neque dici potest id fieri ob urgentem necessitatem, cum facilis semper aditus pateat ad Religiosos Mendicantes, qui hac potestate dispensandi gaudent. Atque ita sustinet Valentia 4 *t. disp. 20. q. 5. p. 6.* Sanch. *lib. 8. disp 12. n. 13.* Basil. Ponce *lib. 8. c. 13. n. 9.* Gutierr. *de matr. cap. 122. n. 15.*

17. Ob eandem consuetudinem asserendum est posse Episcopum dispensare, ut debitum petant ii qui voto absoluto castitatis legati matrimonium contraxerunt. Nam esto hæc dispensatio sit relaxatio partis voti castitatis absoluti, ideóque ex jure non competit Episcopis, competit tamen illis ex consuetudine. ut tradit aliis relatis Sanch. *lib. 8. disp. 12. à n. 4.* Gutierr. *de matr. c. 122. n. 14.*

18. Illud est omnino certum Societatis Religiosos, aliósque Mendicantes, quique horum privilegiis communicant, si à suo Provinciali facultatem habeant posse dispensare ad petendum debitum cum iis, qui voto simplici castitatis ligati contraxerunt, quique post contractum matrimonium affinitatem habent, uti constat ex concessione facta à Pio V. relata *in manuscriptis fol. 79.* Et *in nostris Privilegiis, verbo dispensatio, §. 8. & 9.* Et tradit plures referens Sanch. *lib. 8. disp. 16. n. 3. & 8.*

Gutierr.

Gutierr. *d. c.* 122. *n.* 14. *& ſeqq.* Et licèt Manuel Rodr. *addit. ad bullam*, §. 15. *n.* 17. hoc privilegium Religioſis conceſſum diſpenſandi ad petendum debitum cum iis, qui voto caſtitatis ligati contraxerunt, vel poſt contractum matrimonium affinitatis impedimento aſtringuntur, extendat ad eos, qui cognationem ſpiritualem contraxerint. Rectiùs tamen Sanch. *lib.* 8. *diſp.* 16. *n.* 9. negat, quia eſt diverſum impedimentum, & prvilegium non debet ex uno caſu ad aliud diverſum extendi.

§. II.

Quæ ſint cauſæ ob quas Pontifex in impedimentis matrimonium dirimentibus diſpenſare licitè poſſit?

1 *Vrgentior cauſa requiritur pro gradu propinquiori, quàm pro remoto.*

2 *Expenduntur latè cauſæ, quæ communiter à Doctoribus aſſignantur.*

3 *Expenduntur cauſæ pro diſpenſatione votorum Religionis, & Caſtitatis.*

4 *Exiſtente causâ legitimâ an teneatur Pontifex diſpenſare? Remiſſivè reſpondetur.*

1. QVædam ex his impedimentis proveniunt ex ſolâ lege Pontificia, uti eſt impedimentum affinitatis, conſanguinitatis, cognationis legalis, vel ſpiritualis, &c. Alia ſupponunt ſpecialem obligationem provenientem à voluntate ipſorum conjugum matrimocio adverſam, uti ſunt votum Religionis, & Caſtitatis. Hoc poſito,

Communis eſt omnium ſententia urgentiorem cauſam requiri, ut diſpenſatio concedatur in gradu propinquiori conſanguinitatis, vel affinitatis, quàm in remoto, quia quo gradu propinquior eſt, eo minùs decet conjunctio. Et eadem ratione gravior cauſa exigitur pro diſpenſatione conſanguinitatis, quàm affinitatis, & pro diſpenſatione cognationis ſpiritualis, quàm legalis, & pro voto ſolemni, quàm ſimplici Quò enim vinculum ſtrictius eſt, eò magis urget ratio prohibitionis. Deinde cæteris paribus, facilius in prædictis impedimentis diſpenſatur cum Principibus, quàm cum nobilibus, & faciliùs cum iis, quàm cum divitibus, & faciliùs cum iis, quàm cum hominibus ex infima plebe, uti colligitur ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. aſſerente in Secundo gradu conſanguinitatis ſolum magnis Principibus diſpenſationem concedi debere. Neque inde ſit vitium acceptionis perſonarum committi, cùm adſit ſpecialis ratio hujus prærogativæ concedenda, ſcilicet bonum pacis, & Sedis Apoſtolicæ indigentia, vel ſaltem gravis utilitas, quæ provenit ex eo quòd has perſonas ſpecialiter devictas habeat, ut notavit Coninch. *diſput.* 33. *dub.* 5. *num.* 44.

2. Specialiter autem loquendo plures cauſæ legitimæ aſſignantur à Doctoribus, quibus Pontifex moveri poteſt ad diſpenſationem concedendam, quas breviter perſtringemus.

Prima eſt vitatio ſcandali, quod evenit, ſi mulier jacturam famæ patiatur, niſi viro pro quo petitur diſpenſatio nubat, vel ſi lis gravis, gravèſve diſcordiæ timeantur, vel periculum fornicationis, ob frequentem habitationem, niſi illud matrimonium celebretur. Hæc enim reddunt diſpenſationem honeſtam, & convenientem tum ipſis conjugibus, tum Reipublicæ; ſicuti docuit Navarr. *cap.* 22. *num. ult.* Covarr. 4. *decret.* 2. *p. cap.* 6. §. 10. *num.* 13. Sanch. multis citatis *diſp.* 19. *n.* 4. Baſil. Ponce *lib.* 8. *cap. fin. num.* 21. Coninch. *diſp.* 33. *dub.* 5. *num.* 45. Secunda, ſi non reperiatur matrimonium æquale in eodem loco, ob anguſtiam loci, vel ob propagationem familiæ. Nam diſpenſatione negatâ cogitur fœmina aut innupta manere, quod eſt grave damnum, aut in alium locum migrare, quod eſt nimis durum; aut inferiori nubere, quod bono communi non expedit, ſiquidem ex eo matrimonio infelices ſolent exitus ſperari, & pax mutuúſque amor abeſſe. Sic Sanchez *diſp.* 19. *numero* 13. Baſilius *dict. cap. fin. n.* 22. Coninch. *dicto dub.* 5. *num.* 46. & deciſum eſt à ſacra Congregatione 18. Novembris anno 1570. prout Sanch. refert æqualitas autem non eſt penſanda ſolùm ex generis, aut divitiarum paritate, ſed magis ex honeſtate morum, ne inter conjuges pax deficiat, ut benè advertunt, Sanch. Baſilius, & Coninch. *ſuprà*, Tertia eſt defectus dotis ſufficientis, ob quem non poteſt viro extraneo æquali nubere. Expedit namque bono communi matrimonium inter æquales celebrari. Quod venit intelligendum, etiamſi poſt mortem parentum ſperet ſufficientem dotem habitura, ſi tamen de præſenti eam non habet, neque habere poſſit, eo quòd nequeat parentes cogere ad dotem competentem ſibi aſſignandam. Nam cùm dos de præſenti neceſſaria ſit ad onera matrimonii ſuſtinenda, & conſtet nullum extraneum æqualem reperiri, qui eam ducere velit, ne cogatur innupta manere, poteſt Pontifex in impedimento conſanguinitatis diſpenſare Sic Henriq. *lib.* 12. *de matr. capite* 3. *num.* 9. Sanchez *dicta diſput.* 19. *numero* 25. Baſilius *capite fin. numero* 23. Coninch. *numero* 46. Quarta, ſi in aliquo ex conjugibus periculum adſit gravem patiendi jacturam in bonis quæ poſſidet, vel jus habet poſſidendi, niſi matrimonium contrahat cum eo quo eſt impeditus. Quia ad pietatem pertinet favere patienti jacturam in propriis bonis. Quæ cauſa contingit, cum duo conſanguinei inſtituti ſunt hæredes ſub conditione, ut inter ſe conjungantur; aut ſi fœmina dotem habeat litibus implicatam, & conſanguineus eam volens ducere in negotiis peritus eſt, neque alius extraneus æqualis ita expertus offertur. Sic Gutierr. *conſ.* 18. *num.* 11. Sanchez 19. *numero* 19. *&* 20. Baſil. *dicto cap. fin. num.* 23. Acquiſitio autem divitiarum per ſe non eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis, quia non tam ad pietatem, & bonum animæ conducit, quàm ad bonum temporale, quod regulariter in his diſpenſationibus attendi non debet. Vti advertit Baſil. *d. cap. fin. num.* 23. Quinta cauſa legitimam diſpenſationem concedendi eſt conſervatio alicujus illuſtris familiæ in eodem ſanguine, expedit enim Reipublicæ bono hæc conſervatio, *leg.* 1. §. *denuntiare, verſ. publicè, ff. de ventre inſpiciendo.* Et ſic inter Principes hæc unica cauſa pro diſpenſatione obtinenda aſſignari ſolet. Quinimò conſervatio divitiarum in magna quantitate in eadem familia præbet ſufficientem diſpenſationis cauſam *ex d. l.* 1. Quia Reipublicæ non maximè expedit familias locupletes integras conſervare, ſicuti docent aliis relatis Sanch. *d. diſp.* 19. *num.* 30. Baſil. *cap. fin. num.* 24. Coninch. *diſp.* 33. *dub.* 5. *n.* 49. Gaſpar Hurtado *diſp.* 26. *difficult.* 3. *num.* 12. Sexta; proles habita cum conſanguinea ex matrimonion bona fide contracto, quia pietati congruit, ne conjuges ſeparentur juxta Textum *in c. quia circa de conſanguin.* Secùs verò eſſet, ſi proles malâ fide utriuſque conjugis ſuſcepta eſſet, quia inceſtus non poteſt movere Pontificem, ut diſpenſationem, & favorem inceſtuoſo concedat, *cap. cùm haberet. De eo qui duxit in matrimonium*, ibi: *Cùm multiplicitas prolis ita ſuſceptæ magis eorum crimen exaggeret.* Atque ita docent Gutierr. *lib.* 2. *can. qq. c.* 15. *n.* 107. Sanch plures referens, *lib.* 8. *diſp.* 19. *n.* 33. Coninch. & Hurtado *locis allegatis.* Septima, excellentia meritorum diſpenſationem petentis, vel ejus cui petitur diſpenſatio. Sicuti habetur *cap. tali conjugio* 1. *q.* 7. Pertinet enim ad bonum commune Pontificem illis ſe gratum exhibere, ut ſic alii ad ſimilia exercenda moveantur. Præterquam quòd dignum eſt, ut benignitatem Eccleſiæ experiantur qui de ea ſunt benemeriti. Sic Gallego *de cognat. ſpirit c.* 22. *num.* 17. Sanch. *diſp.* 19. *n.* 32. Coninch. & Baſil. *ſuprà* Octava ſolet legitima cauſa diſpenſandi judicari exhibitio pecuniarum in ſubſidium Sedis Apoſtolicæ maximè in gradibus

aliquantulum

aliquantulum remotioribus Meritò namque ob illud opus pietatis eximi potest à communi legis obligatione. Sanch. *n.* 55. Gaspar Hurtado *disput.* 26. *difficult.* 3. *num.* 12. Coninch. *num.* 49. His adde legitimam causam dispensationis consurgere posse ex pluribus simul sumptis, quarum singulæ insufficientes reputantur, uti notavit Sanch. *d. disp.* 19. *n.* 34. Coninch. & Hurtado *suprà.*

3. Quæ hactenus dicta sunt specialiter procedunt pro dispensatione impedimentorum, quæ ex solo jure Ecclesiastico ortum habent. Si verò loquamur de causis legitimis ad dispensandum in illis impedimentis, quæ ex ipsis conjugibus nascuntur, quæ nulla alia sunt, quàm votum Religionis, vel castitatis. Et intelligendum est de his votis quatenus solemnia sunt, & impedimentum dirimens præstant matrimonio contrahendo. Nam eo casu gravissima causa, & quæ in bonum commune cedat exigitur. Cùm enim observatio inviolabilis, & perpetua votorum, quæ in professione Religionis, Ordinisque sacri assumptione emittuntur Ecclesiæ expedientissima sit, causa vi cujus hæc observatio relaxetur gravissima esse debet. Ea verò stante posse Pontificem dispensare, ut probabilius defendimus, 2. *p. tract.* 16. *de statu religioso, disp. ult. punct. ult.* At si de votis Religionis, & castitatis simplicibus, quæque matrimonium contrahendum non dirimunt, sed impediunt sermo sit, ea causa dispensandi legitima est, quæ voti executioni obstat: obstare autem potest vel ob periculum grave transgrediendi votum, vel ob gravem difficultatem illud exequendi, sicuti latè explicui *tract.* 15. *de voto, disput.* 2. *punct.* 9.

4. An verò existente causâ legitimâ teneatur Pontifex dispensare; Dixi *dicto tract.* 3. *de legib. disp.* 6. *punct.* 8. §. 2. Qualiter autem pro dispensatione concedenda cognitio causæ requiratur, *ibidem* explicui, *punct.* 13.

§. III.

Quæ expressio falsitatis, vel veritatis suppressio vitiet dispensationem in matrimonii impedimentis.

1. *Semper est exprimendus gradus dispensandus.*
2. *Negant plures taciturnitatem copulæ inter consanguineos, vel affines irritare dispensationem.*
3. *Ex quâ doctrinâ infertur iniquè Ordinarios cùm dispensationem expediunt, interrogare dispensandos, an copulam habuerint?*
4. *Probabilior est sententia asserens mentionem esse faciendam copulæ.*
5. *Solvitur oppositum fundamentum.*
6. *Qualiter mentio facienda est copulæ sive publicæ, sive secretæ?*
7. Sanch. *negat extendi prædictam doctrinam ad eos qui impedimento cognationis legalis, spiritualis, vel publicæ honestatis legati sunt. Sed contrarium est probabilius.*
8. *Copula habita eo fine, ut facilius impetretur dispensatio, hic finis explicandus est.*
9. *Si contrahentes copulam, seu infamiam ex ea provenientem allegent pro causa dispensationis, eámque copulam habuerint, ut facilius possent dispensationem impetrare, obligati sunt intentionem declarare.*
10. *Aliis difficultatibus, qua circa hanc materiam occurri possunt remissivè respondetur.*

1. DE qua quæstione latè egi *d. tract. de legib. disp.* 6. *punct.* 16. §. 3. 4. & 5. Semper enim exprimi debet gradus dispensandus. Si autem essent conjuges consanguinei, vel affines in tertio gradu, & proponeretur secundus, dispensatio valida esset, quia sub secundo tertius continetur, sed non econtrà: uti plures referens docet Sanch. *lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 17. & 18. Gutierr. *de matr. cap.* 124. *n.* 8. & 9. Basil. *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 31. Quod si conjuges consanguinei, vel affines essent dupliciter ex parte, id ex stylo curiæ Romanæ videtur explicandum necessariò, ne vitietur dispensatio, teste Sanch. *lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 5. Basilio Ponce *lib.* 8. *cap.* 17. §. 5. *num.* 25. Coninch. *dub.* 6. *num.* 81. Gaspar Hurtado *disput.* 26. *difficult.* 6. Gutierr. *cap.* 124. *num.* 1. & decisum referunt à Rota *in noviss. volum.* 3. *lib.* 1. *decis.* 117. Et *lib.* 2. *decis.* 70. *num.* 1. tametsi contrarium sentiat Henriq. *lib.* 12. *cap.* 10. Petr. de Ledesm. *ubi de matr. cap.* 27. & alii relati à Sanch. *suprà.* Quinimò sæpè non est sufficiens explicare gradum consanguinitatis, sed necessario explicandus est qualis sit. V. g. si fœmina sit amitta illius quo cum nubere velit, tenetur hanc consanguinitatis qualitatem explicare. Nam cùm per matrimonium reddatur subdita, & inferior suo consobrino, cujus naturæ superior erat, justè exigitur mentio hujus qualitatis dispensationem difficiliorem reddentis, ut advertit Sotus *in* 4. *dist.* 40. *q. unica, art.* 3. *vers. quarta demum*, Molina *t.* 1. *de justit. disp.* 161. *vers. illud tamen*, Sanch. *disp.* 24. *n.* 12. Gutierr. *de matr. c.* 124. *n.* 4. esto contra sentiat Basilius *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 27. Ob eandem rationem, si publicæ honestatis impedimentum ex matrimonio nascatur exprimendum est, quia difficilius dispensatur, quàm impedimentum ortum ex sponsalibus, uti docuerunt Sanch. *num.* 16. Gutierr. *num.* 7. adversus Basil. *d. c.* 17. *n.* 30.

2. Solùm super est difficultas: An taciturnitas copulæ inter consanguineos, vel affines irritet dispensationem consanguinitatis, vel affinitatis?

Negant irritare gravissimi Doctores. Navarr. *lib.* 4. *consil. tit. de sponsalib. cons.* 2. *in fine:* aliàs *tit. de consanguinit. & affinit. cons.* 10. *in fine*, Salcedo *addit. ad pract.* Bernard Diaz, *cap.* 126. *vers. unde meritò*, Quand. *in* 4. *d.* 41. *disp. unica, ante* 12. *propos.* Eman Sa, *verbo dispensatio, num.* 11. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 7. Petr. de Ledesm. *de matrim. q.* 56. *art. ult. dub.* 2. *difficult.* 3. *concl.* 1. & *in sum. ubi de matr. cap.* 27. *circa* 1. *conclus. dub.* 4. Rodrig. *t.* 2. *sum. c.* 238. *num* 8. Vega 2. *t. sum. cap.* 34. *casu* 97. Basil. Ponce *lib.* 8. *cap.* 17. §. 6. *num* 32. & *seqq.* Gaspar Hurtado *disp.* 26. *de matr. diffic.* 5. Zevallos *pract. q.* 737. *n.* 6. Moventur quia incestus per se non eget dispensatione, cùm impedimentum non sit matrimonio contrahendo. Ex alia parte non reddit difficiliorem dispensationem consanguinitatis, vel affinitatis, sed potiùs movet Pontificem ad illius concessionem. Ergo ex ejus taciturnitate vitiari non potest dispensatio. Nam ut tradit Glossa *in cap. super litteris de rescriptis, verbo litteras.* Et *ibi* Felin. *num.* 8. Decius, *num.* 9. Berõius *num.* 75. quoties tacetur veritas, quæ si fuisset expressa faciliorem redderet concessionem, concessio non est subreptitia censenda. Præterea copulam explicandam esse in dispensatione consanguinitatis, vel affinitatis non est statutum jure scripto, ut de se constat, neque etiam consuetudine, aut stylo curiæ, siquidem eam consuetudinem, stylum plures Doctores negant; tametsi alii affirment. Ergo non est ea obligatio inducenda.

3. Ex his inferunt prædicti Doctores iniquè Ordinarios cùm dispensationem super consanguinitate, vel affinitate expediunt interrogare dispensandos an copulam habuerint, cùm ejus mentio necessaria non fuerit. Quod si aliquando in litteris dispensationis apposita fuerit clausula, *dummodò copulam non habuerint*, intelligi debet de copula publica & probata, secùs de secreta, ideóque, etsi copulam habuisset, negare cum restrictione possunt.

4. Nihilominus etsi prædicta sententia probabilis sit, probabiliorem existimo, quæ asserit mentionem esse copulæ faciendam, faciendam inquam, si copula publica sit in dispensationis petitione, si autem copula fuerit secreta in sacra Pœnitentiaria. Sic pluribus firmat Sanch. *lib.* 8. *disp.* 25. *n.* 8. Gutierr. *lib.* 1. *canon. qq. cap.* 15. *n.* 12. & *de matr. cap.* 124. *in fine*, Coninch. *disp.* 33. *dub.* 6. *n.* 83. Rebell. *lib.* 3. *de matr. q.* 5. *n.* 24. Valerius

Reginald

Reginald. *in praxi fori pœnitent. lib. 31. num. 200. vers. simulque*, Ludovic. Lopez *instruct. conscient. t. 1. cap. 296.* Paul. Comitol. *responsa. moral. lib. 1. q. 104.* Zerola *in praxi Episcop. 1. p. verbo dispensatio*, §. 4. Stephanus Quaranta *in summo bullarii verbo matrimoniales dispensationes, n. 13.* Marc. Anton Genuens. *in praxi Archiepisc. curiæ Neapolit. c. 25. num. 4.* Nicolaus Garcia *de benefic. part. 8. c. 3. n. 31. & seqq.* refertque à sacra Congregatione sæpè esse decisum, quasque declarationes adducit Barbosa *in remissionib. Concilii, sess. 24. cap. 5.* Moveor, nam etsi incestus soleat faciliorem reddere dispensationem, cùm non ex malitia ad ipsam imperandam habitus est, sed ex infirmitate: attamen facit, ut dispensatio aliter concedatur quàm concedenda esset eo non habito. Quippe expresso incestu dispensat Pontifex pœnitentias aliquas injugens, & majorem pecuniæ summam exigens, præcipitque superstiti, ne aliud matrimonium ineat. At tacere veritatem, quâ expressâ non solet Pontifex eodem modo dispensare, reddit dispensationem subreptitiam, ut latè probavi *d. disp. 6. de legib. p. 16. §. 3.* Et docet Sanch. *lib. 8. disp. 21. n. 17.* Ergo ex taciturnitate copulæ redditur dispensatio subreptitia.

Neque his obest, quòd Ordinarii rarò, vel nunquam soleant interrogare dispensandos, an copulam habuerint, teste Gutierr. *de matr. cap. 124. numero 14.* quia cùm mentio illius in supplicatione facta non sit, supponunt habitam non esse, Ordinarii namque solùm tenentur investigare, an preces veritati nitantur? Quod si aliquando hanc præstiterint interrogationem vel ex officio, vel quia Pontifex in rescripto apposuit clausulam, *dummodò copula habita non sit*, tenentur dispensandi causam manifestare quantumcunque occulta sit, si fortè in sacra Pœnitentiaria dispensationem illius non obtinuerint, aut non intenderint obtinere quia ut benè inquit Sanch. *d. disp. 25. n. 15. & 16.* Et Gutierr. *n. 14.* hæc interrogatio non tendit ad puniendam copulam, sed ad impediendum dispensationis subreptitiæ usum, & matrimonium irritum, quo casu tenentur dipensandi veritatem fateri, vel à dispensationis usu desistere ut latiùs Sanch. *lib. 3. disp. 14. n. 3.*

5. Hinc solvitur oppositum fundamentum: dicimus namque ex stylo curiæ hujus copulæ mentionem esse faciendam, & merito, nam vi prædictæ obligationis arcentur consanguinei, vel affines matrimonium contracturi ab incestu, Neque huic stylo obstat, quod plures Doctores illum negent, cùm longè plures & graviores illum asserant: id enim solùm probat nostram sententiam non esse unaquaque certam, quin contraria probabilis.

6. Dixi, *mentionem esse copulæ faciendam in supplicatione dispensationis, quando copula publica est*, quia inde nullum detrimentum dispensandis provenit, potiùs namque scandalo satisfaciunt. At si copula secreta sit non est credendum Pontificem velle illius fieri publicè mentionem, quia id crederet in dispensandorum infamiam, ideóque non in supplicatione dispensationis publica, sed in sacra Pœnitentiaria tacito nomine contrahentium manifestari incestus debet simul cum gradu affinitatis, consanguinitatis, in quo Pontifex dispensavit, vel dispensaturus est, ut notavit Gallego *de cognat. spirit. c. 24. n. 3.* quem sequitur Sanch. *lib. 3. disp. 45. numero 11.*

7. Sed an hæc doctrina extendenda sit ad eos, qui impedimento cognationis legalis, spiritualis, vel publicæ honestatis ligati sunt. Non conveniunt Doctores Nam Sanch. *lib. 8. disp. 25. num. 9.* negat eo quod copula inter hos habita non sit propriè incestus, neque adsit stylus curiæ de illius manifestatione. Sed contrarium probabilius censuit Gallego *de cognat. spirit. cap. 24. n. 3. & seqq.* Garcia *de benefic. 8. p. cap. 3. numero 65.* ubi *numero 66.* refert decisiones sacræ Congregationis. Ratio est, quia copula habita cum iis qui matrimonium contrahere impediuntur in reverentiam alicujus virtutis incestuosa est, vel sacrilega, uti ipse Thom Sanch. pluribus relatis tradit *lib. 7. disp. 5. n. 6. & 7.* At copula habita inter eos, qui impedimento cognationis spiritualis, legalis & publicæ honestatis obstricti sunt prohibetur in reverentiam virtutis, religionis, vel pietatis, ut ipsemet Sanch. fatetur *num. 10.* Ergo est specialis mentio illius facienda in supplicatione dispensationis horum impedimentorum, sicuti fit cùm petitur dispensatio impedimenti consanguinitatis, vel affinitatis Præterea negare non possumus expressa hac copula Pontificem non eodem modo dispensationem in his impedimentis concedere, ac si expressa non fuisset. Quippè expressa copula majorem pecuniæ compositionem exigit, pœnitentias injungit, & superstitem prohibet, ne ad aliud matrimonium transeat: quæ est ratio ob quam ipse Sanch. fatetur illius esse mentionem faciendam, cùm impetratur dispensatio in impedimento consanguinitatis, vel affinitatis.

8. Quod si copula habita sit eo fine, ut faciliùs impetretur dispensatio: Henriq. *lib. 12. de matr. c. 3. n 8.* Garcia *8. p. de benefic. c. 3. n. 96.* censent, si contrahentes alias causas pro dispensatione allegaverint non opus esse hujus qualitatis copulæ mentionem facere. Sed rectiùs contrarium censuit Gutierr. *lib. 1. canon. qq. c. 15. num. 20.* Sanch, plures referens *lib. 8. disp. 25. n. 38.* eo quòd ex stylo curiæ in rescriptis dispensationis in cujus supplicatione mentio copulæ facta est hæc clausula apponatur, *Dummodò copula habita non sit spe dispensationis faciliùs obtinendæ.*

9 Illud verò existimo certum, si contrahentes copulam, seu infamiam ex ea provenientem allegent pro causa dispensationis, eámque copulam habuerint, ut faciliùs possent dispensationem impetrare, obligatos esse eam intentionem declarare. Tum quia intentione expressa difficilius Pontifex dispensat, & graviori pœnitentiâ injuncta, copiosiorique summâ pecuniæ exactâ. Tum quia ea tacita intentione virtualiter falsum exprimitur, cùm proposita copula, nec declarata illius malitia censeatur ex fragilitate carnis commissa. Atque ita docent Sanch. & Gutier *suprà*. Garcia *d. c. 3. n. 46.* Navarr. *c. 22. n. 86.* Tolet. *lib. 7. c. 18.* Rodrig. *qq. regular. 2. t. q. 46. art. 6.* Rebell. *2. p. lib. 3. q. 5. n. 24.* Probabile tamen est hanc intentionem iniquam manifestam esse debere, nam si interius tantùm cencepta sit, cùm humanæ potestati non subdatur, non videtur necessariò exprimenda, ut notavit Gaspar Hurtado *disp. 26, de matr. diffic. 5. in fine.*

10. Superat dicendum: An ligatus duplici impedimento debeat utriusque mentionem facere, ne subtreptitia sit dispensatio. Sed de hac difficultate dixi *disp. 6. de legib. p. 16. §. 4. n. 10.* Item explicandæ erant clausulæ apponi solitæ in dispensationibus pro foro conscientiæ, & externo, nisi de his latè egissem *d. disp. 15. §. 1. & 2.* Item quando causa in dispensationibus allegata subsistere debet, & quando ex ejus cessatione corruat dispensatio. Sed de his actum est *disp. 4. de legib. ubi de privilegiis, p. 15.* ideòque omnia quæ huic tractatu de matrimonio desiderari poterant explicata sunt. Vtinam rectè, & in Dei honorem.

FINIS.

INDEX GENERALIS

RERUM OMNIUM,

QUÆ IN OPERIBUS FERDINANDI A CASTRO PALAO CONTINENTUR.

INDEX GENERALIS.

Sub triplici numero fiunt indicationes : Primus indicat Tomum ; Secundus Paginam , Tertius Numerum.

A

Abbas. Abbatissa.

ABBATES an possint ab excommunicatione absolvere. Tom. 1. pag. 419. num. 4.

Abbates quidam possunt conferre minores Ordines. Tom. 4. pag. 382. num. 4.

Abbatissa & Monialium Præfecta an habeat jurisdictionem. Tom. 1. pag. 156. num. 28.

Abbatissa potest Monialibus præcipere in virtute obedientiæ. Tom. 3. pag. 271. num. 2.

Et saluti earum consulere. ibid. num. 5.

Abbatissa an possit permittere ingredi Monasterium casu quo hæc licentia peti non possit à Superiore. Tom. 3. pag. 292. num 8.

Licentia non habet effectum nisi pro illa vice. ibid. num. 9.

Abbatissæ electio non est legitima causa pro ingressu in Monasterium. Tom. 3. pag. 293. num. 13.

Abbatissa non potest Monialem coërcere pœnis spiritualibus. Tom. 3. pag. 316. n. 4.

Absolutio. Absolvere.

Absolutio ab Inquisitoribus data Hæretico fictè converso nulla est. Tom. 1. pag. 424. num. 5. & 6.

Absolvendi facultas per Jubilæum concessa debet specialiter exprimi. Tom. 1. pag. 429. num. 15.

Absolvendus à reservatis & ab hæresi , debet jurare obedientiam mandatis Ecclesiæ. ibid. num. 16.

Forma hujus juramenti quæ sit. ibid. num. 18. & 19.

Absolvendus debet comparere coram Reservante, quando commodè poterit. ibid. num. 17. & pag. 436. num. 20. 21. & 22.

Absolutio à censura fit vel purè , vel conditionaliter. Tom. 6. pag. 19. num. 1. 2. & 3.

Absolutio ad cautelam quomodo fiat , & à quibus. ibid. num. 4. 5. & 6.

Absolutio ad reincidentiam utrum possit concedi. Tom. 6. pag. 20. num. 7. 9. & 10.

Absolutio à censura reservata quam inducat obligationem. ibid. num. 8.

Absolutio à censura non requirit formam præcisam Tom. 6. pag. 21. num 1.

Absolutio unica potest à pluribus censuris liberare. ibid. num. 2

Absolutio an requirat scripturam. ibid. num. 3.

Absolutio quales ritus requirat. ibid. num. 4.

Absolutio non potest dari nisi ab eo qui habet potestatem. Tom. 6. pag. 22. num. 5.

Et libertatem. ibid. num. 7.

Et perfectam cognitionem rei principalis. ibid. num. 8.

Absolutio requirit petitionem absolvendi. ibid. num. 9.

Non verò ejus præsentiam ibid. num. 10.

Absolvere potest à censura qui eam tulit. Tom. 6. pag. 23. num. 1. & seq.

Quod excipitur quandoque. ibid. num. 4. & 5.

Absolvere potest superior illius qui censuram tulit. Tom. 6. pag. 24. num. 6. & 7.

Absolvere potest delegatus. ibid. num. 8. 9. & 10.

Absolvere qui possint à censura non reservata. Tom. 6. pag. 25. num. 1.

Absolutio à censura reservata per quem fieri debeat. Tom. 6. pag 26. num. 6. & 7.

Absolutio à censuris Bullæ in Cœna , reservatur Pontifici. Tom. 6. pag. 111. num. 2.

Absolutio in periculo mortis an requirat prævium satisfactionem. ibid. num. 3. & seq.

Absolutio ab his censuris debet specialiter fieri. ibid. num. 6.

Absolutio ab excommunicatione propter Clerici percussionem reservatur Pontifici. Tom. 6. pag. 121. num. 1.

Absolutio ad cautelam non habet locum in interdicto generali loci. Tom. 6. pag. 257. num. 9.

Abstinere. Abstinentia.

Abstinere debent Fideles à carnibus tempore prohibito. Tom. 4. pag. 311. num. 1.

Item ab ovis & lacticiniis tempore quadragesimæ. Tom. 4. pag. 313. num. 1. 2. & 3.

Abstinentia à carnibus est præcipua materia jejunii. Tom. 7. pag. 9. num. 3.

Item ab ovis & lacticiniis. ibid. num.4.
Idque ſub gravi peccato. ibid. num.5. & ſeq.
Abſtinentia à duplici refectione præcipitur in jejunio. Tom.7. pag.11. num.1. & 2.
Abſtinentiæ oppoſitum eſt vitium ſtuporis quod conſiſtit in fuga cibi ſumendi dum opus eſt. ibid. num.1. & ſeq.
Abſtinentiæ opponitur gula, ſeu immoderatus ciborum uſus. Tom.7. pag.22. num.1. & ſeq.
An liceat in extrema neceſſitate veſci carnibus humanis. Tom.7. pag.23. num.4. & ſeq.

Acedia.

Acedia eſt triſtitia de bono ſpirituali divino, & ex fine creationis nobis neceſſario. Tom.1. pag.636. num.1.
Acedia eſt Charitati contraria. ibid.
Acedia ſpecialis eſt dolere ſe à Deo creatum ſub obligatione ſervandi præcepta. ibid. num.2.
Acedia generalis eſt dolere de præceptorum obligatione. ibid. num.3.
Acedia generalis eſt peccatum veniale. ibid. num.4.
Acedia ſpecialis ſemper eſt peccatum mortale. ibid. num.5.
Acedia producit alia vitia. ibid. num.6.

Accuſatio. Accuſatus. Accuſans.

Accuſationis via non habet locum in crimine hæreſis. Tom.1. pag.511. num.1.
Accuſatio tamen admitti poteſt. ibid. num.2.
Accuſatio hæc quomodo fiat. ibid. n.3. & 4.
Accuſatio de hæreſi patet omnibus. ibid. num.5. & pag.512. num.6. & 7.
Accuſatus de hæreſi non eſt ex levibus indiciis capiendus. Tom.1. pag.513. num.3.
Accuſatus abſque cauſa, non eſt declarandus innocens, ſed ab inſtantia judicii abſolvendus. Tom.1. pag.524. num. 9.
Accuſatus falsò an poſſit fateri ad mortem vitandam. Tom.1. pag.554. num.3.
Vel ad vitanda gravia tormenta. ibid. num.4. & 5.
Accuſato intra annum mortuo, & crimine non probato, non eſt ulterius procedendum. Tom.1. pag 555. num. 4.
Accuſantes in cauſa propria non fiunt irregulares. Tom.6. pag.293. num.2.
Modo proteſtentur ſe nolle pœnam ſanguinis. ibid. num. 3. & 4.
Accuſatio, ſeu denuntiatio, quando cenſeatur in cauſa propria inſtitui. Tom.6. pag.294. num.6.

Actio.

Actiones quo tempore præſcribantur. Tom.7. pag.80. num. 3.
Actio competens pro recuperanda re donata, an ſit realis. Tom.7. pag.232. num.9. & ſeq.
Actiones plures competunt pro læſione in pretio. Tom.7. pag.348. num.1.
An competant emptori ſicut & venditori. ibid. num.2. & ſeq.

Actor.

Actor debet probare turbationem ex parte rei ad effectum interdicti retinendæ poſſeſſionis. Tom.7. pag.102. num.7. & ſeq.

Actus.

Actus eſt culpoſus quamvis non ſit præcisè cauſa effectus advenientis. Tom.1. pag.44. num.1.
Actus prohibiti ſunt in multiplici differentia. Tom.1. pag.60. num. 1.
Actus an ſit validus ſi omiſſum ſit conſilium ſub cujus conditione permiſſus fuerat. Tom.1. pag.184. num.7.
Quid ſi fiat actus in alio loco & tempore quàm ſtatuto. ibid. num.8.
Actus per quos introducitur conſuetudo, debent eſſe externi, pacifici, & uniformes. Tom.1. pag.198. num.14.
Actus fidei eſt ſupernaturalis in ſua ſubſtantia. Tom.1. pag. 349 num.4.
Actus fidei in peccatore eſt meritorius de congruo. ibid. num. 5.
In Homine juſto, de condigno. ibid.
Diſpenſatio an poſſit per ſuperiorem denegari, ſi ſit legitima diſpenſandi cauſa. Tom. 1. pag. 305. num 8. 9. & 10.

Diſpenſatio an ſit concedenda per Delegatum ſi adſit legitima cauſa. Tom.1. pag.306. num.11.& 12.

Diſpenſatio expreſſa non habet formam præſcriptam. Tom.1. pag.308. num.1.

Diſpenſatio non requirit mandatum abſentis cui conceditur. ibid. num.2.

Diſpenſatio non habet effectum niſi à die quo nota eſt obtinenti. Tom.1. pag.309. num.3.

Diſpenſatio tacita quæ conſiſtit in ratihabitione,concedi poteſt à quocumque. Tom. 1. pag. 309. num. 1.

Diſpenſatio tacita quomodo præſumatur. ibid.num.2 & 3.

Diſpenſatio tacita cognoſcitur per ſilentium ſuperioris. Tom 1. pag 310. num.4. & 5.

Et per ratihabitionem actus præcedentis. ibid. num. 6.

Diſpenſatio à propriis legibus valida eſt abſque cognitione cauſæ. Tom.1. pag.311. num.1. & ..

Diſpenſatio legum ſuperioris ab inferiore facta ſine cauſæ cognitione eſt invalida. ibid. num.3. & 4.

Diſpenſatio quam cognitionem requirat ibid num.5. & 6.

Diſpenſationis cauſa quomodo ſit probanda in foro externo Tom.1. pag.312. num 7. 8. & 9.

Diſpenſandus an poſſit eligere Diſpenſatorem Tom.1. pag.313. num.3.

Diſpenſans præmittere debet clauſulam de cauſæ cognitione ibid. num.4.

Diſpenſatio an requirat clauſulam de abſolutione Sacramentali. Tom.1. pag.314. num.5. & 6.

Diſpenſatio deſiderat commutationem in pia opera, ibid. num.7.

An requirat ut litteræ dilanientur. ibid. num 8.

Diſpenſationis impedimentum debet eſſe occultum. Tom.1. pag.315 num.9.

Neque debet deduci ad forum contentioſum. ibid. num.10. 11 & 12.

Diſpenſatio ab impedimento matrimonii quam conditionem requirat. ibid. num.13.

Diſpenſatio hæc quid operetur quoad legitimationem prolis. ibid. num.14.

Diſpenſatio debet continere qualitatem Delegati cui committitur. Tom.1. pag.316. num.1.

Diſpenſatio debet continere ſuam cauſam & modum. Tom. 1. pag. 316. quæ falsò notatur. 318. num.2.

Diſpenſatio an poſſit ſubdelegari. ibid. num.3.& 4.

Diſpenſatio per metum extorta, an ſit nulla. Tom.1. pag.316. num.1.& 2.

Diſpenſans debet habere abſolutam diſpenſandi facultatem. Tom.1.pag.317. num.3.

Diſpenſatio an ſit nulla ſi error intervenerit in qualitate perſonæ. Tom.1. pag.319. num.7. & 8.

Diſpenſatio non requirit ut fiat mentio eam fuiſſe antea denegatam. Tom.1 pag.320. num.1.

Nec ſimilem fuiſſe antea conceſſam. Tom. 1. pag. 321. num.2. & 3.

Niſi prima diſpenſatio fuerit in præjudicium tertij. ibid. num.4.

Diſpenſatio requirit ut id exprimatur quod Princeps ſcire debet pro qualitate & quantitate rei. Tom.1. pag.322. num.5.

Vel ſi impedimentum omnino debeat cognoſci. Tom.1. pag 323. num.6.

Diſpenſatio poſterior valet abſque mentione prioris quoties agitur de ſcrupulo vel dubio tollendo. ibid. num. 7.

Diſpenſatio anterior qua impetrans uſus non eſt, evaneſcit per poſteriorem. ibid. num. 8. & 9.

Diſpenſatio duplex an ſit obtinenda ab eo qui habet duplex impedimentum ibid. num. 10. & 11.

Diſpenſatio matrimonii non valet niſi exprimantur impedimenta omnia.Tom 1.pag.324.num.12.

Verbi gratia votum caſtitatis, Religionis, Conſanguinitas, &c. ibid. num.13.& 14.

Etiamſi unum impedimentum ſit publicum, aliud privatum. ibid. num.15.

Diſpenſatio ab una irregularitate an requirat aliarum mentionem. Tom.1. pag.324. num.16.

Diſpenſatio vitiatur omnino per falſitatis expreſſionem. Tom.1. pag.325. num.1.

Diſpenſatio corruit ſi ex pluribus cauſis allegatis unica ſit falſa. ibid. num.2.

Falſitas in dubio præſumitur potiùs de cauſa finali quàm motiva. ibid. num.3.

Diſpenſatio an ſit nulla ſi cauſa per falſos teſtes probetur. Tom. 1. pag. 326. num. 4.
Diſpenſatio voti ad matrimonium vitiatur per allegationem falſæ cauſæ circa votum. Tom. 1. pag. 327. num. 9.
Diſpenſatio differt à facultate diſpenſandi. ibid. num. 11.
Diſpenſare quis poſſit ad communicandum cum infidelibus. Tom. 1. pag. 390. num. 19.
Diſpenſandi facultas exerceri poteſt in abſentem. Tom. 1. pag. 420 num. 10.
Diſpenſatio tollit obligationem recitandi officium. Tom. 2. pag. 32. num. 3.
Diſpenſatio percipiendi fructus ſine reſidentia, poteſt ab Epiſcopo ad tempus concedi. Tom. 2. pag. 62. num. 3.
Et eſt ſtricti juris. ibid. num. 3. & 4.
Diſpenſatio hæc ad diſtributiones quotidianas extenditur ibid. & pag. 63. num. 5.
Niſi Præbenda tota conſiſteret in diſtributionibus. ibid num. 6. & num. 11.
Non tamen extenditur ad minutas quæ ſolùm inter præſentes dividuntur. ibid. num. 7.
Diſpenſatio qua Canonicus abeſſe poteſt per tres menſes, non requirit ſpecialem cauſam. ibidem. num. 8.
Tres menſes conceduntur ſive ſint continui ſive diſcreti. ibid. num. 9.
Sed requiritur ut per integrum annum divinis interſit. ibid. num. 10.
Diſpenſatio à reſidentia per ſpatium longius quàm tres menſes poteſt fieri à Fundatore Beneficii. ibid. & pag. 64. num. 1. & 2.
Diſpenſatio hæc non poteſt fieri à Capitulo, vel ab Epiſcopo de conſenſu Capituli. ibid. num. 3. 4. & 5.
Diſpenſare tamen poteſt Epiſcopus ſi cauſa urgeat, vel ſi Pontifex facilè conſuli non poſſit. ibid. & pag. 65. num. 6.
Diſpenſatus ad Beneficia cenſetur etiam diſpenſatus ad penſiones. Tom. 2. pag. 237. num. 10.
Quid de diſpenſatione ab Epiſcopo conceſſa. ibid. num. 11.
Diſpenſatus à ſacris Ordinibus an ſuccedat in majoratu. Tom. 2. pag. 396. num. 16. & pag. 397. num. 17.
Diſpenſatus quomodo fiat habilis ad Beneficia. Tom. 2. pag. 402. num. 17.
Diſpenſatio nec ab Epiſcopo nec à Pontifice conceditur filiis illegitimis ad Beneficia in Eccleſia paterna. Tom. 2. pag. 405. num. 19.
Diſpenſatio non requiritur in eo qui habet ætatem determinatam ad Beneficia. Tom. 2. pag. 406. num. 6.
Diſpenſatio Pontificis prodeſt illiterato ad Beneficium. Tom. 2. pag. 410. num. 10. & 11.
Diſpenſatio Epiſcopi an profit. num. 12.
Diſpenſatus ad unum Beneficium permutare non poteſt cum alio ſimplici. Tom. 2. pag. 442. num. 10.
Diſpenſatio ab incompatibilitate utrum fieri poſſit ab alio quàm Pontifice. Tom. 2. pag. 447. num. 28.
Diſpenſatio facit ceſſare voti obligationem. Tom. 3. pag. 143. num. 1.
Diſpenſatio eſt actus juriſdictionis eccleſiaſticæ non autem Ordinis. ibid. num. 2.
Diſpenſatio ut ſit valida, requirit juſtam cauſam. Tom. 3. pag. 144. num. 5.
Nec valet etiam facta bona fide ab eo qui putat juſtam eſſe cauſam. ibid. num. 4.
Diſpenſationis cauſa legitima eſt ea quæ obſtat executioni voti. ibid. num. 5.
Diſpenſatio à voto miſceri debet cum aliqua commutatione. Tom. 3. pag. 145. num. 17.
Diſpenſatio non ſolùm fieri debet juſta de cauſa, ſed quandoque debet. Tom. 3. pag. 146. num. 18.
Diſpenſatio voti concedi poteſt per eos qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Tom 3. pag. 146. num. 1.
Diſpenſatio à voto concedenda eſt quatenus poſtulat neceſſitas nec ultra. Tom. 3. pag. 149. num. 6.
Diſpenſandi facultas in dubio conceditur Epiſcopis inferioribus Pontifici. ibid. num. 8.
Diſpenſandi facultas delegata procedit ab eo qui poteſtatem ordinariam habet. Tom. 3. pag. 151. num. 1.
Hæc facultas non comprehendit vota reſervata. ibid. num. 2.
Secus ſi abſque ulla exceptione. ibid. num. 3.
Diſpenſandi facultas delegata excepto voto caſtitatis & Religionis, alia omnia etiam reſervata continet. ibid. num. 4.
Diſpenſandi facultas conceſſa à voto caſtitatis continet cætera vota minora. ibid. num. 5.
Diſpenſandi facultas generaliter conceſſa extenditur ad præcedentia vota. Tom. 3. pag. 152. num. 6.
Hæc facultas delegari poteſt Religioſis. ibid. num. 7.
Diſpenſandi poteſtatem ordinariam habens eam delegare poteſt. Tom. 3. pag. 152. num. 1.
Diſpenſandi poteſtas non continetur ſub poteſtate delegata votum commutandi. ibid. num. 2.
Secus vice verſa. ibid. num. 3. & pag. 153. num. 4. & 5.
Diſpenſandi facultas an extendatur ad vota jurejurando firmata. ibid. num. 6.
Diſpenſatio & commutatio voti in quo differant. Tom. 3. pag. 153. num. 1.
Diſpenſatio tranſeundi ad regulam laxiorem non debet concedi niſi juſta de cauſa. Tom. 3. pag. 346. num. 2.
Diſpenſatis à lege aliqua Eccleſiaſtica onus eleemoſynæ poteſt imponi pro hac gratia. Tom. 3. pag. 429. num. 11.
Diſpenſatio à Pontifice conceſſa debet aliquam cauſam habere. Tom. 3. pag. 454. num. 51.
Diſpenſatio ad nubendum an procuranda ſit ab eo qui poſt ſponſalia appoſuit impedimentum. Tom. 5. pag. 63. num. 3. 4. & 5.
Diſpenſatio ab impedimentis matrimonii quibus competat. Tom. 5. pag. 227. num. 18.
Diſpenſatio eſt irrita per taciturnitatem copulæ quoad matrimonium. Tom. 5. pag. 229. num. 2.
Diſpenſandus ab impedimentis matrimonii debet exprimere copulam ſi intervenerit. ibid. num. 3. & ſeq.
Qualiter mentio copulæ & impedimenti ad matrimonium debeat fieri. Tom. 5. pag. 230. num. 6. & ſeq.
Diſpenſatus ab irregularitate ad Ordines non cenſetur diſpenſatus ad Beneficium. Tom. 6. pag. 280. num. 19.
Diſpenſatus ad Ordines poteſt ſolos minores ſumere. ibid. num. 20.
Diſpenſandæ irregularitatis poteſtas eſt delegabilis. Tom. 6. pag. 279. num. 15.
Diſpenſandi facultas à denuntiationibus matrimonii delegari poteſt. Tom. 5. pag. 94. num. 4.
Diſpenſatio hæc non requirit judicis cognitionem. ibid. num. 6.
Diſpenſationis hujus cauſæ juſtæ exponuntur. ibid. num. 7. & 8.

Diſpoſitio.

Diſpoſitio per viam ultimæ voluntatis facta ſub conditione, habet effectum datâ cautione Mutianâ. Tom. 7. pag. 138. num. 10. & ſeq.

Diſpoſitio valet ſi modus in ea adjectus non pendet ex voluntate illius in cujus favorem facta eſt. Tom.7. pag.142. num.9.
Diſpoſitionis incertitudo ſumitur ex triplici capite. Tom.7. pag.147. num.3.

Diſputatio.

Diſputatio de fide cum infideli utrum ſit licita necne, cognoſcitur ex fine, ex modo, ex conditione diſputantis, & audientis. Tom.1. pag.376. num.1.
Diſputatio ex fine eſt licita ſi finis licitus ſit, & vice verſa. ibid. num.2.
Diſputatio ex parte Diſputantis licita eſt ſi ſit doctus. Tom.1. pag.377. num.3.
Diſputatio ex parte audientis eſt licita ſi fructum faciat. Tom.1. pag.378. num.9.
Diſputatio quem requirat modum. ibid. num.10.

Diſtributio.

Diſtributiones quotidianæ abſentium à Choro præſentibus accreſcunt. Tom.2. pag.48. num.5.
Quod limitatur in tribus caſibus ibi relatis. ibid. num. 6.
Diſtributiones quotidianæ an debeantur infirmis, impeditis, & pro Eccleſia occupatis. ibid. num.7. & 8.
Diſtributiones debentur abſenti ex cauſa gravis infirmitatis. Tom.2. pag.48. num.1.
An infirmitas ſit gravis, remittitur prudentis arbitrio. Tom.2. pag.49. num.2.
Infirmitas excuſat etiam per culpam contracta. ibid. num.3.
Modo infirmus antea ſoleret in Choro aſſiſtere. ibid. num.4. & 5.
Niſi fortè eſſet extra locum reſidentiæ. ibid. num. 6.
Diſtributiones quotidianæ debentur Clerico injuſtè excommunicato; ſecus ſi juſtè. Tom.2. pag.50. num.4. & 5.
In Cathedralibus & Collegiatis Hiſpaniæ, excommunicatus eò ipſo privatur diſtributionibus. Tom. 2. pag.51. num.7.
Si poſtea excommunicatio reperiatur injuſta, locus eſt repetitioni fructuum & diſtributionum. ibid. num. 8.
Idem eſt de ſuſpenſo. ibid. num.9.
Et de interdicto. Tom.2. pag.52. num.10.
Diſtributiones & fructus debentur ei qui abeſt in evidentem utilitatem Eccleſiæ ſuæ. Tom.2. pag.53. num. 1.
Et tunc non requiritur præſentia in loco Beneficii. ibid. num. 2.
Cognoſcitur ex natura negotii utrum ſit utile Eccleſiæ, necne. Tom.2. pag.53. num.3.
Diſtributiones lucratur is cui fuit conceſſum viſitare limina Apoſtolorum. ibid. num.4.
Item qui à Capitulo miſſus eſt ad Concilium generale, vel ad Principem. Tom. 2. pag. 53. num.5.
Vel ab eo aſſignatus ad ſumendas rationes redituum. ibid. num.6.
Diſtributiones lucratur qui mittitur ab Eccleſia propria ad exercendam ejus juriſdictionem. Tom.2. pag.54. num.7.
Diſtributiones lucratur qui habet præbendam curæ animarum obnoxiam. Tom.2. pag.54. num.8.
Item qui viſitat Eccleſiam, ut Archidiaconus. ibid. num.9.
Diſtributiones lucratur qui abeſt ad jura Eccleſiæ ſuæ defendenda. ibid. num.10.
Non autem is qui abeſt pro uribus proprii Beneficii. ibid. num.11.
Diſtributiones lucratur Obſes datus ab Eccleſia, vel qui ejus occaſione captus eſt. Tom.2. pag.54. num. 12.
Item occupatus pro Eccleſia tempore Officii, quamvis potuerit illud prævenire. ibid. num.13.
Diſtributionum conſecutio ſit pro rata temporis quo quis occupatur ad utilitatem Eccleſiæ, non verò ad propriam. Tom.2. pag.55. num.14. 15. & 16.
Diſtributiones non percipiuntur ratione Capituli, ſed ratione Chori. Tom.2. pag.56. num.5.
Diſtributiones non lucratur Canonicus aut alter ab Epiſcopo ſumptus in familiarem. Tom.2.pag.58. num.3.
Diſtributiones relictæ judicio teſtatorum, nulla conſuetudine poſſunt aliis applicari. Tom.2. pag. 68. num.21.
Diſtributiones abſenti à Choro donatæ, vel remiſſæ à præſentibus licitè percipiuntur. Tom.2. pag.68. num.1. & 2.
Modo tamen ſit animus illas donandi, vel remittendi. ibid. & pag.69. num.3. & 4.
Quidam diſtinguunt inter acquiſitas & adquirendas diſtributiones. ibid. num.5.
Sed concluſio procedit indiſtinctè in omnibus. ibid. num.6.
Diſtributiones in dubio poſſunt in tranſactionem cadere. ibid. num.7.
Diſtributiones quotidianæ utrum contineantur in ſuſpenſione à Beneficio. Tom.6. pag.196. num.4.

Divinare. Divinatio.

Divinari non poſſunt per Dæmones ea quæ pendent à voluntate libera. Tom.3.pag.375. num.1.
Secus de his quæ neceſſariò à cauſa naturali procedunt. ibid. num.2.
Duobus modis Dæmones poſſunt hominibus occulta indicare. ibid. num.3.
Divinatio eſt futurorum contingentium per modos indebitos prædictio. ibid. num.4.
Divinatio ſive expreſſa invocatione Dæmonis ſive tacita fiat, eſt peccatum graviſſimum. Tom. 3. pag.376. num. 5.
Quod intelligitur ſi fiat ſeriò, non autem per jocum. ibid.num.6.
Divinationem per ſomnia & auguria inquirere an ſit peccatum. ibid. num.7.
Divinatio omnis an ad ſuperſtitionem pertineat. Tom.3. pag.377. num.12.
Divinare per aſtra naturales effectus non eſt peccatum. Tom. 3. pag.377. num.1.
Idem eſt de temperamento & qualitate viventis. ibid. num. 2.
Divinatio hæc non habet certitudinem. ibid. num.3.
Divinatio conjecturalis ſtante motu proprio Sixti V. non prohibetur, tamquam tenuiſſima prædictio. Tom.3.pag.378. num.7. 8. & 9.
Divinatio an licita ſit ex mutatione elementorum & ex motibus animalium. Tom.3. pag. 383. num.1.
An effectus naturales ut bella inde poſſint conjectari. ibid. num. 2.
Effectus autem contingentes prædicere eſt peccatum. ibid. num.3.
Divinare ex manuum lineis, vel ex phiſiognomia eſt peccatum. ibid. num.4.
Idem eſt ſi ex eventibus fortuitis bonum, vel malum conjectetur. Tom.3. pag. 384. num.5.
Divinatores variis afficiuntur pœnis tum jure Canonico, tum civili. Tom. 3. pag. 395. num. 3. & pag.396. num.4. & 5.

INDEX

Doctor.

Doctor unus teſtans de qualitate conſuetudinis, probat præſumptivè, non concluſivè. Tom. 1. pag. 208. num. 9.

Doctores communiter teſtantes de conſuetudine illam probant. ibid. num. 10.

Doctori unico poteſt adhiberi fides in foro conſcientiæ ſi plures alii non contradicant. Tom. 1. pag. 209. num. 11.

Doctorum & Patrum conſenſus unanimis an ſit infallibilis ad inſtar generalis Concilii. Tom. 2. pag. 346. num. 1. 2. & 3.

Dolus.

Dolus vertitur vel ad bonum, vel ad malum. Tom. 7. pag. 283. num. 1. & 2.

Dolus in genere eſt dictum vel factum animo alium decipiendi. ibid. num. 2.

Dolus malus eſt machinatio ad circumveniendum alterum adhibita. ibid. num. 3.

Dolus vel eſt verus, vel præſumptus. ibid. num. 4.

Dominium. Dominus.

Dominium eſt jus de re ſua perfectè diſponendi. Tom. 7. pag. 40. num. 3.

Dominium ſoli Deo pertinet in univerſas creaturas. Tom. 7. pag. 43. num. 1. & 2.

Dominium de jure naturæ nullus habet in alium. ibid. num. 3.

Dominium regulariter duo requirit nempè titulum & traditionem. Tom. 7. pag. 48. num. 3.

Dominium ex diſpoſitione juris transfertur abſque traditione in caſibus novem hìc enumeratis. ibid. num. 4.

Dominus quam poteſtatem habeat in ſervos. Tom. 7. pag. 51. num. 1. & 2.

Dominus non poteſt abuti ſua poteſtate in ſervos. Tom. 7. pag. 52. num. 3. & 4.

Dominium ſilvarum & paſcuorum quomodo adquiratur. Tom. 7. pag. 56. num. 1.

Silvæ communes ſicut & paſcua pertinent ad incolas tantùm. Tom. 7 pag. 57. num. 2. & ſeq.

Dominium venæ metallicæ pertinet ad Principem. Tom. 7. pag. 59. num. 14.

Dominium ædificii quomodo adquiratur. Tom. 7. pag. 61. num. 1.

Quid de arboribus. ibid. num. 2.

Quid de molendinis. ibid. num. 3.

Dominium quomodo adquiratur per ſcripturam, & picturam. Tom. 7 pag. 62. num. 1.

Quomodo per ſpecificationem. Tom. 7. pag. 63. num. 2. & 3.

Dominium quomodo adquiratur per acceſſionem qualis eſt alluvio. ibid. num. 4. & 6.

Quomodo per commixtionem, & confuſionem. ibid. num. 5.

Dominus inhumaniter ſervum tractans tenetur eum vendere. Tom. 7. pag. 363. num. 6.

Dominium in bonis adquiſitis an tranſeat ipſo jure in uxorem. Tom. 7. pag. 527. num. 1. & ſeq.

Dominium illud non eſt in actu ſed in habitu. Tom. 7. pag. 528. num. 5. & ſeq.

Domus.

Domus non poteſt licitè locari meretricibus & peccatoribus. Tom. 1. pag. *iterùm notata* 721. num. 1. 2. & 3.

Domus locari non poteſt uſurariis alienigenis. Tom. 1. pag. *iterùm notata* 722. num. 4.

Donatio. Donatarius.

Donatio ut præſumatur fraudulenta non requirit participationem ex parte Donatarii. Tom. 1. pag. 482. num. 18.

Donatio ſub conditione non poteſt peti ante adventum ejus, ſecus ſi ſub modo. Tom. 7. pag. 141. num. 3.

Donatio facta in fraudem creditoris non valet. Tom. 7. pag. 150. num. 6. & ſeq.

Donatio eſt liberalis propriorum bonorum alteri facta conceſſio. Tom. 7. pag. 222. num. 7. & 8.

Donatio requirit acceptationem. Tom. 7. pag. 223. num. 1. & ſeq.

Quamvis ex ſua natura ſit irrevocabilis. ibid. num. 3. & ſeq.

Vel munita clauſulâ conſtituti. ibid. num. 7.

Vel facta infanti. Tom. 7. pag. 224. num. 8.

Donatio acceptari poteſt per Epiſtolam, vel Nuntium. Tom. 7. pag. 225. num. 1. & ſeq.

Donatarius quomodo debeat Donationem litteris miſſam acceptare. ibid. num. 5. & 6.

Eo mortuo Donatio acceptari non poteſt ab Hæredibus. ibid. num. 7. & ſeq.

Excipitur Donatio piæ cauſæ. Tom. 7. pag. 226. num. 14.

Donatio acceptata revocari non poteſt. Tom. 7. pag. 229. num. 1. & ſeq.

Etiam in favorem abſentis. ibid. num. 5. & ſeq.

Donator poteſt ante acceptationem onus imponere, vel tollere. Tom. 7. pag. 230. num. 1.

Donatio eſt mera liberalitas qua ſtatim dominium transfertur. Tom. 7. pag. 236. num. 1. & ſeq.

Donatio cauſa mortis fit vel cum traditione, vel ſine. ibid. num. 3. & ſeq.

Donatio inter vivos, vel cauſa mortis valdè differunt. Tom. 7. pag. 237. num. 1.

Differentia hæc ſumitur ex intentione. ibid. num. 2. & ſeq.

Donatio cauſa mortis an fiat inter vivos per pactum de non revocando. Tom. 7. pag. 238. num. 4. & ſeq.

Donare poteſt quiſquis habet liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem. Tom. 7. pag. 238. num. 1. & ſeq.

Donatio à milite facta concubinæ, non valet. Tom. 7. pag. 243. num. 1. & ſeq.

Neque à Clerico. ibid. num. 6.

Donari non poteſt judici ob adminiſtrationem juſtitiæ. Tom. 7. pag. 244. num. 1. & ſeq.

Præter eſculenta & potulenta. ibid. num. 6. & pag. 245. num. 13. & ſeq.

Donatio ſimplex fit nullo jure cogente. Tom. 7. pag. 247. num. 1.

Donatio remuneratoria fit propter benè merita. ibid. num. 2.

Valet modo merita æquivaleant rei donatæ. Tom. 7. pag. 248. num. 5.

Donatarius poteſt ſine peccato retinere rem donatam licèt donatio non intervenerit. Tom. 7. pag. 251. num. 1. & ſeq.

Donatio ad pias cauſas non requirit inſinuationem. Tom 7. pag. 251. num. 1. & ſeq.

Neque Donatio à Principe facta. Tom. 7. pag. 252. num. 4.

Donatio reciproca an requirat inſinuationem. ibid. num. 6. & ſeq.

Quid de donatione inter Patrem & filium. ibid. num. 10.

Donatio univerſalis inter vivos non valet. Tom. 7. pag. 253. num. 1.

Secus Donatio cauſa mortis. ibid. num. 3. & ſeq.

Donatio bonorum omnium non valet etiam juramento firmata. Tom.7. pag.254. num.1.& ſeq.
Donatio bonorum omnium valet ſi reſervatus ſit uſusfructus. Tom.7. pag.255. num.1.& ſeq.
Vel quid aliud ad teſtandum. ibid. num. 6. & ſeq.
Donatio ſimplex non valet inter conjuges. Tom.7. pag.256. num.1.
Directè vel indirectè. ibid.num.2.& ſeq.
Etiam matrimonio non conſummato. Tom. 7. pag.257. num. 5. & ſeq.
Donatio inter conjuges interdum ſuſtinetur per mortem Donantis.Tom.7.pag.258. num.1.3.& ſeq.
Donatio cauſa mortis æquiparatur contractibus.ibid. num.2.
Donatio inter conjuges ad hoc ut ſit valida tres conditiones requirit. ibid. num.3. & ſeq.
Nempe traditionem. ibid. num.4.
Prædeceſſum Donantis. Tom. 7. pag.259. num.8. & ſeq.
Perſeverantiam. ibid. num.9.
Donatio inter conjuges confirmatur morte civili Donantis, ſicut & morte naturali. Tom.7. pag. 260.num.1.2. & 3.
Donatario neque dominium, neque fructus rei donatæ competit inter conjuges niſi à die traditionis. Tom.7. pag.261. num.1.& ſeq.
Idem eſt inter patrem & filium. ibid.
Donatio inter conjuges an per juramentum firmetur.Tom.7.pag.262. num.1. & ſeq.
Donatio valet inter conjuges: primò inter Principes. Tom.7. pag.263. num.1.
Item in tempus ſoluti matrimonii. ibid. num.2.
Item pro militia. ibid. num.3.
Item dotis remiſſione. ibid.num.4.
Item ad annuum reditum. ibid.num.5.& 6.
Ad habitationem gratuitam. ibid. num.7.
Item ſi res ſit exigua. ibid. num.8.
Donatio ad fundationem capellæ & alia hujuſmodi valida eſt. ibid. num.9.
Donatio remuneratoria inter conjuges valet. Tom.7. pag.265. num.1. & 2.
Donatio cauſa mortis inter conjuges valet. Tom.7. pag.267. num.1. & 5.
Donatio inter Patrem & filium, vel eſt ſimplex, vel ob cauſam. Tom.7. pag. 267. num. 1.
Donatio ob cauſam finalem valet. ibid. num.2. & 3.
Imo ſimplex ſi filius ſit emancipatus. Tom.7. pag. 268.num. 4. & 5.
Donatio ſimplex à Patre facta filiofamilias cum juramento an ſit valida. Tom.7. pag. 268. num. 1. & 2.
Donatio non præſumitur quoties urget contraria conjectura. Tom.7. pag.270.num.1.
Donatio dotis præſumitur ſi facta ſit abſque ſtipulatione quod reſtitueretur. Tom. 7. pag. 271. num.10.
Item ex divitiis ibid. num.11.
Ex præcedentibus meritis. ibid. num. 12.
Et aliis circumſtantiis. ibid. num.13 & ſeq.
Donatio revocatur per liberorum ſupervenientiam. Tom.7. pag.273. num.1.
Quod intelligitur de filiis legitimis. ibid. num. 2. & ſeq.
Hæc revocatio fit ipſo jure, nec requirit declarationem judicis. ibid. num.5.
Donatio levis momenti non revocatur per hanc liberorum ſupervenientiam. ibid. num. 7. & ſeq.
Donatio an revocetur ex beneficio legis, *ſi unquam Cod. de revocand. donat.* Tom.7. pag. 274. num.1. & ſeq.
Donatio inofficioſa revocatur quatenus lædit filiorum legitimam. Tom.7. pag.274. num.1. & 2.
Donatio habens cauſam etiam remuneratoriam revocatur ſupervenientia liberorum.Tom.7.pag.275. num.1.& 2.
Donatio ſemel revocata per ſupervenientiam liberorum non reviviſcit ſi prædecedant Donatori. Tom.7. pag.275. num.1.& ſeq.
Donatio an revocetur ſi Donator jam ante liberos habebat. Tom.7. pag.276. num.1. & 2.
Donatio facta extraneo revocatur quoad exceſſum qui lædit legitimam liberorum. Tom. 7. pag. 276. num. 1. & ſeq.
Imò in totum, ſi facta ſit fraudulenter. ibid.
Donatio exceſſiva in favorem unius ex liberis facta revocatur quoad exceſſum ut ſalva remaneat aliorum legitima. Tom.7. pag.277. num.1. & ſeq.
Quid in Regno Caſtellæ. ibid. num.4.
Donatio revocatur ob ingratitudinem. Tom. 7. pag. 278. num.1. & ſeq.
Nempè ſi Donatarius impias manus injiciat in Donatorem. ibid. num. 2.
Per gravem injuriam & contumeliam. ibid.num.3
Per accuſationem. Tom.7.pag.279. num.4.
Per grave damnum. ibid. num.5.
Per inſidias ejus vitæ. ibid num.6.
Per inexcutionem impoſitæconditionis.ibid.num.7.
Donatio à matre facta filio primi matrimonii revocatur triplici de cauſa. ibid. num. 8. & ſeq.
Donatarius tenetur reſtituere donatum ſtatim atque probata eſt ingratitudo. Tom. 7. pag. 280. num.14.
Si non receperit Donator habet adverſus eum exceptionem. Tom.7. pag. 279. num 13.
Donator an poſſit renuntiare facultati ſibi conceſſæ revocandi donationem juſta de cauſa. Tom. 7. pag.280. num.1. & ſeq.
Quid ſi juraverit. ibid. num.4. 5. & 6.
Donatio remuneratoria utrum revocetur per ingratitudinem Donatarii. Tom. 7. pag. 281. num. 1. & ſeq.
Donatio facta Eccleſiæ an revocetur ob ingratitudinem Donatarii. ibid. num.5.
Jus revocandi donationem ex capite ingratitudinis non tranſit ad Hæredes. Tom.7. pag.282. num.1. & 2.
Niſi Donator jam inſtituerit actionem. ibid.num.3.
Donatio non poteſt revocari propter ingratitudinem hæredum Donatarii. ibid. num.6.

Dos.

Dotem amittit mulier nubens Hæretico. Tom.1. pag.465. num.10. & ſeq.
An idem procedat in marito. ibid, num.15 & 16.
Dos uxoris non publicatur ſi ipſa delinquat conſtante matrimonio. Tom.1. pag.466. num.2.
Secus in Regno Caſtellæ. ibid. num.3.
Dos & media pars lucrorum reſtituenda eſt uxori poſt divortium. Tom.5. pag.150. num.1.
Niſi uxor eſſet adultera. ibid. num.2.
Dotis privilegium competit uxori modo conſtet dotem receptam fuiſſe. Tom. 7. pag.192. num.10. & ſeq.
Dos non conſtituitur niſi relativè ad matrimonium. Tom 7. pag.265. num.1. & ſeq.
Dotis conſtitutio facta uxori à marito extrahitur de corpore hæreditario. Tom.7. pag.266. num.6.
Dotis confeſſio etiam non receptæ valet & obligat. ibid. num.7. & ſeq.
Dotis fructus pertinent ad viduam. Tom.7. pag.317. num. 6.
Dos eſt quidquid marito datur nomine uxoris ad onera matrimonii ſuſtinenda. Tom.7. pag.496. num. 1.
Dos matrimonium ſpectat. ibid. num.2.

Dos non datur à viro uxori, ſed ab uxore viro. ibid. num. 4.
Dos ſignari poteſt promiſſione vel traditione. Tom.7. pag.499. num.1.
Dos tantum promiſſa propriè non eſt Dos. ibid. num.2. & ſeq.
Dos æſtimata tali æſtimatione quæ inducit emptionem, quid ſit. ibid. num.5. & ſeq.
Differt ab ea quæ non æſtimatur, dum v. g. fundus pro Dote conſtituitur. Tom. 7. pag. 498. num.7. & ſeq.
Dos æſtimata & viro tradita ante nuptias ſi pereat abſque ejus culpa, perit uxori. Tom.7. pag.498. num.11. & ſeq.
Dos alia eſt profectitia, alia adventitia. ibid. num.18.
Dotis privilegia an habeant locum in re empta aut permutata pro Dote. Tom.7. pag.499. num.1. & ſeq.
Dotatio eſt officium parentum & præcipuè Patris. Tom.7. pag.500 num.1. & ſeq.
Mater non tenetur per ſe filiam Dotare. ibid. num. 7.
Dotatio an ſit neceſſaria ex parte avi. Tom.7. pag. 501. num.1. & ſeq.
Dotatio ſororis an pertineat neceſſariò ad fratris officium. Tom.7. pag 501. num.1. & ſeq.
Dotis menſura prudenter & licitè præſcribenda eſt. Tom.7. pag.504. num.1. & ſeq.
Hoc determinatur ad arbitrium prudentum. ibid. num.2. & ſeq.
Et ex facultatibus parentum. ibid.
Dotem impugnanti onus incumbit probandi Dotem excedere. Tom.7. pag 505. num.9. & ſeq.
Dos ad alimenta tantum poteſt filiabus illegitimis à Patre conſtitui. Tom.7. pag.506. num.1. & ſeq.
Dotis indeterminatæ promiſſio abſolutè facta an valeat. Tom.7. pag.509. num.1. & 2.
Dos à Patre promiſſa an poſſit exigi ab hæredibus generi. Tom.7. pag.510. num.1. & 2.
Dotis promiſſæ & non ſolutæ uſuræ & reditus debentur marito. Tom.7.pag.510. num.1. & ſeq.
Etiam abſque judiciali interpellatione. ibid.
Dotis fructus ante nuptias traditæ an pertineant ad maritum. Tom.7. pag.511. num.1. & ſeq.
Dotis receptæ confeſſio facta ante matrimonium cenſetur facta ſub ſpe futuræ numerationis. Tom.7. pag.511. num.1. & ſeq.
Dotis non numeratæ exceptio quando non habeat locum. Tom.7. pag.512. num.1. & ſeq.
Dotis receptæ præſumptio quando inducitur. ibid. num.5. & ſeq.
Dotalia bona an aliquando poſſint alienari. Tom.7. pag.517. num.1. & ſeq.
Dotalis fundus quando poſſit alienari à marito, necne. Tom.7. pag.519. num.7.
Dotalis fundus invalide alienatus an poſſit repeti per maritum, vel per uxorem conſtante matrimonio. Tom.7. pag.519. num.1. & ſeq.
Dotis dominium an tranſeat ipſo jure in uxorem ſoluto matrimonio. Tom.7. pag.535. num.1. & ſeq.
Dos an ſtatim ſolvenda ſit uxori ſoluto matrimonio, & alimenta ei præſtanda. Tom. 7. pag. 536. num.1. & ſeq.

Dubitans. Dubium.

Dubitans utrum ſit media nox, an poſſit cœnare. Tom.1. pag.31. num.6.
Dubitans utrum expleverit 21. ætatis annum, an teneatur jejunare. ibid. num.7.
Dubitans an comederit vel biberit poſt mediam noctem, non poteſt communionem aſſumere. ibid. num.8. & ſeq.
Dubitans an teneatur officium recitare ob tenuitatem Beneficii, tenetur. Tom.1. pag.32. num.11.
Dubitans de voto, juramento, vel promiſſione an teneatur. Tom.1. pag.32. num.1. 2. & 3.
Dubium de intentione juramenti, voti & promiſſionis procedit ex verbis & intentione. Tom.1. pag.33. num. 1.
In primo caſu non eſt obligatio. Secus in ſecundo. ibid. num.2. 3. & 4.
Dubitans de validitate juramenti an teneatur. Tom.1. pag.33. num.5. & 6.
Dubitans de perfecta voluntatis ſuæ libertate dum vovebat, jurabat, promittebat, an teneatur. Tom.1. pag.35. num.7. 8. & 9.
Dubitans de materia voti, juramenti, promiſſionis tenetur ſi poſſit conſulere ſuperiorem. Tom.1. pag.35. num.1.
Aliàs ſecus. ibid. num.2.
Dubitans utrum ſuperioris præceptum ſit licitum an teneatur obedire. Tom.2. pag.36. num.1. & 2.
Dubia quædam de obligatione, vel excuſatione implendi præceptum. Tom.1. pag.36. num.6.
Dubitans de honeſtate præcepti an teneatur conſulere peritos. Tom.1. pag.37. num.9. & 10.
Dubitans ſubditus de juriſdictione ſuperioris, an teneatur obedire. Tom.1. pag.39. num.15.16. & 17.
Dubitans de juſtitia belli, ſi ſubditus ſit, tenetur obedire. Tom.1. pag.39. num.1.
Secus ſi alienigena. ibid. num.2. & ſeq.
Dubitans voluntariè in fide, pro Hæretico tenendus eſt. Tom.1. pag.402. num.8. 9. & 10.
Dubitans an contraxerit irregularitatem, debet diligenter de ea inquirere. Tom. 6. pag.269. num.3. & ſeq.
Dubium ſuperveniens quoad præſcriptionem, eam interrumpit. Tom.7. pag.71. num.2. & 3.

Duellans. Duellum.

Duellum eſt bellum privatum authoritate privata aſſumptum quo unus alterum conatur lædere. Tom.1. pag. *iterùm notata* 705. num.3.
Duellum an aliquando ſit licitum. ibid. num.4.
Duellum non eſt permiſſum ad oſtentandas vires. ibid. num.5.
Nec ad cauſandam voluptatem ſpectantibus. ibid.
Nec ad firmandam aliquam veritatem. ibid. num. 6.
Nec ad vindicandam propriam injuriam. ibid. num.7.
Nec ad defendendum honorem proprium quem quis credit amittere reſpuendo duellum oblatum. Tom.1. pag. *iterùm notata* 706. num.8.
Duellum acceptari poteſt ab eo quem quis minatur mortem. ibid. num.9.
Niſi pugnandum eſſet cum aliquo innocente. ibid. num. 10.
Duellum acceptari non poteſt ad vitandam mortem ad quam quis condemnatus eſt. ibid. num.11. & 12.
Duellum acceptari poteſt ad vitandam injuſtam accuſationem quam quis minatur. Tom.1. pag. *iterum notata* 707. num.13.
Duellum acceptari poteſt in defenſionem honoris divini. ibid. num.14.
Duellum admittere licet ad bellum terminandum. ibid. num.15. & 16.
Duellantes quibus pœnis obnoxii ſint. ibid. num.17.
Duellum fit ex condicto loco & tempore determinato. ibid. num.18.
In quo differt à pugna quæ ex caſu contingit. ibid.
Duellantes incurrunt excommunicationem. Tom.1. pag. *iterùm notata* 707. num.19.

Duellum an permitti possit à principe absque pœna excommunicationis. Tom. 1. pag. *iterum notata* 708. num. 20.
Duellantes plecti possunt aliis pœnis à judice infligendis. ibid. num. 21.

E

Ecclesia.

ECclesia Collegiata an possit legem ferre. Tom. 1. pag. 156. num. 26.
Ecclesiæ propositio requiritur ad fidem. Tom. 1. pag. 329. num. 3.
Quid sit hæc propositio. ibid. num. 4.
Ecclesia est congregatio Fidelium, sive eorum qui fidem Dei sub speciali Sacramentorum signo, & sub eodem Capite confitentur. Tom. 1. pag. 333. num. 1.
Cathecumeni propriè non sunt membra Ecclesiæ. ibid. num. 2.
Ecclesiæ proprietates sunt septem. Tom. 1. pag. 334. num. 3.
Ecclesia est una, Sancta, Catholica, Apostolica, visibilis, à Sancto Spiritu gubernata, & sola extra quam salus esse non potest. ibid.
Ecclesia vera est Congregatio Fidelium qui Romano Pontifici obediunt. Tom. 1. pag. 334. num. 4.
Ecclesia requirit regulam infallibilem veritatis. Tom. 1. pag. 335. num. 1.
Ecclesia universalis non agnoscit ullum summum Pontificem qui verè talis esse non possit, quia hoc pendet à Providentia divina. Tom. 1. pag. 336. num. 7. & pag. 337. num. 8.
Ecclesiæ licitum est Prædicatores mittere cum cohortantibus militibus. Tom. 1. pag. 380. num. 9. & 10.
Ecclesia ex sola lege charitatis potest revocare infidelem ab errore. Tom. 1. pag. 385. num. 1.
Ecclesia an possit recuperare intra biennium emphyteusim in fiscum translatam. Tom. 1. pag. 450. num. 9. & seq.
Ecclesia potest compellere ad Decimarum solutionem eum qui vendidit fructus indecimatos. Tom. 2. pag. 104. num. 8.
Ecclesia an alteri Ecclesiæ debeat decimas de hæreditate sibi relicta. Tom. 2. pag. 116. num. 5.
Ecclesia polluitur variis modis qui hîc referuntur. Tom. 2. pag. 125. num. 1.
Nempè si tale quid fiat in ipsa Ecclesia, & publicè. Tom. 2. pag. 126. num. 2.
Ecclesiæ nomine intelligitur tantùm hoc spatium quod muris & tecto continetur. ibid.
Ecclesia cstanda est in cognitione causæ utrum sit immunitas necne. Tom. 2. pag. 159. num. 10. 11. & 12.
Ecclesia Parochialis unita Monasterio est Vicaria perpetua. Tom. 2. pag. 212. num. 18.
Ecclesia Parochialis dari non potest in commendam. Tom. 2. pag. 221. num. 8.
Ecclesia Cathedralis non potest repellere Coadjutorem datum à Pontifice. Tom. 2. pag. 232. num. 46.
Ecclesiæ sanctio exprimenda est ut valeat impetratio Beneficii. Tom. 2. pag. 351. num. 27.
Item ejus statuta ibid. num. 28.
Ecclesia potest quasdam personas inhabiles ad votum reddere justa de causa. Tom. 3. pag. 119. num. 2.
Quod intelligitur de voto Religionis. Tom. 3. pag. 120. num. 3.
Ecclesia potest prohibere quidquid redolet simoniam. Tom. 3. pag. 418. num. 1.
Ecclesia non potest determinare tempus in quo Baptismus sit suscipiendus. Tom. 4. pag. 38. num. 7.
Ecclesia per solum Episcopum potest consecrari. Tom. 4. pag. 135. num. 2.
Ecclesia non debet esse polluta ad hoc ut Missa celebrari possit. Tom. 4. pag. 137. num. 11.
Ecclesia quomodo polluatur. ibid. num. 13.
Ecclesia quomodo reconcilietur. Tom. 4. pag. 138. num. 14. & 15.
Ecclesiæ Compostellanæ usus quoad Pœnitentiæ sacramentum. Tom. 4. pag. 231. num. 5.
Ecclesia potuit obligare ad confessionem venialium. Tom. 4. pag. 239. num. 6.
Ecclesia possidet thesaurum seu cumulum satisfactionum Christi & sanctorum. Tom. 4. pag. 267. num. 4.
Thesaurus hic consistit in acceptatione Dei. ibid. num. 5.
Ecclesiæ suæ Christus reliquit potestatem distribuendi hunc thesaurum. ibid. num. 6.
Ecclesia quomodo visitanda sit ad lucrandam indulgentiam. Tom. 4. pag. 271. num. 15.
Ecclesia recepit à Christo potestatem censurarum. Tom. 6. pag. 3. num. 1. 2. & 3.
Et à Petro modum eas imponendi. Tom. 6. pag. 4. num. 4.
Ecclesia triplex dat subsidium suis Fidelibus. Tom. 6. pag. 33. num. 2.

Electio. Elector. Electus. Eligere.

Electus recusans electionem potest voluntatem mutare. Tom. 1. pag. 256. num. 8. & 9.
Eligere non possunt excommunicati & suspensi. Tom. 2. pag. 206. num. 3.
Electionis concordia an requiratur si Religiosus de una Sede Episcopali ad aliam transferatur. Tom. 2. pag. 206. num. 4.
Electionis concordia an requiratur tam pro Prælatis extra Religionem quàm intra. ibid. num. 5. & pag. 207. num. 6. 7. 8. & 9.
Electionis confirmatio est approbatio à superiore facta quoad personam electi. Tom. 2. pag. 251. num. 2.
Eligendi potestas hodie differt ab antiqua. Tom. 2. pag. 276. num. 1.
Eligendi facultas quibus Canonicis competat. ibid. num. 2.
Electores utrum possint extraneos ad hoc jus admittere. ibid. num. 4.
Qui excludantur ab electione. Tom. 2. pag. 277. num. 5.
Electio fieri debet de digno. Tom. 2. pag. 277. num. 1.
Electores an debeant inter dignos eligere digniorem. Tom. 2. pag. 277. num. 4. & pag. 278. num. 5. 6. & 7.
Quod affirmatur. ibid. num. 8. & 9.
Hæc conclusio patitur quatuor exceptiones. Tom. 2. pag. 279. num. 10. & pag. 280. num. 11. 12. & 13.
Sed procedit conclusio in electione Prælati Religiosorum. ibid. num. 14.
Idemque est de electione ad officia sæcularia. ibid. num. 15.
Quid de majoratu. Tom. 2. pag. 281. num. 16.
Electio minus digni an sit valida si Electores se adstrixerint ad eligendum digniorem. Tom. 2. pag. 277. num. 1.
Præterquam in Beneficiis curatis. ibid. num. 2. & pag. 282. num. 3.
Quid si judex appellationis pronuntiaverit in favorem dignioris. ibid. num. 4. 5. & 6.
Conclusio hæc patitur quasdam restrictiones hîc notandas. Tom. 2. pag. 283. num. 7. 8. & 9.

Eligens indignum an teneatur ad reſtitutionem. Tom. 2. pag. 285. num. 1. & 2.
Electo minus digno nihil eſt digniori reſtituendum ex obligatione. Tom. 2. pag. 283. num. 3. & pag. 284. num. 4. & 5.
Quod excipitur. ibid. num. 6.
Electus qui minus eſt dignus, non peccat ſi non reſtituat digniori. Tom. 2. pag. 285. num. 1.
Electo minus digno inſpiciendum eſt an per vim aut fraudem dignior impeditus ſeu remotus fuerit à Beneficio. ibid. num. 2. 3. & 4.
Quid ſi non agatur tantùm de Beneficio, ſed etiam de dignitate. Tom. 2. pag. 286. num. 5.
Electus minus dignus an teneatur Beneficium reſignare digniori. ibid. num. 6.
Quid ſi malis artibus obtinuerit Beneficium digniori debitum. ibid. num. 7. & 8.
Quid ſi agatur de cathedra. Tom. 2. pag. 287. num. 9.
Electio debet intra certum tempus fieri. Tom. 2. pag. 287. num. 1.
Electionis confirmatio tribuit jus perfectum in Beneficio. ibid. num. 2.
Secus ſi electorum vota non conveniant. ibid. num. 3.
Electi qualitates debent examinari ante confirmationem. ibid. num. 4.
Confirmandi poteſtas determinatur à conſuetudine. Tom. 2. pag. 288. num. 5.
Electio an fieri poſſit ſub conditione. Tom. 2. pag. 363. num. 5. 6. & 7.
Electio non legitimè facta non ſuſtinetur per Apoſtolicam proviſionem. Tom. 2. pag. 373. num. 5.
Electio requirit præcedens jusjurandum de digniore eligendo. Tom. 2. pag. 376. num. 4.
Electio requirit ut vota præſtentur ſecretò. ibid. num 5.
Aliàs electio non eſt valida. ibid. num. 6. & 7.
Quid ſi unus electorum vices ſuas alteri commiſerit. ibid. num. 8.
Elector non dicitur ſecretum manifeſtare qui poſt electionem oſtendit ſchedulas. Tom. 2. pag. 376. num. 9.
Quid fieri debeat in æqualitate votorum. ibid. num. 10. & pag. 377. num. 11.
In Ordinarii arbitrio eſt an ſit ad ſortes deveniendum. ibid. num. 12.
Electio à minima parte facta an poſſit aliquando ſuſtineri. ibid. num. 14. & 15.
Electio minoris partis ſuſtinetur ſi major non ſervaverit formam. Tom. 2. pag. 378. num. 16.
Electio ad præbendas magiſtrales fieri debet intra ſex menſes. ibid. num. 19.
Quid ſi Electio devolvatur ad Metropolitanum. ibid. num. 20.
Electio ad officia civilia fieri poteſt per ſortes. Tom. 3. pag. 382. num. 8.
Electio ad officia Eccleſiaſtica per ſortes facta an ſit nulla. ibid. num. 9.
Utrum aſpirans ad Beneficium poſſit pecunia redimere vexationem qua quis impedit ne eligatur. Tom. 3. pag. 443. num. 5. 6. & 7.
Electores ſcienter eligentes excommunicatum ad Beneficia, vel dignitates peccant graviter. Tom. 6. pag. 68. num. 14. & ſeq.
Sed nullam incurrunt pœnam. Tom. 6. pag. 69. num. 20.

Eleemoſina.

Eleemoſina eſt alienæ miſeriæ ſublevatio. Tom. 1. pag. 593. num. 1.
Eleemoſina duplex eſt, corporalis, & ſpiritualis. Tom. 1. pag. 594. num. 2.
Eleemoſina fit propter triplicem proximi neceſſitatem, extremam, gravem, & communem. Tom. 1. pag. 594. num. 1.
Eleemoſina fit ex bonis neceſſariis & ſuperfluis. ibid. num. 2.
Eleemoſina non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi miniſtranda eſt. Tom. 1. pag. 595. num 10. & pag. 596. num. 11. & ſeq.
Eleemoſina in communi neceſſitate fieri debet ex ſuperfluis. ibid. num. 15 & 16.
Eleemoſina conſiſtit in propellenda proximi adverſitate & ſublevanda neceſſitate ejus. Tom. 1. pag. 597. num. 17.
Eleemoſinæ præceptum non obligat ex juſtitia, ſed ex charitate. Tom. 1. pag. 597. num. 1. 2. & 3.
Eleemoſinam dare omittens non tenetur præſtare damna. Tom. 1. pag. 599. num. 8.
Eleemoſinæ præceptum Clericos obligat ſicut Laicos. Tom. 1. pag. 599. num. 1.
Eleemoſina an poſſit in extrema neceſſitate fieri de bonis alienis. Tom. 1. pag. 607. num. 1.
Quid de bonis communitatis. ibid. num. 2.
Quid de bonis turpiter & illicitè adquiſitis. ibid. num. 3.
Eleemoſina cum ſit donatio, non poteſt ab alio fieri quam à Domino. Tom. 1. pag. 608. num. 1.
Eleemoſina non poteſt fieri à ſervo mancipio, niſi de conſenſu Domini. ibid. num. 2.
Niſi de bonis quorum poteſt habere dominium. ibid. num. 3.
Eleemoſina non poteſt à famulis dari invito hero. Tom. 1. pag. 608. num. 4.
Eleemoſina ſumma à prodigo facta non debet effectum habere. ibid. num. 5.
Neque à minore 25. annis invito curatore. ibid. num. 6.
Eleemoſina in actionibus neceſſariis à quolibet miniſtrari poteſt. Tom. 1. pag. 610. num. 18.
Eleemoſina poteſt fieri de bonis quorum quis habet diſpoſitionem. ibid. num. 19.
Eleemoſinæ non computantur ſi ſint modicæ. ibid. num. 20.
Eleemoſina egenti danda eſt, niſi foveat ejus iniquitatem Tom. 1. pag. 610. num. 1.
Eleemoſina vera non eſt quæ datur ſimulato pauperi ex parte illius. ibid. num. 3.
Eleemoſina quibus pauperibus ſit diſtribuenda ex teſtamento. Tom. 1. pag 611. num. 8. & 9.
Eleemoſinarum quæſtores ſunt qui eas quærendo utilitatem ſibi quærunt. Tom. 1. pag. 612. num. 1.
Non poſſunt abſque conſenſu Epiſcopi hoc munus gerere. ibid. num. 2.
Eleemoſina peti poteſt in favorem operis pii abſque licentia ordinarii. Tom. 1. pag. 612. num. 4.
Niſi adſit periculum. Tom. 1. pag. 613. num. 5.

Emphyteuſis. Emphyteuta.

Emphyteuſis eſt contractus quo dominium utile rei immobilis alicui, conceditur reſervato directo penes concedentem. Tom. 1. pag. 448. num. 1.
Emphyteuſis & cenſus in quo differunt. ibid.
Emphyteuſis alia eſt accepta ab Eccleſia, alia à perſona privata. ibid. num. 2.
Alia transfertur ad hæredes, alia non. ibid.
Emphyteuſis non confiſcatur ob delictum ſi non ſit tranſmiſſibilis ad hæredes extraneos. ibid. num. 4.
Secus ea quæ tranſmittitur. Tom. 1. pag. 449. num. 7. & 8.
Melioramenta in Emphyteuſi facta ad quem pertineant, ad Eccleſiam revocantem, vel ad fiſcum. Tom. 1. pag. 451. num. 13. & 14.

Emphyteuta amittens prædium non amittit meliorамenta in favorem Domini directi. ibid. num. 15.
Emphyteuta debet ſolvere fiſco penſionem quam ſolvebat Domino directo qui amiſit ob delictum. ibid. num. 16.
Emphyteuta obligatur ſolvere penſionem proprietario. Tom. 5. pag. 544. num. 1.
Emphyteuta non ſolvens cadit in commiſſum. Tom. 5. pag. 545. num. 2. & ſeq.
Emphyteuta an teneatur dare Domino fructus collectos à die quo non ſolvit penſionem. ibid. num. 7. & 8.
Emphyteuta in quibus caſibus incidat in commiſſum. Tom. 5. pag 546. num. 1. & ſeq.
An incidat ſi per triennium non ſolvit Canonem integrum, ſed tantum partem. ibid. num. 3 & ſeq.
Emphyteuta excuſatur à pœna commiſſi ſi quamdiu vixit proprietarius, non declaravit ſuam intentionem ibid. num. 8.
Emphyteutæ incumbit onus probandi ſe ſolviſſe canonem. Tom. 5. pag. 547. num. 10. & 11.
Emphyteuta non poteſt à Domino propria authoritate expelli ſi non ſolverit canonem intra triennium ibid. num. 1. & ſeq.
Emphyteuta cadens in commiſſum propter non ſolutam penſionem quomodo poteſt moram purgare. Tom. 5. pag. 548. num. 1. & ſeq.
Emphyteutæ Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ remittitur caducitas. Tom. 5. pag 549. num. 1.
Non cenſetur remiſſa ſi Dominus perceperit penſiones præteriti temporis. ibid. num 3 & ſeq.
Emphyteuſis eſt contractus quo res immobilis traditur fruenda in perpetuum ſub obligatione penſionis præſtandæ Domino. Tom. 7. pag. 42. num. 8. & 10.
Emphyteutæ competit jus retrahendi. Tom. 7. pag. 400. num. 10.
Emphyteuta poteſt conſtituere cenſum. Tom. 7. pag. 425. num. 1. & ſeq.
Emphyteuſis eſt nomen Græcum ſignificans ſationem & plantationem. Tom. 7. pag. 539. num. 1.
Emphyteuſis eſt contractus quo alicui conceditur utile dominium rei immobilis ſub aliqua penſione ſolvenda in recognitionem directi dominii apud concedentem. Tom. 7. pag. 539. num. 2. & 3.
Emphyteuſis in quo differt à locatione, à cenſu, à feudo. ibid. num. 4
Emphyteuſis alia eſt Eccleſiaſtica, alia communis ſeu laica. Tom. 7. pag. 540. num. 1. & 2.
Emphyteuta non gaudet privilegiis Domini directi. ibid. num. 3. 4. & 5.
Emphyteuſis utraque ſcripturam requirit. Tom. 7. pag. 541. num. 1. & ſeq.
Emphyteuſis an poſſit probari per teſtes ſi ſcriptura fuit amiſſa. Tom. 7. pag. 541. num. 1.
Emphyteuta confeſſus debet exhibere Domino inſtrumentum ſuæ poſſeſſionis. Tom. 7. pag. 542. num. 1. & ſeq.
Emphyteuta negante incumbit Domino onus probandi. ibid. num. 7. & ſeq.
Emphyteuta non tenetur rem in Emphyteuſim acceptam meliorare. Tom. 7. pag. 542. num. 1. & ſeq.
Emphyteuta tenetur ſolvere onus impoſitum Tom. 7. pag. 543. num. 1. & 2.
Emphyteuta liberatur ab omni onere, & penſione per interitum rei. Tom. 7. pag. 544. num. 1. & ſeq.
Emphyteuta non poteſt rem inconſulto Domino vendere. Tom. 7. pag. 550. num. 1.
Aliàs cadit in commiſſum. ibid. num. 2.
Quod intelligitur de perfecta venditione. ibid. num. 3. & ſeq.
Emphyteuta debet laudemium ſolvere ex venditione. Tom 7. pag 552. num. 15. & 16.
Emphyteuta an poſſit alio titulo quàm venditionis rem alienare, vel ſervitutem imponere inconſulto Domino. Tom. 7. pag. 552. num 1. & ſeq.
Emphyteuſis alia eſt antiqua, alia nova. Tom. 7. pag. 553. num 1. & ſeq.
Emphyteuſis alicui ejuſque liberis conceſſa, an extendatur ad naturales, illegitimos ſpurios, & legitimatos a Principe Tom 7 pag 555. num 1. & ſeq.
Emphyteuſis hæreditaria an poſſit obtineri ab eo qui renuntiavit hæreditatem ultimi poſſeſſoris, cùm tamen hæres exiſtit primi poſſeſſoris. Tom. 7. pag. 559. num. 1 & 2.
Emphyteuſis capaces ſunt Clerici. Tom. 7. pag. 559. num. 1. & ſeq.
Emphyteuſis capaces ſunt Equites Melitenſes. Tom. 7. pag. 560. num. 8.

Emptio. Emptor.

Emptor rei furtivæ cum animo eam reſtituendi vero domino, non peccat. Tom. 1. pag. 25. num 4.
Emptor bonæ fidei eſt qui non habet conſcientiam rei alienæ ibid. num. 5.
Emptio-Venditio eſt contractus bonæ fidei in quo de pretio pro re, vel de re pro pretio paciſcitur. Tom. 7. pag 328. num 1.
Emptor tritici non poteſt licitè cogi ad alias merces emendas. Tom 7. pag. 333. num. 1. 2 & 3.
Emptor tritici ultra certum pretium nullam pœnam incurrit. Tom. 7. pag. 336. num 2. & ſeq
Emptio tritici ut detur in ſolutum prohibetur legibus regiis. Tom. 7. pag. 337. num. 7. & 8.
Emptio poteſt minoris fieri dum adeſt legitima cauſa. Tom. 7. pag. 339. num. . & ſeq.
Emi poteſt minori pretio debitum difficile recuperatu. Tom. 7. pag. 341. num. 8 & ſeq.
Emptio an poſſit fieri pretio currenti ſi prævideatur pretium mercium brevi augendum. Tom. 7. pag. 342. num. 1. & ſeq.
Emens pro alio ſi minoris emat quàm ferret mandatum, non poteſt exceſſum retinere. Tom. 7. pag. 343. num. 1. & ſeq.
Emens qui lædit venditorem ultrà dimidiam partem juſti pretij, tenetur in conſcientia exceſſum reſtituere. Tom. 7. pag. 345. num. 1. & ſeq.
Emptor qui convenitur ex beneficio leg. 2. Cod. de reſcind. vendit. poteſt eligere, vel ut contractus reſcindatur, vel ſupplementum pretii præſtare. Tom. 7. pag. 357. num. 1.
Non tenetur tamen reſtituere fructus: & ſi quas fecit impenſas, debent deduci. ibid. num. 2. & ſeq.
Emere nemo tenetur regulariter. Tom. 7. pag. 363. num. 1.
Hoc tamen fallit aliquando. ibid. num 3.
Emptor deceptus in qualitate rei quam actionem habeat Tom. 7. pag 367. num. 16. & ſeq.
Emptor habet commodum vel incommodum rei ſtatim atque traditio facta eſt. Tom. 7. pag. 368. num. 1.
Ante traditionem quoque ſi vendita fuerit res determinata. ibid num 2.
Emptor non ſuſtinet periculum ſi venditor ſit in mora vel in culpa. Tom. 7. pag 369. num. 3.
Emptores ejuſdem rei ſi litigent invicem quis erit præferendus. Tom. 7. pag. 374 num. 13.
Emptor quando poteſt agere de evictione. Tom. 7. pag 376. num. 1.
Emptor poteſt retinere pretium, ſi periculum ſit ne res evincatur. ibid num 2.
Emptio perfecta poteſt tantùm ex mutuo contrahentium conſenſu diſſolvi. Tom. 7. pag. 401. num. 1. & ſeq.
Emptor compelli poteſt ad implendum pactum retrovendi

trovenditionis. Tom.7. pag.402. num.1.2.& 3.
Promiſſio ſola de contrahenda obligatione retrovenditionis ad eam obligat. Tom.7. pag.405.num. 4. & ſeq.
Emptiones, & venditiones reciprocæ ſub diverſo pretio factæ vulgò Mohatras ſeu Varatras dictæ tamquam illicitæ reprobantur. Tom.7.pag.409.num. 1. & ſeq.
Emptio novi cenſus realis eſt licita. Tom.7.pag.420. num.1.2.& 3.

Epiſcopus.

Epiſcopus in ſua Diœceſi poteſt legem facere.Tom.1. pag.152.num.4. & pag.153. num.5.& 6.
Epiſcopus electus & confirmatus habet hanc poteſtatem.Tom.1.pag.153 num.7.
Epiſcopus non poteſt in gravioribus legem ferre inconſulto Principe ibid. num.8.
Epiſcopus diſpenſare poteſt in quibuſdam caſibus ſi Pontifex conſuli non poſſit. ibid. num.9.
Epiſcopus non indiget conſenſu Cleri aut Capituli in lege ferenda. ibid num 10.
Epiſcopus non poteſt diſpenſare ab impedimentis matrimonii Tom.1 pag.225 num.3.
Poteſt urgente neceſſitate. Tom.1. pag.226.num.7. & ſeq.
Epiſcopus quas commiſſiones poſſit dare Vicario. Tom.1. pag.253. num 14.
Epiſcopus an poſſit abrogare conſtitutiones factas in Sinodo Diœceſana. Tom.1.pag.274 num.9.& pag. 275 num.10.& 11.
Epiſcopus poteſt à legibus Diœceſanis diſpenſare. Tom.1. pag.292. num.3.
Tres afferuntur limitationes. ibid.num.4.5.& 6.
Epiſcopus non poteſt diſpenſare à legibus Concilii Provincialis.Tom.1. pag.294. num.10.
Epiſcopo fides adhibetur qui dicit ſe poſſe ordinare ſubditum alterius Epiſcopi. Tom. 1. pag. 308. num. 5.
Epiſcopus poteſt cogere Parochos & parentes ut doceant veritates Eccleſiæ. Tom.1.pag.356. num.3.
Epiſcopus à juriſdictione Inquiſitorum eximitur. Et qui nomine Epiſcoporum veniunt.Tom.1.pag.409. num. 18.
Epiſcopus negligens in puniendis Hæreticis deponendus eſt. Tom.1. pag. 414. num.5.
